# IVS

## BORVSSICO - BRANDENBVRGICVM

## COMMVNE.

---

TOMI SECVNDI

PARS PRIOR.



Source : BIU Cujas



# IVS

# BORVSSICO-

# BRANDENBVRGICVM

## COMMVNE.

## EX GERMANICO LATINE VERSVM.

## TOMI SECUNDI

PARS PRIOR.

BIBLIOTHEQUE CUJAS
PARIS

BEROLINI MDCCC.

APVD GOTTFRIDVM CAROLVM NAVCK.

Source : BIU Cujas

In

tomi ſecundi parte priori continentur.

*Tomi Secundi*


TITVLVS I. De matrimonio. - - pag. 3—113.

*Sectio I.* De matrimonii validi requiſitis. — 3— 10.

*Sectio II.* De ſponſalibus. - - — 11— 16.

*Sectio III.* De matrimonii legitimi veri conſummatione. - - — 17— 20.

*Sectio IV.* De coniugum iuribus et officiis, ad eorum perſonam pertinentibus. — 20— 23.

*Sectio V.* De coniugum iuribus et officiis, ad eorum bona pertinentibus. — 23— 36.

*Sectio VI.* De bonorum inter coniuges communione. - - — 36— 45.

*Sectio VII.* De matrimonio morte diſſoluto. — 45— 68.

*Sectio VIII.* De matrimonio iudicis ſententia diſſoluto. - - — 69— 85.

*Sectio IX.* De matrimonio ad legem ſalicam, ſ. morganaticam, noſtrates dicunt matrimonium ad manum ſiniſtram. - - — 85— 94.


)( 2

Source : BIU Cujas

*Sectio X.* De matrimonii contra leges initi effectibus legalibus. . - pag. 94—102.

*Sectio XI.* De ſtupri ſ. coitus illegitimi effectibus legalibus. - - —103—113.

TITVLVS II. De parentum et liberorum iuribus et officiis mutuis. - - —114—191.

*Sectio I.* De liberis legitimis. - —114—120.

*Sectio II.* De iuribus et officiis parentum et liberorum, ex matrimonio ad manum dextram procreatorum, dum ſub patria ſunt poteſtate. —120—128.

*Sectio III.* De liberorum peculio. - —128—135.

*Sectio IV.* Quibus modis patria tollitur poteſtas. —135—141.

*Sectio V.* De ſucceſſione liberorum et conſanguineorum lineae deſcendentis aliorum. - - —141—163.

*Sectio VI.* De ſucceſſione parentum et aliorum conſanguineorum lineae aſcendentis. - - —164—167.

*Sectio VII.* De ſubſtitutione pupillari. —167—170.

*Sectio VIII.* De liberis ex matrimonio ad legem falicam. - - —170—174.

*Sectio IX.* De liberis ex coitu illegitimo procreatis. - - —174—181.

*Sectio X.* De adoptione. - - —181—185.

*Sectio XI.* De prolis vnione. - —186—189.

*Sectio XII.* De liberis cura, ſeu iis, qui tanquam liberi educantur. *(Pflegekinder.)* - - — 189—191.

TITVLVS III. De reliquorum familiae membrorum iuribus et officiis. - —192—196.

Source : BIU Cujas

TITVLVS IV. De iuribus familiae communibus. pag. 197—224.

*Sectio I.* De communibus familiae iuribus in genere. — 197—199.

*Sectio II.* De familiae fundationibus. — 199—201.

*Sectio III.* De familiae fideicommiſſis perpetuis. — 202—211.

*Sectio IV.* De ordine in familiae fideicommiſſa ſuccedendi. — 211—219.

*Sectio V.* De ſeparatione inter fideicommiſſarium et fiduciarii vltimi heredes. — 220—222.

*Sectio VI.* De iure retractus gentilitii. — 222—224.

TITVLVS V. De familia conducticia, ſeu de iuribus et officiis herorum et famulorum mercenariorum. — 225—244.

TITVLVS VI. De ſocietatibus in genere, et de corporibus et vniuerſitatibus ſpeciatim. — 245—265.

TITVLVS VII. De ordine ruſtico. — 266—325.

*Sectio I.* De ordine ruſtico generatim. — 266—267.

*Sectio II.* De pagorum vniuerſitatibus. *(Dorfgemeinen.)* — 268—275.

*Sectio III.* De ruſticis ſubiectis, eorumque ratione erga dominos. — 275—281.

*Sectio IV.* De ſubditorum officiis et iuribus perſonalibus. — 282—291.

*Sectio V.* De ſubditorum iuribus et officiis intuitu bonorum ſ. rei familiaris. — 291—298.

*Sectio VI.* De ſubditorum operis. — 299—317.

*Sectio VII.* De ſubditorum cenſibus et praeſtationibus. — 317—319.

*Sectio VIII.* De dimiſſione ex ſubiectione. — 320—325.

TITVLVS VIII. De ordine ciuico. — 326—585.

Source : BIU Cujas

*Sectio I.* De ordine ciuico generatim. - pag. 326—334.

*Sectio II.* De vrbibus et vrbium corporibus. —334—343.

*Sectio III.* De opificibus et opificum collegiis. —343—365.

*Sectio IV.* De artificibus et fabricatoribus. —365—367.

*Sectio V.* De braxatoribus, cauponibus, popinariis et aliis, vendendis cibis aut potibus praeparatis quaestum facientibus. - - —367—370.

*Sectio VI.* De pharmacopolis. - —371—372.

*Sectio VII.* De mercatoribus. - - —372—398.

*Sectio VIII.* De cambiis. - - —398—451.

*Sectio IX.* De literis mercatoriis et assignationibus. - - —451—456.

*Sectio X.* De proxenetis s. sensalibus. —456—465.

*Sectio XI.* De nauium exercitoribus *(Rhedern)*, nauium magistris s. naucleris *(Schiffern)* et nauium ad transportandas merces conductoribus *(Befrachtern)*. - —465—507.

*Sectio XII.* De hauaria et damnis maritimis. —507—525.

*Sectio XIII.* De assecurationibus. - —525—572.

*Sectio XIV.* De bodmeria. *(Bodmerey.)* —573—583.

*Sectio XV.* De aurigis. - - —583—585.

Source : BIU Cujas

# PARS SECVNDA.

## TITVLVS PRIMVS.

### De matrimonio.

§. 1. Finis coniugii primarius eſt ſobolis procreatio et educatio.

§. 2. Vel ſolius adiutorii mutui cauſa coniugium valide poteſt iungi.

### Sectio Prima.

*De matrimonii validi requiſitis.*

§. 3. Matrimonium inter lineae aſcendentis et deſcendentis conſanguineos penitus eſt prohibitum. Impedimenta matrimonii ob cognationem.

§. 4. Neque admittitur matrimonium inter fratres germanos et vterinos (conſanguineos), in matrimonio aut extra matrimonium procreatos.

§. 5. Parentibus non germanis aut ſoceris non licet, priuignos aut foceros ſine graduum diſcrimine matrimonio ſibi iungere.

§. 6. Quae quidem perſonae (§. 5.) matrimonium inire prohibentur, licet morte aut iudicis ſententia



Source : BIU Cujas

fuerit diſſolutum matrimonium, quo parentes non germani aut ſoceri, et priuigni aut generi ſanguinis vinculo inter ſe fuerunt iuncti.

§. 7. In gradibus cognationis atque affinitatis aliis omnibus matrimonium eſt licitum, et nulla opus eſt diſpenſatione.

§. 8. Tum tantum, ſi quis patris matrisue, aut cognati remotioris lineae aſcendentis ſororem, annis maiorem, in matrimonium ducere cupit, reipublicae diſpenſationem quaerat, neceſſe eſt.

§. 9. Quae quidem diſpenſatio concedi tantum debet iuſtis ex cauſis, et ſi eiusmodi matrimonium parti vtrique manifeſto affert vtilitatem.

§. 10. In gradibus, legibus plane prohibitis (§. 3-6.), nulla locum habet diſpenſatio cum effectibus legalibus, a quocunque fuerit impetrata.

§. 11. Quatenus vero eccleſiae catholicae addictis in caſibus, legibus prouincialibus licitis, diſpenſatio ſuperiorum eccleſiaſticorum ex eccleſiae ipſorum principiis quaerenda ſit, eorum conſcientiae relinquitur.

§. 12. At vero coniugium, legibus prouincialibus permiſſum, effectuum ciuilium nullum eo amittit, quod ſuperiorum eccleſiaſticorum diſpenſatio non fuit quaeſita, aut denegata.

Inter parentes adoptantes et liberos adoptiuos.

§. 13. Perſonae, quarum vna alteram adoptauit, quamdiu adoptio modo legitimo non eſt ſublata, matrimonio valido iungi non poſſunt.

Inter curatores aut tutores et minores aut pupillos.

§. 14. Tutor aut curator, durante tutela aut cura, absque praemiſſa cauſae cognitione, et iudicii de rebus tutelaribus conſenſu, neque ipſe cum pupillis aut minoribus matrimonium ineat, neque liberis ſuis matrimonio eos iungat.

§. 15. Quod coniugii interdictum non extendendum eſt ad curatores, minoribus tantum conſtitutos ad negotium ſeparatum, cum perpetua adminiſtratione non coniunctum.

Source : BIU Cujas

§. 16. Vno eodemque tempore maritus non nisi vxorem vnam matrimonio sibi potest iungere, et vxor non nisi viro vni nubere. Prohibitio polygamiae.

§. 17. Ad secunda et vlteriora vota progressurus nouissimi matrimonii dissolutionem probare debet parocho, et sponsalia ex suggestu promulganti, et copulam sacerdotalem peragenti. De nuptiis personarum, quae iam maritatae fuerunt.

§. 18. Si ex matrimonio antecedente liberi viuunt, qui ob aetatem minorem (minorennitatem) aut ex causa alia rebus suis ipsi praeesse nequeunt: satisfactio legalis iis praestita est probanda; aut producendum saltem ante copulationem instrumentum, quo iudicii de rebus tutelaribus venia matrimonii ineundi conceditur (*Erlaubnißschein*).

§. 19. Viduae et mulieres a viris separatae, ex antecedente matrimonio ex confessione aut manifesto grauidae, matrimonium debent differre, donec partum sunt enixae.

§. 20. Quo casu excepto, viduis et mulieribus a viris separatis nubere non licet ante menses nouem, post prioris coniugii dissolutionem praeterlapsos.

§. 21. At vero, matrimonio priori ob desertionem malitiosam dissoluto, pars separata, ad vota secunda potest progredi, simulac sententia vires rei iudicatae est nacta.

§. 22. In aliis quoque casibus iudex competens viduae aut mulieri diuortio separatae concedere potest, vt ante menses nouem elapsos secundas nuptias celebret, si ex circumstantiis et rei peritorum sententia grauiditas non est probabilis.

§. 23. Quae tamen dispensatio ante tres menses, post matrimonium prius distractum elapsos, nunquam concedatur.

§. 24. Viduo elapsis sex demum hebdomadis, vxore mortua, nouum inire matrimonium licet.



Source : BIU Cujas

Prohibitio matrimonii inter perſonas, quae adulterium in ſe inuicem commiſerunt.

§. 25. Perſonae ob adulterium commiſſum ſeparatae eas, quibuscum adulterium commiſerunt, in matrimonium ducere prohibentur.

§. 26. Neque ii, qui conſuetudine ſuſpicioſa, aut modo alio diſcordiarum auctores, diuortii cauſam praebuerunt, ſibi iungant perſonam ſeparatam.

§. 27. At vero, ſi adulterium aut conſuetudo ſuſpicioſa, aut diſcordiarum excitatio in lite (proceſſu) de diſſoluendo matrimonii vinculo, iudici non eſt denuntiata, aut ab hoc non pro diuortii cauſa cognita, denuntiationis deinde factae non eſt habenda ratio.

§. 28. Si, qui adulterium commiſerunt, aut quibus interceſſit conſuetudo ſuſpicioſa, ſimul inſidias coniugis alterius vitae ſtruxerunt; matrimonium inter coniugem nocentem et eum, quocum conſueuit, neque tum permittitur, ſi prioris matrimonii vinculum morte tantum fuerit diſſolutum.

§. 29. Iudicis potius eſt, eiusmodi caſu ipſi denuntiato, ex officio eatenus inquirere, quatenus ad inquirendum tenetur in quodlibet delictum, ipſi denuntiatum.

Prohibitio matrimonii ob ordinis inaequalitatem.

§. 30. Mares nobili gente orti ordinis ruſtici aut ciuici inferioris feminas in manus dextrae matrimonium ducere non poſſunt.

§. 31. Ad ordinem ciuicum ſuperiorem hic referuntur, qui muneri publico praeſunt (publici officiales) omnes, exceptis inferioribus (*Subalternen*), quorum filii in regula adſcriptioni militari (*dem Canton*) ſunt ſubiecti, literati, artifices, mercatores, ii, qui fabricas magnas inſtituunt, et ii, qui in ſocietate ciuili eodem, ac illi, honore habentur.

§. 32. Viro nobili matrimonii imparis (§. 30.) ineundi veniam prouinciae Collegium Iuſtitiae poteſt concedere, ſi tale matrimonium iuncturus docet, agnatorum ſuorum proximorum eiusdem nominis et ordinis tres in matrimonium conſentire.

Source : BIU Cujas

§. 33. Quorum conſenſum ſi impetrare nequit, aut ſi contradicunt agnati, eiusdem cum conſentientibus qua agnationis gradum propinquitatis; venia dari a principe immediate tantum poteſt.

§. 34. Praefecti militares (*Officiere*), actu merentes, ſine regis permiſſu matrimonium inire non poſſunt. Matrimonia militum.

§. 35. Ad matrimonium ſubpraefectorum (*Unterofficiere*), militum gregariorum et omnium, ſacramento eodem modo, quo illi, obligatorum, requiritur conſenſus regimento, batalioni aut cohorti, cui ſunt adſcripti, praefecti (*Chefs*), aut praefecti eum ſequentis (*Commandeurs*).

§. 36. Chriſtianus inire matrimonium non poteſt cum iis perſonis, qui eccleſiae ſuae principiis impediuntur, quo minus legibus Chriſtianorum matrimonialibus ſe ſubmittant. Requiſita validi matrimonii, quoad eccleſiam,

§. 37. Mares annum octauum decimum nondum egreſſi, et feminae annum quartum decimum nondum egreſſae matrimonium inire prohibentur. quoad aetatem,

§. 38. Sine libero partis vtriusque conſenſu matrimonium validum nullum. quoad liberum conſenſum,

§. 39. Quatenus voluntatis declaratio in genere ob defectum facultatis perſonalis, aut ob vim, metum, aut dolum non obligat, eatenus quoque matrimonium, iisdem rebus circumſtantibus iunctum, eſt nullum. (Part. I. Tit. IV. §. 31. ſeqq.)

§. 40. In quantum voluntatis declaratio quaelibet ob errorem eſt inualida; in tantum idem error tollit quoque conſenſum in matrimonium ineundum, ſi error eſt admiſſus in perſona coniugis futuri, aut in iis qualitatibus perſonalibus, quae in matrimonio eius generis ineundo ſolent praeſupponi. (Ibid. §. 75-83.)

§. 41. Matrimonium, cui vis, dolus aut error cauſam dedit, obligat, ſi, errore aut dolo cognito, aut vi ſublata, expreſſe habitum fuerit ratum, aut



Source : BIU Cujas

vltra hebdomadas ſex, poſt illud temporis momentum, ſponte continuatum.

§. 42. Si pars, quae ſe fuiſſe coactam, deceptam aut in errore verſatam aſſerit, eſt mortua, matrimonii nullitate iudici non denuntiata; matrimonium ab eius heredibus impugnari non amplius poteſt.

§. 43. At vero, ſi ex matrimonio, cui vis cauſam dediſſe aſſeritur, nulla extat proles; partis innocentis heredibus ius eſt agendi, vt matrimonium declaretur nullum.

§. 44. Terminus, qui defuncto adhuc ſuperfuit, in heredum fauorem, computando a die mortis duplicatur.

quoad conſenſum patris,

§. 45. Liberi, ex matrimonio dextrae manus ſuſcepti, absque patris germani conſenſu validum matrimonium inire nequeunt.

§. 46. Liberos quoque, qui iam in matrimonio vixerunt, et filios, ex patria poteſtate dimiſſos, et filias, annum vicesimum quintum iam egreſſas, et liberos, ex manus ſiniſtrae matrimonio ſuſceptos, conſenſum patris oportet quaerere.

§. 47. Solenniter adoptatus ad matrimonium ineundum non indiget, niſi conſenſu adoptantis.

§. 48. Liberi a parentibus, quibus vitam debent, derelicti et ab aliis recepti, matrimonium iuncturi indigent tantum conſenſu eorum, qui eo tempore cura ſua parentum nomen merentur. (Tit. II. Sect. XII.)

matris, auorum, et curatoris.

§. 49. Minoribus patre orbis matrimonium iuncturis conſenſus matris et curatoris eſt neceſſarius.

§. 50. Matre quoque mortua, eius loco conſenſus auorum quaeratur neceſſe eſt.

§. 51. Ex pluribus auis praeferendi ſunt illi, qui liberos ad ſe receperunt, et educarunt.

§. 52. Alias auus auiae, et auus paternus auo materno praefertur.

Source : BIU Cujas

§. 53. Auis quoque non amplius exiſtentibus, ſolus curatoris conſenſus ſufficit.

§. 54. Curator conſenſum ſuum absque iudicii de rebus tutelaribus ratihabitione interponere non poteſt.

§. 55. Quidquid in antecedentibus (§. 49-54) de minoribus eſt praeceptum, valet quoque de iis, qui a iudice prodigi declarati ſub cura ſunt conſtituti.

§. 56. Si, cuius conſenſus deſideratur, ipſe eſt ſub cura, aut eius domicilium ignotum; eodem modo eſt agendum, ac ſi plane non amplius exiſtat.

§. 57. Conſenſum parentum et auorum eorum, qui extra Europae fines degunt, iudicium de rebus tutelaribus poteſt ſupplere, ſi liberorum matrimonio iungendorum commodis eum conſenſum expectando male conſuleretur.

§. 58. Quorum conſenſus ſecundum principia in antecedentibus §. 45. et ſeqq. expoſita requiritur, hi conſenſum absque iuſta et graui cauſa non denegent.

§. 59. Cauſae graues et iuſtae habentur omnes, ex quibus exoritur matrimonii infauſti et triſtis futuri metus iuſtus et probabilis. Cauſae, ob quas conſenſus denegari poteſt.

§. 60. Huc in primis referendum, ſi coniugibus futuris victus deforet neceſſarius.

§. 61. Aut ſi pars altera ſententia criminali, vires rei iudicatae nacta, damnata eſt poenae, quae infamiam aut ex communi opinione leuis notae maculam infert.

§. 62. Et, ſi profuſioni, ebrietati, diſſolutioni, aut alii vitio magno eſt dedita.

§. 63. Item, ſi iam ſemel eſt ſeparata, et in ſeparationis ſententia pars nocens declarata.

§. 64. Aut ſi epilepſia, phthiſi, lue venerea aut morbo contagioſo alio laborat.



Source : BIU Cujas

§. 65. Denique ſi perſona minorennis nobilis aut ordinis ſuperioris ciuici cum eiusmodi perſona matrimonium cupit inire, quae ſecundum determinationes antecedentes (§. 30. 31.) ad claſſem inferiorem pertinet.

§. 66. Iuſta ex cauſa conſenſum denegant parentes et aui, quibus grauis iniuria aut vis ab altera parte eſt illata.

§. 67. Aut ſi liberi conſenſum non imploratum aut denegatum ſponſalibus clandeſtinis, raptu, aut aliis modis (mediis) illicitis extorquere tentarunt.

Supplementum conſenſus absque iuſta cauſa denegati.

§. 68. Si parentes aut aui conſenſum denegant, liberis aut altera parte petentibus de iuſta denegationis cauſa iudicem competentem oportet cognoſcere.

§. 69. Si curator conſenſum denegat, iudicium de rebus tutelaribus mero decreto ſupplere eum poteſt.

§. 70. At curatori in conſenſus denegatione perſeueranti licet petere, vt a iudice audiatur, et de cauſa conſenſus denegati cognoſcatur.

§. 71. Idem ius illi quoque competit, cui a iudicio de rebus tutelaribus, curatoris aut cognatorum conſenſu ſiue accedente ſiue deficiente, interdictum eſt coniugium cum perſona, ſub cura conſtituta.

§. 72. Si curatores plures inter ſe diſſentiunt, iudicii de rebus tutelaribus ſententia ſola inter eos decidit.

§. 73. In quantum praedii dominorum conſenſus ſit neceſſarius, in titulo de iuribus et officiis praedii ſubditorum definitur. (Tit. VII. Sect. IV.)

§. 74. Effectus legales, ſi negligantur haec matrimonii validi requiſita in antecedentibus expoſita, in ſectione decima ſunt definita.

Source : BIU Cujas

## Sectio Secunda.

### *De ſponſalibus.*

§. 75. Sponſalia ſunt pactum, quo perſonae duae ſexus diuerſi ſibi inuicem promittunt matrimonium poſtea ineundum. Requiſita validorum ſponſaliorum.

§. 76. Inter perſonas, et iis in caſibus, quibus matrimonium ſecundum leges ſubſiſtere nequit, ſponſalia valida fieri nequeunt.

§. 77. Neque vim obligandi ſponſalia ab initio inualida eo acquirunt, quod matrimonii prohibitio, pacti initi tempore obſtans, diſpenſatione aut alio modo eſt ſublata.

§ 78. At contra, ſi matrimonii impedimentum tantum conſiſtit in defectu conſenſus eorum, quorum conſenſus ad matrimonii validitatem requiritur; ſponſalia, donec iſte conſenſus fuerit impetratus, eum tantum non obligant, qui eo conſenſu indiget.

§. 79. At alteri parti recedere non licet, quamdiu iſtae perſonae, quarum conſenſus requiritur, ſe nondum declararunt. (Part. I. Tit. V. §. 13.)

§. 80. Quamdiu ſponſalia legitima ſubſiſtunt, pars neutra alia faciat ſponſalia. (§. 132-134.)

§. 81. Nuptiis ſolennia praecedere ſponſalia neceſſe non eſt.

§. 82. At vero, ſi ex ſponſalibus ius ad matrimonium conſummandum agendi debeat oriri; ſponſalia in iudicio, aut coram iuſtitiae commiſſario et notario ſunt celebranda et literis conſignanda. Forma ſponſaliorum.

§. 83. Ruſtici plebeii ſponſalia coram ſcultetis et ſcabinis poſſunt facere, et literis conſignanda curare.

§ 84. Pro ſponſaliorum merorum conſignatione, iudicii loco ſolito facta, a partibus nullae exigantur ſportulae.

§. 85. In conſignandis ſponſalibus partes in perſona adſint, neceſſe eſt.

Source : BIU Cujas

§. 86. Si pars vtraque non vno eodemque loco degit, ſponſaliorum conſignatio loco, quo ſponſa degit, fiat neceſſe eſt.

§. 87. In quo caſu ſponſus per mandatarium, in iudicio conſtitutum, negotium poteſt perficere.

§. 88. Si ſponſa eſt maiorennis, neque adhuc ſub patria poteſtate; cum adiutore (aduocato) maſculo, a ſemet ipſa electo, compareat neceſſe eſt.

§. 89 Iudicis aut iuſtitiae commiſſarii eſt, ante pacti conſignationem percontari, an forſan matrimonio impedimenta obſtent.

§. 90. Quos effectus producat matrimonii impedimentorum exiſtentium occultatio, intuitu partis celantis, ſuo loco eſt definitum. (Sect. X.)

§. 91. Sponſalia, in quibus faciendis ſolennitas legalis non eſt obſeruata, meri tractatus ſunt habenda.

§. 92. Proclamatione autem ex ſuggeſtu cum vtriusque partis conſenſu iam facta, inter eas locum habent eadem iura et officia, quae ex ſponſaliis ſolennibus oriuntur

§. 93. Defectus, ſponſaliorum ſolennium validitati obſtantes, non tolluntur accedente concubitu.

§. 94. At vero concubitus ſub matrimonii promiſſione conſummati effectus in genere infra definiuntur. (Sect. XI.)

Sponſalia conditionata.

§. 95. Sponſalia, quorum adimplementum a conditione adiecta ſuſpenſiua dependet, reuocari a qualibet parte, vel ſola, (vnilateraliter) poſſunt, quamdiu conditio nondum exiſtit.

§. 96. Idem valet de ſponſalibus iis, quorum adimplementum in tempus incertum eſt dilatum, quamdiu temporis momentum nondum venit.

§. 97. Si in pacto de matrimonii ineundi tempore nihil plane eſt determinatum, pars altera per duos tantum annos expectare obligatur.

Source : BIU Cujas

§. 98. Idem obtinet, ſi matrimonii coniunctio verbis indefinitis, ſi fieri poſſit, aut ſi occaſio fuerit data, eſt promiſſa, aut vnius vel alterius partis arbitrio expreſſe relicta.

§. 99. Caeterum nemini, inuito altero, reſilire licet a ſponſalibus validis, absque cauſa iuſta et legitima. Implementum ſponſaliorum.

§. 100. Cauſae, ob quas matrimonium iam iunctum poſſet diſſolui, repudii cauſam praebent. (Sect. VIII.) Cauſae repudii.

§. 101. Atque etiam repudium poſſunt fundare conſuetudo ſuſpecta ſola, illatae iniuriae leues, ignominia aut contemtio, licet ad diſſoluendum matrimonium iam iunctum non ſufficiant.

§. 102. Partis alterius mores praui, ob quos parentes ſecundum §. 61 - 63. conſenſum denegare poſſent, alteri ius repudii tribuunt, ſi morum prauitas demum, ſponſalibus iam factis, eſt exorta, aut alteri innotuit.

§. 103. Ob partis alterius morbum faſtidioſum, contagioſum, in primis venereum, et incurabilem omnem, poſt contracta ſponſalia demum cognitum, pars altera ſponſalia poteſt reuocare.

§. 104. Idem obtinet de inſigni corporis deformitate, aut alio vitio, taedium et indignationem mouente, quod altera pars alteram ante ſponſalia celauit.

§. 105. Error in bonis, poſt ſponſalia contracta cognitus, tunc tantum poenitentiam defendit, ſi connubio iungendis victus deficeret neceſſarius.

§. 106. Dolus omnis, vel intuitu bonorum tantum, a ſponſo aut eius parentibus commiſſus, alteri ius poenitendi tribuit.

§. 107. Mutationes, poſt facta ſponſalia in perſona, aut facultatibus perſonalibus, aut bonis deſponſati alterius factae, ius poenitendi concedunt illi, qui, ſi praeuidere eam mutationem potuiſſet, ſponſalia probabiliter non fuiſſet contracturus.

Source : BIU Cujas

§. 108. Mutatio eccleſiae alteri quidem parti ius poenitendi tribuit, at non mutanti.

§. 109. Si altera pars obligationem, ſponſalibus aut pacto matrimoniali in ſe expreſſe ſuſceptam, adimplere nequit, alteri parti ius eſt poenitendi.

§. 110. At contra, minorennitas ſola non eſt cauſa iuſta et legitima, recedendi a ſponſalibus ſolenniter celebratis, requiſitis legalibus non neglectis.

§. 111. Si circumſtantiae, quae parentibus, auis, aut curatoribus ius conſenſus denegandi tribuunt, ſponſaliis iam contractis demum incidunt aut apparent; hi reuocare conſenſum iam interpoſitum poſſunt.

Effectus, ſi quis absque cauſa iuſta a ſponſaliis receſſerit.

§. 112. Si quis absque cauſa iuſta et legitima ſponſalia conſummare pertinaciter renuit, aut ipſe ſe facultate ſponſalia adimplendi priuat; dona amittit alteri parti data, et debet reſtituere dona ab altera parte accepta, atque refundere expenſas in ſponſalia factas omnes.

§. 113. Si in poenitentiae caſum poena conuentionalis eſt adiecta, ea quoque praeter ea adhuc eſt danda.

§. 114. Poena conuentionali non pacta, pars nocens praeter indemnitatem §. 112. definitam, parti innocenti debet ſatisfacere quarta parte eorum, quae in ſponſaliis aut pacto matrimoniali ſeparato pro dote aut antiphernis (*Gegenvermächtniſs*) ſunt conſtituta.

§. 115. Si de dote et antiphernis nihil eſt pactum, at parti innocenti, ſi alteri ſit ſuperſtes, ſumma aut res quaedam in ſe definita pro portione hereditaria transſcripta; pars innocens quartam huius portionis hereditariae partem ſatisfactionis loco poteſt petere.

§. 116. Si pro caſuum diuerſitate ſummae diuerſae ſunt definitae; ſatisfactio ex ſumma minima computatur.

Source : BIU Cujas

§. 117. Si a ſponſalibus recedens ſatisfactionem alteri parti competentem ex propriis praeſtare nequit; parentes eius ad eam praeſtandam tenentur, quatenus in ſponſalia conſenſerunt, et poenitentiae auctores fuerunt, aut ratam eam habuerunt.

§. 118. Si caſuum antecedentium nullus exiſtit, ad determinandam ſatisfactionem, parti innocenti aſſignandam, huic quidem acquieſcendum eſt ſola ſatisfactione §. 112. definita;

§. 119. At tum tamen pars, ſine cauſa iuſta et legitima recedens, pro leuitatis admiſſae, et iniuriae, ſponſae derelictae illatae, ratione pecuniae aut carceris poena proportionata eſt afficiendus.

Effectus, ſi quis ex iuſta cauſa a ſponſalibus receſſerit.

§. 120. Si pars altera diſſolutis moribus, poſt contracta ſponſalia, alteram a ſponſalibus recedere cogit, haec ſatisfactionem in antecedentibus (§. 112-119.) definitam poteſt petere.

§. 121. At vero, ſi iuſta et legitima poenitendi cauſa ad rationes refertur iam ante ſponſalia exiſtentes, et alteri parti non doloſe occultatas; parti recedenti tantum competit ſatisfactio §. 112. determinata.

Effectus, ſi ſponſalia abſque vnius aut alterius partis culpa non ſunt conſummata.

§. 122. Sponſaliis mutuo diſſenſu aut ob cauſas legitimas alias ſic diſſolutis, vt culpa maior imputari parti neutri poſſit; dona ab vtraque parte ſunt reſtituenda.

§. 123. Si ſponſalia ob partis alterius mortem adimpleri nequeunt; ſuperſtiti eſt electio, vtrum dona accepta ſibi velit habere, an ſuis repetitis reſtituere.

Iura et officia heredum ex hereditatem relinquentium ſponſaliis.

§. 124. Ius, exigendi reparationem et ſatisfactionem §. 112-119. definitam, in regula ad heredes non tranſit.

§. 125. At pars tamen innocens contra nocentis heredes agere de iis poteſt, ſi pars nocens, actione ex ſponſaliis inſtituta, in iudicio aut ſcriptis declarauit, ſe matrimonium nolle conſummare.

§. 126. Item, ſi pars nocens iam ante mortem ſibi aliam perſonam matrimonio iunxit.

Source : BIU Cujas

§. 127. At contra, partis innocentis heredes reparationem et satisfactionem a parte nocente eatenus tantum possunt petere, quatenus parti defunctae ius reparationem et satisfactionem petendi iam tribuit sententia, vires rei iudicatae nacta.

Praescriptio iuris ex sponsaliis.

§. 128. Qui ab elapso tempore, in sponsalibus ad ea consummanda praefinito, annum praeterlabi finit, altero ad implenda sponsalia non prouocato, iure priuatur ex sponsaliis agendi.

§. 129. Si tempore non determinato, pars neutra intra duos annos, a die sponsaliorum contractorum, ad ea consummanda alteram adiit, sponsalia ipsa vim suam amiserunt. (§. 97.)

§. 130. Quo casu excepto, actio ex sponsalibus, quibus tempus consummationis non est adiectum, extinguitur post annum vnum, inde ab vltima prouocatione frustra facta elapsum.

§. 131. Qui ipse altera parte citius alias celebrat nuptias, aduersus alteram ex sponsalibus, ne ad damnum quidem resarciendum potest agere.

§. 132. Ius, dissolutis sponsalibus dona repetendi (§. 122. 123.), extinguitur, nisi intra annum fuerit exercitum.

De concursu sponsaliorum.

§. 133. Qui adhuc legitime desponsatus aliam personam ad sponsalia posteriora contrahenda inducit, huic a sponsaliis recedenti omnia debet praestare, quae §. 112-119. sunt constituta.

§. 134. At vero, si sponsalia posteriora contrahenti alterius partis sponsalia priora fuerunt cognita: ex sponsaliis posterioribus neque iura oriuntur, neque obligationes.

§. 135. Sponsalia partis vnius posteriora omnia alteri parti, quae cum illa sponsalia priora contraxit, ius tribuunt, a sponsalibus prioribus recedendi, et non solum damni reparationem, sed etiam satisfactionem legitimam petendi.

Sectio

Source : BIU Cujas

## Sectio Tertia.

*De matrimonii legitimi veri conſummatione.*

§. 136. Matrimonium validum benedictione ſacerdotali conſummatur.

§. 137. Inter perſonas, eccleſiarum alienarum, in ſtatu toleratarum, conſummatio matrimonii pleni vnice diiudicatur ex ritibus eccleſiae, cui ſunt addictae.

§. 138. Proclamatio ex ſuggeſtu ſacerdotalem benedictionem praecedat neceſſe eſt. Proclamatio.

§. 139. Proclamatio in deſponſati vtriusque parochia fiat.

§. 140. Qui ad nullam parochiam pertinet, nihilo minus debet procurare proclamationem in aede ſacra, in cuius dioeceſi ſedem fixam habet.

§. 141. Qui nondum per annum vnum in loco praeſenti domicilium habet, in eccleſia quoque loci, quo antea domicilium habuit, eſt proclamandus.

§. 142. Famulitium, quod nuſpiam ſedem fixam adhuc collocauit, praeter proclamationem in parochia, ad quam nunc pertinet, in patria quoque, ſine diſcrimine temporis abſentiae, proclamationem curare oportet. (Tit. XI. Sect. V.)

§. 143. Peregrinus quoque, qui ritu ſolenni coniugiali in terris regiis copulari cupit, in patriae parochia proclamationem procurare debet.

§. 144. Quod ſi efficere non poſſit, inſtrumentis iudicialibus aut notariorum, fide certis, probare debet, loco patriae impedimentum matrimonii iungendi nullum eſſe cognitum.

§. 145. At vero, ſi peregrinus, qui ſedem fixam in terris noſtris collocauit, plus anno in iis eſt commoratus, proclamatio in parochia loci, vbi degit, ſufficit, vti in proclamandis indigenis.

§. 146. Si parocho, proclamationem peracturo non producitur pactum ſponſale, forma fide digna



Source : BIU Cujas

confectum; ſecundum praecepta ante expoſita percontari debet, an forſan matrimonii impedimenta exiſtant.

§. 147. Parochum, de eo dubitantem, quid agendum ſit, mandata a ſuperioribus oportet petere.

§. 148. Proclamationem interea quidem continuat; at benedictio ſacerdotalis tamdiu eſt ſuſpendenda, donec reſolutio eſt impetrata.

§. 149. Parochus, qui percontationem omiſit, aut impedimentum, quod ipſi innotuit, leuiter neglexit, ideo poena fiſcali proportionata afficiendus.

§. 150. Proclamatio clare enuntiando ordinem, praenomen et cognomen partis vtriusque, et ſponſae parentum fiat neceſſe eſt.

§. 151. Proclamatio tribus diebus ſolis ſe ſubſequentibus ex ſuggeſtu fiat neceſſe eſt.

§. 152. Bis tantum, proclamatione tertia omiſſa, proclamari cupienti pro re nata eam diſpenſationem poteſt concedere magiſtratus, cui ſponſae parochus eſt ſubiectus.

§. 153. Si proclamatio vna tantum loco omnium fieri debeat; conſilii ſtatus diſpenſatio impetretur neceſſe eſt.

§. 154. Si praecepta antecedentia, de proclamatione data, fuerint neglecta, matrimonium quidem non fit inualidum;

§. 155. At partes et parochus copulans, pro ratione culpae et damni, alicui forſan dati, pecuniae aut carceris poenam commiſerunt, fiſco luendam.

§. 156. Quae tamen poena ceſſat, ſi ob ſubitum mortis periculum benedictio ſacerdotalis fuit acceleranda, neque difficultates extiterunt, neque ſuperiorum mandata expectari potuerunt.

§. 157. Idem obtinet, ſi ſponſo reipublicae cauſa iter diuturnum et periculoſum tam ſubito eſt ſuſcipiendum, vt proclamationis aut diſpenſationis impetrandae non detur tempus.

Source : BIU Cujas

§. 158. Contradictio proclamationi facta fundari tantum potest in sponsalibus antiquioribus solennibus, aut grauidatione sub matrimonii promissione subsecuta. Si proclamationi contradicitur.

§. 159. Si parocho producuntur eiusmodi sponsalia solennia, et proclamatio et benedictio sacerdotalis statim est intermittenda.

§. 160. Si grauidatio sub promissione matrimonii subsecuta contradictionem fundare debet; haec agendi causa loci, quo debet proclamatio aut benedictio sacerdotalis peragi, probanda est magistratui, a quo vlterior proclamatio aut copulatio sacerdotalis interdicenda.

§. 161. Litis de ea re exortae cognitio eius est iudicii, cui is, contra quem agitur, in causis sponsalibus et matrimonialibus est subiectus.

§. 162. Si pars, contra quam contradictio est interposita, declarat, se personam proclamationi contradicentem nolle in matrimonium ducere, sed ei tantum ex legibus et iudicis arbitrio velle satisfacere; huius satisfactionis cautionem idoneam praestare eum oportet.

§. 163. Quae simulac est praestita, vlterior proclamatio et copulatio sacerdotalis peragi potest.

§. 164. Contradictione postea reiecta, contradicens, tanquam iniurians, grauiter est puniendus.

§. 165. Si iudici, benedictione sacerdotali nondum peracta, denuntiatur matrimonii impedimentum vnum vel aliud, adhuc ignotum, at fide non indignum; et proclamatio et benedictio sacerdotalis est interdicenda.

§. 166. Quod interdictum non tollitur, vsque donec impedimentum vel est sublatum, vel per sententiam legitimam tanquam leue reiectum.

§. 167. Personarum priuatarum vices in benedictione sacerdotali obire mandatarii non possunt. Benedictio sacerdotalis.



Source : BIU Cujas

§. 168. Quis parochus benedictionem facerdotalem tanquam competens peragere debeat, ex principiis infra praefcriptis eft definiendum. (Tit. XI. Sect. VI.)

§. 169. Eo, quod benedictio facerdotalis non eft peracta a parocho competente, matrimonium ipfum non fit inualidum.

§. 170. Qui vero, in fraudem legum prouincialium, in terris exteris folenni ritu coniugiali copulatur, praeter effectus reliquos legales nullitatis matrimonii illegitimi (Sect. X.) poenam adhuc commifit thalerorum decem vfque ad thaleros trecentos, fifco foluendam.

§. 171. Sumtus proclamationis, benedictionis facerdotalis et nuptiarum celebritatis coniuges vtrique communiter ferunt, nifi de alio expreffe fuerit conuentum, aut ex loci, quo fponfa degit, confuetudine intuitu claffis, ad quam refertur, aliud vfu receptum.

§. 172. Dominium donorum nuptialium, parti vtrique eft commune, nifi aliud donans expreffe conftituerit, aut ex doni qualitate fit intelligendum.

## Sectio Quarta.

### *De coniugum iuribus et officiis, ad eorum perfonam pertinentibus.*

Iura et officia coniugum communia.

§. 173. Iura et officia coniugum initium ftatim capiunt benedictione facerdotali peracta.

§. 174. Coniuges in rebus et caufis omnibus pro viribus adiutorium mutuum praeftare fibi obligantur.

§. 175. Confuetudo vitae indiuidua inter eos intercedat neceffe eft, neque iis licet, matrimonii vinculum aufu proprio diffoluere.

§. 176. Neque ob cafus aduerfos iis licet, fe inuicem deferere.

Source : BIU Cujas

§. 177. Negotia publica, res et cauſae priuatae, quae moram non patiuntur, et itinera ſanitatis cauſa ſuſcepta excuſant abſentiam.

§. 178. Coniugibus ſibi inuicem debitum coniugale continuo denegare non licet.

§. 179. Si tamen debiti connubialis praeſtatio valetudini vnius aut alterius coniugis foret detrimento; exigi eius praeſtatio nequit.

§. 180. Vxores quoque infanti mammas praebentes iure corporis communicationem denegant.

§. 181. Ad fidem connubialem coniuges vtrique ſibi inuicem ſunt obligati.

§. 182. Si pars altera fidem laedit, inde parti alteri non datur ius fidem violandi.

§. 183. Vitanda quoque ſunt facta, quae violationis fidei ſuſpicionem poſſent mouere.

§. 184. Maritus eſt caput ſocietatis coniugialis, eiusque conſilium in rebus communibus decidit. Mariti iura et officia.

§. 185. Maritus eſt obligatus, ad vxorem ordini conuenienter alendam.

§. 186. Quae tamen victu neceſſario contenta ſit neceſſe eſt, ſi maritus victum ordini conuenientem comparare illi nequit.

§. 187. Ad neceſſarium vxoris victum pertinent quoque impenſae in aegrotae curationem et eius lites (proceſſus) erogandae. (§. 229. 230.)

§. 188. Marito obligatio et ius eſt, vxoris perſonam, honorem (ſ. bonam famam) et bona coram iudicio et extra illud defendendi.

§. 189. Hinc in regula vxor marito non adhibito et non conſentiente cum aliis lites agere nullas poteſt.

§. 190. Atque etiam contra actiones iniuriarum inſtitutas maritus vxorem ſumtibus ſuis defendere obligatur.

§. 191. In inquiſitionibus criminalibus, contra vxorem inſtitutis, maritus innocens ab onere ſumtuum,



Source : BIU Cujas

ex propriis soluendorum, eatenus est immunis, quatenus delictum ab vxore commissum ipsi tribuit ius, ad diuortium agendi.

Vxoris. §. 192. Vxor matrimonio dextrae manus mariti nomen acquirit.

§. 193. Ordinis iura participat, quatenus ea personae illius soli non inhaerent.

§. 194. Obligata est, vt mariti rei familiari pro eius ordine et dignitate praesit.

§. 195. Inuito marito pro se ipsa seperatum quaestum exercere vxori non licet.

§. 196 Marito non consentiente vxor conuentiones nullas potest inire, quibus iura in vxoris persona laeduntur.

§. 197. At vero neque maritus vxore non consentiente conuentiones potest inire, quibus vxoris persona tertio obligatur.

§. 198. In casibus omnibus, vbi vxor durante matrimonio ad aliquid, ad quod ex legibus non tenetur, aut marito, aut in eius fauorem obligari debet, pactum aut conuentio in iudicio est perficienda.

§. 199. Hinc ex pactis extraiudicialibus meris mariti et vxoris huic quidem iura, at obligationes nullae possunt enasci.

§. 200. Atque etiam in actibus iudicialibus vxoris cum marito curator (assistens) vxoris adhibendus est, vel ab ipsa electus, vel a iudicio denominatus.

§. 201. Iudex tamen ex officio simul prospiciat, ne vxor in eiusmodi actibus praepropere agat, neque decipiatur.

§. 202. Si maritus discessit, de gerendis et curandis suis rebus nihil disponens, et eius domicilium ignotum est; vxori ius competit, faciendi omnia, quae ad iustam et solitam bonorum administrationem sunt necessaria.

Source : BIU Cujas

§. 203. Idem quoque in iis negotiis, vbi periculum in mora eſt, tunc locum habet, ſi mariti domicilium quidem eſt notum, ſed tam longe remotum, vt eius de iſtis negotiis perficiendis voluntas nequeat noſci.

§. 204. In quantum marito abſente vxor ad perficiendos ſ. expediendos actus iudiciales pro eo ex mandati legaliter praeſumendi fundamento admittatur, ordo iudicialis definit.

## Sectio Quinta.

### *De coniugum iuribus et officiis, ad eorum bona pertinentibus.*

§. 205. Matrimonio conſummato vxoris bona in mariti adminiſtrationem tranſeunt, quatenus eorum adminiſtratio vxori legibus aut pactis non eſt expreſſe reſeruata.

§. 206. Ad bona recepticia, legibus conſtituta, pertinent ea, quae pro ſua natura et qualitate vxoris vſui ſunt deſtinata. Bona recepticia vxoris.

§. 207. Atque etiam morgengaba in matrimonio contrahendo a marito promiſſa.

§. 208. Quae praeter ea ad bona recepticia debeant referri, pactis expreſſe ſunt definienda.

§. 209. Prout eiusmodi pactum ante nuptias vel poſt eas celebratur, in eo celebrando obſeruetur neceſſe eſt forma, §. 82. ſeqq. aut §. 198. ſeqq. definita.

§. 210. Quidquid neque eiusmodi pactis neque vi legum (§. 206. 207.) vxori eſt reſeruatum, qualitatem bonorum illatorum induit. Bona illata.

§. 211. Quidquid vxor matrimonio ſubſiſtente acquirit, in regula marito acquirit (§. 219. 220.)

§. 212. At quidquid, matrimonio durante, hereditate, donationibus, aut caſibus fortuitis in eam confertur, bonis illatis adnumeratur.



Source : BIU Cujas

§ 213. Res quoque mobiles et pretiosae, quas vxor hereditate, donationibus, aut casibus fortuitis acquirit, ad bona recepticia tunc tantum sunt referendae, si qualitas §. 206. iis inest.

§. 214. Si testator aut donator determinauit qualitatem, quam res delatae debeant induere, ea determinatio pro norma est accipienda.

§. 215. Coniuges quoque determinationem legalem antecedentem (§. 210-212.) pactis expressis inter se possunt mutare.

§. 216. At vero, si fundi aut sortes (summae capitales), quae legibus bonis illatis adnumerantur, eiusmodi pactis qualitatem bonorum recepticiorum, intuitu tertii quoque, debeant consequi; in vxoris nomen transcribantur necesse est.

§. 217. Quidquid vxor ex bonorum recepticiorum reditibus comparcit, his bonis accrescit.

§. 218. At quae eo modo parcendo acquisita sunt, tempore, quo separantur bona vtriusque coniugis, in vxoris nomen transcripta sint, aut alias clare appareat necesse est, eam possessione rerum aut pecuniarum, parcendo acquisitarum, se nondum abdicasse.

§. 219. Fundi et sortes, ex reditibus quaestus vxoris separati acquisiti, et bonorum separandorum tempore in eius nomen transcripti, ad vxoris bona quoque pertinent.

§. 220 At vero iis tantum inest bonorum illatorum qualitas, si vxor quaestum non fecerit solis bonis recepticiis, aut aliud non fuerit expresse pactum.

Iura vxoris in bonis recepticiis.

§. 221. Intuitu bonorum recepticiorum vxori competit administratio, vsusfructus, et ius disponendi liberum, nisi vni aut alteri expresse renuntiauerit.

§. 222. In regula igitur ea, quae vxor de bonis recepticiis disposuit, valent etiam absque mariti consensu.

Source : BIU Cujas

§. 223. At de gemmis tamen, auro, argento et rebus aliis, magnificentiae soli destinatis, sine discrimine, vtrum ad bona recepticia pertineant, an minus, nemo cum vxore pignoris aut alienationis pacta ineat, marito insscio.

§. 224. Si vxor intuitu bonorum ex legibus recepticiorum malae administrationis suspicionem de se excitat; marito ius competit, praecauendi administrationem malam remediis necessariis.

§. 225. At vero intuitu bonorum ex pacto recepticiorum maritus liberam vxoris disponendi facultatem tunc demum potest restringere, si verae profusionis culpam commisit.

§. 226. In quo casu vxori, vti prodigis aliis, curator a iudice est constituendus.

§. 227. In regula maritus suscipere debet curam, et simul cum ea, intuitu bonorum recepticiorum, officia curatoris rerum alienarum omnia.

§. 228. Onera et expensas, in bona ex legibus recepticia erogandas, in casibus omnibus fert maritus, si vxor non possidet fortes aut reditus sibi reseruatos.

§. 229. At contra, onera et expensas bonorum recepticiorum conuentionalium, vxorem ex his bonis ferre oportet.

§. 230. Lites (processus), quae pertinent ad bona ex pacto recepticia, vxor valide potest agere, vel marito non adhibito.

§. 231. Intuitu bonorum, ab vxore illatorum, marito competunt iura et officia vsufructuarii omnia. (Part. I. Tit. XXI. Sect. I.) Iura mariti in bonis illatis.

§. 232. Fundos et iura, ad bona illata pertinentes, maritus, sine expresso vxoris consensu neque alienare potest, neque oppignorare, neque quidquam facere, quo iis imponeretur onus reale perpetuum.

§. 233. Sortes, in vxoris aut eorum nomen, qui illi hereditatem reliquerunt, aut dona dederunt,



Source : BIU Cujas

tranſcriptas, maritus absque vxoris conſenſu non poteſt exigere, oppignorare, alienare, aut alio modo diſtrahere.

§. 234. In alienationem et oppignorationem bonorum et ſortium illatarum, et in ſortium exactionem vxor eatenus tantum conſentire obligatur, quatenus eam diſpoſitionem requirunt expenſae neceſſariae, ad ſubſtantiam pertinentes, ex vſufructu non ſoluendae;

§. 235. Et tum, ſi maritus neceſſariam iudicat exactionem ſortis, de cuius ſecuritate eſt metuendum;

§. 236. Item ſi ſors a debitore ipſo renuntiatur;

§. 237. Aut ſi marito oblata eſt occaſio, ex ſorte vtilitates maiores percipiendi.

§. 238. In tribus tamen caſibus vltimis maritus obligatur, vt eam ſortem vxoris nomine fenore collocet, ſecuritate idonea praeſtita, ſiue ipſe fenore eam ſumat, ſiue tertio fenori det.

§. 239. Si vxor denegat conſenſum in caſibus, quibus ad eum interponendum obligatur; conſenſus poteſt ſuppleri a iudicio de rebus tutelaribus ſupremo, praemiſſa cauſae cognitione.

§. 240. Fundi et iura, durante matrimonio ex bonis ab vxore illatis comparati, aut ſortes ex iisdem bonis collocatae, eatenus veniunt in vxoris dominium, quatenus in eius nomen ſunt tranſcripti.

§. 241. Quo caſu excepto intuitu ſummarum, eo modo expenſarum, mariti tantum creditrix habetur.

§. 242. At de iis tamen eo quoque praelationis iure gaudet, quod leges generatim bonis illatis prae reliquis mariti debitis tribuunt.

§. 243. Si ſortes, ad bona illata pertinentes, absque vxoris conſenſu ſunt exactae, maritum de iis primum debet conuenire.

§. 244. Qui ſi ſatisfacere ipſi nequit; ius ei competit, a debitore priſtino, qui absque eius conſenſu ſoluit, damni reparationem petendi.

Source : BIU Cujas

§. 245. Cauſas iudiciales, ad bonorum illatorum ſubſtantiam ſpectantes, maritus non niſi vxore adhibita poteſt agere.

§. 246. At vero in caſibus, idoneo loco propius determinatis, pro eo ſtat praeſumtio legalis, ab vxore eum mandato eſſe inſtructum. (Part. I. Tit. XIII. Sect. I.)

§. 247. De rebus mobilibus illatis marito libera eſt diſponendi facultas. Iura de rebus mobilibus illatis

§. 248. De mobilibus reſeruatis ſ. recepticiis diſponendi ius marito tantum competit conſentiente vxore. et reſeruatis ſ. recepticiis.

§. 249. Mariti diſpoſitiones vnilaterales de rebus mobilibus iis, quas recepticiis leges accenſent (§. 206.), ſunt nullae.

§. 250. At contra intuitu mobilium, pacto tantum reſeruatorum, et a marito ſolo alienatorum, vxori tantum eatenus vindicatio competit, quatenus ea dominus omnis aduerſus poſſeſſorem tertium vti poteſt. (Part. I. Tit. XV.)

§. 251. Quae ſemel bona illata aut recepticia ſunt conſtituta, eam qualitatem retinent, dum aliud expreſſis pactis non determinatur. Legum mutatio pactis.

§. 252. Quae tamen pacta tertii iuribus, in eiusmodi bonis iam quaeſitis, non noceant.

§. 253. Neque natura bonorum ex legibus recepticiorum eiusmodi pactis in praeiudicium tertii poteſt immutari.

§. 254. Si maritus fundos poſſidet, vxor vel ſine ſpeciali mariti conſenſu iura, ob bona illata ei competentia, in libro hypothecario poteſt notanda curare. Vxoris iura in mariti bonis ob bona illata.

§. 255. Quo caſu excepto, vxor ſingularem ſecuritatis cautionem, qua bonis ſuis illatis proſpiciat, a marito tunc demum poteſt exigere, ſi cauſae et circumſtantiae incidunt, probabilem iacturae imminentis metum fundantes.

Source : BIU Cujas

§. 256. Quamdiu maritus vxori et liberis ex ea procreatis alimenta pro ordinis ratione neceſſaria praebet, vxor eum bonorum illatorum adminiſtratione et vſufructu iure priuare nequit.

§. 257. Hinc mariti creditoribus, vel ex eius tantum parte, competit ius, ex hoc vſufructu ſatisfactionem petendi.

§. 258. At vero, ſi maritus hanc obligationem (§. 256.) adimplere non amplius poteſt; vxor bona illata poteſt repetere, et, ſi opus fuerit, ad concurſum de bonis mariti formandum prouocare.

§. 259. In quo ordine vxori ex maſſa ſatisfieri debeat, concurſus ordinatio determinat.

§. 260. Ad probandum, bona eſſe illata, contra mariti creditores ſola huius apocha non ſufficit.

§. 261. Adminiſtratio et vſus bonorum illatorum, quae vxor ex concurſu ſalua retulit, ad vxorem redit.

§. 262. At ex eorum tamen reditibus marito eſt praebendus victus neceſſarius, et alendi atque educandi ſunt liberi, ab eo procreati, quatenus reditus ad eos fines requiruntur et ſufficiunt.

§. 263. Adminiſtratio vxoris in hoc caſu iisdem reſtrictionibus ex parte mariti eſt obnoxia, quae alias in adminiſtratione mariti ex parte vxoris locum habent. (§. 232. ſeqq.)

§. 264. Maritus, qui ad meliorem peruenit fortunam, exigere poteſt, vt ipſi adminiſtratio et vſusfructus illatorum reſtituatur.

§. 265. At vxori tamen ius eſt contradicendi, ſi mariti rei familiaris ruina prior ex huius negligentia aut profuſione in adminiſtrando eſt exorta.

§. 266. Quatenus marito, cuius bona ad concurſum redierunt, legibus aut pactis aſſecuratum eſt in illatis ius hereditarium, quo non poteſt pro vxoris arbitrio priuari; eatenus vxor illatorum redditionem exigere tantum poteſt praeſtita cautione idonea.

Source : BIU Cujas

§. 267. Quam si praestare vxor nequit, eidem est acquiescendum, si fors ad eius satisfactionem sufficiens vsque ad matrimonii dissolutionem in massa relinquatur; cuius vsuras accipiat, vsque donec matrimonii vinculum fuerit dissolutum.

§. 268. Si vxor ante matrimonium, aut in eo ineundo, pacto in se legitimo ius sibi reseruauit, de hac etiam bonorum parte pro arbitrio disponendi, concursu de mariti bonis exorto; ea non obligatur, vt eam in massa relinquat, aut eius cautionem praestet.

§. 269. Iuribus, quae vxori, in securitatem bonorum illatorum, in mariti bonis competunt, eadem quoque gaudet propter morgengabam, a marito promissam, sed nondum exsolutam.

§ 270. Atque etiam de bonis recepticiis, in natura non amplius extantibus, quorum possessionem et administrationem maritus matrimonio subsistente accepit, vxor in ipsius securitatem gaudet iure praelationis prae reliquis creditoribus, in concursus ordinatione propius determinato.

§. 271. At vero, si vxor marito ex bonis reseruatis mutua fenore dedit; ordo eius inter reliquos creditores vnice diiudicatur ex qualitate securitatis, quam sibi est expresse pacta.

§. 272. Vxoris renuntiatio praelationis iurium, in mariti bonis legitimorum, non est valida, nisi declaretur in iudicio.

§. 273. Si vxor iuri praelationis suo in mariti creditoris cuiusdam fauorem renuntiat; admonitio de fideiussionibus praescripta accedat necesse est, siue bona illata in libro hypothecario sint notata, siue non sint. (Part. I. Tit. XIV. §. 229. 230.)

§. 274. At contra, vxor iure praelationis excidit, et omnibus reliquis mariti creditoribus postponitur, si mariti absentis bona male administrando eius ruinae causam praebuit.

Source : BIU Cujas

§. 275. Neque minus si maritus ab ea ad vitae genus profusum est inductus.

De dote hereditaria. (*Erbschatz.*)

§. 276. Parentes, consanguinei et amici, ex bonis suis coniugibus aliquid conferentes, ius habent, conditiones definiendi, sub quibus coniuges illud possideant, eoque fruantur.

§. 277. Qui si praecipiunt, eiusmodi collata in fauorem liberorum ex hoc matrimonio susceptorum esse conseruanda, ea dicuntur dos hereditaria.

§. 278. Consanguinei et alieni omnibus, quae coniugibus conferunt, dotis hereditariae qualitatem possunt attribuere.

§. 279. Idem ius parentibus quoque competit, exclusis tamen rebus mobilibus, quibus liberos instruxerunt, et saluo iure liberorum, intuitu legitimae.

§. 280. Dos hereditaria potest tantum constitui in certa summa definita.

§. 281. Eius constitutio semper in scriptis fiat necesse est.

§. 282. Si dotem constituens dotis securitati fundis aut sortibus elocatis velit prospicere; ea securitas in iudicio reguletur necesse est.

§. 283. Si summa in dotem hereditariam constituta in fundo est assignata; iudicis est curare, vt in librum hypothecarium referatur, dotis qualitate simul cum ea notata.

§. 284. Si fors in dotem hereditariam constituitur; ea determinatio in instrumento, et si hoc fuerit intabulatum, etiam in libro hypothecario notetur, et debitor de facto certior fiat necesse est.

§. 285. Vbi instrumenta de dote confecta custodiri debeant, a constituentis arbitrio dependet.

§. 286. Qui si voluntatem suam non declarauit: instrumentorum custodia ei competit, cui dotis hereditariae vsusfructus est conceſſus.

§. 287. Dum subsistit matrimonium, cui dos est constituta, administratio et vsusfructus compe-

Source : BIU Cujas

competit marito, nisi dotem constituens aliud expresse praeceperit.

§. 288. Matrimonio soluto vsusfructus coniugi cedit superstiti aut innocenti. (§. 541. seqq.)

§. 289. Cui quoque dominium cedit, si ex matrimonio, cui dos fuit constituta, liberi nulli existunt.

§. 290. At vero si liberi existunt; hi acquirunt dominium secundum determinationes, in titulo sequente expositas.

§. 291. Coniux iure vsusfructus gaudens quoad dotis hereditariae administrationem eadem tantum habet iura, quae marito concessa sunt intuitu sortium ab vxore illatarum.

§. 292. Sub iisdem tantum circumstantiis, quibus sors illata exigi a marito vel vxore inuita potest, dotis vsufructuario ius eam exigendi competit.

§. 293. At vero, si dotis securitati secundum §. 282. sqq. in iudicio fuit prospectum; exactio quoque iudicialiter fiat, et dotis securitas aliunde praestanda in iudicio reguletur necesse est.

§. 294. Dum constituens adhuc est inter viuos, adhibitis coniugibus, dotis qualitatem rursus potest tollere, eique qualitatem bonorum illatorum aut recepticiorum tribuere.

§. 295. At perfecta dotis reuocatio fieri tantum potest a constituentis creditoribus, et iis tantum ex causis, ex quibus donatio debitorum causa potest reuocari. (Part. I. Tit. XI. §. 1129. seqq.)

§. 296. Si summa in dotem hereditariam constituta marito absque securitate singulari est concredita; hic ad constituendam securitatis cautionem in eo tantum casu potest adigi, quo ad securitatem illatorum praestandam est obligatus.

§. 297. De eiusmodi dotis hereditariae intabulatione in mariti fundis eadem tamen valent, quae de intabulatione bonorum illatorum sunt praecepta. (§. 254. 255.)

Source : BIU Cujas

§. 298. Conſtituente mortuo dotis ſubſtantia, licet coniux vterque conſentiat, neque alienari poteſt, neque oppignorari, neque alio modo deminui.

§. 299. Coniuges tamen, ſi inter ſe conueniunt, dimidium dotis liberis edotandis poſſunt impendere.

§. 300. Si ex matrimonio, cui dos talis fuit conſtituta, liberi exiſtunt nulli, neque pro rerum natura et ordine, ob coniugis vtriusque ſenectutem poſſunt ſperari; dos communi conſenſu poteſt tolli.

§. 301. In caſibus omnibus, vbi conſtituente mortuo dotis mutatio fieri debet, iudicem adhibere oportet liberos maiorennes, eo tempore exiſtentes, aut curatorem minorennibus conſtituendum.

§. 302. Si dotis ſubſtantia coniugum neutri eſt tradita, ſed apud tertium in fundo aut forte aſſignata; dos trahi ad maſſam nequit, concurſu de vnius aut vtriusque coniugis bonis exorto.

§. 303. At vero, ſi dos fuit in debitoris communis manibus; doti, niſi melior expreſſe conſtituta fuerit ſecuritas, idem ius praelationis competit, quod leges tribuunt bonis illatis.

§. 304. Si maſſa ad exſolutionem illatorum et dotis ſimul non ſufficit; id, quod ſupereſt, inter vtraque pro ſummae proportione diſtribuitur.

§. 305. Simulac de bonis adminiſtratoris et vſufructuarii dotis concurſus exoritur, iudex, cui innotuit, dotem tali modo eſſe conſtitutam, ex officio curet neceſſe eſt, vt curator dotis conſtituatur.

§. 306. Cui tunc dotis hereditariae adminiſtratio eſt concedenda.

§. 307. Reditus autem ex conſtituentis diſpoſitione, et hac deficiente, ex legum praeceptis ad ſuſtinenda matrimonii onera, ſpeciatim ad alendos et educandos liberos, ſunt impendendi.

§. 308. Quibus deductis ſi adhuc ex reditibus aliquid ſupereſt, id creditoribus cedit vſufructuarii, de cuius bonis concurſus eſt motus.

§. 309.

Source : BIU Cujas

§. 309. Ex dotis quoque ſubſtantia hi creditores ſatisfactionem poſſunt petere, ſimulac ea deinceps in debitoris communis liberum cedit dominium.

§. 310. Dona inter coniuges aeque valent, ac dona inter extraneos. De donationibus inter coniuges.

§. 311. Reuocatio quoque ex iis tantum cauſis locum habet, ex quibus donatori extraneo ius reuocandi competeret.

§. 312. Coniugis tamen, de cuius bonis concurſus eſt formatus, donationes, quae merae ſunt liberalitatis, ab eius creditoribus poſſunt reuocari, ſine diſcrimine temporis, quo factae ſunt.

§. 313. Si vero apparet, donationem factam eſſe tempore, quo coniux donans vltra bonorum vires nondum erat obaeratus; reuocatio eatenus tantum locum habet, quatenus res dono data in coniugis donati bonis adhuc extat; aut hic re vera adhuc eſt in poſſeſſione commodi, per donationem acquiſiti.

§. 314. Quidquid maritus vxori dedit veſtimentorum et rerum aliarum, ad victum ordini conuenientem pertinentium, in vxoris liberum venit dominium.

§. 315. Eiusmodi res collatae neque a mariti creditoribus ſub donationis praetextu reuocari poſſunt.

§. 316. At de gemmis, auro, argento et rebus aliis ad magnificentiam pertinentibus, quas a marito accepit vxor, in ſeparatione bonorum inſtituenda valet praeſumtio, eas res vxori tantum fuiſſe mutuo datas.

§. 317. Quarum rerum donatio ſi probari poteſt, de eiusmodi quoque rebus (*Effecten*) valent omnia, quae de donationibus inter coniuges generatim ſunt praeſcripta.

§. 318. Bona recepticia ſ. reſeruata vxor, vel ſine mariti conſenſu, debitis obaerare poteſt. De coniugum debitis.

§. 319. At vxori intuitu bonorum reſeruatorum credens, ſi ſatisfactionem matrimonio durante velit



Source : BIU Cujas

petere, crediti ſecuritatem ſibi in ſpecie praeſtandam curet relatione in librum hypothecarium; aut inſtrumenti obligationis, aut rei mobilis traditione.

§. 320. Intuitu bonorum illatorum debita omnia, durante matrimonio ab vxore contracta, marito non conſentiente, ſunt nulla.

§. 321. At vero ſi vxor ad adminiſtrationis rei familiaris negotia, aut neceſſitates ſolitas, merces aut res ſumſit, pecunia non numerata; maritum eiusmodi debitum pro ſuo agnoſcere oportet.

§. 322. Si vxor eiusmodi contraxit debita, licet maritus ei dederit pecuniam, ad rem familiarem adminiſtrandam neceſſariam; marito ius competit, ex bonis reſeruatis, et iis deficientibus, ex bonorum illatorum ſubſtantia reſtitutionem petendi.

§. 323. Quod ſi non poſſit aut nolit: ei licet, ad praecauenda in poſterum huius generis debita, iudicis auxilium publica promulgatione quaerere.

§. 324. Si vxor res aut pecunias mutuo ſumtas communi vtriusque coniugis vſui impendit; debitum eo vim obligandi nanciſcitur. (§. 322. 323.)

§. 325. Si vxor, cui a marito certa quaeſtus pars curanda eſt commiſſa, hoc abſente ad quaeſtum exercendum contraxit debita; ea valent, licet neque verſio facta, neque vtilitas ſperata inde fuerit promota.

§. 326. Si maritus diſceſſit, iis, quae ad familiam alendam aut quaeſtum exercendum ſunt neceſſaria, non diſpoſitis; ea debita, quae vxorem hunc in finem contrahere oportuit, pro ſuis debet agnoſcere.

§. 327. Idem obtinet, ſi maritus morbo diuturno in eum ſtatum deducitur, vt non poſſit diſponere ea, quae ad ſuſtinendam rei familiaris adminiſtrationem aut ad exercendum quaeſtum ſunt neceſſaria.

§. 328. In caſibus antecedentibus (§. 321-327.) creditor de debitis ab vxore contractis maritum iure poteſt conuenire.

Source : BIU Cujas

§. 329. Atque etiam vxoris eo debito, in quod maritus tantum conſenſit, huius perſona et bona creditori obligantur.

§. 330. Excipitur tamen caſus, ſi maritus in interponendo conſenſu expreſſe cauit, ſe ipſum obligatum eſſe nolle.

§. 331. Tunc vero maritus vi conſenſus ſui iam interpoſiti contradicere nequit, ſi creditor ſatisfactionem contra vxorem, ſi opus fuerit, vel vxoris arreſto perſonali quaerat.

§. 332. Creditori vero, qui ob debitum ab vxore contractum ſibi ius pignoris in vxoris bonis conſtituendum curauit, vxoris tantum bona ſunt obligata, licet maritus conſenſum ſuum interpoſuerit.

§. 333. In caſibus omnibus, vbi maritus, ob conſenſum interpoſitum ſolum, vxoris debitum debet ſoluere, praeceptum obtinet §. 322.

§. 334. Si vxoris debitum ob deficientem mariti conſenſum eſt prorſus inualidum; creditor id tantum poteſt repetere, quod ex rebus aut pecuniis datis adhuc extare aut vtiliter verſum fuiſſe poteſt probari. (Part. I. Tit. XIII. Sect. III.)

§. 335. Vxoris debita, quae ſibi ſoli proprium exercet quaeſtum, pro ſua natura fidem et ſumtus exigentem, in caſu nullo ratihabitione ſ. conſenſu mariti indigent.

§. 336. Quin potius eiusmodi vxoris creditores, executionem in bona eius paratiſſima, vti in eius perſonam poſſunt petere.

§. 337. Atque etiam maritus iis eſt obligatus, niſi vxor eiusmodi quaeſtus ſeparati reditus ſibi expreſſe reſeruauerit.

§. 338. Si vxor ante matrimonium debitis fuit obaerata; creditoribus competit ius, ob ea debita ab vxoris perſona et ex eius bonis ſine vlla limitatione ſatisfactionem petendi.



Source : BIU Cujas

§. 339. Si iis debitis, quae vxor maritum celauerat, eius illata deminuuntur; deminutionis reſtitutionem ex bonis reſeruatis poteſt exigere.

§. 340. Idem obtinet, ſi vxor ſciens marito intulit, tanquam ſuas, res alienas, deinde durante matrimonio reſtituendas.

De vxorum fideiuſſione.

§. 341. Omnia, quae leges in fideiuſſionibus feminarum generatim exigunt, obſeruanda quoque ſunt in vxorum fideiuſſionibus. (Part. I. Tit. XIV. §. 221. ſeqq.)

§. 342. Vxoris illata tunc demum fideiuſſionis nexu ſunt obligata, ſi fideiuſſioni pro extraneo praeſtitae mariti conſenſus acceſſit.

§. 343. In caſibus omnibus, vbi vxor, durante matrimonio, pro marito vult fideiubere, debita eius in ſe ſuſcipere, aut in eius creditorum fauorem iuri praelationis ſuo renuntiare, actus non ſolum in iudicio celebretur, ſed etiam iuris peritus curator ſ. aſſiſtens, vxori conſtitutus, adhibeatur neceſſe eſt.

§. 344. Et in eiusmodi caſibus omnibus admonitio quoque praeſcripta requiritur, licet ea intuitu feminae innuptae non ſit neceſſaria.

## Sectio Sexta.

### *De bonorum inter coniuges communione.*

Quomodo bonorum communio oriatur?

§. 345. Bonorum communio inter coniuges ibi tantum locum habet, vbi legibus prouincialibus aut ſtatutis eſt introducta.

§. 346. Communio bonorum mere ſtatutaria ad eos non extenditur coniuges, qui quidem in eo loco domicilium habent, at ordinis ratione magiſtratus loci competentis iurisdictioni non ſunt ſubiecti.

§. 347. Si quis iurisdictioni perſonali duplici eſt ſubiectus, in quarum altera bonorum communio locum habet, in altera non habet: praeſumendum eſt,

Source : BIU Cujas

nullam inter hos coniuges exortam esse bonorum communionem.

§. 348. Si in iurisdictione altera bonorum omnium communio, in altera vero communio tantum acquaestus floret; haec tantum locum habet.

§. 349. Si in eiusdem generis communione, in vtraque iurisdictione vigente, diuersae tantum determinationes sunt praescriptae; valent eae, quae cum praesentis sectionis praeceptis maxime conueniunt.

§. 350. Legibus prouincialibus et statutis bonorum communio tunc tantum fundatur, si eiusmodi leges florent eo loco, in quo coniuges, nuptiis peractis, primam sedem collocarunt.

§. 351. Cuius primae sedis mutatio in regula non mutat iura, quibus coniuges antea se submiserunt.

§. 352. At vero, si coniuges ex loco, quo nulla bonorum communio viget, egressi domicilium in loco alio, quo ea floret, collocarunt: actiones omnes, in vltimo loco ab iis susceptae, intuitu tertii, ex regulis communionis bonorum sunt diiudicandae.

§. 353. Quae de mutatione domicilii coniugum in antecedentibus sunt praescripta, valent quoque de aliis mutationibus fori, cui coniuges tempore matrimonii celebrati fuerunt subiecti.

§. 354. In locis, vbi bonorum communio ex legibus prouincialibus aut statutis non obtinet, ea pacto ante matrimonii tantum consummationem potest constitui.

§. 355. At vero, si coniuges ex loco, quo nulla bonorum communio viget, egressi sedem in loco alio, quo ea obtinet, fixerunt; ei, ratione successionis quoque, ex pacto se possunt subiicere. (§. 352.)

§. 356. Pactum omne, ex quo bonorum communio debet oriri, in iudicio celebretur, necesse est.

§. 357. Cui celebrando regulariter vxoris patrem interesse oportet.



Source : BIU Cujas

§. 358. Quo deficiente vxori aduocatus ſ. curator iuris peritus eſt conſtituendus.

§. 359. Si ex eiusmodi pacti verbis dubium eſt, vtrum eo pacto omnium bonorum an acquaeſtus tantum communio debuerit conſtitui, communio acquaeſtus praeſumitur.

I. Iura communionis bonorum omnium.

§. 360. Vbi pacta, ſtatuta, aut leges prouinciales non aliud expreſſe iubent, de bonorum communione eiusque effectibus legalibus praecepta generalia ſequentia obtinent.

§. 361. Bonorum communio immediate, benedictione ſacerdotali peracta, initium capit.

§. 362. Quae ſi demum ſubſiſtente iam matrimonio per pactum conſtituitur, inde a die, quo declaratio in iudicio eſt depoſita, exoritur.

§. 363. Bonorum communio ad omnia extenditur, quae coniugis vtriusque alienationi liberae ſubiecta ſunt.

§. 364. Exceptis tamen veſtimentis vxoris neceſſariis.

§. 365. Si coniugum alter fundos poſſidet ſub alia iurisdictione ſitos, vbi alias bonorum communio non obtinet; condominium, ſecundum leges domicilii alteri coniugi delatum, in libro hypothecario eſt notandum.

§. 366. Quod idem intuitu fundorum omnium debet fieri, ſi communio tantum per pactum conſtituitur.

§. 367. Intabulatione omiſſa, bonorum communio non obſtat tertio, qui pacta et actus alios de eiusmodi fundis ſecundum regulas iuris communis celebrauit.

§. 368. Si eiusmodi res immobiles extra prouincias regias ſunt ſitae; promulgatio in iudicio rei ſitae, et ſecundum leges iſtius loci fieri debet.

§. 369. Si ſecundum leges fori perſonalis coniugum nulla inter eos exiſtit bonorum communio;

Source : BIU Cujas

haec neque valet intuitu fundorum extraneorum, licet alias in loco, quo hi fundi siti sunt, bonorum communio floreat.

§. 370. Fundorum quoque, in se communioni non subiectorum (§. 363.), emolumenta et fructus in regula pertinent ad rem familiarem communem.

§. 371. Vtriusque coniugis acquaestus rei familiari communi accrescit.

§. 372. Quidquid durante matrimonio fortuna secunda, donis, hereditatibus aut legatis coniugum alteri defertur, et pro natura sua communionem patitur (§. 363.), fit commune.

§. 373. Is tamen, qui coniugum alteri fundum, aut sortem fenore occupatam, eo modo confert, alterum coniugem a condominio potest excludere voluntatis declaratione expressa.

§. 374. At vero tum eius est curare, vt exclusio in libro hypothecario fundi notetur, aut debitori sortis a iudice denuntietur.

§. 375. Si fundus aut sors vltimae voluntatis dispositione est delatus; iudicem eam dispositionem publicantem vxori, quatenus huius interest, curatorem oportet constituere, qui intabulationem aut promulgationem curet.

§. 376. Intabulatione aut promulgatione omissa, exclusio communionis inter coniuges quidem valet, at non intuitu tertii.

§. 377. Marito competit rei familiaris communis administratio.

§. 378. At fundos tamen et iura sine vxoris consensu neque oppignerare potest, neque alienare.

§. 379. Sortes in vxoris, defuncti, ex cuius hereditate eas accepit, aut eius donatoris, aut vtriusque coniugis nomen transscriptas sine vxoris consensu renuntiare non potest, aut exigere.

§. 380. Quibus casibus exceptis valent omnia, quae maritus de re familiari communi, vel solus (ex



Source : BIU Cujas

fua tantum parte) disposuit, et res familiaris communis obligata est debitis omnibus, durante matrimonio ab eo contractis.

§. 381. Donationes quoque mariti, ex re familiari communi factas, vxor in regula eatenus tantum potest impugnare, quatenus, si ipsa donasset, reuocatio ex legibus ipsi foret permissa.

§. 382. Quatenus vero maritus donationibus, quae ex mera liberalitate oriuntur, rem familiarem communem, sine vxoris consensu ita exhauserit, vt matrimonio dissoluto vxor non posset tantum recipere, quantum in communionem contulit; vxori ius est, eas donationes eatenus reuocandi, quatenus reuocatio est necessaria ad ea, quae deficiunt, supplenda.

§. 383. Donationes vnilaterales mariti, quas vxor secundum principia antecedentia reuocare potuisset, reuocatione non subsecuta in coniugum separatione mariti ratae imputantur.

§. 384. Multae pecuniariae, in quas maritus est condemnatus, et sumtus, a marito ob inquisitionem in ipsum factam ferendi, ex re familiari communi possunt exigi.

§. 385. Quae tamen multae pecuniariae, vti inquisitionis sumtus, communionis separatione subsecuta, mariti ratae imputantur.

§. 386. Fundi et iura, ab vxore in communionem collati, ob mariti ex eius parte debita, separatione subsecuta mariti ratae imputanda, tunc demum possunt peti, si reliqua bona communia non sufficiunt ad ea debita exsoluenda.

§. 387. Si vxor contra mariti dispositionem ei, cum quo est perficienda, contradictionem suam expresse declarauit, expectandum est, donec vxoris consensus a iudice est suppletus.

§ 388. In casibus omnibus, vbi vxor consensum denegat, is a iudicio de rebus tutelaribus potest suppleri, si praemissa causae cognitione apparet, mariti

Source : BIU Cujas

diſpoſitionem pro rebus circumſtantibus eſſe neceſſariam, aut ei, quod vxoris intereſt, innocuam.

§. 389. Debita vxoris, in bonorum communione viuentis, non niſi in caſibus §. 322. 325-328. definitis ſunt valida, et intuitu rei familiaris communis obligatoria.

§. 390. At de multis tamen pecuniariis, in quas vxor eſt condemnata, et de inquiſitionis in ipſam factae ſumtibus idem valet, quod intuitu mariti §. 385. eſt praeceptum.

§. 391. Ea quoque coniugis vtriusque debita, quae iam ante matrimonium celebratum fuerunt contracta, in regula ſic fiunt communia, vt creditores ideo ex bonis communibus ſatisfactionem poſſint petere.

§. 392. At vero ſi coniugum alter in communionem contulit debita bonis plura; alter intra annos duos, poſt matrimonium conſummatum, ad bona ſeparanda poteſt prouocare.

§. 393. Quo facto creditores, quorum credita ante matrimonium ſunt exorta, ex ſeparatis tantum debitoris bonis propriis poſſunt ſatisfactionem petere.

§. 394. At contra, debita matrimonio durante contracta, in hoc quoque caſu, ex communi re familiari ſ. bonis communibus ſunt exſoluenda.

§. 395. Biennio praeterlapſo ne obaerato quidem coniugi, neque eius heredibus, in ſeparando de debitis ante matrimonium conflatis imputari quidquam poteſt.

§. 396. Si in pactis, legibus prouincialibus, aut ſtatutis communio tantum acquaeſtus eſt conſtituta; haec in regula ad communem coniugis vtriusque acquaeſtum omnem extenditur. II. Communio acquaeſtus.

§. 397. Simulac coniuges iſtam communionem inſtituunt, de coniugis vtriusque bonis configratio eſt conficienda.



Source : BIU Cujas

§. 398. In qua confignatione et res mobiles et immobiles, in feparationem futuram, ad certum pretium funt aeftumandae.

§. 399. Confignatio fide iudiciali eft munienda, aut faltem ab vtroque coniuge, aduocato iurisperito ex parte vxoris adhibito, fubfcribenda.

§. 400. Quae in hac confignatione non funt relata, et tamen re vera extant, ad quaeftum pertinere praefumuntur.

§. 401. Confignatione non confecta, haec praefumtio valet de omnibus, quae feparationis tempore extant.

§. 402. Hereditates et legata, quae coniugum alteri deferuntur, ad communionem acquaeftus non pertinent.

§. 403. Idem valet de donationibus, quae merae funt liberalitatis.

§. 404. Omnes cafus fecundi, communione inita accidentes, indiftincte ad acquaeftum referuntur.

§. 405. Earum quoque rerum omnium, quae in fe communioni non adnumerantur, fructus et emolumenta nihilo minus communi acquaeftui accenfentur.

§. 406. Ex communione acquaeftus coniux nullus obligatur, ad exfoluenda debita feparata coniugis alterius, ex bonorum fuorum fubftantia.

§. 407. At contra, acquaeftus communis a mariti creditoribus capi poteft, nulla ratione habita, an debita fuerint contracta fiue ante nuptias, fiue poft eas celebratas.

§. 408. Vxoris quoque creditores ex acquaeftu poffunt fatisfactionem petere, fi credita eorum fecundum §. 389. funt valida, aut iam ante nuptias celebratas contracta.

§. 409. Si feparatis coniugis alterius creditoribus acquaeftus deminuitur communis; alter ex bonis illius propriis reparationem poteft exigere.

Source : BIU Cujas

§. 410. Si coniux obaeratus propria bona in matrimonium non intulit; alter intra biennium post communionem initam prouocare potest ad separandum acquaestum, at vero intuitu temporis tantum sequentis.

§. 411. Praeter determinationes antecedentes §. 402-410. de coniugum iuribus et obligationibus, qua acquaestus communionem, eadem obtinent, quae de communione bonorum generatim §. 378-388. sunt praescripta.

§. 412. Communio bonorum, aut acquaestus, pactis, ante nuptias celebratis, potest excludi. Quibus modis communio excluditur et tollitur.

§. 413. At contra, matrimonio durante communio, legibus prouincialibus aut statutis nixa, in regula tolli non potest, licet coniux vterque consentiat.

§. 414. Neque minorennes ipsi eam communionem, quatenus ex nuptiis celebratis semel est exorta, possunt reuocare maiorennitatem adepti.

§. 415. Quatenus vero differatur communionis initium in connubio sexus feminini minorennium, sub cura constitutarum, suo loco est definitum. (Tit. XVIII. Sect. VIII.)

§. 416. Si coniuges primam sedem loco, quo nulla viget communio, deferentes sedem figunt in loco alio, quo ea obtinet; effectus secundum §. 352. ex ea fluentes excludere pacto possunt.

§. 417. Si domicilium mutant matrimonio subsistente ex loco, quo communio bonorum aut acquaestus floret, in alium, vbi nulla obtinet, migrantes; communio inter coniuges exorta rursus potest pacto tolli.

§. 418. In genere coniugibus omni tempore licet, communionis effectus, quatenus ad sequentem successionem tantum extenduntur, pactis tollere aut immutare.

§. 419. Communio pacto solo orta quouis tempore pacto quoque potest dissolui.

Source : BIU Cujas

§. 420. Petente coniugum altero communio in casu §. 392. 410. potest dissolui.

§. 421. Atque etiam tunc, si coniugum altero ad concursum lapso alter a communione in tempus posterum cupit recedere.

§. 422. In quibus casibus communio bonorum aut acquaestus excludi debet aut tolli, in iis omnibus negotium iudicialiter est diuulgandum, et nouellis publicis aut ephemeridibus prouincialibus, trina vice, intra quatuor hebdomadas inferendum.

§. 423. Intuitu mercatorum in emporiis praeterea promulgatio debet fieri in mercatorum curia (*Börse*), aut per collegii mercatorum seniores, et intuitu sociorum corporis opificum per corporis antistites.

§. 424. Quae communionis exclusio aut abolitio facta adnotanda quoque est in libro hypothecario ad fundos omnes, qui alias communioni forent subiecti.

§. 425. In casu §. 417. promulgatio domicilii prioris loco fiat, necesse est.

§. 426. Si coniuges, qui communionem domicilii prioris loco vigentem pacto excluserunt, in locum alium migrant, quo ea communio aeque floret; promulgatio pacti, quo communio excluditur, ibi est iteranda.

§. 427. Resciscio communionis, matrimonio durante semel exortae, vim et effectus suos, intuitu coniugum ipsorum, exserit inde a die declarationis iudicialis.

§. 428. Intuitu tertii vero, qui scientiam habuisse citius nequit conuinci, hi effectus se demum exserunt elapso quatuor hebdomadarum spatio, promulgationi praefinito.

§. 429. Si promulgationis forma, §. 423. praescripta, est omissa, exclusio aut resciscio communionis facta opponi non potest eis, quibus denuntiari eo modo debuisset.

Source : BIU Cujas

§. 430. Si nota §. 424. praeſcripta (regiſtratura) in libris hypothecariis eſt omiſſa; communionis reſciſſio in negotiis, ad eos fundos pertinentibus, tertio non poteſt nocere.

§. 431. In genere reſciſſa quoque communione creditoribus, quorum credita durante communione ſunt exorta, ſalua et integra ſeruantur iura ſua in bonis, quae fuerunt communia.

§. 432. At in rebus reliquis omnibus coniugum iura et officia et inter ſe, et erga alios, ita diiudicantur, ac ſi nulla communio inter eos fuerit exorta.

§. 433. Qua ratione tum in disiungendis et ſeparandis bonis agendum ſit, in ſectione ſequente eſt determinatum.

## Sectio Septima.

### *De matrimonio morte diſſoluto.*

§. 434. Matrimonio morte diſſoluto, coniux ſuperſtes defunctum ordini conuenienter ſepeliendum curet. Sepultura.

§. 435. Si funeris ſumtus ex hereditate relicta erogari nequeunt, ſuperſtes ad eos exſoluendos eatenus eſt obligatus, quatenus eius bona ſufficiunt.

§. 436. Viduae per totum, viduo vero per dimidium annum ob coniugem defunctum veſtibus lugubribus vti licet. Luctus.

§. 437. Matrimonio valido alio, intra luctus tempus celebrato, luctus finitur.

§. 438. Coniugis ſuperſtitis iura in defuncti bonis in primis definienda ſunt ex pactis initis; et his deficientibus ex vltimae voluntatis diſpoſitionibus validis; at deficientibus vtrisque ex legibus. Succeſſio.

§. 439. Pacta ſucceſſoria coniuges et ante celebratas nuptias et poſt eas poſſunt inire. I. Ex pactis.

§. 440. Quidquid de pactis ſucceſſoriis in genere, et de pactis deſponſatorum aut coniugum in ſpecie

Source : BIU Cujas

praeceptum est; idem etiam valet intuitu pactorum coniugum successoriorum. (Part. I. Tit. XII. Sect. II.)

§. 441. At vero consignatio iudicialis pacti successorii inter coniuges tum demum est necessaria, si inde deminuantur vxoris iura, ex legibus ipsi competentia.

§. 442. Si coniugum pacta successoria tolli consensu mutuo debent, hic consensus est in iudicio declarandus, simulac vxor ratione iurium, in pacto ipsi reseruatorum, debeat detrimentum accipere.

§. 443. Quo consensu in iudicio nondum declarato, pactum successorium sustinetur, licet liberi ex matrimonio fuerint suscepti, at ante parentes mortui.

§. 444. Si vero tempore mortis coniugis alterius liberi aut descendentes remotiores ex hoc matrimonio existunt, de quibus in pacto successorio nihil est definitum; praecepta eadem obtinent, quae in eo casu, si in testamento liberorum postumorum nulla facta est mentio. (Tit. II. Sect. V.)

§. 445. Si ex pacti successorii verbis (conceptione) dubium est, vtrum coniugi superstiti summa aut re in pactis dicta satisfieri, an ea tantum praelegata esse debeat; praesumtio stat pro priori.

§. 446. At vero, si defunctus diuersi generis bona e. g. feuda et liberum patrimonium possedit, et in pacto tantum est determinatum, quid superstes ex vno rei familiaris s. bonorum genere accipiat, iura succedendi in alio genere ipsi reseruantur.

§. 447. Si ex pacti verbis (s. conceptione) dubium est, vtrum coniuges pactum successorium inire, an testamentum tantum reciprocum condere voluerint; praesumitur posterius.

§. 448. At vero, si successio pacto vero fuerit definita; superstiti non est potestas, a pacto recedendi, et legalem hereditatis portionem eligendi.

Source : BIU Cujas

§. 449. Quae tamen electio, in pacto ipſo, reſeruari coniugi ſuperſtiti poteſt.

§. 450. Atque etiam ſine eiusmodi reſeruatione ſuperſtiti electio tum eſt integra et libera, ſi de defuncti hereditate relicta in pacto expreſſe aliquid fuerit diſpoſitum in fauorem perſonae certae definitae, mortis tempore non amplius exiſtentis.

§. 451. In quantum in pacto ſucceſſorio de coniugis ſuperſtitis bonis propriis nihil eſt definitum; in tantum in iis obtinent principia de ſucceſſione legali praeſcripta.

§. 452. Rei familiaris pars ea, quam vxor marito in mortis caſum pacto conſtituit, vocatur legatum ob nuptias (*Ehevermächtniſs*). Legatum ob nuptias (*Ehevermächtniſs.*)

§. 453. Coniuge vtroque viuente, maritus propter legatum ob nuptias in vxoris bonis ſ. re familiari iura ſingularia nulla habet.

§. 454. Maritus, cui res certa aut ſumma legato ob nuptias eſt conceſſa, intuitu vxoris heredum legatarius habetur.

§. 455. Si vero legatum ob nuptias in hereditatis parte certa quota conſiſtit; maritus iura et obligationes coheredis habet.

§. 456. Quae maritus vxori ex ſuis bonis in caſum mortis conſtituit, vocantur donatio propter nuptias ſ. antipherna (*Gegenvermächtniſs*). Donatio propter nuptias, vitalitium et vidualitium.

§. 457. Si vxori tantum aſſignatur vſusfructus certorum fundorum aut fortium; vitalitium adeſt. (*Leibgedinge.*)

§. 458. Summa annua, ex mariti hereditate vxori ad vitam per tempus viduitatis ſuſtentandam conſtituta, vocatur vidualitium (*Witthum*).

§. 459. Si ſumma donationis propter nuptias in pacto non eſt definita, at ſatis apparet ex pacti verbis et circumſtantiis contrahentium animus, donationem pro portione bonorum illatorum conſtituendi; dona-

Source : BIU Cujas

tio propter nuptias ad bonorum illatorum dimidium eſt conſtituenda.

§. 460. Si vero ex pacto colligi nequit, contrahentes ad ſummam bonorum illatorum reſpexiſſe; donatio propter nuptias legatum ob nuptias aequat.

§. 461. Si legati ob nuptias ſumma non eſt definita; conſtitutio donationis propter nuptias, absque ſumma determinata affignatae, eſt ſine effectu; et vxor ſuperſtes ea tantum poteſt petere, quae ex ſucceſſione legali ipſi competunt.

§. 462. Si vidualitii ſumma in pacto non eſt determinata; iudicem eam definire oportet, alimentorum pro dignitate vxoris neceſſariorum ratione habita, quatenus huius bonorum propriorum fructus et emolumenta ad ea non ſufficiunt.

§. 463. Si vxor alimenta neceſſaria ex propriis ſibi poteſt ſuppeditare; nihilo minus in caſu §. 462. expoſito ius ei competit, ſummae a iudice determinatae quadrantem ex mariti hereditate petendi.

§. 464. Si in vidualitium tranſcripta eſt ſumma definita, fundi cuiusdam fructibus et emolumentis aut ſortis vſuris ſolis affignatis; reditibus his aut vſuris non ſufficientibus ex reliqua mariti hereditate ſunt ſupplenda, quae deſunt.

§. 465. Vxori de commodis, in caſum mortis mariti ante matrimonium aut matrimonii tempore ipſi conſtitutis, idem ius competit, ſecuritatis cautionem a marito exigendi, quo gaudet de bonis illatis.

§. 466. Atque etiam, ſi maritus non eſt ſoluendo, fruitur praelationis iure, in ordinatione concurſus propius determinato.

§. 467. In quantum vero poteſt probari, maritum tempore, quo ſunt conceſſa haec commoda, vltra rei familiaris vires iam fuiſſe obaeratum, in tantum vxor, ad commoda haec conceſſa quod attinet, omnibus reliquis poſtponenda eſt creditoribus.

§. 468.

Source : BIU Cujas

§. 468. Quae commoda ſi tantum in mariti hereditatis partem quotam ſunt conſtituta; vxor, ſi maritus non eſt ſoluendo, ea petere non poteſt.

§. 469. Marito mortuo donatio ob nuptias venit in liberum et irreuocabile vxoris dominium.

§. 470. Vitalitium autem et vidualitium poſt mortem vxoris redit ad mariti heredes, aut ſucceſſores feudales vel fideicommiſſarios.

§. 471. Vitalitium quoque et vidualitium ceſſant aliis viduae nuptiis celebratis.

§. 472. Interdictum mariti, ne vxor ad alia vota tranſeat, conditionis loco poſitum, non ſolum intuitu vitalitii et vidualitii, ſed etiam intuitu commodorum, a tertio ſub hac conditione ei collatorum, excepto caſu matrimonii veri celebrati, tum tantum habetur violatum, ſi vxor vitae diſſolutae, in omnium offenſionem (ſ. malo exemplo), in iudicio conuincitur.

§. 473. Ius nuptiis aliis ſemel amiſſum non reuiuiſcit, licet vxor poſtea iterum facta ſit vidua.

§. 474. Vxor, quae ad aſſequendum vitalitium aut vidualitium bona illata omnia, aut eorum partem, ad mariti hereditatis maſſam conferre debuit, commodis illis ne quidem priuari poteſt ex cauſis, §. 471. 472. expoſitis.

§. 475. Vxori ſi data fuerit electio: vtrum bona ſua velit recipere, an vidualitium petere; ante luctus annum elapſum ſe declarare non obligatur.

§. 476. At vero electione ſemel facta, a declaratione ſua recedere nequit.

§. 477. Quidquid tempore interiecto ex mariti hereditate accepit, pro declarationis modo, vxoris bonis illatis, aut vitalitio, aut vidualitio imputatur.

§. 478. Pactum, quo coniuges ex propriis bonis dotem hereditariam conſtituunt, valet tantum tanquam pactum ſucceſſorium.



Source : BIU Cujas

§. 479. Eiusmodi igitur dos constituta potest reuocari vtroque coniuge viuo, et vtroque consentiente, quouis tempore; et si coniugum alter sola declaratione vnilaterali eam constituit, a constituente quoque solo.

§. 480. At coniugum altero mortuo, qua successionem in eam dotem, praecepta §. 541. seqq. locum obtinent.

II. Ex vltimae voluntatis dispositione.

§. 481. Pactis, quibus successio determinatur, deficientibus vltima voluntatis dispositio, a coniuge defuncto condita, regulam succedendi constituit.

§. 482. Non nisi coniugibus licet, testamenta reciproca de hereditate condere. (Part. I. Tit. XII. §. 614. seqq.)

§. 483. Ad euitandum dolum et circumuentionem (s. intempestiuas sollicitationes) ea tantum testamenta valeant tanquam reciproca, quae in vno eodemque instrumento sunt condita.

§. 484. Testamentis reciprocis ab vtraque parte subscriptis et iudicio oblatis, nihil interest, quis scriptum ipsum confecerit.

§. 485. Eiusmodi testamenta reciproca reuocatione coniugis vnius iam tolluntur, nisi ea tanquam pacta vera fuerint condita, et munita forma, in pactis succesforiis praescripta.

§. 486. Si tamen coniugum alter ex parte sua neque expresse reuocauit, neque aliam voluntatis vltimae dispositionem condidit; legata ea sustinentur, quae in testamento reciproco scripta sunt personis aliis, ac solo sanguinis nexu aut singularis amicitiae necessitudine cum reuocante coniunctis.

§. 487. Legatorum aliarumque eiusmodi dispositionum mutationes et additamenta sola nunquam testamentum tollunt reciprocum.

§. 488. At sunt inualida, quatenus ab altera parte (vnilateraliter) tantum facta in coniugis superstitis tendunt praeiudicium.

Source : BIU Cujas

§. 489. Matrimonio coniugum, reciproce teſtatorum, per diuortium diſſoluto, teſtamentum reciprocum totum eo ipſo valore ſuo cadit.

§. 490. Poſt alterius quoque coniugis mortem coniugi ſuperſtiti competit electio, vtrum hereditatem ex teſtamento velit adire, an repudiare.

§. 491. Si hereditatem ex teſtamento repudiat; praecepta tituli noni partis primae §. 398. ſeqq. obtinent.

§. 492. Sin hereditatem ex teſtamento adit; ne quidem a diſpoſitionibus propriis ſuis poteſt recedere, quatenus ex verbis aut ex circumſtantiis patet, praedefunctum hereditatem ſuam, reſpectu diſpoſitionum illarum, in eum contuliſſe.

§. 493. Id quod in primis de iis coniugis ſuperſtitis diſpoſitionibus praeſumitur, quae ſpectant ad fauorem liberorum communium, aut conſanguineorum, aut amicorum, quibuscum praedefuncto ſingularis interceſſit neceſſitudo.

§. 494. Teſtamenta reciproca, quibus pars vtraque iuri reuocandi expreſſe renuntiauit, pacta ſucceſſoria ſunt habenda.

III. Ex legibus prouincialibus aut ſtatutis.

§. 495. Si coniuges ſucceſſionem neque pactis neque vltimae voluntatis diſpoſitionibus determinarunt; attenduntur ſtatuta aut leges prouinciales fori perſonalis vltimi, cui defunctus fuit ſubiectus.

§. 496. Si coniuges, durante matrimonio, domicilium mutarunt; ſuperſtiti eſt electio, vtrum heres eſſe velit ex legibus fori perſonalis, cui defunctus mortis tempore fuit ſubiectus, an ex legibus eius loci, quo coniuges matrimonii conſummati tempore ſedem primam habuerunt.

§. 497. In caſibus dubiis valet praeſumtio, hereditatis portionem, coniugi ſuperſtiti eiusmodi legibus definitam, teſtamentis neque laedi poſſe, neque illi eripi.



Source : BIU Cujas

§. 498. Quod si igitur coniugi superstiti in defuncti testamento portione statutaria minus fuerit scriptum; hic potest petere, vt ex hereditate reliqua suppleantur, quae portioni statutariae desunt.

§. 499. Portio statutaria coniugi superstiti vltimae voluntatis dispositionibus non potest deminui aut eripi, nisi eatenus, quatenus reum se reddidit eiusmodi actionum s. factorum, quae causam dant diuortii.

IV. Ex iure communi.

§. 500. Si leges prouinciales aut statuta de coniugum successione determinationes nullas continent, aut non sufficientes; praecepta generalia subsequentia sunt obseruanda.

1) Separatio rerum ad hereditatem non pertinentium.

§. 501. In primis feuda et fideicommissa in bonis relictis extantia cum rebus, ad ea pertinentibus, tradunt ur ei, ad quem possessoris vltimi morte sunt deuoluta.

2) Geradae (*Gerade*) vxoris, cognatae (*Niftel*) et rerum expeditoriarum (*Heergeräthes.*)

§. 502. Pari modo ii, quibus secundum leges prouinciales aut statuta res expeditoriae (*Heergeräthe*), et gerada vxoris, aut cognatae (*Niftel*) competunt, res capiunt ad eas pertinentes.

§. 503. Res expeditorias persona tantum masculini generis relinquit agnato lateris masculini proximo.

§. 504. Si eiusdem gradus agnati masculi plures existunt; stipendia in statu merens praecipuo gaudet iure res expeditorias capiendi.

§. 505. Si lis inter agnatos plures eiusdem propinquitatis non potest hac decidendi ratione dirimi, natu maior praefertur.

§. 506. Clerici catholici et protestantium concionatores, munere ecclesiastico fungentes, res expeditorias neque capiunt, neque relinquunt.

§. 507. Excipiuntur membra ordinum equestrium clericorum, etiam catholicorum, si non sunt sacerdotes.

§. 508. Geradam vxor superstes capit ex mariti hereditate.

Source : BIU Cujas

§. 509. Geradam cognatae (*Niſtel*) relinquit femina cognatae per feminas ipſi proximae.

§. 510. Si cognatae gradus eiusdem plures exiſtunt; iſtae geradam partibus accipiunt aequalibus.

§. 511. Filiae legitimae excludunt illegitimas, et hae cognatas remotiores omnes.

§. 512. Excepta linea deſcendente, cognatio ex natiuitate illegitima nullum producit ius geradam petendi.

§. 513. Quibus ius competit in res expeditorias, geradam, et geradam cognatae, hi iure ſuo vltimae voluntatis diſpoſitionibus nequeunt priuari.

§. 514. At omnino valent venditiones, alienationes, atque aliae inter viuos diſpoſitiones, et de toto, et de rebus ſingulis, ad totum pertinentibus.

§. 515. Eiusmodi diſpoſitiones neque ſub ſimulationis neque ſub laeſionis praetextu poſſunt impugnari.

§. 516. Neque hic pretium pactum ſuccedit in rei alienatae locum.

§. 517. Quibus res expeditoriae aut cognatae gerada competunt, intra annum a delationis die, ad ius exercendum, ſub eius iactura compareant neceſſe eſt.

§. 518. Qui res expeditorias aut cognatae geradam (*Niſtel*) relinquere nequit, eas neque ab aliis poteſt capere.

§. 519. In prouincias aut loca, quibus res expeditoriae aut cognatae gerada (*Niſtel*) non dantur, eas neque transmittere licet.

§. 520. In caſibus omnibus, vbi res expeditorias aut cognatae geradam ei, quem alias leges prouinciales aut ſtatuta vocant, ex vna aut altera cauſarum, in antecedentibus expoſitarum, deferre non licet, iſtae non proximo poſt eum cedunt, ſed in hereditate manent.



Source : BIU Cujas

§. 521. Si tamen ex cognatis eiusdem propinquitatis pluribus vna aut altera ex cauſis ante expoſitis a cognatae gerada excluditur, eius rata reliquis accreſcit

§. 522. Vbi debita rem familiarem abſorbent, neque vxoris neque cognatae gerada, neque res expeditoriae locum habent.

§. 523. Res expeditoriae comprehendunt equum optimum; gladium, quo defunctus ſolito eſt vſus; veſtimentorum quotidianorum ſyntheſin; lectum paratum, optimo proximum, ex ſtragula ſuperiore et inferiore, puluino, ceruicalibus duobus cum ſuperindumentis neceſſariis, et linteis (*Bettlaken*) duobus conſiſtentem; mappam cum tribus mappulis; et patinas duas ex ſtanno aut alio metallo vulgari confectas.

§. 524. Ad res expeditorias (*Heergeräthe*) perſonarum, militiam actu exercentium, ea quoque referuntur, quibus in bello aut loco ſtato (*Garniſon*) ad militiam exercendam, aut in ea exercenda vtuntur, quatenus extant, neque regimento ſunt reliquenda.

§. 525. Ad cognatae geradam (*Niftelgerade*) pertinent tantum, quae ad ſolum mulieris vſum deſtinata ſunt, inſtrumenta, veſtimenta, lintea, pretioſa, et eorum receptacula.

§. 526. Quidquid ad lintea corporis aut veſtimenta conficienda eſt diffectum, conficientibus traditum, aut ab his acceptum, ad cognatae geradam refertur.

§. 527. At contra, geradae cognatae heres petere nequit pretioſa, vxori a marito in vſum conceſſa, et ex praeceptis antecedentibus pro commodatis tantum habenda.

§. 528. Gerada plena in primis complectitur res omnes, quae ſecundum §. 525. 526. ad cognatae geradam pertinent.

Source : BIU Cujas

§. 529. Praeterea ei accenſentur res mobiles, ad vſum oeconomicum quotidianum deſtinatae.

§. 530. Et omnis generis lintea, facta et non facta, atque etiam linum, fila, quatenus res iſtae omnes vſui oeconomico ſunt deſtinatae.

§. 531. Atque etiam ad plenam geradam referuntur eſculentorum copiae, vſui domeſtico deſtinatae.

§. 532. Inſtrumenta ſtabularia et cellaria ad geradam non pertinent.

§. 533. Neque gerada continet res mobiles, magnificentiae ſoli inſeruientes.

§. 534. Currus cum equis, quo coniuges ſolito ipſi ſunt vecti, plenae geradae tantum adnumerantur, ſi ſunt nobiles.

§. 535. Si res eiusdem generis plures extant, viduae competit electio.

§. 536. Determinationes in antecedentibus expoſitae, intuitu geradae vxoris et cognatae, et rerum expeditoriarum, omnes ad eum tantum caſum valent, ſi leges prouinciales aut ſtatuta aliud expreſſe non praeſcribunt.

§. 537. Praecepta legum prouincialium et ſtatutorum accurate ad literam ſunt applicanda, neque admittitur interpretatio latior.

§. 538. Obſcura eiusmodi legum prouincialium et ſtatutorum praecepta ex principiis huius codicis ſunt interpretanda.

§. 539. In prouinciis, quibus adhuc res nullae expeditoriae (heergewethica) aut gerada obtinuerunt, introduci non debent, huius legum codicis fundamento.

§. 540. Dos quoque hereditaria, ſi exiſtit, ab hereditate ſeparatur (§. 276. ſeqq.) 3) Dotis hereditariae.

§. 541. Neque dotis hereditariae ſubſtantia, neque fructus inde percipiendi, coniugis ſuperſtitis legitimae hereditatis portioni poſſunt imputari.



Source : BIU Cujas

§. 542. At omnino, in casu §. 463., in determinando vidualitio, vxori superstiti constituendo, simul habetur ratio fructuum, ex dote hereditaria ab ea percipiendorum.

4) Bonorum propriorum coniugis superstitis,

§. 543. Bona quoque propria coniugis superstitis ab hereditate defuncti sunt separanda.

§. 544. In quibus separandis pro marito, eius heredibus aut creditoribus, in casu dubio stat praesumtio, ad mariti bona pertinere, quae extant.

a) bonorum reseruatorum vxoris,

§. 545. Bona vxoris reseruata regulariter in eo statu sumenda sunt, quo sunt matrimonii dissoluti tempore.

§. 546. Si maritus de bonis vxoris reseruatis, hac inscia vel adeo inuita, proprio ausu dispossuit, vxori aut eius heredibus, tanquam malae fidei possessor, tenetur ad praestandum detrimentum et damnum inde ortum omne. (Part. I. Tit. VII. §. 222. seqq.)

§. 547. At vero, si vxor bona reseruata in totum aut ex parte marito tradidit, vt ea administret, aut alio modo de iis disponat; his bonis intuitu mariti aut eius heredum cum illatis aequalia sunt iura.

b) pecuniarum et fortium illatarum.

§. 548. Bona ab vxore illata parata vxori sunt restituenda, aut imputanda in moneta aeque bona, ac maritus ea accepit.

§. 549. At vsurarum pensionem vxor, aut eius heredes, petere tantum possunt elapso eo trimestri, quo matrimonium morte est dissolutum.

§. 550. Si maritus pecuniam illatam paratam nomine vxoris collocauit; vxori aut eius heredibus est electio, vtrum sortem elocatam velint accipere, an petere, vt renumeretur parata.

§. 551. At vero, si vxor in pecuniam nomine suo apud debitorem quendam determinatum collocandam expresse, licet extraiudicialiter tantum consensit; eiusmodi fors durante matrimonio elocata forti illatae aequiparatur.

Source : BIU Cujas

§. 552. De ſortibus, a marito durante matrimonio exactis et vxoris nomine rurſus elocatis, idem valet, quod de pecunia illata parata, et a marito vxoris nomine elocata, eſt praeceptum.

§. 553. De ſortibus actu illatis, aut his aequiparandis, maritus aut eius heredes tantum ſunt obligati ad extradenda inſtrumenta de iis confecta.

§. 554. At maritus tamen aut eius heredes praeſtare debent culpam leuem omnem, ab eo et in elocandis et in adminiſtrandis vxoris ſortibus commiſſam.

§. 555. At in determinando culpae gradu facultatis perſonalis et prudentiae mariti eſt habenda ratio.

§. 556. Sin maritus pecuniam illatam paratam aut ſortes vxoris exactas nomine ſuo elocauit: detrimentum omne maritus ſentit aut eius heredes.

§. 557. Sortibus nomine vtriusque coniugis communiter elocatis, coniuges vtrique habendi ſunt condomini.

§. 558. Hinc de vxoris dimidio idem eſt iuris, quod de ſorte tota, vxoris nomine ſolo elocata, eſt praeceptum.

§. 559. Si vxor res mobiles marito intulit, quarum pretium aeſtumatione non eſt conſtitutum; harum tantum eae ad vxoris bona pertinent, quae tempore matrimonii diſſoluti adhuc extare probantur. c) mobilium illatorum,

§. 560. Si in locum rerum non amplius extantium aliae ſunt comparatae; vxor aut eius heredes has pro illatis poſſunt recipere.

§. 561. Quo caſu excepto, maritus aut eius heredes ad reſarciendum damnum rerum, quae non amplius extant, aut quarum pretium eſt deminutum, eatenus tantum ſunt obligati, quatenus deletio, alienatio aut deminutio, mariti dolo aut culpa lata eſt exorta.



Source : BIU Cujas

§. 562. Res mobiles, ab vxore ex bonis reſeruatis comparatae, et ad vſum communem ſuppeditatae, illatis aequiparantur.

§. 563. Si vxor res mobiles illatas marito certo pretio expreſſe vendidit; ipſa aut eius heredes reſiduum tantum emtionis venditionis pretium a marito aut ex eius hereditate poſſunt petere.

§. 564. Si res mobiles marito non ſunt venditae, ſed aeſtumatione facta tantum illatae; vxori aut eius heredibus eſt electio, vtrum res mobiles ipſas, an pretium aeſtumatum ſibi habere velint.

§. 565. Si eligunt res mobiles, praecepta obtinent §. 559-561. praeſcripta.

§. 566. Sin pretium aeſtumatum; pretium ſoluendum eſt integrum, licet res mobiles in totum aut ex parte non amplius exiſtant.

§. 567. At vero, ſi vxor rem vnam aut aliam data opera aut culpa lata deleuit, aut eius pretium deminuit, aut absque mariti conſenſu alienauit; non eſt ſoluendum pretium integrum, ſed aequa admittitur deductio.

§. 568. Si tantum res certae ſingulae pretio definito ſunt illatae; intuitu earum rerum cuiusque vxori aut eius heredibus eſt electio, vtrum eam velint recipere, an pretium aeſtumatum petere.

§. 569. In caſu quolibet de eiusmodi rebus ſingulis idem obtinet, quod ſupra de rebus mobilibus generatim eſt praeceptum.

d) fundorum et iurium illatorum.

§. 570. Si vxor marito fundos aut iura intulit; marito ſuperſtiti eſt electio, vtrum fundum hereditati velit reſtituere, an eius pretium ſoluere.

§. 571. Si marito fundus illatus eſt aeſtumatus, maritum, ſi fundum ſibi velit habere, pretium aeſtumatum ſoluere maſſae oportet.

§. 572. Si fundus illatus eſt non aeſtumatus, vxoris heredes pretium determinant; quo facto, marito

Source : BIU Cujas

competit electio, vtrum fundum pro eo velit accipere, an heredibus reliquis relinquere.

§. 573. Si maritus fundum eligit, pretium ab heredibus determinatum debet conferre.

§. 574. At vero, ſi maritus fundum heredibus cedit, fundus quoque in diuiſione pro pretio, ab heredibus determinato, eſt imputandus.

§. 575. Vxoris heredibus licet in ſuam informationem de fundi pretio iudicialem taxationem conficiendam curare; et maritus obligatur, vt taxatoribus petentibus inſtrumenta et rationes (computationes) exiſtentes exhibeat.

§. 576. Heredes vero taxatione comperta non tenentur, ſed iis licet pretium conſtituere maius aut vilius.

§. 577. Si plures vxoris coheredes de pretio determinando conuenire nequeunt; iudicialis taxatio eſt conficienda.

§. 578. Quae tamen taxatio inter diſceptantes tantum heredes ipſos normam conſtituit in definiendo pretio, ſecundum §. 572. marito ab ipſis determinando.

§. 579. Si heredes prouocatione iudiciali facta vltra hebdomadas ſex pretium determinare morantur; iudex ex officio taxationem conficiendam curabit, et eam exhibebit marito, qui poſſit eligere.

§. 580. Contra eiusmodi taxationem heredum exceptiones nullae admittuntur.

§. 581. Si maritus morte defungatur primus; fundo illato aeſtumato vxori ſuperſtiti eſt electio, vtrum fundum velit recipere, an pretium aeſtumatum ex mariti hereditate petere.

§. 582. Si marito defuncto fundus illatus eſt non aeſtumatus, vxorem in eo recipiendo oportet acquieſcere.

Source : BIU Cujas

§. 583. In casibus omnibus, vbi illatus est fundus aestumatus, aestumatio tantum in separandis vxoris bonis normam potest constituere.

§. 584. At contra, quatenus fundi praeterea, in vxoris defunctae hereditate, ad determinandas hereditatis portiones ratio haberi debet, heredum nullus aestumatione tenetur.

§. 585. In casibus omnibus, vbi fundus ipse vxori aut eius heredibus restituitur, in eo statu est restituendus, quo fuit matrimonii dissoluti tempore.

De meliorationibus, si fundus restituitur.

§. 586. Meliorationum effectarum restitutionem maritus aut eius heredes eatenus tantum possunt petere, quatenus leges vsufructuario generatim hoc ius tribuunt. (Part. I. Tit. XXI. Sect. I.)

§. 587. Consensus vxoris in meliorationem efficiendam, et summam in eam impendendam, est validus; simulac in iudicio est interpositus, aut scriptus, adhibito tamen in hoc casu cognato proximo, aut assistente alio, rei oeconomicae perito.

§. 588. Si vxor consensum suum in melioratione manifesto vtilem, sine ratione sufficiente, pertinaciter recusat; consensus a iudicio de rebus tutelaribus implorante marito potest suppleri. (§. 232. sqq.)

§. 589. Maritus quoque aequiparatur vsufructuario alii ratione restitutionis, si fundum ex bonis propriis a debitis, fundo inhaerentibus, aut aliis oneribus realibus liberauit. (Part. I. Tit XXI. §. 75-79.)

§. 590. Idem valet de restitutione conseruationis impensarum, vsusfructus prouentus excedentium. (ibid. 87-89.)

§. 591. Si beneficio, quo imperantis gratia maritum expresse voluit ornare, fundi meliorationes effectae sunt; maritus aut eius heredes ratione restitutionis bonae fidei possessoris gaudent iuribus. (Part. I. Tit. VII. §. 204. seqq.)

§. 592. Si maritus, cum vxoris consensu aut sine eo, fundos aut iura, a praedio illato olim separata,

Source : BIU Cujas

cum eo consolidauit; ipse aut eius heredes impensarum erogatarum restitutionem possunt repetere.

§ 593. Sin vero maritus, sine vxoris consensu, nouos fundos aut iura emtione adiunxit; illi aut eius heredibus est electio, vtrum ea fundo velint relinquere, an recipere.

§. 594. Si prius eligunt, vxor aut eius heredes tantum obligantur ad restituendum pretium verum fundi adiuncti, in et per se considerati, nulla coniunctionis cum praedio principali ratione habita.

§. 595. Intuitu fundi illati deteriorationum quoque maritus, aut eius heredes, ea tantum praestare obligantur, ad quae praestanda vsufructuariùs omnis tenetur. (Part. I. Tit. XXI. §. 132. seqq.) De deteriorationibus.

§. 596. Si maritus praedii pertinentias accedente vxoris consensu alienauit; vxor vti eius heredes petere tantum possunt pretium inde exactum.

§. 597. Si pertinentia absque vxoris consensu est alienata; huic aut eius heredibus competit electio: vtrum rem alienatam a possessore tertio secundum praecepta titul. decimi quinti partis primae velint vindicare; an pretium verum, quod rei alienationis tempore fuisse possunt probare, a marito aut ex eius hereditate petere.

§. 598. In casibus omnibus, vbi vxor aut eius heredes pertinentiae vnilateraliter alienatae pretium a marito aut ex eius hereditate petunt, compensatio impensarum, inde in vxoris vtilitatem versarum, eatenus potest opponi, quatenus vxor aut eius hereditas inde adhuc re vera sunt locupletatae. (Part. I. Tit. XIII. §. 274.)

§. 599. Eodem quoque modo, si pertinentia alienata est vindicata, maritus aut eius heredes petere possunt, vt ab vxore aut ex eius hereditate conferatur ad indemnem praestandum possessorem tertium, a marito aut ex eius hereditate satisfactionem petentem.

Source : BIU Cujas

§. 600. Poſſeſſor quoque tertius, qui indemnitatem a marito aut ex eius hereditate in totum aut ex parte conſequi nequit, ius habet, eam ab vxore aut ex eius hereditate exigendi, modo §. 598. determinato.

De meliorationibus, ſi pretium reſtituitur.

§. 601. In caſibus omnibus, vbi loco fundi pretium aeſtumatum petitur, aut accipitur, pretium vxori aut eius heredibus eſt reſtituendum in monetae genere pacto, aut ſi nullum monetae genus fuerit pactum, in ſolidioris argenti (*Courant*) moneta, tempore aeſtumationis vſitata.

§. 602. Meliorationibus factis in ſeparando non augetur pretium ſemel aeſtumatum.

§. 603. Neque pertinentiis adiectis, quatenus maritus eas acquiſiuit, pretium aeſtumatum augetur, in mariti aut eius heredum praeiudicium.

§. 604. At vero, ſi praeterea, durante matrimonio, fundo illato ius nouum aut fundus per ſe conſiſtens accreuit; haec acceſſio conſideratur tanquam illatum ſeparatum.

§. 605. Hinc ab vxoris aut eius heredum arbitrio pendet, vtrum eam acceſſionem velint recipere, an eam marito eiusue heredibus cum praedio principali cedere.

§. 606. In caſu vltimo pretium huius acceſſionis ſecundum taxationem, de eius prouentibus conficiendam, vxori aut eius heredibus ſeparatim, et praeter praedii principalis aeſtumationem eſt reſtituendum.

§. 607. At vero hic tantum computantur reditus acceſſionis, in et per ſe conſideratae, nulla eiusdem coniunctionis cum praedio principali ratione habita.

§. 608. Deteriorationes marito aut eius heredibus ius tribuunt, de pretio aeſtumato aliquid detrahendi, in hoc tantum caſu vnico, ſi pars ſubſtantiae fundi illati absque mariti culpa lata aut leui interiit.

Source : BIU Cujas

§. 609. Si maritus in caſu §. 572. praedium taxatione ab vxoris heredibus facta retinet; reſtitutionem meliorationum ab ipſo factarum ex hereditate aeque poteſt petere, ac ſi praedium ipſum fuiſſet reſtitutum.

§. 610. At vero, ſi maritus cum praedio principali pertinentiam accipit a ſe ipſo adiectam, cuius pretium ſecundum §. 594. ex hereditate poteſt exigere; eiusmodi pertinentiae pretium non aeſtumandum eſt coniunctione cum praedio principali, ſed ſeparatim et per ſe tantum conſideratae.

§. 611. Cum fundo aut iure accipienti praeſtanda ſunt omnia, quae ex legibus pro pertinentiis ſunt habenda.

§. 612. In ſpecie praedium ruſticum cum pecoribus et inſtrumentis ruſticis in eo ſtatu tradendum eſt, quo tempore diſſoluti matrimonii fuerunt.

§. 613. Si in iis rebus pro qualitate, quam illationis tempore habuerunt, meliorationes aut deteriorationes apparent; locum habent principia eadem, quae de meliorationibus aut deteriorationibus generatim ſupra ſunt praeſcripta.

§. 614. Mariti vſusfructus bonorum ab vxore illatorum coniugis vnius aut alterius morte finitur. e) Vſusfructus.

§. 615. Et de anni mortis, et de annorum anteriorum fructibus atque emolumentis obtinent omnia, quae de ſeparatione inter vſufructuarium et dominum (proprietarium) finito vſufructu, ſunt praecepta. (Part. I. Tit. XXI. Sect. I.)

§. 616. At vero, ſi illatum ſit praedium ruſticum, ex anni mortis reditibus vſurae quoque ſortium vxoris debitarum, praedio ipſi non adhaerentium, eatenus ſunt ſoluendae, quatenus iſtae ſortes debitae generatim, ſecundum tituli praeſentis praecepta, reſpectu etiam mariti ſunt validae, at earum

Source : BIU Cujas

vsurae ex bonorum illatorum reliquorum reditibus nequeunt solui.

§. 617. Atque etiam in domo, siue sit in mariti siue in vxoris dominio, coniugi superstiti habitatio, quam adhuc habuit, gratis est concedenda saltem vsque ad elapsum trimestre, proxime sequens trimestre, quo mors accidit.

f) debitorum.

§. 618. De hereditate, secundum regulas antecedentes §. 543 - 617. cognita, detrahenda adhuc sunt ante diuisionem coniugis defuncti debita.

§. 619. Debitorum, ab vxore sola durante matrimonio in bonis reseruatis contractorum, exsolutionem creditor eatenus tantum potest exigere, quatenus sufficiunt bona reseruata, tempore mortis adhuc extantia.

§. 620. At vero, si vxor, marito haud inscio et non contradicente, quaestum fecit separatum; vxoris creditores, qui huius quaestus ratione ipsi fidem habuerunt, bonis reseruatis non sufficientibus, ex bonis quoque illatis post vxoris mortem possunt satisfactionem petere.

5. Ordo successionis.

§. 621. Coniugis defuncti hereditas pura, eo modo cognita, inter consanguineos propinquos et coniugem superstitem distribuitur.

§. 622. Consanguinei propinqui habentur, qui a defuncto non vltra gradum sextum natiuitatis germanae aut semigermanae sunt remoti.

§. 623. Si defunctus lineae descendentis consanguineos relinquit, coniux superstes tantum est heres ex quadrante.

§. 624. Si lineae descendentes existunt tribus plures, coniux superstes filii tantum accipit partem.

§. 625. Si defunctus tantum relinquit lineae ascendentis consanguineos, fratres aut gradus primi patrueles; coniux superstes est heres ex parte tertia s. triente.

§. 626.

Source : BIU Cujas

§. 626. Si conſanguinei tantum exiſtunt gradu um remotiorum, coniux ſuperſtes ex dimidio eſt heres.

§. 627. Propinquis conſanguineis deficientibus (§. 622.) coniux ſuperſtes eſt heres ex aſſe.

§. 628. In caſibus omnibus, vbi coniux ſuperſtes cum defuncti conſanguineis lineae aſcendentis aut collateralis hereditatem participat, coniux ſuperſtes anticipat res omnes ad lectum et coenam pertinentes, quibus coniuges ex ſolito ſunt vſi.

§. 629. Idem eſt iuris de rebus mobilibus et ſupellectili, quatenus iſtae non ſunt habendae pro fundi aut iuris pertinentiis.

§. 630. De rebus his anticipatis coniux ſuperſtes ad ſoluenda defuncti debita eatenus tantum confert, quatenus hereditas reliqua ad ea exſoluenda non ſufficit.

§. 631. Hereditatis portionis, coniugi ſuperſtiti lege definitae, dimidium eſt pro legitima habendum.

§. 632. Quam legitimam coniux alter ex iis tantum cauſis poteſt alteri deminuere aut plane eripere, quae illi ad diuortium agendi ius tribuiſſent.

§. 633. Caeterum de hac legitima obtinent omnia, quae de legitima generatim in titulo ſubſequente ſunt praecepta.

§. 634. Communio bonorum inter coniuges alterius morte finitur. V. Si extitit communio 1) bonorum;

§. 635. Hinc ante omnia bona communia ab iis ſeparanda ſunt, quae non fuerunt in communione.

§. 636. Quidquid ex bonis, quae in communione non fuerunt, vnius aut alterius coniugis eſt proprium, intuitu ſucceſſionis et alias ex iuris communis praeceptis diiudicatur.

§. 637. De bonis communibus coniux ſuperſtes, partem dimidiam alteram, tanquam bona propria recipit.



Source : BIU Cujas

§. 638. Dimidia pars altera habetur pro coniugis defuncti hereditate.

§. 639. Si defunctus relinquit lineae descendentis consanguineos, quibus ex bonis communibus nondum est satisfactum; coniugi superstiti in parte sua dimidia est acquiescendum.

§. 640. At vestimenta tamen, lectos et corporis lintea vsui ipsius personali destinata ante diuisionem anticipat.

§. 641. At contra defuncti quoque liberis in antecessum assignantur vestimenta, lecti et corporis lintea, vsui defuncti personali destinata.

§. 642. Si non existunt liberi, quibus nondum est satisfactum; coniux superstes dimidium, defuncti hereditatem constituens, diuidit cum eius consanguineis propinquis, secundum eandem proportionem, quae in successione ex iure communi est praescripta. (§. 625. 626.)

§. 643. Tum tamen coniux superstes praeter res, §. 628. 629. definitas, eas quoque anticipat, quae secundum §. 640. vsui ipsius proprio sunt destinatae.

§. 644. Liberi iam separati in hoc succedendi ordine, respectu coniugis superstitis, iisdem tantum gaudent iuribus, quibus primi gradus collaterales.

§. 645. In casibus omnibus, vbi coniux superstes cum consanguineis aliis, quam liberis nondum separatis, defuncti hereditatem participat, bonorum omnium, quae fuerunt communia, vsumfructum ad vitae dies retinet.

§. 646. Hinc praedefuncti coniugis consanguinei, aut eorum heredes tum existentes, post mortem coniugis superstitis petere demum possunt, vt ipsorum hereditatis portiones extradantur.

§. 647. Si nulli existunt propinqui consanguinei defuncti (§. 622.); coniugi superstiti bona, quae fuerunt communia, omnia relinquuntur propria.

Source : BIU Cujas

§. 648. Si in bonis communibus diuidendis ſunt fundi aut iura; coniugi ſuperſtiti, vti in caſu §. 571. ſeqq. eſt electio, vtrum fundos et iura velit accipere taxatione ab heredibus reliquis facienda.

§. 649. Et quoque a coniugis ſuperſtitis arbitrio pendet, vtrum mobilia ad vſum quotidianum deſtinata, quatenus ea ſecundum §. 644. non anticipat, taxatione priuata rite facta, ſibi velit habere, an in diuidenda conferre.

§. 650. Reſpectu mobilium reliquorum omnium ab eius dependet electione, vtrum velit ad diuiſionem naturalem, an ad venditionem publicam agere.

§. 651. In caſu priori coheredes partes diſponunt, et coniux ſuperſtes eligit.

§. 652. At in eo tamen caſu coniugis ſuperſtitis coheredibus bona mobilia, quae eorum ratae cedunt, ſtatim ſunt extradenda; et non ſubiecta ſunt vſufructui §. 645. 646. praeſcripto.

§. 653. Vſque ad ſeparationem factam coniux ſuperſtes et defuncti conſanguinei condomini ſunt maſſae communis, quae tempore mortis extitit.

§. 654. Quidquid igitur maſſae nondum diuiſae accreſcit, aut interit, ad condominos omnes pro rata pertinet.

§. 655. Negotia in matrimonii diſſolutione iam inchoata ſecundum leges ſocietatis mercatoriae continuantur et abſoluuntur.

§. 656. Coniux ſuperſtes vſque ad ſeparationem factam manet in bonorum communium poſſeſſione et adminiſtratione.

§. 657. At vero coheredibus tenetur ad reddendam adminiſtrationis rationem, quatenus ei non competit vſusfructus ſecundum §. 645.

§. 658. Quidquid matrimonio diſſoluto hereditatibus, legatis, donationibus aut aliis caſibus ſe-



Source : BIU Cujas

cundis in coniugum alterum confertur, non amplius ad bona communia pertinet.

§. 659. Hic dies attenditur delationis, non autem dies, quo delatio eſt cognita.

§. 660. Quidquid coniux ſuperſtes poſt mortem defuncti acquirit, nulla poſſeſſionis maſſae hereditariae ratione habita, ad bona diuidenda non confertur.

§. 661. De debitis, bonis communibus inhaerentibus, et de iure creditorum, facta quoque ſeparatione ſingulos, quorum interfuit, conueniendi, praecepta eadem obtinent, quae de familia erciſcunda generatim ſunt praeſcripta. (Part. I. Tit. XVII. Sect. III.)

2) acquaeſtus. §. 662. Si inter coniuges acquaeſtus tantum communio obtinuit, bona vtriusque propria, ſecundum principia in ſectione ſexta praeſcripta, ab acquaeſtu ſunt ſeparanda.

§. 663. In bonis defuncti propriis, qua ordinem ſuccedendi, eadem obtinent, quae, vbi nulla exiſtit bonorum communio, praeſcripta ſunt.

§. 664. Intuitu acquaeſtus communis attenduntur praecepta, §. 637. ſeqq. data.

Si coniux declaratur mortuus. §. 665. Si coniux ex iudicis ſententia declaratur mortuus, ſucceſſio in eius bona eodem modo locum habet, ac ſi ſententiae publicatae die re vera fuiſſet mortuus.

§. 666. Alteri coniugi deinde ad vota alia licet tranſire; quod matrimonium ſuſtinetur, licet redeat legitime citatus, et deinde mortuus declaratus.

§. 667. At ſi nuptiae aliae nondum fuerunt celebratae, priſtinum matrimonium, ſi abſens reuertatur, habetur continuatum.

Source : BIU Cujas

## Sectio Octaua.

### *De matrimonio iudicis ſententia diſſoluto.*

§. 668. Matrimonium per ſe validum ſententia iudicis poteſt diſſolui.

§. 669. Ne tamen matrimonia diſſoluantur ex cauſis aliis, niſi grauibus. Diuortii cauſae. 1) Adulterium.

§. 670. Adulterium, cuius coniux alter ſe reum fecit, parti innocenti tribuit ius ad diuortium agendi.

§. 671. At vero, ſi vxor adulterii ream ſe fecit; diuortio contradicere ea ex cauſa non poteſt, quod marito crimini dari idem delictum poteſt.

§. 672. Sodomia ſ. inceſtus ſodomiticus, et alia huius generis flagitia naturae aduerſa, adulterio aequiparantur.

§. 673. Idem valet de conſuetudine illicita, qua grauis fundatur praeſumtio, fidem coniugalem eſſe violatam.

§. 674. Suſpicio ſola ad matrimonium diſſoluendum non ſufficit.

§. 675. At vero, ſi adeſt eiusmodi ſuſpicionis cauſa, ſpeciem veri habens; coniugi, cui eiusmodi conſuetudo datur crimini, petente altero, conſuetudinis cum perſona ſuſpecta continuatio a iudice eſt interdicenda.

§. 676. Qui ſi interdicti ratione non habita conſuetudinem familiarem cum perſona ſuſpecta continuat, grauis diuortii adeſt cauſa.

§. 677. Diuortii cauſa quoque eſt malitioſa deſertio. 2) Deſertio malitioſa.

§. 678. Mutatio domicilii praeſentis ſola pro deſertione malitioſa nondum eſt habenda.

§. 679. Quin potius vxor obligatur ad ſequendum maritum, nouum domicilium eligentem.



Source : BIU Cujas

§. 680. Quae si, dispositione iudiciali facta, maritum sequi pertinaciter renuit; marito ius est, ad diuortium agendi.

§. 681. At contra, vxor non est obligata, vt sequatur maritum, qui ob delicta commissa, aut alias, contra leges, ex regiis prouinciis excessit.

§. 682. Neque si vxori pacto ante nuptias inito remissum est officium, maritum sequendi.

§. 683. In casibus omnibus maritus in regula est obligatus, vt accipiat vxorem, mutato domicilio eum sequentem.

§. 684. Quam si praefracte et absque causa iusta accipere renuit (§. 687.); vxori legitimam praebet causam, diuortii actionem instituendi.

§. 685. Si vxor maritum absque eius consensu aut legitima discessionis causa deserit, iudicis auctoritate de reditu ad maritum est monenda.

§. 686. Quae iudicis auctoritas si nihil valeat, marito ius competit agendi, vt dissoluatur matrimonium.

§. 687. In casu nullo maritus obligatur, vt vxorem, quae proprio ausu et sine iusta causa eum deseruit, deinde ad ipsum reuersam accipiat, antequam certis testimoniis et fide dignis probauit vitam per tempus interiectum honestam et integram actam.

§. 688. Si locus, quo commoratur coniux, qui alterum deseruit, est incognitus, aut tam procul extra regias prouincias situs, vt a iudice de matrimonio rupto iterum iungendo nihil possit disponi; pars deserta ius habet agendi, vt publica fiat citatio, qua frustra facta matrimonium dirimatur.

§. 689. At tales tamen discessionis causae sunt demonstrandae, ex quibus saltem grauis colligitur praesumtio animi, coniugem desertum derelinquendi.

§. 690. Citatio quoque edictalis quaeri demum potest, anno praeterlapso inde a tempore discessionis deserentis cognitae.

Source : BIU Cujas

§. 691. Intra eum annum coniux *deſertus* omnem adhibeat operam, vt locum cognoſcat, quo deſerens commoratur.

§. 692. Si ex circumſtantiis patet, coniugem abſentem ex cauſis grauibus atque iuſtis diſceſſiſſe; coniugem deſertum decennium poſt diſceſſum oportet expectare; quo praeterlapſo huic prouocare licet, vt abſens declaretur mortuus.

§. 693. Si de propriis deſertionis cauſis cum probabilitate ſufficiente et idonea nihil poteſt cognoſci; actio datur diuortii, praeterlapſo biennio inde a temporis momento §. 690. determinato, et pro modo §. 691. definito.

§. 694. Praefracta et continua debiti coniugalis denegatio deſertioni malitioſae eſt aequiparanda. 3) Debiti coniugalis denegatio.

§. 695. Coniux in concubitu aut poſt eum ita ſe gerens, vt finem eius legitimum obtinendum data opera impediat, alteri iuſtam diuortii cauſam praebet.

§. 696. Iuſta quoque diuortii cauſa eſt impotentia plena et inſanabilis, licet matrimonio durante demum ſit exorta. 4) Impotentia.

§. 697. Idem quoque valet de aliis corporis vitiis inſanabilibus, quae taedium et animorum auerſationem mouent, et fines matrimonii obtinendos impediunt.

§. 698. Furor et inſania, quibus corripitur coniux, diuortii actionem tunc tantum poſſunt fundare, ſi vltra annum ſine ſpe conualeſcendi probabili durant. (§. 759.) 5) Furor et inſania.

§. 699. Si coniux vitae alterius inſidias ſtruxit, aut tam violentum ſe geſſit, vt coniugis vita aut valetudo in periculum vocetur; laeſo ius competit agendi, vt matrimonium diſſoluatur. 6) Inſidiae vitae ſtructae.

§. 700. Idem valet de laeſionibus grauibus et iniuſtis, bonae famae aut libertati perſonali coniugis alterius illatis.



Source : BIU Cujas

§. 701. Ob solas iniurias verbales aut minas, et violentiam minorem coniuges ordinis vilioris non separentur.

§. 702. Inter personas quoque ordinis medii et superioris diuortium tunc demum locum habere potest, si coniux laedens eiusmodi vim et iniurias, absque causa vrgente, petulanter et saepius intulit.

§. 703. Diffidium et rixandi studium fiunt iusta diuortii causa, si ad eum malitiae gradum procedunt, vt iis partis innocentis vita aut valetudo periculo exponatur.

7) Delicta atrocia.

§. 704. Delicta atrocia erga alios commissa, ob quae coniux ex sententia et iure grauem et ignominiosam ergastuli poenam est passus, aut ad munitiones condemnatus, parti innocenti tribuunt ius actionem diuortii instituendi.

§. 705. Idem obtinet, si coniugum alter alterum talium delictorum in iudicio, meliorum sciens s. consulto, falso accusauit.

§. 706. Porro, si coniux factis illicitis de industria patratis alterum adducit in periculum vitae, bonae famae, muneris aut quaestus amittendi.

§. 707. Si coniux quaestum turpem eligit, alter ad diuortium prouocare potest.

8) Mali mores.

§. 708. Propter ebrietatem, profusionem, aut oeconomiam malam coniugis alterius matrimonium non statim dirimatur.

§. 709. Iudicis vero est, petente coniuge altero, ea disponere, quibus nocens emendari, et effectus tristes ex malis moribus metuendi possint praecaueri.

§. 710. Quas iudicis dispositiones si pars nocens reddit irritas, de malis moribus non decedens; innocente vlterius petente matrimonium potest dissolui.

9) Denegatio alimentorum.

§. 711. Defectus alimentorum vxori tunc demum ius ad diuortium agendi tribuit, si ipse maritus delictis perpetratis, intemperantia, aut oeconomia mala

Source : BIU Cujas

in eum ſe deduxit ſtatum, vt alimenta praeſtare vxori nequeat.

§. 712. At vero, ſi maritus vxori alimenta denegat; iudicem ea pro mariti conditione oportet determinare, et maritum ad ea praeſtanda mediis coactiuis compellere.

§. 713. Si maritus nihilo minus pertinaciter vxori alimenta denegat, huic dari poteſt actio diuortii.

§. 714. In genere in caſibus omnibus, vbi diuortium petitur, iudex ex officio operam in eo collocabit, vt animos coniugum diſcordes reconciliet, et diſcordiarum exortarum cauſas tollat.

§. 715. In quantum coetus religioſi diuerſitas inde ab initio eſt matrimonii impedimentum (§. 36.), in tantum coniux mutando eccleſiam, cui adhuc fuit addictus, alteri iuſtam praebet cauſam actionis diuortii inſtituendae. 10) Mutatio eccleſiae.

§. 716. Matrimonia plane ſterilia ex cauſa conſenſus mutui poſſunt diſſolui, ſimulac neque leuitas aut imprudentia, neque vis occulta ex vna parte aut altera eſt metuenda. 11) Animorum auerſatio perdurans.

§. 717, Quo caſu excepto, ob aſſertam animi auerſationem ſolam, iuſtis cauſis non ſuffultam, matrimonii diſſolutio in regula nullo modo locum habet.

§. 718 a.) Iudici tamen permittitur, vt eiusmodi matrimonium infauſtum diſſoluat in caſibus ſingularibus, vbi ex actorum verbis animi auerſatio eos radices egit, vt nulla omnino ſpes ſuperſit reconciliationis et matrimonii finium obtinendorum.

§. 718 b.) Quo tamen in caſu coniux ille, qui ſine iuſta cauſa, proprie ſic dicta, inuito altero, matrimonii diſſolutionem vrget, pro parte nocente eſt declarandus, et in diuortii poenas ſecundum §. 786. condemnandus.

§. 719. Si coniux, diuortium vrgens, alteri matrimonium continuaturo eorum, quibus actio fun- De compenſationibus in acti-



Source : BIU Cujas

onibus diuortii.

datur, delictorum malis moribus ipse causam praebuit, actio diuortii non datur.

De remissione.

§. 720. Offensiones semel expresse remissae deinde tanquam diuortii causae deferri non possunt.

§. 721. Remissioni expressae aequiparatur, si coniux laesus, certam offensionis illatae notitiam consecutus, matrimonium per annum integrum continuauit.

§. 722. Ex sola debiti coniugalis praestatione, ad quam pars vtraque ante actionem institutam fuit obligata, colligi nequit renuntiatio iuris actionis diuortii instituendae.

Quid diuortii lite pendente fit iuris.

§. 723. Diuortii lite pendente altera pars ab altera inuita proprio ausu et arbitrio se separare nequit.

§. 724. At vero, si diuortium petitur ex causis, ex quibus partis agentis vitae aut valetudini imminet periculum; iudex, istis causis quodam modo demonstratis, potest permittere, vt partes, lite pendente, separatae viuant.

§. 725. Non nisi in hoc casu vxor potest petere, vt maritus ei alimenta extra domum quoque praestet.

§. 726. Litis sumtus maritum, petente vxore, ex huius illatis, et iis deficientibus, ex propriis oportet suppeditare.

§. 727. Si diuortium est petitum ex causis tantum minus grauibus, §. 675. 676. 702. 703. 709-711. expositis, et reconciliatione tentata spes aliqua adhuc reconciliationis futurae cognita; iudex sententiae publicationem per aliquod tempus, at non vltra annum, potest differre.

§. 728. Intra illud tempus separatim viuere coniugibus potest permitti.

§. 729. Quid interea, qua victum vxoris, qua educationem et alimoniam liberorum, et bonorum s. rei familiaris securitatem obseruandum sit, iudicem

Source : BIU Cujas

definire oportet pro circumſtantiis ex aequo arbitrio, lite ſeparata de iis nulla conceſſa.

§. 730. Termino definito praeterlapſo, ex officio iterum reconciliatio eſt tentanda; qua non effecta, ſententia ſine vlla mora publicanda.

§. 731. Matrimonium iudicis ſententia eo temporis momento diſſoluitur, quo ſententia de diuortio lata vires rei iudicatae eſt nacta. *Effectus diuortii.*

§. 732. Talis ſententia matrimonium plane diſſoluit, et intuitu partis vtriusque tollit effectus omnes.

§. 733. Mera ſeparatio qua thorum et menſam non debet decerni, ſimulac coniugum tantum vnus proteſtantium coetui eſt addictus.

§. 734. Sententia lata, qua inter coniuges catholicos ſeparatio perpetua qua thorum et menſam decernitur, diuortii pleni effectus ciuiles omnes producit.

§. 735. Quatenus autem, diuortio facto legitimo, coniugi ex eccleſiae ſuae principiis ad alia vota tranſire liceat, ipſius conſcientiae relinquitur.

§. 736. Si in diuortii lite circumſtantiae apparuerunt, quae prohibent, ne coniugum ſeparatorum alter cum alia perſona definita, ſecundum praecepta §. 25. ſeqq. nouum ineat matrimonium; huic coniugi in ſententia matrimonium aliud generatim tantum eſt permittendum, ſub reſeruatione veniae, ſpeciatim impetrandae.

§. 737. Quam autem veniam iudicem, qui diuortii tulit ſententiam, ſtatim dare oportet, ſimulac ex diuortii actis non apparet, perſonam, quam coniux ſeparatus ſibi cupit matrimonio iungere, eſſe eam, ad quam matrimonii interdictum poſſit referri.

§. 738. Vxor ſeparata in regula retinet ordinem et dignitatem, quam maritus hucuſque fuit adeptus.

§. 739. Si vero expreſſe declarata eſt pars nocens, ad ordinem redit inferiorem, cuius ante matrimonium fuit.

Source : BIU Cujas

§. 740. Si non fuerit declarata pars nocens, in ordinem, cuius ante nuptias fuit, superiorem ascendere iterum potest.

§. 741. In regula vxori est electio, an mariti, a quo est separata, nomen adhuc velit retinere, an in primis in casu §. 740. nomen gentilitium pristinum aut viduae nomen recipere.

§. 742. At vero, si fuerit expresse pars nocens declarata, mariti nomen eo inuito non amplius gerere ei licet.

Separatio honorum.

§. 743. Diuortio facto eorum, qui fuerunt coniuges, bona separanda sunt.

§. 744. Quae separatio, si in iudicio fieri debeat, pertinet ad mariti forum competens.

§ 745. At in diuortii processu de quaestione: vtrum quis coniugum, et quis eorum pro parte nocente sit habendus, simul est inquirendum; et quae de ea sunt necessaria, in sententia de diuortio lata, sunt definienda.

§. 746. Si vtraque pars diuortii causam culpa mutua praebuit; definiendum est, vtrum et in qua parte maius culpae pondus adsit.

§. 747. Offensiones, laesionem officiorum singularium, ex coniugio oriundorum, immediatam continentes, maius culpae pondus inuoluunt, quam eae, quibus ea officia mediate tantum sunt laesa.

§. 748. Adulterium (§. 670-673.), desertio malitiosa (§. 677-692.), debiti coniugalis denegatio (§. 694. 695.), impotentia culpa sua contracta (§. 696. 697.), insidiae vitae, valetudini, libertati et famae bonae structae (§. 699. 700.), accusatio delictorum perpetratorum atrocium falsa, et periculum vitae, bonae famae, aut muneris (§. 705. 706.), respectu culpae imputandae, sunt habenda delicta aeque atrocia.

§. 749. Si itaque coniux alter talium actionum reum se reddidit; alteri vero offensiones tantum

Source : BIU Cujas

minus graues imputantur, maius culpae pondus in illum cadit.

§. 750. In mutuis eiusdem generis et qualitatis offenſionibus, maius culpae pondus tunc demum eſt ſtatuendum, ſi apparet, delicta ab altero coniuge conſulto et ex propoſito, ab altero vero leuitate tantum animi, imprudentia, aut affectus vehementia eſſe perpetrata.

§. 751. Si in diuortii proceſſu nullum culpae pondus maius coniugis vllius eſt cognitum; ſequitur quidem, ſi nulla bonorum obtinuit communio, bonorum ſeparatio generatim, ſecundum principia, quae praeſcripta ſunt, ſi matrimonium morte eſt diſſolutum; a) Si pars nulla declarata eſt nocens.

§. 752. At tunc tamen ceſſat electio, §. 564-584. coniugi ſuperſtiti reſeruata; et vxor recipit res ad bona ſua pertinentes.

§. 753. Intuitu meliorationum et deteriorationum, in fundis illatis factarum, marito iura et officia bonae fidei poſſeſſoris competunt.

§. 754. Pars vtraque retinet dona ab altera ante matrimonium initum, aut in eo ineundo, aut eo durante facta; et dona nuptialia, niſi coniugum vni aut alteri ſpecialiter fuerunt deſtinata (§. 172.), habentur communia.

§. 755. Si inter coniuges diuortio ſeparatos bonorum communio floruit; pars vtraque ſibi recipit bona matrimonio illata, aut eo durante hereditatibus, legatis, donis aut caſibus meris ſecundis acquiſita, et reliqua inter coniuges vtrosque partibus aequalibus diuiduntur.

§. 756. Omnia, quae a coniugum vno aut altero illata fuiſſe matrimonio non poſſunt probari, habentur communia.

§. 757. Qua tamen ſeparatione in nihilo mutantur iura creditorum, intuitu bonorum, quae fuerunt communia.

Source : BIU Cujas

§. 758. At in hoc quoque casu praecepta obtinent §. 659.

§. 759. Matrimonio ob coniugis alterius insaniam aut furorem dissoluto, coniux alter manet obligatus, ad procurandum pro re familiari et viribus suis alimenta, infelici pro ratione ordinis necessaria, quatenus ista ex propriis suppeditari illi non possunt. (§. 698.)

§. 760. Idem obtinet, si coniugum alter ob debiti coniugalis praestandi impotentiam, quae durante matrimonio alteri absque culpa sua accidit, aut aliud corporis vitium (§. 695. 696.) diuortium petiit.

§. 761. Si in matrimonii dissoluti fauorem dos hereditaria a tertio fuerit constituta; eius dominium liberis cedit ex isto matrimonio susceptis, et vsusfructus vtrisque coniugibus separatis partibus aequalibus relinquitur.

§. 762. Si liberis existentibus nullis constituens adhuc est inter viuos, hic libere potest de dote hereditaria disponere.

§. 763. Constituente iam mortuo, coniugi separato cuique cedit dominium dotis dimidiae.

§. 764. At dote hereditaria in coniugis alterius fauorem expresse constituta, hic dotis totius acquirit dominium, et alteri coniugi vsusfructus tantum partis dimidiae ad dies vitae seruatur.

§. 765. Dos hereditaria in vnius coniugis fauorem constituta praesumitur, si huius cognatorum s. consanguineorum aliquis eam constituit.

b) Si altera pars declarata est nocens. A. Si bonorum communio non obtinuit.

§. 766. Si altera pars in diuortii causa declarata est nocens; res familiaris, si nulla obtinuit bonorum communio, separatur in omnibus secundum principia, quae praescripta sunt, si matrimonium morte est dissolutum.

§. 767. Omnibus beneficiis, a legibus coniugi superstiti tributis, in hoc casu fruitur innocens.

1) Separa-

Source : BIU Cujas

§. 768. Non niſi in caſu §. 573. in locum taxationis, ab vxoris heredibus definiendae, ſuccedit taxatio in iudicio conficienda. tio rei familiaris.

§. 769. Mariti vſusfructus bonorum ab vxore illatorum ſemper finitur die, quo publicata eſt ſententia de diuortio lata.

§. 770. Si nocens interpoſitis remediis, fundamento deſtitutis, ſententiae latae vires atque effectus legitimos eſt remoratus; commodum inde percipere nunquam poteſt.

§. 771. Hinc temporis momentum diuortii, quatenus ei eſt praeiudicio, retrahitur ad diem, quo in ſuperioribus inſtantiis fuit confirmata ſententia prima de diuortio lata.

§. 772. Marito declarato nocente, ab vxoris electione pendet, vtrum fundi illati adminiſtrationem vſque ad annum oeconomicum elapſum ipſa velit ſuſcipere, an petere, vt adminiſtrator conſtituatur communis mariti ſumtibus.

§. 773. Pars innocens retinet dona ſponſalitia; et data, quatenus adhuc adſunt, poteſt repetere.

§. 774. Maritus innocens retinet morgengabam promiſſam; et iam datam, de bonis vxoris, tanquam debitum, poteſt detrahere.

§. 775. Donationes quoque, durante matrimonio factas, reuocare poteſt pars innocens, ob ingratitudinem a parte nocente commiſſam. (Part. I. Tit. XI. §. 1151. ſeqq.)

§. 776. Donationes a tertio nuptiarum tempore, aut alio, durante matrimonio factae habentur communes, niſi parti alteri expreſſe fuerint collatae, aut pro natura ſua ad ſolitarium eius vſum deſtinatae.

§. 777. De ſumtibus nuptialibus erogatis in caſu nullo mutua datur actio.

§. 778. Si dos hereditaria a tertio eſt conſtituta; vſusfructus ſeruatur parti innocenti, et dominium cedit liberis ex matrimonio diſſoluto procreatis.

Source : BIU Cujas

§. 779. Pars innocens ſubtrahere ſe non poteſt officio ex dotis hereditariae reditibus proportionate conferendi ad educandos et alendos liberos; quatenus hi ſumtus a parte nocente in totum aut ex parte nequeunt praeſtari.

§. 780. Si liberi nulli exiſtunt, dotem conſtituens, ſi adhuc viuit, de ea libere poteſt diſponere.

§. 781. Conſtituente mortuo, dotis dominium et vſusfructus parti cedit innocenti.

§. 782. At dotis hereditariae, ſecundum §. 764. 765. in partis nocentis fauorem conſtitutae, dominium conſtituentis heredes poſſunt reuocare; et innocens vſumfructum tantum ad vitae dies retinet.

a) Satisfactio parti innocenti praeſtanda.

§. 783. Coniugis vtriusque bonis, diuortio legitime facto, ſecundum praecepta antecedentia ſeparatis, coniux nocens eſt obligatus, vt innocenti, de ſucceſſione futura, ex bonis ſuis ſatisfaciat.

§. 784. Tunc ſupponitur, partem nocentem fuiſſe mortuam die, quo ſententia de diuortio lata eſt publicata, et vires rei iudicatae nacta. (§. 769-771.)

§. 785. Si pactis de ſucceſſione futura nullis exiſtentibus matrimonium eſt diſſolutum ob facta atrocia in §. 748. expoſita; ſatisfactio parti innocenti praeſtanda in partis nocentis bonorum quadrante conſiſtit.

§. 786. Si vero facta tantum leuiora diuortio cauſam dederunt, ſatisfactio in partem ſextam definitur.

§. 787. Feudorum, fideicommiſſorum, et aliorum, quae alias partis nocentis alienationi liberae non ſunt ſubiecta, in computandis eius bonis, intuitu ſatisfactionis determinandae, non habetur ratio.

§. 788. Mobilia, fundi et iura, ſi conuentio valida de eorum pretio nulla obtinet, computantur tantum ſecundum taxationem iudicialiter conficiendam.

§. 789.

Source : BIU Cujas

§. 789. Quare pars nocens neque compelli vnquam poteſt ad venditionem talium rerum ad bona pertinentium, in eum finem ſolum, vt earum pretium eruatur.

§. 790. De partis nocentis bonis ea tantum detrahuntur debita, quae actionis diuortii delatae tempore iam fuerunt contracta.

§. 791. Quae pars innocens ex dote accipit, ea in ſatisfactionem ipſi nunquam, et in caſu nullo, poſſunt imputari.

§. 792. Succeſſione futura pactis determinata, pars innocens in regula accipit omnia, quae ei in pactis, in nocentis caſum mortis ſunt adſcripta.

§. 793. Si commoda ex pactis parti innocenti competentia ſatisfactione legali ſunt viliora; loco ſatisfactionis ex pactis poteſt eligere ſatisfactionem legalem.

§. 794. At vero, ſi liberi ex hoc matrimonio ſunt procreati; parti innocenti ſatisfactionem tantum conuentionalem viliorem licet petere.

§. 795. Si ſatisfactio parti innocenti in pactis definita legali eſt maior; pars innocens, liberis ex matrimonio diſſoluto ſuſceptis, ſatisfactione legali acquieſcere debet.

§. 796. Liberis deficientibus, innocens quidem inhaerere pacto poteſt;

§. 797. At vero tum quoque nocenti ad ſummum nunquam eripi poſſunt plura, quam ſubſtantiae aut vſusfructus bonorum ſuorum dimidium.

§. 798. Loco ſatisfactionis, ſecundum praecepta antecedentia parti innocenti ex pactis aut legibus praeſtandae, vxor alimoniam ordini conuenientem, vſque ad mortem, ex mariti nocentis bonis poteſt exigere.

§. 799. Quam alimoniam ordini conuenientem iudicem determinare oportet ex mariti nocentis quaeſtus, aut lucri, aut redituum aliorum ratione.



Source : BIU Cujas

§. 800. Parti cuique licet, ad eam alimoniam propius definiendam, mariti dignitatis ſ. ordinis aut collegii ſocium deſignare; quorum arbitrio iudicis ſententia decidit.

§. 801. Bonorum vxoris propriorum receptorum reditus, et dotis vſusfructus, ei forſan delatus, imputantur pecuniis alimoniae erutis.

§. 802. Maritus eſt obligatus, vt alimenta vxori praeſtanda ex bonis aſſignet paratiſſimis, et aſſecuret.

§. 803. Si maritus ad fortunam et bona meliora peruenit, vxor non quidem augmentum alimentorum, at meliorem tamen alimoniae pecuniarum ſecuritatem poteſt exigere.

§. 804. Caeterum vxor ſeparata, quae ſemel alimoniae pecunias elegit, in regula non poteſt recedere, et ſatisfactionem legalem aut conuentionalem exigere.

§. 805. At contra quoque obtinet alimenta, licet ad vota alia tranſeat.

§. 806. In eo tantum caſu, ſi mortuo marito bonorum tam parum extat, vt alimenta redituum hereditatis dimidium ſuperent, vxori eſt electio: vtrum alimentorum deminutionem vſque ad hoc dimidium velit pati, an ex hereditatis ſubſtantia ſatisfactionem legalem ſemel tantum praeſtandam exigere.

§. 807. In qua quidem ſatisfactione pro fundamento ponitur maſſa bonorum, qualis tempore fuit diuortii, aut maſſa hereditatis, prout vna vel altera eſt minor.

§. 808. At contra neque licet, vxori in ſatisfactionem imputari alimenta, quae accepit vſque ad mortem mariti, a quo diuortio eſt ſeparata.

§. 809. Si maritus innocens ob ſenectutem, morbum aut alios caſus aduerſos alimenta ſibi ipſe nequit acquirere; loco ſatisfactionis, ex vxoris nocentis bonis ipſi competentis, alimoniam ordini et dignitati conuenientem poteſt eligere.

Source : BIU Cujas

§. 810. Quo in caſu valent in eius fauorem omnia, quae in vxoris innocentis fauorem in antecedentibus ſunt praeſcripta.

§. 811. Si inter coniuges ſeparatos bonorum omnium communio obtinuit; pars innocens poteſt eligere: vtrum dimidiam bonorum communium partem velit exigere, an ad bonorum ſeparationem prouocare. B. Si bonorum communio obtinuit.

§. 812. Bonorum ſeparatio, ſi eam eligit, ſecundum praecepta inſtituitur §. 755-758. data.

§. 813. Ex partis nocentis bonis, eo modo cognitis, innocenti eadem competit ſatisfactio, quam poteſt exigere, ſi bonorum communio nulla exiſtit.

§. 814. Si pars innocens dimidiam communis rei familiaris partem eligit, praeter eam ſatisfactionem aliam petere nequit.

§ 815. At in diuiſione tamen pars innocens res (*Effecten*) §. 639. determinatas anticipat.

§. 816. Ad reliquas res huius generis (*Effecten*) quod attinet, eadem ei electio competit, quae §. 648. 649 et 650. coniugi ſuperſtiti eſt reſeruata.

§. 817. Si fundi et iura ſunt in bonis communibus diuidendis; eorum pretium, ſi amicabilis conuentio locum non inuenit, ſecundum taxationem in iudicio conficiendam eſt computandum.

§. 818. Deinde parti innocenti eſt electio: vtrum ea bona ad taxationem velit accipere, an nocenti cedere.

§. 819. Innocenti parti quoque licet prouocare ad diſtractionem priuatam, inter ſe et nocentem inſtituendam.

§. 820. Ea tantum debita, quae ante actionem diuortii delatam ſunt contracta, in partis innocentis praeiudicium de re familiari communi poſſunt detrahi.

§. 821. Si coniuges tantum in acquaeſtus communione vixerunt, partis vtriusque bona propria ſeparantur ſecundum praeceptum §. 662. ſeqq.



Source : BIU Cujas

§. 822. Acquaestus diuiditur, et dimidium, quod coniugi nocenti cedit, accensetur rei familiari, ex qua innocenti praestanda est legalis satisfactio.

C. Si pars nocens rem familiarem s. patrimonium nullum habet.

§ 823. Si coniux nocens innocenti neque satisfactionem neque alimenta praestare potest; ille ob facta, quae diuortio causam praebuerunt, pro magnitudinis et grauitatis ratione, et pro circumstantiis reliquis afficiendus est poena carceris aut operis in dies quatuordecim vsque ad tres menses.

Pacta de satisfactione.

§. 824. Pacta extraiudicialia, quibus coniux innocens renuntiat satisfactioni, ex legibus ei competenti, eum non obligant.

§. 825. Pacta contra, quibus satisfactio, ad euitandas difficultates et lites (processus), in certam summam aut res certas est determinata, aeque valent, ac alia coniugum pacta.

§. 826. At eiusmodi tamen pactis neque creditorum neque liberorum, ex matrimonio susceptorum, iura possunt laedi.

Iura heredum.

§. 827. Coniugis laesi s. innocentis heredibus ius competit, actionem diuortii, in finem separationis bonorum persequendi; quatenus defunctus reconciliatione frustra tentata demum est mortuus.

§. 828. Agere quoque possunt, vt vel bona defuncti omnia restituantur, si coniux superstes mortis defuncti auctor fuit, aut eum mediis violentis impediuit, quo minus actionem instituerit.

§. 829. In casu vtroque §. 827. 828. bona secundum praecepta §. 766. seqq. sunt separanda: et coniux nocens omnibus priuatur commodis, ex defuncti hereditate alias sperandis.

§. 830. At contra, partis innocentis heredes satisfactionem ex bonis nocentis tunc demum possunt exigere, si ea hereditatem relinquenti adhuc viuo fuit adiudicata, et sententia ante eius mortem aut post eam vires rei iudicatae est nacta, aut in instantiis superioribus confirmata.

Source : BIU Cujas

§. 831. At tamen, ſi obtinuit bonorum communio, reſeruatur partis innocentis quoque heredibus, omnibus in caſibus, electio coniugi defuncto ſecundum §. 811. competens.

§. 832. Si loco ſatisfactionis decreta ſunt alimenta ordini et dignitati conuenientia; heredes tantum exigere poſſunt alimenta vſque ad defuncti mortem forſan reſidua.

§. 833. Si coniux nocens moritur, antequam ſententia in diuortii actione lata vires rei iudicatae eſt nacta; vltimae voluntatis diſpoſitiones ab eo conditae omnes nullae ſunt, quatenus in laeſionem tendunt hereditatis portionis, innocenti ex legibus aut pactis competentis.

§ 834. Quid diuortio facto de educandis, ſuſtentandis, et alendis liberis iuris ſit, in titulo ſubſequente eſt praeſcriptum.

## Sectio Nona.

*De matrimonio ad legem ſalicam, ſ. morganaticam, noſtrates dicunt matrimonium ad manum ſiniſtram.*

§. 835. Matrimonia ad legem ſalicam ab aliis matrimoniis eo tantum differunt, quod vxor illo non acquirit iura dignitatis et familiae omnia, quae leges vero attribuunt matrimonio. Definitio.

§. 836. Eiusmodi matrimonium in regula non admittitur, quin potius ſemper, ſi locum habere debeat, immediata regnantis venia requiritur. In quibus caſibus eius modi matrimonium inire licet.

§. 837. Quae quidem venia a maſculis tantum ordinis ſuperioris, in caſibus extraordinariis, et ex cauſis grauibus poteſt quaeri.

§ 838. Ad graues cauſas in primis refertur, ſi maritus non poſſidet rem familiarem aut reditus, ad vxorem et familiam pro dignitate alendam et inſtruendam ſufficientes.



Source : BIU Cujas

§ 839. Et si metuit, ne ad matrimonium dignitati conueniens secundum progrediendo rem familiarem, matrimonii primi liberis determinatam, nimis oneret, aut laedat.

§. 840. Quarum causarum veritas statim probetur aut rite cognoscatur necesse est.

§. 841. Diiudicatio vero, an causae istae momentum habeant, summo imperanti reseruatur soli.

Requisita eiusmodi matrimonii.

§ 842. Quidquid in genere impedimento est, ne matrimonium celebretur, idem quoque matrimonio ad morganaticam obstat.

§. 843. Inaequalitas ordinis sola hic nullum est impedimentum.

§. 844. In quantum ad matrimonium plene validum parentum et curatorum consensus requiritur, in tantum quoque in matrimoniis ad legem salicam desideratur.

§. 845. Quem consensum, si fuerit denegatus, iudex supplere nunquam potest.

Contractus matrimonii.

§. 846. Matrimonium ad legem salicam necessario praesupponit contractum scriptum.

§. 847. In quo ineundo obseruanda sunt omnia, quae de forma sponsaliorum sunt praescripta. (§. 82. seqq.)

§. 848. In contractu nuptiali sponsae semper constituenda est certa satisfactio, vt habeat, vnde viuat matrimonio dissoluto.

§. 849. Quae satisfactio in alimentis annuis, aut forte (summa capitali), semel tantum praestanda, potest consistere.

§. 850. In contractu simul determinatum sit necesse est, quomodo sponsae satisfactio ista assecurari debeat.

§. 851. In quo si nihil est determinatum, sponsa eadem habet iura, quae in matrimonio plene valido donationi propter nuptias sunt concessa. (§. 456. sqq.)

Source : BIU Cujas

§. 852. Ante eiusmodi contractum, in quo ſponſae conſtituta eſt ſatisfactio, celebratum non concedatur matrimonii contrahendi venia.

§. 853. Si contractu nuptiali re vera iam inito pars altera aut vtraque ante matrimonium conſummatum velit recedere, locum habent eadem, quae in regreſſu a ſponſaliis validis. (§. 99. ſeqq.)

§. 854. Hinc ſine cauſa recedens, aut alteri parti recedendi cauſam praebens, huic indemnitatis loco tantum praeſtare obligatur, quantum ſortis, in contractu nuptiali determinatae, aut alimentorum, ad ſortem redigendorum, pars quarta conſtituit.

§. 855. Matrimonii ad legem morganaticam conſummationem aeque praecedat proclamatio neceſſe eſt, ac matrimonium aliud plene validum.

§. 856. Sufficit tamen, ſi de parte quaque tantum proclamatur, eam matrimonium eſſe inituram.

§. 857. In ſponſi proclamatione ſponſae nomen, aut in ſponſae proclamatione ſponſi nomen edicere, non eſt neceſſe.

§. 858. Impetrata imperantis venia, pars vtraque coram iuſtitiae collegio territoriali compareat, et contractum inter ſe celebratum confirmandum curet neceſſe eſt. Conſummatio matrimonii.

§. 859. Coram iudicio aut commiſſario iudicii vtrique in perſona debent profiteri, ſe eum contractum celebraſſe, et ſancte manu data promittere, ſe eſſe contractum ſeruaturos.

§. 860. (§. 870.) Qua promulgatione facta matrimonium accedente benedictione ſacerdotali ad manum ſiniſtram eſt conſummandum.

§. 861. (§. 871.) In copulationis factae relatione in indicem eccleſiaſticum expreſſe notetur neceſſe eſt, matrimonium ad legem ſalicam fuiſſe celebratum.

§. 862. (§. 872) Officia perſonalia omnia, quae in matrimonio plene valido obtinent, in regula quo- Iura et officia ex hoc matrimonio.



Source : BIU Cujas

que inter eos valent, qui matrimonio ad legem morganaticam iunguntur.

§. 863. (§. 873.) Vxor tamen neque nomen, neque ordinem et dignitatem mariti consequitur, sed nomen, ordinem et dignitatem retinet, quam ante matrimonium habuit.

§. 864. (§. 874.) Si vidua fuit, nomen gentilitium iterum recipiat necesse est.

§. 865. (§. 875.) Genti mariti non adnumeratur; neque eius titulo et insignibus vti ipsi licet.

§. 866. (§. 876.) At illi tamen foro subiicitur, cui maritus est subiectus.

§. 867. (§. 877.) Si adhuc est sub cura, vsque ad tempus, quo facta est maiorennis, cura sine mutatione vlla continuatur.

§. 868. (§. 878.) Praeter ea talis vxor, qua ius, cum aliis negotia obligatoria agendi, consideratur tanquam femina maiorennis innupta.

§. 869. (§. 879.) At tamen, absque mariti consensu, pacta inire nequit, quibus eius persona durante matrimonio obligatur.

§. 870. (§. 880.) Vxor ad legem morganaticam a marito tantum exigere potest victum ordini suo conuenientem.

§. 871. (§. 881.) Qui victus simul impensas in curationem erogandas complectitur; non vero sumtus litium, (processuales), nisi ad vxoris personam spectent.

§. 872. (§. 882.) Maritum vxor ex matrimonio ad legem salicam, absque illius consensu expresso, eatenus tantum obligat, quatenus vxoris actibus obligatur. (§. 322. seqq.)

In primis intuitu rei familiaris.

§. 873. (§. 883.) Si vxor ex matrimonio ad legem salicam adhuc est minorennis, eius rei familiaris administrationem pater continuat, aut curator.

§. 874. (§. 884.) Si maiorennis, libera rei familiaris administratio integra ipsi competit.

Source : BIU Cujas

§. 875. (§. 885.) Cuius rei familiaris vſumfructum maritus nunquam poteſt petere.

§. 876. (§. 886.) Bonorum aut acquaeſtus communio, ſecundum ſtatuta aut leges prouinciales inter coniuges obtinens, ex matrimonio ad legem morganaticam nunquam oritur.

§. 877. (§. 887.) Neque pactis inter tales coniuges bonorum communio poteſt introduci.

§. 878. (§. 888.) Vxor, quae de re ſua familiari marito aliquid in vſum, cuſtodiam aut adminiſtrationem conceſſit, iisdem iuribus gaudet in eum, quibus in extraneum.

§. 879. (§. 889.) Si maritus de vxoris re familiari ſibi aliquid proprio uſu appropriauit, id quoque durante matrimonio repetere illi licet.

§. 880. (§. 890.) Si de mariti bonis concurſus formatur, propter res, quas maritus ſibi proprio uſu ex re vxoris familiari arrogauit, vxori eadem iura competunt, quae matrimonii veri vxori ob bona reſeruata.

§. 881. (§. 891.) Si maritus, vxoris rei familiaris, quam proprio uſu ſibi arrogauit, aliquid conſumſit, alienauit, aut alio modo diſtraxit, vel rem laeſit, aut alias deteriorauit; intuitu pretii quoque ea praeſtare debet omnia, ad quae malae fidei poſſeſſor eſt obligatus. (Part. I. Tit. VII. §. 222. ſeq.)

§. 882. (§. 892.) At vero, ſi res vxoris mobiles in mariti oeconomia vtendo ſunt conſumtae aut detritae, maritus reſpectu reſtitutionis commodatarius habetur. (Part. I. Tit. XXI. §. 248. ſeq.)

§. 883. (§. 893.) Matrimonio durante maritus vxori ad legem morganaticam dona non poteſt facere, dum exiſtunt liberi aut nepotes, ex matrimonio plene valido procreati. Donorum.

§. 884. (§. 894.) Neque valorem nanciſcuntur dona antea facta, licet liberi iſti aut nepotes poſtea ſint mortui.



Source : BIU Cujas

§. 885. (§. 895.) At vero si maritus nullos lineae descendentis consanguineos relinquit; dona vxori ad legem morganaticam facta aeque valent, atque inter extraneos.

§. 886. (§. 896.) Quidquid vxor a marito gemmis, pretiosis, et in genere ornatus et magnificentiae causa accipit, in casu dubio commodatum tantum habetur.

§. 887. (§. 897.) Eiusmodi res maritus quouis tempore potest repetere ab vxore, vel etiam a tertio, qui eas ab vxore accepit absque mariti consensu.

§. 888. (§. 898.) Dona quoque valida, at eatenus tantum, quatenus adhuc extant, ad maritum redeunt, si vxor ante maritum moritur, descendentibus ex matrimonio cum marito inito non relictis.

§. 889. (§. 899.) At contra, quae maritus vxori ex matrimonio ad legem morganaticam vestimentis, linteis, aut rebus aliis, ad victum ordini et dignitati conuenientem dedit, semper et sine vllo casuum discrimine manent in vxoris dominio irreuocabili, licet matrimonii dissoluti tempore adhuc extent.

§. 890. (§. 900.) Quidquid in antecedentibus §. 883-885. (§. 893 895.) de donis mariti est praescriptum, valet quoque de donis ab vxore marito factis, prout existunt vel non existunt descendentes vxoris alii, quam cum eo procreati.

Fideiussionem.

§. 891. (§. 901.) Si vxor matrimonii ad legem morganaticam pro marito vult fideiubere, praecepta §. 344. 345. sunt obseruanda.

§. 892. (§. 902.) In fideiussionibus pro extraneis talis vxor tantum consideratur tanquam femina alia innupta.

Dissolutio matrimonii ad legem morganaticam.

§. 893. (§. 903.) Matrimonio ad legem morganaticam morte dissoluto, intuitu sepulturae et luctus obtinent omnia, quae de vero matrimonio sunt praecepta.

Source: BIU Cujas

§. 894. (§. 904.) At vxor tamen matrimonii ad legem morganaticam ſuo ordini et dignitati tantum conuenienter effertur; et marito mortuo veſtimentis lugubribus iis tantum vititur, quibus vti ordinis ſui homines ſolent.

§. 895. (§. 905.) In hereditatem vxoris maritus ſuperſtes ius ſibi hereditarium arrogare nequit.

§. 896. (§. 906.) Vxor vero de hereditate ſua in mariti fauorem pactis ſucceſſoriis aut teſtamento aeque poteſt diſponere, ac in fauorem extranei.

§. 897. (§. 907.) Si liberi exiſtunt, ex matrimonio ad legem morganaticam procreati, his cedit ſatisfactio matri in contractu nuptiali adſcripta.

§. 898. (§. 908.) At contra, alii vxoris heredes eam ſatisfactionem petere nequeunt.

§. 899. (§. 909.) Marito mortuo, vxor ſuperſtes ſatisfactionem, in contractu nuptiali adſcriptam, ex hereditate accipit, tanquam debitum.

§. 900. (§. 910.) Si tamen maritus liberos aut nepotes ex matrimonio vero ſuſceptos relinquit, at non eam rem familiarem, vt iis omnibus ſimul ſumtis ſaltem dimidium ſummae, quam ſatisfactio conſtituit, tanquam hereditatis portio ſuperſit; quae huic dimidio deſunt, ex ſatisfactione ſunt ſupplenda.

§. 901. (§. 911.) Idem obtinet, ſi ſatisfactio in alimentis conſiſtit, et hereditatis, quae deſcendentibus ſupereſt, reditus ſunt infra alimentorum dimidium.

§. 902. (§. 912.) At vxori ex matrimonio ad legem morganaticam ſeruantur quoque alimenta, licet ad vota alia tranſeat.

§. 903. (§. 913.) Praeter ſatisfactionem vxor matrimonii ad legem morganaticam in hereditatem mariti ius hereditarium legale nullum habet.

§. 904. (§. 914.) Pacto ſucceſſorio aut teſtamento maritus in fauorem vxoris matrimonii ad legem ſalicam poteſt diſponere, vti in extranei fauorem, ſi

Source : BIU Cujas

tempore matrimonii initi nullos ex vero matrimonio fuſceperat liberos.

§. 905. (§. 915.) Si vero eo tempore liberi ex vero matrimonio fuſcepti extiterunt, maritus vxori ad legem morganaticam, licet liberi tempore intermedio fuerint mortui, teſtamento conferre non poteſt plus decima parte hereditatis ſuae liberae.

§. 906. (§. 916.) Satisfactio ex contractu nuptiali tanquam debitum deducitur, ſi maſſa determinanda eſt ad eruendam iſtam partem decimam.

§. 907. (§. 917.) Vxor itaque tale legatum, legibus permiſſum, praeter ſatisfactionem adhuc accipit.

§. 908. (§. 918.) Legatum, ſi decimam hereditatis partem ſuperat, vſque ad partem decimam eſt deminuendum.

Mutatio matrimonii ad legem morganaticam in matrimonium verum.

§. 909. (§. 919.) Matrimonium ad legem morganaticam in matrimonium verum mutari poteſt.

§. 910. (§. 920.) Ad quam mutationem liber vtriusque partis conſenſus, et vera dignitatis et ordinis inaequalitate exiſtente, agnatorum proximorum quoque conſenſus requiritur. (§. 30-33.)

§. 911. (§. 921.) Si mariti parentes in matrimonium ad legem morganaticam tantum conſenſerant, eorum conſenſus quoque eſt neceſſarius, ſi in verum matrimonium debeat mutari.

§. 912. (§. 923.) In genere autem in caſibus omnibus expreſſa imperantis venia accedat neceſſe eſt.

§. 913. (§. 924.) Quae venia quaeri nunquam debet, ſi liberi ex matrimonio vero legitimo ſuſcepti, in quorum fauorem matrimonium ad legem ſalicam fuit celebratum, tempore interiecto ſunt mortui, aut alias deceſſerunt; atque vlla eſt, licet remota, tantum ſuſpicio, eorum mortem aut deceſſum, iis neglectis aut male tractatis, aut alio modo, a parentibus eſſe procuratum aut promotum.

§. 914. (§. 925.) Impetrata imperantis venia maritus coram collegio, cui iuſtitiae in prouincia cura

Source : BIU Cujas

eſt commiſſa, aut coram commiſſario delegato in perſona declaret neceſſe eſt, ſe vxorem matrimonii ad legem ſalicam nunc veram coniugem agnoſcere, et ei concedere iura cum hoc ordine coniuncta omnia.

§. 915. (§. 927. Quam declarationem vxor, in regula, praeſens (in perſona) debet acceptare.

§. 916. (§. 928.) Cui et huius declarationis formula perſcripta ſolennis eſt exhibenda.

§. 917. (§. 929.) Neque proclamatio ex ſuggeſtu neque benedictio ſacerdotalis iterata eſt neceſſaria.

§. 918. (§. 930.) At res tamen indicanda eſt parocho competenti, qui factam mutationem in indicem eccleſiaſticum referat.

Diſſolutio matrimonii ad legem ſalicam per iudicis ſententiam.

§. 919. (§. 931.) Matrimonium ad legem ſalicam per iudicis ſententiam diſſolui tantum poteſt iisdem in caſibus, in quibus ſecundum praecepta ſectionis octauae huius tituli aliud matrimonium poteſt diſſolui.

§. 920. (§. 932.) At offenſiones tamen, quae inter coniuges alios matrimonii diſſolutionem ſecundum §. 699-703. non fundant, niſi ſint grauiores, marito, licet ſint leuiores, iam tribuunt ius, agendi ad diſſoluendum matrimonium ad legem ſalicam.

§. 921. (§. 933.) Iudicis quoque eſt, ſi vxor ob illatas iniurias verbales, aut violentiam minorem, ad diſſoluendum matrimonium agit, diuerſi ordinis inter eiusmodi coniuges rationem habere aequam.

Diuortii poenae.

§. 922. (§. 934. Si matrimonio ad legem ſalicam per iudicis ſententiam diſſoluto, vxor pars nocens eſt declarata; vxor priuatur ſatisfactione, in contractu nuptiali ipſi promiſſa.

§. 923. (§. 935.) Dona etiam ſponſalitia, et dona a marito, durante matrimonio, accepta eam oportet reſtituere, quatenus adhuc extant, aut ipſa ex iis re vera adhuc eſt locupletata.

§. 924. (§. 936.) At res tamen §. 889. deſcriptae in hoc quoque caſu non reſtituuntur.

Source : BIU Cujas

§. 925. (§. 937.) Vxor, quae cauſa quidem diuortii fuit, at non tamen malis ſuis moribus, dona retinet, et maritus ei tenetur ad praeſtandam ſatisfactionem, in contractu nuptiali ipſi promiſſam.

§. 926. (§. 938.) Si maritus eſt pars nocens, ſatisfactio vxori competens determinatur iudicis arbitrio.

§. 927. (§. 939.) Quae ſatisfactio pro re nata augeri poteſt vſque ad duplum ſummae, in contractu nuptiali perſcriptae.

§. 928. (§. 940.) Si maritus diuortii quidem dat cauſam, at non malis moribus; praecepta §. 925. (937.) locum obtinent.

§. 929. (§. 941.) In caſibus omnibus, vbi vxori alimenta loco ſatisfactionis ſunt adiudicata, ea quoque reſeruantur ad alia vota progreſſae.

§. 930. (§. 942.) Vxor quoque in alimentorum ſecuritatem poteſt exigere intabulationem in mariti fundis.

§. 931. (§. 943.) Qua ſingulari ſecuritate non conſtituta, eiusmodi alimenta iure praelationis fruuntur actionum in iudiciali aſſecuratione fundatarum.

§. 932. (§. 944.) De iuribus et obligationibus liberorum, ex matrimonio ad legem ſalicam procreatorum, in ſectione octaua tituli ſubſequentis agetur.

## Sectio Decima.

### *De matrimonii contra leges initi effectibus legalibus.*

Definitiones.

§. 945. Matrimonia, quae ob legem prohibitiuam latam nunquam poſſunt ſubſiſtere, vocantur nulla.

§. 946. Matrimonia, quibus quidem ab initio obſtant impedimenta legalia, quae tamen poſtea,

Source : BIU Cujas

fublatis iftis impedimentis, vim obligandi poffunt nanciſci, vocantur inualida.

§. 947. Nulla ſunt matrimonia, quae in gradibus lege prohibitis ſunt celebrata. (§. 3-5.) I. De matrimoniis nullis.

§. 948. Ea quoque, ſi altera pars aut vtraque contracti matrimonii tempore alius matrimonii vinculo adhuc fuit ligata. (§. 16.)

§. 949. Idem valet de matrimoniis, inter perſonam diuortio ſeparatam et eam, quae diuortii cauſam praebuit, contra leges contractis. (§. 25-29.)

§. 950. Nulla quoque ſunt matrimonia, a militibus celebrata, absque conſenſu, intuitu ipſorum ſecundum leges ſpeciatim requiſito. (§. 34. 35.)

§. 951. Idem obtinet in iis caſibus, in quibus coetus religioſi diuerſitas legale matrimonii eſt impedimentum. (§. 36.)

§. 952. Matrimonia, legibus ob ordinis inaequalitatem prohibita, absque neceſſaria diſpenſatione nihilo minus contracta, quoque habentur nulla. (§. 30-33.)

§. 953. Atque etiam, *licet in caſibus §. 948-952.* matrimonii impedimentum *poſtea tolli poſſit*, matrimonium tamen in regula eſt nullum.

§. 954. In caſu tantum §. 948., ſi matrimonium prius re vera adhuc ſubſiſtens, ex errore ſine culpa admiſſo habitum eſt diſſolutum, matrimonium poſterius nullo modo eſt nullum, ſed tantum inualidum.

§. 955. Quod ſi igitur matrimonii poſterioris impedimentum, initi matrimonii tempore obſtans, remotum eſt, matrimonii prioris diſſolutione poſtea facta; matrimonium poſterius ab initio validum eſt habendum.

§. 956. Pro errore absque culpa admiſſo eſt habendum, ſi coniugis prioris mors, re vera nondum ſubſecuta, legitime fuit demonſtrata; aut ſi matrimonium prius diſſolutum fuit declaratum iudicis ſententia, cui tamen defuit requiſitum validitatis eſſentiale.

Source : BIU Cujas

§. 957. At vero, si pars ante matrimonii prioris dissolutionem ad alia vota progressa, erroris admissi data opera, aut culpa sua lata vel leui, causa ipsa fuit; matrimonium inde ab initio manet nullum.

§. 958. Si vero, excepto casu §. 948. matrimonium, quod nullum est, impedimento remoto validum debeat fieri; iterum solenniter est celebrandum forma in legibus praescripta.

§. 959. A temporis momento celebrationis iteratae validitas eiusmodi matrimonii demum incipit.

§. 960. Matrimonium, in casu §. 8., absque dispensatione necessaria contractum, non est nullum, sed tantum inualidum; atque adeo, dispensatione postea adhuc impetrata, ab initio subsistit.

§. 961. At ob violatam tamen legem matrimonialem, in hoc quoque casu, locum habent poenae infra definitae.

§. 962. Iudici ius non est tolerandi continuationem matrimoniorum, quae sunt nulla.

§. 963. Quin potius eius est, simulac in eius notitiam venerunt, coniunctos ex officio separare, et fisci officialem instruere, qui prouocet, vt solenniter declarentur nulla.

§. 964. Hinc ex tali matrimonio, quod nullum est, inter coniunctos ipsos nunquam iura et officia oriuntur, quae oriuntur ex matrimonio vero.

§. 965. Maritum, qui vxoris rem familiarem administrandam accepit, oportet omnia praestare et euincere, ad quae administrator bonorum alienorum est obligatus. (Part. I. Tit. XIII. Sect. III.)

§. 966. At in regula tamen rationem non reddit fructuum et emolumentorum, durante matrimonio perceptorum.

§. 967. Quin potius isti fructus et emolumenta compensantur cum iis, quae in vxoris victum impendit.

§. 968. At vero, si maritus sciuit matrimonii impedimentum vxori incognitum; maritus habetur

Source : BIU Cujas

tur malae fidei poſſeſſor rei familiaris vxoriae, cuius adminiſtrationem ſuſcepit.

§. 969. Hinc etiam intuitu fructuum et emolumentorum huius rei familiaris praeſtare debet omnia, ad quae malae fidei poſſeſſor obligatur; et de iis deducere tantum poteſt ea, quae in vxoris alimenta ſunt impenſa, aut alio modo in eius vtilitatem verſa.

§. 970. In caſibus omnibus, vbi vxori matrimonii impedimentum fuit incognitum, vxor in ſecuritatem rei familiaris marito traditae iure praelationis quintae claſſis gaudet, inde ab eo die, quo maritus adminiſtrationem ſuſcepit.

§. 971. Si matrimonii impedimentum vxori fuit cognitum, marito vero incognitum; hic in adminiſtratione latam tantum culpam praeſtat.

§. 972. Ex eo, quod matrimonium declaratum eſt nullum, oriri praeiudicium nunquam poteſt tertio, cui matrimonii impedimentum obſtans fuit incognitum.

§. 973. *Qui itaque cum coniugum putatiuorum vno aut altero bona fide negotia egit, inde eadem iura acquirit, ac ſi inter illos matrimonium validum ſubſtitiſſet.*

§. 974. At in caſu tamen, §. 948. iura coniugis prioris et veri laedi non poſſunt iis, quae tertius cum coniuge putatiuo ſecundo agit.

§. 975. Si altera pars alteram reticendo aut occultando impedimentum matrimonio obſtans, aut alio modo oſtentationibus falſis doloſis induxit ad contrahendum matrimonium, quod nullum eſt; nocens indemnem praeſtare debet innocentem.

§. 976. In qua indemnitate determinanda normam conſtituunt diuortii poenae, quas, ſi validum matrimonium diuortio diſſoluitur, partem nocentem dare oportet innocenti.

§. 977. In regula tamen in ſententia ſummus diuortii poenarum modus eſt decernendus.



Source : BIU Cujas

§. 978. Si matrimonii nullitas ex ordinis inaequalitate exoritur; vxori innocenti eſt electio, vtrum et quamdiu diſpenſationem a nocente quaerendam velit expectare, an ſtatim ad diuortii poenas agere.

§. 979. Si ea pars, quae matrimonii celebrati, quod nullum eſt, fuit innocens, eo durante, facta commiſit, quae matrimonii legitimi diſſolutio et diuortii poenae ſequerentur; iure ſuo ad indemnitatem agendi excidit.

II. De matrimoniis inualidis.

§. 980. Inualida ſunt matrimonia, quae tutor (curator) ipſe aut eius liberi cum pupillis contraxerunt, absque iudicii de rebus tutelaribus venia. (§. 14.)

§. 981. Ea quoque, quae cum perſona adoptata, adoptione nondum ſoluta, contracta ſunt. (§. 13.)

§. 982. Idem valet de matrimoniis cum perſona, ad nubilem aetatem nondum progreſſa. (§. 37.)

§. 983. Matrimonia quoque, quibus liber alterius partis conſenſus deeſt, ſunt inualida. (§. 38-44.)

§. 984. Idem de matrimoniis iuris eſt, quibus conſenſus deeſt eorum, quorum conſenſum leges ad matrimonii validitatem exigunt. (§. 45. 49. 50. 52.)

§. 985. Matrimonia inualida reſcindi tantum poſſunt, tanquam nulla, petente ea parte, cui leges ius tribuunt, matrimonii impedimentum denuntiandi.

§. 986. Si matrimonium inualidum deinde declaratum eſt nullum; attendendum eſt ad omnia, quae de matrimoniis abſolute nullis in antecedentibus §. 964-977. 979. ſunt praeſcripta.

§. 987. At ſi matrimonii impedimentum deinde remouetur, ſtatuendum eſt, matrimonium ab initio fuiſſe validum.

§. 988. Si ille, cui ius matrimonii impedimentum denuntiandi competit, intra terminum legibus definitum illud non denuntiauit, impedimentum habetur ſublatum. (§. 41-44.)

Source : BIU Cujas

§. 989. Si curator ſibi ipſi aut filio ſuo pupillam matrimonio contra leges iunxit; ſtatim eſt cura priuandus, et pupillae curator alius conſtituendus. Speciatim de matrimoniis inter curatores et pupillos.

§. 990. Qui ſub iudicii de rebus tutelaribus cura accurate debet explorare; an pupilla matrimonium velit continuare, atque an illi matrimonii continuatio conueniat.

§. 991. Si in explorando apparet, pupillae animum a matrimonio continuando plane eſſe auerſum, aut alias graue damnum ei eſſe metuendum; a iudice petendum eſt, vt iſtud matrimonium ſolenniter declaretur nullum.

§. 992. At licet matrimonii continuatio a iudicio de rebus tutelaribus concedatur; res tamen familiaris vxoris, vſque ad maiorennitatem, manet ſub adminiſtratione curatoris nouiter conſtituti.

§. 993. Maritus eo vſque reditus huius rei familiaris eatenus tantum poteſt petere, quatenus ad vxoris victum, ordini conuenientem, ſunt neceſſarii, ſecundum iudicii de rebus tutelaribus arbitrium.

§. 994. Commoda, quae vxor maiorennitatem nondum adepta in pactis initis aut teſtamento condito tali marito contulit, inualida ſunt omnia.

§. 995. Ab vxoris maiorennitatem aſſecutae libera voluntate dependet, quid rei familiaris ſuae marito inferre, aut ſibi reſeruare velit.

§. 996. Si durante minorennitate pupillae, contra leges eo modo nuptae, matrimonium tanquam inualidum non eſt denuntiatum; ei ipſi adhuc hoc ius reſeruatur per ſex menſes a die, quo annum viceſimum quartum eſt egreſſa.

§. 997. Si quis adoptiuam contra leges ſibi matrimonio iunxit, adhuc minorennem; adoptiuae curator eſt conſtituendus, et deinde eodem modo procedendum, ac in matrimonio curatoris cum pupilla contra leges inito. Inter adoptantes et adoptiuos.



Source : BIU Cujas

§. 998. Perſona adoptata, quae iam fuit maiorennis, matrimonium intra ſex tantum menſes poſt conſummationem impugnare poteſt tanquam inualidum.

§. 999. In caſibus omnibus, vbi tale matrimonium declaratur nullum, maritus priuatur iuribus omnibus, ex adoptione intuitu perſonae et rei familiaris adoptiuae exortis.

§. 1000. At contra, adoptiuae reſeruantur iura, in rem familiarem adoptantis, et inter viuos et mortis cauſa competentia.

§. 1001. Si eiusmodi matrimonium poſtea fit validum; iura et obligationes omnes, ex adoptione reciproce exortae habentur pro extinctis.

cum perſonis nondum nubilibus,

§. 1002. Si matrimonii impedimentum conſtitit in aetatis legitimae defectu; matrimonium fit validum, ſi defectus non denuntiatus eſt intra ſex menſes poſt aetatem legitimam adimpletam.

§. 1003. At vero, ſi perſona, neque ſub patria poteſtate, neque ſub cura conſtituta, eo modo contra leges in matrimonium ducatur; iudicem, ſimulac res ei in notitiam venit, curatorem ex officio ei oportet conſtituere.

§. 1004. Qui curator deinde ſecundum praecepta §. 990-995. neceſſaria curat.

in quibus conſenſus liberi, aut

§. 1005. De impedimento, ex defectu conſenſus liberi alterius perſonarum, quae matrimonium iunxerunt, oriundo praecepta §. 41-44. obtinent.

parentum conſenſus deficit.

§. 1006. Matrimonii inualiditas, cui ex vna parte aut altera patris germani conſenſus deficit, ab hoc in iudicio impugnari debet intra ſex menſes inde a cognito matrimonio conſummato.

§. 1007. Quod ſi non fuerit factum, matrimonium quidem ipſum vim omnem et efficaciam habet;

§. 1008. At patri tamen deinde ius competit, liberos inobedientes vſque ad legitimae dimidiam exheredandi.

Source : BIU Cujas

§. 1009. Si filius, ſub patria poteſtate non amplius conſtitutus, aut filia, annum viceſimum quartum egreſſa, absque patris conſenſu matrimonium iniit; iſte defectus matrimonii inualiditatem non producit.

§. 1010. Patri vero, in hoc quoque caſu, ius reſeruatur exheredandi vſque ad legitimae dimidiam.

§. 1011. Si minorennes patre orbati ſine matris, auorum, aut curatorum conſenſu matrimonium contrahunt; idem iuris eſt, quod de matrimonio inter curatorem et pupillam absque venia iudicii de rebus tutelaribus celebrato §. 990. vſque ad 996. eſt praeceptum.

§. 1012. Mater liberos minorennes aut maiorennes, qui patre mortuo absque matris conſenſu matrimonium celebrant, aeque ac pater poteſt exheredare vſque ad legitimae dimidiam.

III. De violatione aliarum legum nuptialium.

§. 1013. Si quis, antequam a matrimonii prioris liberis eſt ſeparatus (§. 18.), ad aliud progreditur matrimonium: inde quidem nulla matrimonii noui inualiditas exoritur;

§. 1014. At pater adminiſtratione peculii liberorum priuatur, et ex eius vſufructu non niſi tantum poteſt petere, quantum ad alendos liberos, quatenus eos adhuc alere debet, ex arbitrio iudicii de rebus tutelaribus requiritur.

§. 1015. Si liberi adhuc ſunt minorennes; iudicium de rebus tutelaribus eorum ſeparationem a parentibus, ad alia vota progreſſis, vrgere ex officio oportet.

§. 1016. Vſque donec liberis peculii ſubſtantia rite eſt probata et tradita, aut aſſecurata; coniux nouus in bonis alterius nulla iura poteſt aſſequi in praeiudicium peculii liberorum matrimonii prioris.

§. 1017. Quin potius propria vitrici aut nouercae res familiaris ſecuritatem praeſtat liberis, quate-



Source : BIU Cujas

nus iis ex parentum germanorum re familiari satisfieri nequit.

§. 1018. Si personae viduae aut diuortio separatae citius, quam legibus est permissum, matrimonium ineunt (§. 19. seqq.); exinde quidem nulla exoritur matrimonii inualiditas.

§. 1019. At vero, si vidua aut diuortio separata iusto citius nubens fuit grauida; embryoni reseruantur iura sua, et intuitu separationis, et rerum aliarum, secundum praecepta tituli sequentis.

IV. Poenae leges matrimoniales violantium.

§. 1020. Si in matrimonio contrahendo legum matrimonialium antecedentium vlla scienter fuerit violata, ista violatio in partem nocentem publicae satisfactionis causa est vindicanda.

§. 1021. Quatenus violatio legis matrimonialis simul delictum continet, in quod iam in et per se legibus poena certa est constituta, ea infligitur.

§. 1022. At praeterea legem matrimonialem consulto violans, pro rebus circumstantibus, pro moralitatis gradu, et damno ex violatione re vera orto, aut saltem metuendo, afficiendus est multa pecuniaria thalerorum decem vsque ad trecentos fisco soluenda, aut aequa (proportionata) carceris poena.

§. 1023. Si in casibus §. 983. 984. matrimonium non impugnatum est tanquam inualidum a parte innocente, aut a patre; iudici ius non est, ex officio inquirendi et poenam decernendi.

§. 1024. In genere poena cessat, simulac extinctum est ius, matrimonii inualiditatem denuntiandi.

§. 1025. Poenae, quibus afficiuntur sacerdotes, qui violando aut negligendo legem matrimonialem benedictione perficiunt matrimonium inualidum, infra determinantur. (Tit. XI. Sect. VI.)

§. 1026. Quos effectus legales dissolutio matrimonii, quod nullum fuit aut inualidum, intuitu liberorum ex eo susceptorum producat, in titulo secundo est definitum.

Source : BIU Cujas

## Sectio Vndecima.

### *De ſtupri ſ. coitus illegitimi effectibus legalibus.*

§. 1027. Vitiata omnis a ſtupratore indemnis eſt praeſtanda, et partus editus ab eodem alendus. *I. Prima indemnitatis (ſatisfactionis) ſpecies, ſumtus puerperii.*

§. 1028. In regula ſtuprata omnis a ſtupratore petere poteſt ſumtus puerperii et baptismatis, et ſuſtentationis ordini conuenientis per hebdomadas ſex a puerpera ſeruandas.

§. 1029. Obligatur quoque ſtuprator ad ſoluendos ſumtus alios durante grauiditate, aut poſt puerperium, erogandos ineuitabiles.

§. 1030. Si vitiata in hebdomadibus a puerpera ſeruandis moritur, ſtuprator impenſas fert funebres, quatenus ex vitiatae hereditate ſolui non poſſunt.

§. 1031. Ad ſumtus et alimenta §. 1028. deſcripta iam ante puerperium ſoluenda vitiata poteſt agere.

§. 1032. Grauiditate cognita, et coitu non omnino negato, aut quodam modo demonſtrato, iudicem harum impenſarum ſummam decreto praeuio determinare oportet.

§. 1033. Reo tamen licet, ſummam a iudice definitam in iudicio deponere, vſque ad puerperium.

§. 1034. Partu intra terminum legalem (§. 1089.) non edito, ſummam depoſitam poteſt repetere.

§. 1035. Atque ſummae depoſitae repetitio eatenus quoque locum habet, quatenus matre aut partu defuncto alimenta aut ſumtus baptismatis non fuerunt neceſſarii.

§. 1036. Exceptio, ſtupratam cum aliis quoque rem habuiſſe, reum ab hac prima indemnitatis praeſtandae ſpecie non liberat.



Source : BIU Cujas

Quae eam indemnitatem petere nequeat.

§. 1037. Feminae in publicis lupanaribus corpus publicantes ne hanc quidem indemnitatem minorem possunt petere.

§. 1038. Idem obtinet de feminis vulgaribus, pro parata masculorum pecunia quaestum meretricium facientibus.

§. 1039. Et de vxoribus cum maritis in coniugio viuentibus, licet durante matrimonio cum aliis rem habuerint.

§. 1040. Feminae, quae mares ad coitum exercendum induxere, hanc minorem indemnitatis speciem tunc demum possunt exigere, si sumtus puerperii, baptismatis, et eos, qui ad hebdomadas a puerpera seruandas sunt necessarii, in totum aut pro parte ex sua re familiari nequeunt praestare.

Quam hac indemnitate acquiescere oporteat.

§. 1041. Qua prima indemnitatis specie acquiescere oportet eas, quae iam antea extra matrimonium sunt vitiatae.

§. 1042. Et vxores in matrimonio quidem, at a marito separatim viuentes.

§. 1043. Et eas quoque, quae in lupanari quondam sunt commoratae, aut ob vitam impudicam male audiunt.

II. Secunda indemnitatis species.

§. 1044. At virginem honeste viuentem extra matrimonium vitians illi tenetur, ad plenam indemnitatem, quantum fieri potest, praestandam.

§. 1045. Viduae iisdem in casibus virginibus aequiparantur.

§. 1046. Vxores quoque per iudicis sententiam separatae iisdem gaudent iuribus, si non fuerunt separatae ob adulterium admissum.

1) Matrimonio promisso, et impedimentis nullis matrimonio obstantibus.

§. 1047. Corruptor, qui vitiatam sub promissione matrimonii ineundi grauidam reddidit, si nulla matrimonio obstant impedimenta, a iudice et adhibito, si opus videatur, clerico serio est prouocandus et admonendus, vt matrimonium cum vitiata consummet.

Source : BIU Cujas

§. 1048. Qui ſi praefracte matrimonium conſummare renuit, vis quidem ad matrimonium per benedictionem ſacerdotalem conſummandum locum non habeat;

§. 1049. At contra, in ſententia ferenda vitiatae attribuantur ſtupratoris nomen, ordo et dignitas, vti in genere omnia iura vxoris per iudicis ſententiam ſeparatae et pro parte innocente declaratae.

§. 1050. Quibus iuribus in vita ciuili et in omnibus eius actibus re vera gaudeat.

§. 1051. In ſatisfactionem quoque adiudicentur illi legales diuortii poenae, ex ſtupratoris re familiari aut reditibus.

§. 1052. Quae poenae vtrum ſecundum §. 785. in quartam, an ſecundum §. 786. in ſextam tantum partem ſint determinandae, iudicis reſeruatur arbitrio, pro caſus cuiusque rebus circumſtantibus, et pro doli maioris aut minoris a ſtupratore adhibiti, et rei familiaris magnitudinis, et vitiatae ordinis ratione.

§. 1053. Si ſtupratoris cum vitiata matrimonio praeter ordinis inaequalitatem (§. 1066.) impedimenta legalia obſtant; iudex in actione concipienda ſtatim percontetur, an iſta impedimenta poſſint tolli. 2) Impedimentis obſtantibus.

§. 1054. Si impedimenta eius ſunt generis, vt ſecundum legum praecepta poſſint remoueri; ſtupratori determinandus eſt proportionatus temporis terminus, intra quem impedimenta tollat, et iis ſublatis matrimonium conſummet.

§. 1055. Quod ſi non poteſt efficere, aut non vult, ad matrimonium conſummandum agi quidem nequit;

§. 1056. Stuprator vero ſtupratae diuortii poenas, ſecundum determinationem §. 1052. in ſatisfactionem debet ſoluere.



Source : BIU Cujas

§. 1057. Vitiatae quoque in ſententia adiudicatur ius, gerendi ſtupratoris nomen, donec re vera nubat viro.

§. 1058. Vi eiusdem ſententiae in ſocietate ciuili omnibus gaudet iuribus vxoris legitimae, at per iudicis ſententiam ſeparatae.

§. 1059. In quibus iuribus fruendis grauiter tueatur a iudice contra quemlibet, vitium admiſſum vllo modo ipſi opprobrantem.

§. 1060. Si in actione informanda iam apparet, impedimentum non poſſe tolli, aut illud tollendi non eſſe animum (§. 1054.); terminum ad conſummandum matrimonium praefigere non quidem eſt neceſſe;

§. 1061. At contra in hoc quoque caſu locum inueniunt praecepta §. 1056-1059. omnia.

§. 1062. Vitiatae in ſententia non adiudicetur ius nomen ſtupratoris gerendi, ſi impedimentum in cognationis gradu nimis propinquo conſiſtit.

§. 1063. Neque tum, ſi ſtuprator iam eſt maritatus.

§. 1064. In genere ſtuprata, nobili genere non ipſa nata, ſtupratoris nomine et inſigni nobili in caſu nullo (§. 1049. 1057.) poteſt vti.

§. 1065. In caſibus omnibus, vbi vitiatae ius nomen ſtupratoris gerendi adiudicari nequit, vitiata a ſtupratore ideo, praeter ſatisfactionem ipſam, indemnis adhuc praeſtetur neceſſe eſt.

3) de inaequalitate ordinis impedimento matrimonii.

§. 1066. Si impedimentum matrimonio obſtans in ſola ordinis inaequalitate conſiſtit (§. 30-33.), ſtupratorem oportet intra terminum ei praefigendum declarare: an imperantis veniam ad matrimonium ad legem ſalicam cum ſtuprata ineundum petere poſſit et velit.

§. 1067. Qua venia petita et impetrata, ſecundum ſectionis nonae praecepta poſtea eſt agendum.

§. 1068. Quam veniam ſi petere non poteſt, aut non vult, aut ſi ea ipſi denegatur; praecepta §. 1056. 1058. 1059 et 1065. locum inueniunt.

Source : BIU Cujas

§. 1069. Quae eadem praecepta ſunt obſeruanda, ſi vitiata inde ab initio declarat, ſe ſtupratori ad legem ſalicam nolle nubere; aut ſi in actione concipienda ſtatim liquide apparet, ſtupratorem iſtam veniam petere non poſſe, aut ipſi eſſe deliberatum, eam nolle petere.

§. 1070. In vtroque tamen caſu (§. 1068. 1069.) dictitanda tantum eſt diuortii poena ſecundum §. 786.

§. 1071. Quae praecepta omnia (§. 1053 - 1070.) in eo tantum caſu valent, ſi ſtuprata impedimentum matrimonio obſtans ignorauit. 4) Si ſtuprata ſciuit impedimentum matrimonio obſtans.

§. 1072. Quod vero ſi haud ignorauit, aut ſi in ſpecie ſciuit, ſtupratorem eſſe ſub patria poteſtate, aut ſub cura, aut aliis perſonis ſubiectum, ſine quarum conſenſu matrimonium validum celebrare nequit, ſatisfactione ſola acquieſcere eam oportet.

§. 1073. Idem iuris eſt, ſi ſtuprum non eſt factum ſub promiſſione matrimonii ineundi, et ſtupratam matrimonio ſibi iungere recuſat ſtuprator. 5) Si matrimonium non promiſſum.

§. 1074. Atque ſi partus ex coitu viuus editus nullus. 5) Si partus viuus editus nullus.

§. 1075. Si partus, dum mater eſt eum enixa, aut intra quatuor viginti horas eſt mortuus, ſtuprata quoque ſatisfactionem tantum poteſt petere.

§. 1076. Quid iuris ſit, ſi ſtuprata ipſa ſtuprato-rem ad coitum ſollicitauit, §. 1040. eſt praeſcriptum. 7) Si vitiata ſtupri fuerit cauſa.

§. 1077. Dotatio omnibus in caſibus, in quibus adiudicatur, pro ſtupratae ordine et ſtupratoris re familiari eſt determinanda. Determinationes dotationis propiores.

§. 1078. In qua determinanda in primis attendendum eſt, vt ſtuprata ſpem habeat, ordini ſuo conuenienter nubendi.

§. 1079. Si ex ea tantum cauſa dotatio locum inuenit, quod ſtuprator ſtupratam in matrimonium ducere pertinaciter recuſat, dotatio determinanda eſt maior ea, quae definitur impedimentis legalibus obſtantibus. (§. 1071.)

Source : BIU Cujas

§. 1080. Dotatione minori ſtupratam acquieſcere oportet, ſi ex coitu quidem grauida eſt facta, at partus viuus non eſt editus. (§. 1076.)

§. 1081. Dotatio vel maxima ne excedat ſummum diuortii poenarum modum.

§. 1082. Vtrum dotatio adiudicata ſtupratae ſtatim ſit exhibenda, an iudicialiter tantum aſſecuranda, et vſque donec viro nubat, eius vſurae pendendae ſint, pro rebus circumſtantibus iudicis arbitrio reſeruatur.

§. 1083. Si ſtuprata a ſtupratore, deficientibus ſortibus (*Capitals-Vermögen*), ſecundum §. 1078. ſufficienter edotari nequit; ſtuprator illi tenetur ad praeſtandam ex ſuis reditibus aut quaeſtu in victum, ordini vitiatae conuenientem, collationem annuam proportionatam.

§. 1084. Quam collationem in quotis determinatis, et quidem ſub termini cuiusque initium, praenumerando ſoluere eum oportet.

§. 1085. Quae collatio quoque ex certiſſimis et paratiſſimis ſtupratoris reditibus aut quaeſtibus vitiatae aſſignetur neceſſe eſt.

§. 1086. Quam collationem vitiata non amittit, licet actu viro nubat.

§. 1087. Si corruptor ad meliorem peruenit fortunam; vitiata exigere poteſt collationis augmentum, aut eius loco ſortem in dotationem plenam ſoluendam.

§. 1088. Corruptoris parentes tum tantum ad edotandam vitiatam conferre obligantur, ſi huic ius competit, nomen corruptoris gerendi, et parentes ius illud concedere nolunt.

IV. Caſus, in quibus indemnitas ceſſat.

§. 1089. Indemnitates legales in antecedentibus determinatas omnes vitiata tum tantum poteſt petere, ſi partum fuerit enixa intra diem ducenteſimum decimum, et ducenteſimum et octogeſimum quintum poſt coitum.

Source : BIU Cujas

§. 1090. At nondum tamen, ſi partum fuerit ante hoc tempus enixa, iure priuatur indemnitatis §. 1028. 1029. definitae, et edotationis petendae, ſi aetas partus ſecundum rei peritorum ſententiam in coitus tempus incidit.

§. 1091. Stuprata, quae poſt coitum eiusmodi actiones commiſit, quae ſecundum leges diuortium matrimonii, vel validi, poſſunt fundare; iis iure ſuo priuatur agendi, vt ſtuprator eam vxorem ſibi ducat, vel dotet.

§. 1092. Idem obtinet, ſi ante actionem contra ſtupratorem inſtitutam, nubit alteri.

§. 1093. Neque dotationem ſtuprata poteſt petere, ſi ipſa matrimonium celebrare recuſat, ſtupratore ſe ad matrimonium cum ea conſummandum offerente.

§. 1094. At vero dotationem tum iure petit, ſi ſtuprator, poſt ſtuprum commiſſum, moribus ſuis eam auerſationis cauſam praebuit, quae regreſſum a legitimis ſponſalibus redderet iuſtum. (§. 120.)

§. 1095. Actio ex ſtupro omnis extinguitur, ſi non fuit inſtituta intra duos annos a die, quo partus eſt editus.

§. 1096. Si ſtuprator duobus his praeſcriptionis annis currentibus ſtupratae alimenta procurauit; haec praeterlapſis iſtis annis, non amplius quidem ad matrimonium conſummandum, ſed ad dotandum tamen poteſt agere.

§. 1097. Si ſtuprator intra annos duos iſtos ſedem fixam, quam hactenus habuit, dereliquit; tempus, per quod ſtuprata domicilium eius nouum ignorauit, de praeſcriptionis tempore deducitur.

§. 1098. Diem, quo vitiata cognouit locum, quo ſtuprator abſens poſtea eſt commoratus, ea iuramento praeſtito, ſi opus videatur, indicare debet.

Source : BIU Cujas

§. 1099. Licet ſtuprator domicilium ſuum commutauerit, vitiatae tamen competit ius, actionem inſtituendi in foro, cui antea fuit ſubiectus.

§. 1100. Vitiatae heredes a ſtupratore dotationem eatenus tantum poſſunt petere, quatenus ea adiudicata iam fuit defunctae in ſortis ſumma per ſententiam, vires rei iudicatae nactam.

§. 1101. At contra vitiatae contra ſtupratoris heredes ad dotationem agendi ius competit in caſibus omnibus, ſi vel a ſtupratore ipſo matrimonii conſummationem poſſet petere.

§. 1102. Si ſtupratae plures contra ſtupratorem eundem ad conſummandum matrimonium agunt; matrimonii conſummatio tantum in eius fauorem poteſt decerni, cuius ius eſt antiquius ex coitu priori, eiusmodi actionem fundante.

§. 1103. Reliquas propter impedimentum, ea de cauſa earum matrimonio obſtans, dotatione oportet acquieſcere.

V. Praeſumtiones legales; 1) ſi coitus factus negatur.

§. 1104. Si in ſtupri actione inſtituta coitus negatur, iudex deficiente probatione plena ſemper iusiurandum neceſſarium potius, quam delatum iniungat.

§. 1105. Iuramentum igitur delatum in iis tantum caſibus obtinet, vbi nullae praeſumtiones exiſtunt, quae iudicem ad decernendum iuramentum neceſſarium poſſent adigere.

§. 1106. Vtrum actrix ad iuramentum ſuppletorium, an reus ad purgatorium ſit admittendus, praecipue referuatur iudicis arbitrio, ſecundum praecepta de iuramentis neceſſariis in genere praeſcripta.

§. 1107. In qua tamen quaeſtione dirimenda, in caſibus huius generis, in primis rationem habeat praeſumtionum legalium ſequentium, quatenus aliis rationibus ſingularibus non eliduntur.

Source : BIU Cujas

§. 1108. Si demonſtratum fuerit, partes vtrasque antea in conſuetudine familiari fuiſſe verſatas; atque actricis vita fuerit inculpata, ſtupratoris autem ea, vt eiusmodi factum ab eo expectari poſſit; iuramentum ſuppletorium potius quam purgatorium decernatur.

§. 1109. Idem obtinet, ſi reus coitum extra iudicium eſt confeſſus, licet eius tempus non fuerit accurate definitum.

§. 1110. Transactiones priuatae, cum deflorata de ſatisfactione ei praeſtanda actae, tunc tantum eiusmodi confeſſioni extraiudiciali aequiparantur, ſi partis vtriusque vita huc vſque acta eam praeſumtionem firmat.

§. 1111. Si reus de impudica cum actrice conſuetudine ſe iactauit; eo fundari poteſt actricis ad iuramentum ſuppletorium admiſſio.

§. 1112. Exceptio, eiusmodi iactantias (§. 1109-1111.) ioco tantum fuiſſe factas, praeſumtionem legalem non infirmet.

§. 1113. Ad iuramentum purgatorium in primis tunc reus eſt admittendus, ſi eo vſque vita eius fuit inculpata, at actrix vitae non honeſtae et impudicae ſuſpicionem mouit.

§. 1114. Suſpicio vitae non honeſtae et impudicae (§. 1108-1113.) in eas cadit perſonas, quae conuictae ſunt, cum aliis antea illegitimum exercuiſſe coitum.

§. 1115. Et in eas, quae, domos inhoneſtas aut ſcortatus ſuſpectas frequentant, officio ſuo ad eas frequentandas non vocatae.

§. 1116. Atque etiam in eas, quae ſaepius in locis remotis et ſolitariis cum perſonis ſuſpectis ſunt deprehenſae.

§. 1117. Denique in eas, quae ſermonibus, geſtibus aut factis indecoris et laſciuis ſolent more conſueto vti.

Source : BIU Cujas

§. 1118. Si iudex dubitat, an propter praesumtiones legales, contra partem vtramque stantes, iuramentum suppletorium an purgatorium sit iniungendum; semper illud potius, quam hoc est decernendum.

§. 1119. At in eiusmodi tamen casu valde dubio reus condemnari nunquam potest ad indemnitatem aliam, quam §. 1028. determinatam, et ad dotationem minorem.

2) si coitus tempus negatur;

§. 1120. Si coitu ipso cognito, tempori eius ab actrice dicto, reus contradixerit; praesumtiones legales ex partium vita et moribus huc vsque obseruatis desumtae hic quoque locum obtinent.

§. 1121. In primis autem actrix ad iuramentum suppletorium est admittenda, si reus coitum aut consuetudinem suspectam ab initio negauit, postea vero est confessus, aut eius conuictus.

3) si matrimonii negatur promissio;

§. 1122. Si grauiditas quidem est concessa, aut probata, at matrimonii ineundi promissio negata; actrix, deficientibus aliis probandi mediis, in primis tunc ad iusiurandum suppletorium est admittenda, si reus eam sponsam esse suam perhibuit, aut aliis significauit, se eam in matrimonium esse ducturum.

4) si sollicitationes a vitiata factae asseruntur;

§. 1123. Si reus asserit, ab actrice se ad coitum fuisse inductum, aut ad matrimonii ineundi promissionem sollicitatum, in determinanda quaestione: vtrum iuramentum suppletorium, an purgatorium sit iniungendum, locum quoque inueniunt praesumtiones, ex partis vtriusque moribus et vita ante acta deriuatae.

§. 1124. In primis vero praesumtio legalis contra actricem eo fundatur, si ipsa iam est maiorennis, at reus adhuc minorennis.

§. 1125. Si pars vtraque adhuc est minorennis, aut iam maiorennis; praesumtio stat pro masculo, si anno, aut biennio, aut annis pluribus est minor, quam stuprata.

§. 1126.

Source : BIU Cujas

§. 1126. Eadem praeſumtio in rei fauorem locum habet, ſi concubitus in huius domicilio eſt conſummatus, et actrix non poteſt docere cauſam grauem vllam, ob quam eo tempore in eius domicilium venerit.

§. 1127. Stupro violento legis ſenſu commiſſo, corruptorem omnia praeſtare oportet ſtupratae, ad quae foret obligatus in caſu grauiditatis ex ſtupro, ſub promiſſione matrimonii ineundi facto. VI. Stupri violenti effectus.

§. 1128. Si ex ſtupro violento vitiata matrimonium cum corruptore nolit conſummare et continuare; ius ei competit, diuortii poenas ad modum ſummum exigendi.

§. 1129. Si maſculus, de coitu illegitimo conuentus, actione oblata et inſinuata clam aufugit; verus habetur pater, vſque donec liquide probetur contrarium. VII. Effectus, ſi ſtupri reus euaſit?

§. 1130. Hinc res eius familiaris detinetur, vſque donec aut cognitum eſt praeſumtionis contrarium, aut ſtupratae praeſtita ſatisfactio legitima.

§. 1131. Si pater dictus eſt mortuus, non remota praeſumtione contra eum ſtante; matri et partui ex eius hereditate eſt ſatisfaciendum.



Source : BIU Cujas

# TITVLVS SECVNDVS.

## De parentum et liberorum iuribus et officiis mutuis.

### Sectio Prima.

### *De liberis legitimis.*

Liberi legitimi, qui 1) durante matrimonio;

§. 1. Leges fundant praesumtionem, liberos durante matrimonio procreatos, aut editos, esse mariti.

§. 2. Contra quam praesumtionem legalem maritus tunc demum est audiendus, si euidenter et plane potest docere, se cum vxore per temporis interuallum, inde a die trecentesimo secundo, vsque ad diem ducentesimum decimum ante partum editum non concubuisse.

§. 3. Quam exceptionem oppositam si sua ex parte impotentia virili seu generandi fundat; demonstrare eum oportet, se intra totum illud temporis spatium hac impotentia laborasse.

§. 4. Sin absentia nititur; demonstrandum est, se per idem temporis interuallum ab vxore tam continuo fuisse remotum, vt debitum coniugale praestare ei non potuerit.

§. 5. Demonstratio sola, matrem tempore conceptionis adulterium commisisse, nondum sufficit, vt partus priuetur natalium legitimorum iuribus.

Source : BIU Cujas

§. 6. Teſtimonium matris neque aliquid probet pro legitimis partus durante matrimonio concepti aut editi natalibus, neque contra eadem.

§. 7. Maritus natalia legitima partus ab vxore durante matrimonio editi impugnaturus ſe ideo intra annum poſt natiuitatem cognitam, ſub iactura iuris ſui, in iudicio debet declarare.

§. 8. Quae declaratio ſi fit in alio, quam in iudicio loci, quo mater cum partu habitat, competente; mariti eſt curare, vt ea iudicio competenti ſine mora denuntietur.

§. 9. Judicium competens ex officio oportet conſtituere curatorem, qui partus iuribus proſpiciat.

§. 10. Donec cauſae deciſio vires rei iudicatae eſt nacta, maritus alimentorum ſumtus partui ſuppeditat.

§. 11. Si partus per iudicis ſententiam declaratus eſt illegitimus; inter hunc et maritum ceſſant iura et officia omnia, quae locum habent inter liberos et parentes.

§. 12. Marito repoſcere licet ſumtus in partum impenſos a patre illegitimo, aut ex matris bonis reſeruatis, aut ex eiusdem illatorum ſubſtantia.

§. 13. At contra intuitu matris et patris naturalis partui iura ſua ſeruantur integra. (Sect. IX.)

§. 14. Si maritus ſecundum praeceptum §. 7. et 8. rite declarauit, ſe partum non agnoſcere ſuum; agnati illius, licet ante cauſam deciſam moriatur, omnino iure litem proſequendi gaudent.

§. 15. Idem ius agnatis competit intra terminum §. 7. definitum, ſi maritus ante terminum elapſum declaratione non facta eſt mortuus.

§. 16. Si vero maritus viuus partum expreſſe aut tacite ſuum agnouit; agnati eius legitima partus natalia impugnare nunquam poſſunt.

§. 17. At contra feudi et fideicommiſſi ſucceſſores deſignati (expectiuati) adhuc intra tres annos



Source : BIU Cujas

poſt patris dicti mortem, poſſunt impugnare legitima partus natalia, quatenus inde partus ſucceſſio in feudum aut fideicommiſſum dependet.

§. 18. Neque patris agnitione feudi et fideicommiſſi ſucceſſores (expectiuati) iure ſuo poſſunt priuari.

2) mortuo marito;

§. 19. Partus vſque ad diem trecenteſimum ſecundum poſt mariti mortem editus habetur legitimus.

§. 20. Mariti heredes legitima poſtumi natalia impugnare tantum poſſunt intra idem tempus, et ex iis tantum cauſis, intra quod tempus et ex quibus cauſis defuncto ipſi ea impugnandi ius foret. (§. 2. 3. 4. 7.)

§. 21. At vero, ſi ex abortus qualitate apparet, huius conceptionis tempus ſecundum naturae ordinem in tempus, quo vixit maritus, non amplius incidere; et ſi vidua ſimul conuinci poteſt conſuetudinis cum maſculis aliis ſuſpicioſae poſt mortem mariti; partus habendus eſt illegitimus.

§. 22. Si vidua contra legum praecepta (Tit. I. §. 20.) iuſto citius tranſiit ad vota alia, vt dubium eſſe poſſit, vtrum partus, poſt conſummatum matrimonium aliud editus, in hoc matrimonio an in priori ſit conceptus; ſoliti temporis ſpatii, ſcilicet diei ducenteſimi et ſeptuageſimi ante partum editum, eſt habenda ratio.

§. 23. Qui dies ſi in tempus incidit, quo primus adhuc vixit maritus; partus habendus eſt huius legitimus, adeo ad eius familiam pertinens, et hereditatis relictae particeps.

§. 24. At ſecundus quoque maritus, qui matrimonio maturiori, cum matre inito, ſtatum partus reddidit dubium, huic partui praeſtare debet officia germani patris omnia, etſi ei non liceat, iura inde oriunda in eum ſibi arrogare.

§. 25. At eiusmodi tamen partus in ſecundi mariti hereditatem ſuccedendi ius legale nullum habet.

Source : BIU Cujas

§. 26. Poſt mortem mariti heredes a vidua petere poſſunt, vt declaret, an ſe putet grauidam.

§. 27. Si vidua ſe grauidam eſſe aſſerit, aut praeſumit; heredes poſſunt poſtulare, vt ſuis ſumtibus viduae honeſta adiungatur ſocia.

§. 28. Si vidua, quinque menſibus poſt mariti mortem praeterlapſis, adhuc ſe grauidam eſſe aſſerit; heredibus petentibus obſtetricis cognitionem debet admittere.

§. 29. Idem debet fieri, ſimulac vidua grauiditatem denuntiat, non ſtatim ab initio cognitam, neque praeſumtam.

§. 30. Si obſtetrice in caſu vtroque nulla grauiditatis ſigna deprehendente, vidua nihilo minus ſe grauidam eſſe aſſeuerat; vidua vſque ad elapſum terminum legitimum a ſocia eſt obſeruanda, et obſtetricis cognitio ſubinde repetenda.

§. 31. Atque ſi vel cognitum ſit, viduam eſſe re vera grauidam, heredibus licet continuare curam a ſocia vſque ad partum editum, aut elapſum terminum legitimum.

§. 32. Praeterea petere poſſunt, vt ſumtibus ſuis partui adſit matrona honeſta, a iudice conſtituenda.

§. 33. Et matrona haec et ſocia, ſecundum §. 27. conſtituenda, perſonae honeſtae et concordiae amantes ſint neceſſe eſt, quibus cum vidua neque inimicitia eſt, neque odium.

§. 34. Quem in finem eae quoque perſonae ſunt eligendae, quibus pars nulla poteſt opponere exceptiones, quae teſtem reiiciendum reddunt, aut ſuſpectum.

§. 35. Quas iureiurando re vera obſtringere tunc demum eſt neceſſe, ſi de rebus facti, quae grauiditatis aut partus tempore acciderunt, teſtimonium eas oportet deponere.

§. 36. Et obſtetrix, et ſocia, atque etiam viduae domeſtici, pariendi tempore appropinquante curare



Source : BIU Cujas

debent, vt matrona a iudice conſtituta tempeſtiue aduocetur.

§. 37. Exinde, quod vidua, abſente matrona, eſt partum enixa, aliqua quidem exoritur ſuſpicio contra legitima partus natalia;

§. 38. Quae tamen ſuſpicio ſola, niſi accedant circumſtantiae aliae, doli admiſſi probationem fundantes, nondum ſufficit, ad elidendam praeſumtionem legalem, pro partu ſtantem.

§. 39. Vidua vero, quae contra legum praecepta antecedentia grauiditatem aut partum editum data opera occultauit, puniatur in mariti conſanguineorum fauorem quarta parte omnium, quorum ex hereditate mariti eſt heres.

3) matrimonio diſſoluto ſunt editi.

§. 40. Matrimonio per iudicis ſententiam diſſoluto partus poſt editus iuribus partus legitimi gaudet, ſi vſque ad diem trecentesimum ſecundum poſt diuortium, re iudicata factum, eſt editus.

§. 41. Si maritus diuortio ſeparatus partum ſuum agnoſcere renuit; locum habent omnia, quae §. 2-18 ſunt praeſcripta.

§. 42. Marito quoque licet, adhibere cautiones heredibus §. 26. ſeqq. conceſſas.

§. 43. Vxorem, quae iam ante diuortium a marito ſeparata vixit, de grauiditate ſua ſtatim oportet per iudicem certiorem reddere maritum, ſimulac poſt ſeparationem iſtam ſe grauidam animaduertit.

§. 44. Quo facto maritus iure agere poteſt, vt cautiones §. 26. ſeqq. adhibeantur.

§. 45. Cuius denuntiationis omiſſio in ſe ſola nondum quidem ſufficit, vt partus iuribus natalium legitimorum priuetur;

§. 46. Mater vero, quae eam denuntiationem neglexit, ob talem partum nunquam iura aut commoda vlla poteſt conſequi ex re familiari mariti, a quo diuortio eſt ſeparata.

Source : BIU Cujas

§. 47. Si maritus vxorem ſeparatam grauidam eſſe aſſerit, aut praeſumit; vxore contra negante; illi ius competit agendi, vt obſtetrix iureiurando obſtricta de re cognoſcat.

§. 48. Quae ſi vxorem grauidam eſſe declarat, maritus poſtulare poteſt, vt cautiones adhibeantur, §. 27. ſeqq. definitae, ne partus intercipiatur, vel alius ſupponatur.

§. 49. Si vxor nihilo minus partum ſuppreſſit ſ. intercepit, tanquam fraudatrix ſecundum leges criminales eſt punienda.

§. 50. Si matrimonium ob cauſas in tituli primi §. 947. 948. 949. 951. expoſitas declaratur nullum; liberi ex eo procreati intuitu eorum, quibus immediate vitam debent, nihilo minus gaudent omnibus liberorum legitimorum iuribus. De liberis ex matrimoniis nullis aut inualidis.

§. 51. Sed neque in vnius neque in alterius familiam ingrediuntur eorum, quibus vitam debent, atque adeo neque ſucceſſionem aſcendentium poſſunt petere, neque collateralium, neque eorum, qui a parentibus ex alio nexu deſcendunt.

§. 52. At inter ſemet ipſos habent iura legitimorum fratrum et ſororum omnia.

§. 53. Tales quoque liberi in regula nomen matris gerunt.

§. 54. Quatenus parentes vtrique aut alter eorum eiusmodi matrimonium nullum ſcienter contraxerunt, eatenus iura paterna de liberis inde procreatis non acquirunt.

§. 55. At iis tamen, quatenus liberos educandos curant, iura perſonalia competunt omnia, quae leges concedunt iis, qui cura ſua nomen parentum merentur (*Pflegeältern.* Sect. XII.)

§. 56. Liberi procreati ex matrimonio, ob cauſas Tit. I. §. 950. 952. expoſitas nullo, iuribus gaudent liberorum, ex matrimonio ad legem morganaticam.



Source : BIU Cujas

§. 57. Si matrimonia inualida poſtea diſſoluuntur tanquam nulla; de liberis in talibus matrimoniis procreatis valent omnia, quae praecepta ſunt in antecedentibus §. 50 - 55. de liberis ex matrimonio in ſe nullo ſuſceptis.

## Sectio Secunda.

### *De iuribus et officiis parentum et liberorum, ex matrimonio ad manum dextram procreatorum, dum hi ſub patria ſunt poteſtate.*

Iura liberorum legitimorum generalia.

§. 58. Liberi ex matrimonio ad manum dextram ſuſcepti patris nomen gerunt.

§. 59. Iura eius familiae et ordinis nanciſcuntur, quatenus ordinis iura per ſolam natiuitatem propagantur.

§. 60. Eidem iurisdictioni, cui pater, ſunt ſubiecti, cui etiam poſt patris mortem ſubſunt, quam diu forum hoc non mutarunt modo legitimo.

Officia eorum generalia.

§. 61. Liberi parentibus vtrisque pietatem debent et obedientiam.

§. 62. In primis autem ſub patria ſunt poteſtate.

§. 63. Obligati ſunt, vt parentibus infelicibus et egeſtate laborantibus pro viribus et opibus ſuccurrant, et in primis eos curent morbo laborantes.

Iura et officia parentum. 1) intuitu alimentorum,

§. 64. Coniuges vtrosque viribus coniunctis curam habere oportet liberorum victus et educationis, ordini conuenientis.

§. 65. Praecipue tamen patrem ſuppeditare ſumtus ad liberos alendos neceſſarios.

§. 66. Corporis cura et curatio, dum liberi ea indigent, a matre ipſa, aut ſub eius cura, eſt praeſtanda.

§. 67. Mater ſana et valens ad mammas liberis praebendas ipſa eſt obligata.

Source : BIU Cujas

§. 68. Quamdiu vero mammas liberis praebere debeat, a patris determinatione dependet.

§. 69. Quem tamen, ſi matris aut partus valetudini ex eius determinatione damnum inferatur, rei peritorum arbitrio ſubmittere ſe oportet.

§. 70. Liberos, quartum annum nondum egreſſos, pater matris inuitae curae et curationi nequit ſubtrahere;

§. 71. Niſi matri vires deſint aut voluntas, obligationi ſuae ſatisfaciendi.

§. 72. Si inter coniuges de eo lis exoritur; iudicium de rebus tutelaribus cauſam oportet cognoſcere, et litem dirimere, non tamen admiſſo proceſſu formali.

§. 73. In qua tamen cognitione ex parte coniugis vtriusque conſanguineus vnus eodem loco commorans, aut iis deficientibus perſonae familiares et eiusdem ordinis duae ſunt adhibendae.

§. 74. Modum, quo liberi ſunt educandi, pater praecipue determinat. 2) intuitu educationis et inſtitutionis.

§. 75. Quem in primis de eo oportet curare, vt liberi pro ordine et opibus ſufficienter inſtituantur in religionis principiis et ſcientiis vtilibus.

§. 76. Si parentes diuerſis fidei confeſſionibus ſunt addicti, filii, vſque donec annum decimum quartum exceſſerunt, in fidei confeſſione patris ſunt inſtituendi; at filiae in matris.

§. 77. Parentum neuter obligare poteſt alterum, ne pactis quidem, vt ab his praeceptis legalibus decedat.

§. 78. Dum tamen parentes de eo conſentiunt, qua fidei confeſſione liberi inſtituantur, tertio nulli ius competit contradicendi.

§. 79. Caeterum diuerſitas confeſſionis fidei eccleſiaſticae parentum nullum priuat iuribus, ipſi alias intuitu educationis competentibus.



Source : BIU Cujas

§. 80. Parentibus quoque mortuis, continuanda eſt liberorum inſtitutio in fidei confeſſione illius, ad cuius ſexum pertinent.

§. 81. Commutationis ſacrorum vltimo morbo demum factae hic nulla habetur ratio.

§. 82. At vero, ſi coniux defunctus liberos ad ſuum ſexum pertinentes, minimum per annum vltimum ante mortem integrum, alterius coniugis confeſſione fidei inſtituendos curauit; iſta inſtitutio eodem modo poſt eius mortem quoque eſt continuanda, donec liberi annum decimum quartum ſunt egreſſi.

§. 83. Coetui religioſo nulli licet, admittere liberos annum decimum quartum nondum egreſſos ad ſequendam et publice profitendam fidei confeſſionem aliam, ac eam, ad quam ſecundum determinationes legales antecedentes pertinent, licet conſentiant parentes, qui ſunt eiusdem ſexus, cuius liberi.

§. 84. At contra, anno decimo quarto peracto, ab electione liberorum ſola pendet, quam fidei confeſſionem velint profiteri.

§. 85. Neque in parentum iuribus et officiis qua educationem, ſuſtentationem et curam quidquam mutatur eo, quod liberi alia, quam vtrorumque parentum amplectuntur ſacra.

3) Ius parentum liberos caſtigandi.

§. 86. Parentibus ius competit, ad mores liberorum formandos vtendi mediis coactiuis, liberorum valetudini non nocituris omnibus.

§. 87. Quae ſi ipſis non ſufficere videantur, iudicium de rebus tutelaribus iuſte imploratum auxilium iis ſuppeditare oportet.

§. 88. Quod quidem iudicium et parentum mores, et liberorum ſummatim oportet cognoſcere, non admiſſo proceſſu formali.

§. 89. Iudicium de rebus tutelaribus deinde pro re nata modum et tempus definit mediorum, ad corrigendos liberorum mores adhibendorum.

Source : BIU Cujas

§. 90. At vero, si ius castigandi, parentibus competens, in saeuitiam degeneret; aut si parentes liberos ad nequitiam abducant; aut iis denegent victum necessarium; tum est iudicii de rebus tutelaribus, liberis ex officio consulere.

§. 91. Pro re nata parentes in eo casu educatione possunt priuari, quae eorum sumtibus aliis personis certis potest committi.

4) De educandis liberis ex matrimonio per diuortium dissoluto.

§. 92. Si parentes diuortio sunt separati, in regula liberi apud partem innocentem sunt educandi.

§. 93. Si pater quidem est pars nocens, at causa diuortii non eius indolis, vt inde iustus malae educationis metus oriatur; hic postulare potest, vt sibi relinquantur filii educandi.

§. 94. Cura liberorum, annum quartum nondum egressorum, sine discrimine sexus, vsque donec eam aetatem attigerunt, relinquitur matri, licet nocens sit declarata; nisi allatae diuortii causae eam morum prauitatem testentur, vt inde malae liberorum educationis metus *haud mediocris* fundetur.

§. 95. Si parentum nullus pars nocens fuerit declaratus; liberi, donec quartum annum excesserunt, apud matrem, sed postea apud patrem educantur.

§. 96. At filiarum tamen, si quae existant, educationem iudex in genere, pro re nata, matri potest committere.

§. 97. Modus, quem in educandis liberis alter eorum, qui fuerunt coniuges, secundum principia antecedentia obseruauit, petente altero potest tolli, si postea demum succedit aut apparet grauis metuendi causa, ne liberi negligantur, aut male educentur.

§. 98. Si talis metus iam in diuortio coniugis vtriusque respectu apparuit; curatorem liberis constitutum de iis loco tertio educandis rationes oportet proponere.

Source : BIU Cujas

§. 99. Quo facto iudicem neceſſaria ex officio diſponere.

§. 100. Quod fieri quoque poteſt a iudice, ne quidem expectante, vſque donec pars altera diuortio ſeparata petat, ſi cauſae metus eiusmodi haud mediocris demum poſt diuortium oriuntur, aut cognoſcuntur.

§. 101. Parentibus vtrisque aut eorum altero, ab educatione excluſis, aditus tamen ad liberos non prorſus eſt denegandus.

§. 102. At iudicis arbitrio relinquitur, quoties et quibus praeſentibus liberos viſendi venia iis ſit concedenda.

§. 103. Sumtus educationis, diuortio quoque facto, a patre in primis ſunt ferendi.

§. 104. Qui tamen a matre, pro parte nocente declarata, exigere poteſt, vt pro rei familiaris aut quaeſtus ratione conferat, ad ſummum, vſque dimidium ſumtuum neceſſariorum, in pecunia numerata faciendorum.

§. 105. Quatenus ſecundum §. 94. matri, pro nocente declaratae, nihilo minus liberorum educatio conceditur, vſque dum quartum annum exceſſerunt, educationis ſumtus ferre mater ſola debet.

§. 106. Si liberorum cura vſque ad eam aetatem aliis eſt committenda, mater praecipue ferre debet expenſas numerata pecunia ideo faciendas.

§. 107. Si pater educationis ſumtus in totum aut ex parte ſuppeditare nequit, liberis ideo ſemper et ſine diſcrimine cauſuum, reſeruatur ius in matrem, licet innocentem.

§. 108. Parentes ſunt obſtricti, vt liberos vtilibus ſcientiis, artibus et quaeſtu ſ. vitae genere inſtituendos curent, quo in poſterum ſint reipublicae membra vtilia.

§) Iura et officia parentum in

§. 109. Determinatio vitae generis futuri, filiorum in primis, ab arbitrio patris pendet.

Source : BIU Cujas

§. 110. At in eligendo vitae genere ad propenſionem, facultates et corporis conditionem filii praecipue reſpiciat, neceſſe eſt. eligendo liberorum vitae genere;

§. 111. Vſque donec filius annum decimum quartum exceſſit, patris diſpoſitioni ſe omnino debet ſubmittere.

§. 112. Si filius deinde vitae genus a patre electum auerſari pergat; iudicium de rebus tutelaribus, adhibitis conſanguineis proximis vno aut duobus loco praeſentibus, et filii praeceptoribus, partis vtriusque cauſas et rationes oportet cognoſcere.

§. 113. Quod iudicium omni opera curet, vt vitae genus eligatur, filii propenſioni et facultatibus, vti patris dignitati et rei familiari quam maxime conueniens.

§. 114. In caſibus dubiis vitae genus, a patre electum, eſt approbandum; a cuius electione tunc tantum poteſt diſcedi, ſi euidenter appareat, ex vitae genere, a patre electo, graue et perpetuum filii damnum eſſe metuendum.

§. 115. At vero neque filius vnquam cogatur inuitus, vt ſtudiis operam det; neque pater, vt ſumtus ſtudiorum inuitus filio exhibeat.

§. 116. Si filius a vitae genere, patre conſentiente, aut alio modo, ſponte ſemel electo, ad aliud velit tranſire; pater in regula non tenetur ad ſuppeditandum ſumtus maiores, ea mutatione oriundos.

§. 117. Sin vero filius iuſtas mutandi cauſas poteſt docere; praeceptum §. 112-115. eſt attendendum.

§. 118. Quatenus patre mortuo matris voluntas ad electionem vitae generis liberorum valeat, in titulo de tutelis praecipitur.

§. 119. Parentes liberos ad eligendum coniugem futurum cogere non poſſunt. 6) in maritandis liberis.

§. 120. In quantum vero conſenſus parentum in liberorum nuptias ſit neceſſarius, aut a iudice poſ-

Source : BIU Cujas

ſit ſuppleri, in titulo primo eſt praeſcriptum. (Tit. I. §. 45-74.)

7) Officium liberorum ad operas domeſticas.

§. 121. Liberi obligati ſunt, vt parentes in oeconomia et quaeſtu pro viribus adiuuent.

§. 122. At liberis tamen eo non eripi debet tempus, ad eos erudiendos et formandos neceſſarium.

8) Quatenus liberi aliquid poſſunt acquirere, vel ſe aut parentes obligare.

§. 123. Quidquid liberi eiusmodi occaſionibus acquirunt, parentibus acquirunt.

§. 124. Occaſione alia omni liberi poſſunt ſibi acquirere peculium et iura, etiam patre non concurrente.

§. 125. Si vero cum eiusmodi commodis onera ſimul et obligationes ſunt ſuſcipiendae; validitas actionis liberorum pendet a patris conſenſu antecedente vel ſubſequente. (Part. I. Tit. IV. §. 21. 22. Tit. V. §. 11-13.)

§. 126. Quatenus quis in genere factis tertii vi mandati, ratihabitionis, aut verſionis in rem vtilis obligatur; eatenus tantum pater quoque obligatur liberorum factis.

§. 127. Pater, liberos ſuos negotio cuidam extra domum ſuam deſtinans, eo ipſo rata habet facta omnia et pacta eorum, ſine quibus liberi non poſſunt aſſequi finem deſtinatum.

§. 128. At contra ex eo, quod pater debita liberorum ſemel aut ſaepius ſoluendo extinxit, nunquam colligatur ratihabitio debitorum plurium aut nouorum.

§. 129. Ea tantum, quae quis dat liberis, extra paternam domum degentibus, ad vitae neceſſitates maxime neceſſarias et prementes, in caſibus omnibus in patris vtilitatem verſa debent haberi.

§. 130. Res et pecunias, ad alias liberorum neceſſitates datas et verſas, patris res familiaris tunc demum praeſtat, ſi liberis nulla oblata fuit occaſio, ſuſtentationem neceſſariam a patre ipſo conſequendi.

Source : BIU Cujas

§. 131. In casibus omnibus, vbi actiones et pacta liberorum patrem haud obligant, haec quoque intuitu ipsorum in regula non valent.

§. 132. Hinc liberi, sublata quoque patria potestate, obligati non sunt, ad extinguenda eiusmodi debita, ab initio inualida.

§. 133. In iis tantum casibus, quibus personis, pro qualitate sua pactorum pro se ineundorum incapacibus, vi praeceptorum legum generalium, obligatio restituendi ex sola versione vtili enascitur, liberi eam restitutionem, sublata patria potestate, ex proprio peculio debent praestare. (Part. I. Tit. XIII. Sect. III.)

§. 134. Exceptio, aliquem dicitasse, se non amplius esse sub patria potestate, pactum aut debitum non efficit validum.

§. 135. Creditor tamen, absque culpa sua leui ab eiusmodi debitore re vera deceptus, ex eius peculio, secundum generalia legum praecepta, indemnitatem potest petere. (Part. I. Tit. V. §. 33-36. Tit. VI. §. 10. seqq.)

§. 136. Debita a liberis, sub patria potestate constitutis, ab initio inualide contracta fiunt valida, si debitor, sublata patria potestate, ad ea exsoluenda se obligat. (Part. I. Tit. V. §. 37. 38.)

§. 137. At ratio tamen tantum habenda est agnitionis expressae, in iudicio aut coram iustitiae commissario declaratae.

§. 138. Quae in liberorum debita per se inualida, ante aut post sublatam patriam potestatem, re vera sunt soluta, soluens condicere non potest.

§. 139. Damnum ex liberorum delictis ortum pater ex re familiari sua propria in regula non praestat. 9) De obligationibus ex factis liberorum illicitis.

§. 140. At praestat, si delicti causam dedit, aut liberos exemplo suo ad illud patrandum induxit.

Source : BIU Cujas

§. 141. Ex approbatione, poſt delictum patratum declarata, contra patrem oritur praeſumtio, eum delicti cauſam praebuiſſe.

§. 142. Pater quoque praeſtat damnum, quod non praecauit, licet potuiſſet.

§. 143. Atque ſi grauiter neglexit liberorum inſtitutionem, educationem et curam.

§. 144. In caſibus §. 140-142. mater quoque praeſtat damnum, ex liberorum delicto exortum.

§. 145. Idem quoque obtinet in caſu §. 143., ſi patre defuncto educatio liberorum matri fuit commiſſa.

§. 146. Liberi ipſi ad damnum reſarciendum ſunt obligati, ſi peculium habent proprium, aut ſublata patria poteſtate bona acquirunt.

## Sectio Tertia.

### *De liberorum peculio.*

Quae pertineant ad liberorum peculium liberum,

§. 147. Propria liberorum bona, quorum vſusfructus patri non competit, vocantur liberum eorum peculium.

§. 148. Ad liberum peculium liberorum pertinent omnia, quae praeter paterna negotia geſta induſtria et prudentia acquirunt.

§. 149. Item ea, quae militiae muneribus vel ciuilibus acquirunt, aut munerum iſtorum occaſione a parentibus ſuis, aut aliis ad armatum et in ſubſidium accipiunt.

§. 150. Feuda quoque, quae liberis ſunt conceſſa, aut ad quae ſimultanee ſunt inueſtiti, intuitu patris, referuntur ad liberum eorum peculium, ſimulac ad poſſeſſionem perueniunt.

§. 151. Praemia quoque diligentiae et peritiae, liberis a parentibus aut ab aliis etiam data.

§. 152.

Source : BIU Cujas

§. 152. Dona et legata omnia, liberis ex grato animo ob praeſtitas operas et officia collata.

§. 153. Omnia, quae acquirunt comparcendis iis, quae ipſis a parentibus ad victum extra domum patriam, aut ad expenſas alias ſunt aſſignata.

§. 154. Denique omnia, quaecunque liberis a parentibus, conſanguineis aut extraneis conferuntur, ſub conditione expreſſa, ne pater vſumfructum habeat.

§. 155. Lineae aſcendentis tantum conſanguinei, liberis ad relinquendam legitimam obligati, patrem ab eius vſufructu excludere non poſſunt.

§. 156. Reliqua omnia, quae liberis meris donationibus, hereditatibus, legatis, aut caſibus fortuitis deferuntur, pertinent ad eorum patrimonium non liberum. quae pertineant ad eorum patrimonium non liberum.

§. 157. Dona quoque luſtrica accenſentur patrimonio liberorum non libero.

§. 158. Intuitu liberi peculii liberi eadem habent iura, quae iis, qui non ſub patria ſunt poteſtate, de re *familiari competunt.* I. Iura patris et liberorum, intuitu peculii liberi.

§. 159. Si liberi adhuc ſunt minorennes, aut ſi ob cauſas alias rebus ſuis ipſi praeeſſe nequeunt; patri competit adminiſtratio peculii curatoria.

§. 160. At ab eo tamen, qui eiusmodi peculium liberis inter viuos aut mortis cauſa defert, dependet determinatio: vtrum adminiſtratio patri, an tertio committi, et quomodo debeat geri.

§. 161. Fructus et emolumenta huius peculii liberi impendere pater poteſt ad alendos et educandos liberos, quatenus eum in finem requiruntur ex arbitrio iudicii de rebus tutelaribus.

§. 162. Quatenus fructus iſti ad victum et educationem liberorum non impenduntur, peculii ſubſtantiae accreſcunt.

§. 163. Maiorennitate conſecuta, aut cauſis aliis adminiſtrationis curatoriae ceſſantibus, liberi de pecu-



Source : BIU Cujas

lio libero aeque poſſunt diſponere, ac ſi non amplius eſſent ſub patria poteſtate.

§. 164. At tunc tamen quoque peculii reditus ad ſe alendos, quatenus ſufficiunt, patre petente impendere in primis debent.

§. 165. Pacta omnia, maiorennitate conſecuta intuitu peculii ab iis celebrata, etiam ſine conſenſu patris valent.

§. 166. At liberis, ſub patria poteſtate adhuc conſtitutis, licet maiorennibus, intuitu peculii liberi fidem habiturus, id referendo in librum hypothecarium, aut traditione inſtrumenti obligationem continentis, vel rei mobilis oppignoratae, ſeparatim ſibi aſſecurandum curet neceſſe eſt.

§. 167. Reparatio damni factis illicitis a liberis dati in primis ex eorum peculio libero eſt praeſtanda.

II. Intuitu peculii non liberi. Eius adminiſtratio.

§. 168. Liberorum peculii non liberi adminiſtratio et vſusfructus patri competit, dum patria durat poteſtas.

§. 169. Sortes liberorum elocatas pater pro arbitrio poteſt exigere, alio loco elocare, aut ſe ipſum liberorum debitorem conſtituere; niſi ſors ea liberis in ſecuritatem ſeparatim ſit tranſcripta, aut adminiſtratio patris legibus ſingularibus vel voluntatis declarationibus legitimis circumſcripta.

§. 170. De aliis peculii rebus patrem, dum liberi adhuc ſunt minorennes, iudicii de rebus tutelaribus conſenſum oportet quaerere ad omnes ſubſtantiae mutationes, quas vſufructuarius absque proprietario non poteſt facere. (Part. I. Tit. XXI. Sect. I.)

§. 171. Qui conſenſus inprimis quaerendus eſt, ſi fundi aut iura, durante liberorum minorennitate, debeant alienari, oppignorari, aut oneribus realibus perpetuis aliis onerari.

§. 172. Si pater neceſſitatem oppignorationis vel alienationis, aut vtilitatem haud mediocrem, ad li-

Source : BIU Cujas

beros inde redundantem docet, iudicio de rebus tutelaribus conſenſum denegare non licet.

§. 173. Praeter quem conſenſum ad negotii validitatem ſolennitas alia nulla requiritur.

§. 174. At vero, ſi talis ſit alienatio ſolius vtilitatis cauſa: emtionis venditionis pretium inde exactum vel alibi fundis liberorum nomine eſt impendendum; vel hypotheca conſtituta elocandum; vel a patre ſingularis cautio de eo praeſtanda.

§. 175. Quatenus vſufructuarius domini (proprietarii) conſenſu indiget, ad fundandam actionem ob meliorationes inſtituendam; eatenus liberorum minorennium patrem, meliorationum reſtitutionem poſtea petiturum, quaerere oportet conſenſum iudicii de rebus tutelaribus, ad meliorationes faciendas.

§. 176. In ſecuritatem peculii, in liberos a matre profecti, liberis in patris bonis idem ius praelationis ſeruatur, quod matri in bonis mariti competit ob illata. (Tit. I. §. 254. ſeqq.) Ius praelationis legale.

§. 177. De reliquo peculio non libero liberis quoque in patris bonis eſt ius praelationis quartae claſſis, ex eo tempore, quo pater liberorum peculium ad ſe recepit.

§. 178. Quo iure praelationis legali excepto pater in regula non obligatur ad praeſtandam ſecuritatem ſingularem de liberorum peculio, adminiſtrationi ſuae commiſſo.

§. 179. Tunc demum a patre eiusmodi ſingularis ſecuritatis cautio poteſt exigi, ſi pactionis tractatus aut indultum ſ. moratorium aduerſus creditores petit; ſi ſequeſtratio fundorum, aut pignoriscapio rerum ſuarum mobilium conſtituitur; aut executio cambialis in eum peragitur; aut ſi alias manifeſto bona ejus decreſcere incipiunt. Caſus, quibus ſecuritas ſingularis eſt conſtituenda.

§. 180. Atque etiam, ſi propter officium, aerarium aut conductionem, fiſco aut inſtituto alii, fiſci iuribus gaudenti, eſt obligatus; aut ſi tale munus,



Source : BIU Cujas

aerarium aut conductionem postea demum suscipit, liberorum peculio iam accepto.

§. 181. Et tum, si tempore, quo liberorum peculium in eius administrationem peruenit, iam munere fungitur alius publici instituti, cui leges praelationis ius quartae classis concedunt in aerarii officialium et administratorum bonis.

§. 182. In quibus casibus omnibus pater, si securitatem praestare non possit aut nolit, priuandus est liberorum peculii administratione, quae curatori singulari est committenda, sub iudicii de rebus tutelaribus cura propiori.

§. 183. In casibus §. 180. et 181. iudicium de rebus tutelaribus tum tantum securitatis praestationem singularem patri potest remittere, si apparet, patrem alias munus neque adipisci posse, neque retinere; et ipsi hoc munere priuato, non fore facultatem, victum et educationem liberorum rite curandi.

§. 184. At pater tamen iudicio de rebus tutelaribus quotannis proponat necesse est testimonium collegii, cui est subiectus, de aerarii et rationis statu iusto et recto.

§. 185. Quod si negligit, secundum praeceptum §. 182. contra eum est agendum.

§. 186. In quantum cautio de officio, pro patre ex peculio liberis delato constituta, durante liberorum minorennitate possit subsistere, aut ex eorum peculio nouiter constitui, definiendum est ex principiis de casu simili in titulo de tutela praescriptis. (Tit. XVIII. Sect. VIII.)

§. 187. Si pater fundos aut iura possidens ad alia vota progreditur; peculium liberorum prioris matrimonii in his fundis consignandum (intabulandum) curet necesse est.

§. 188. Quae tamen consignatio (intabulatio) eadem tantum producit iura, quae tutoris cautio consignata. (intabulata).

Source : BIU Cujas

§. 189. Liberi, qui ſunt maiorennes, et alias poſſunt rebus ſuis praeeſſe, petere ipſi poſſunt, licet adhuc ſub patria ſint poteſtate, in caſibus §. 179. 180. 181. 187. vt a patre praeſtetur ſecuritas. Quis curare debeat hanc ſecuritatem praeſtandam.

§. 190. Praeter eos tum nemo his rebus iure ſe poteſt immiſcere.

§. 191. Sin autem adhuc ſint minorennes, aut rebus ſuis ipſi praeeſſe alias non poſſint; curator, in ſeparatione a patre facta iis conſtitutus, ſecundum praeceptionem iuris tutelaris propiorem, ſecuritatem conſtituendam curet neceſſe eſt.

§. 192. Si liberis curator nondum eſt conſtitutus; iudicium de rebus tutelaribus de eo conſtituendo ex officio oportet curare, ſimulac caſus, ſingularem ſecuritatem exigens, in eius notitiam venit.

§. 193. Ius eum caſum iudicio denuntiandi in primis matri competit, et ea deficiente illi, cui poſt patrem ius hereditarium competit.

§. 194. Qui ſi ipſe adhuc eſt minorennis, proximus poſt eum in eius locum ſuccedit.

§. 195. Fiſci quoque officialibus incumbit, ſimulac ipſis innotuit caſus, ſecuritatem peculii liberorum minorennium a patre praeſtandam exigens, vt eum denuntient iudicio de rebus tutelaribus.

§. 196. Qua denuntiatione ſi liberorum peculium liberatur a iacturae metuendae periculo; ex peculii fructibus et emolumentis fiſci officiali praemium vigilantiae aſſignetur aequum.

§. 197. Ii quoque, qui alicui officium demandant, quo eius res familiaris legitimo praelationis iuri ſubiicitur, ſunt obſtricti, vt munere fungentis foro perſonali competenti eius introductionem (inſtallationem) factam ſtatim denuntient.

§. 198. Qua denuntiatione conſulto aut ex culpa lata neglecta, liberis de damno inde oriundo tenentur.



Source : BIU Cujas

§. 199. In primis vero pater omnis, liberorum ſuorum peculium detinens, ſimulac caſus exiſtit, quo ſecundum leges liberorum peculii ſecuritas ſingularis ab ipſo eſt praeſtanda, eum caſum iudicio de rebus tutelaribus ipſe debet denuntiare.

§. 200. Pater officium illud data opera negligens vſufructu priuatur.

Iura liberorum intuitu peculii non liberi.

§. 201. Liberi, dum adhuc ſub patria ſunt poteſtate, diſponere de peculio non libero inter viuos valide non poſſunt, niſi patre accedente et conſentiente.

§. 202. Quin potius de pactis et debitis talium quoque liberorum eadem valent, quae intuitu liberorum patriae poteſtati adhuc ſubiectorum generatim §. 124 ſeqq. ſunt praeſcripta.

§. 203. Si liberi factis illicitis damnum alicui dederunt; damnum deficiente libero peculio, ex peculio non libero, quatenus ſufficit, ſtatim eſt reſarciendum.

De vſufructu patris.

§. 204. Quamdiu pater liberorum victum et educationem curat ordini conuenientes, verſio redituum peculii non liberi vnice ab eius arbitrio pendet.

§. 205. Patris creditores quoque exigere poſſunt, vt ipſis ex his reditibus ſatisfiat.

§. 206. At vero, ſi patris bona ad concurſum labuntur, aut ſi pater alias facultate priuatur, liberos ordini conuenienter alendi atque educandi; peculii eorum non liberi adminiſtratione et vſufructu priuatur.

§. 207. Et adminiſtratio et vſusfructus liberis cedit, ſi ſunt maiorennes, et alias poſſunt rebus ſuis ipſi praeeſſe.

§. 208. Qui ſi adhuc ſunt minorennes, aut ſuis rebus praeeſſe ipſi nequeunt, iis curator eſt conſtituendus, qui peculium eorum non liberum, ſub cura iudicii de rebus tutelaribus, in liberorum commodum et vtilitatem adminiſtrat.

Source : BIU Cujas

§. 209. Patri tamen in quouis caſu ius eſt poſcendi, vt ipſi praebeantur ex huius peculii reditibus alimenta neceſſaria.

## Sectio Quarta.

### *Quibus modis patria tollitur poteſtas.*

§. 210. Si filiusfamilias, maiorennitatem aſſecutus, oeconomiam inſtituit propriam, a parentum oeconomia ſeparatam, eo ipſo ex patria exit poteſtate. Modi, quibus tollitur patria poteſtas, intuitu maiorennis filiifamiliaſ;

§. 211. Quem ſi pater ex ſua poteſtate nondum velit dimittere; patrem oportet in iudicio contradicere, et cauſas proferre, quae ſufficiunt, ad declarandum filium pro prodigo.

§. 212. a) Si filius maiorennis quaeſtum ſeparatum facit, aut munere publico fungitur; ex patria poteſtate dimiſſus eſt habendus.

§. 212. b) Neque vllum inde diſcrimen, ſi pater filiofamilias ſubſidium ferat praebendo victum et res alias.

§. 213. Pater obligatus eſt, vt filiofamilias maiorenni, qui ſuo quaeſtu ſe absque patris ſuſtentatione et ſubſidiis poteſt alere, eiusmodi quaeſtum inſtituere permittat, et eum eo ipſo ex poteſtate ſua dimittat.

§. 214. Filiusfamilias adhuc minorennis, annum viceſimum nondum egreſſus, ex patria poteſtate dimitti non poteſt, licet vel pater conſentiat. minorennis;

§. 215. Pater non poteſt cogi, vt ex poteſtate ſua dimittat filiumfamilias, annum viceſimum egreſſum, vſque ad maiorennitatem ſecutam.

§. 216. At patris declaratio voluntatis, filium emancipandi, hoc temporis interuallo coram iudicio de rebus tutelaribus filio adſtipulante facta, eosdem habet effectus, ac ſi filius fuiſſet maiorennis declaratus.



Source : BIU Cujas

§. 217. Filio teſtimonium fide munitum a iudicio de rebus tutelaribus de ea declaratione confectum eſt exhibendum.

§. 218. Si pater expreſſe aut tacite conſentit, vt filius adhuc minorennis quaeſtum ſeparatum rationibus et nomine propriis inſtituat; iſte conſenſus emancipationis expreſſae producit effectus.

§. 219. Filius adhuc minorennis munus publicum ſuſcipiendo nondum exit ex patria poteſtate, licet ſimul oeconomiam ſeparatam inſtituat.

§. 220. At vero, ſi pater eum velit dimittere; hanc voluntatem ſuam ſecundum praeceptum §. 216. 217. in iudicio declaret neceſſe eſt.

§. 221. Quamdiu pater voluntatem ſuam nondum eo modo declarauit, filiusfamilias quidem in muneris ſui negotiis, non autem in negotiis ſuis priuatis habendus eſt emancipatus.

§. 222. Munera aerarii et conductiones, quibus quis fiſco aut inſtituto publico obligatur, minorenni, ſub patria poteſtate adhuc conſtituto, non demandentur, niſi antea a patre expreſſe et iudicialiter ſit emancipatus.

§. 223. Neque ex eo, quod pater permiſit filiofamilias minorenni, ſeparatam oeconomiam ex proprio ſuo peculio aut vxoris re familiari inſtituere, jam ſequitur, filiumfamilias ex patria poteſtate eſſe dimiſſum.

§. 224. Hinc cum minorenni, cuius pater adhuc viuit, acturus certus fiat neceſſe eſt, eum vel cum patris conſenſu quaeſtum ſeparatum nomine proprio facere, vel a patre expreſſe eſſe emancipatum.

§. 225. At filiusfamilias in caſibus omnibus, vbi oeconomiam ſeparatam absque patris conſenſu aut dimiſſione inſtitutam continuat, vſque donec annum viceſimum quartum exceſſit, patre in iudicio non contradicente, neque filium ad intermittendam oeconomiam ſeparatam vere cogente, eodem temporis mo-

Source : BIU Cujas

mento, quo maiorennis eſt factus, ſimul ex patria exit poteſtate.

§. 226. Filiusfamilias adhuc minorennis, ex patria poteſtate dimiſſus, nihilo minus fundos ſuos et iura, non niſi patris conſenſu accedente, poteſt oppignorare et alienare.

§. 227. At ſimulac pater conſenſum ſuum, in eiusmodi diſpoſitiones, in iudicio declarat, vlterior cauſae cognitio aut ratihabitio iudicii de rebus tutelaribus non eſt neceſſaria.

§. 228. Si filiafamilias nupſit, conſenſu patris impetrato aut a iudice ſuppleto, patria in eam poteſtas ceſſat. filiaefamilias.

§. 229. Quae vero ſi adhuc eſt minorennis, patri, donec maiorennitatem eſt aſſecuta, integra ſeruantur iura et officia omnia tutoris pupillae nuptae conſtituti.

§. 230. Filia innupta, licet maiorennis, ex patria poteſtate dimitti non poteſt, niſi expreſſa declaratione.

§. 231. Patria poteſtate ſublata, pater eſt obligatus, vt filiofamilias tradat, quod eo vſque adminiſtrauit, peculium, ſecundum determinationes in ſectione ſubſequente praeſcriptas. Effectus emancipationis. 1) Traditio peculii liberorum.

§. 232. Filiis oeconomiam ſeparatam inſtituentibus ſic eſt proſpiciendum, vt eam poſſint conſtituere, et vtenſilia ad exercendum quaeſtum neceſſaria ſibi comparare. 2) liberorum inſtructio et dotatio.

§. 233. Filiabus nubentibus quoque dotatio ea competit, quae ad nuptias celebrandas et primam rei domeſticae inſtructionem requiritur.

§. 234. Si liberis eſt peculium, ex eius ſubſtantia dotationis ſumtus poſſunt ſumi.

§. 235. Quatenus peculium poſſident nullum, aut minus ſufficiens, eatenus pater eſt obligatus, vt ex bonis ſuis dotationem iſtam curet.



Source : BIU Cujas

§. 236. Patris mortui aut inopis vicem, intuitu huius officii, mater ſupplet.

§. 237. In regula prorſus ex parentum arbitrio pendet, quantum ad liberos dotandos ex propriis velint ſuppeditare.

§. 238. Si tamen parentes huic officio ita ſe velint ſubducere, vt liberis dotationem plane nullam aut prorſus inſufficientem concedant; liberis implorare licet iudicii de rebus tutelaribus auxilium.

§. 239. Quod iudicium, adhibitis duobus conſanguineis proximis aut duobus ordinis vel collegii ſociis, oportet ex aequo ſtatuere, quantum ad dotandos liberos ſecundum determinationes §. 232. 233. expoſitas ſit neceſſarium; atque deinde dare operam, vt patrem ad concedenda haec neceſſaria commoueat.

§. 240. At ne proceſſus quidem ideo admittatur, et multo minus pater cogatur, vt ſtatum rei familiaris indicet.

§. 241. Quin potius, ſi parentes officioſe conſcientia teſte affirmant, ſe pro rerum ſuarum conditione, absque vero damno ſui et liberorum reliquorum, dotando non poſſe tantum conſtituere, quantum iudicio de rebus tutelaribus aequum eſt viſum; et iudicium et dotandum ea affirmatione oportet acquieſcere.

§. 242. Liberis ſemel dotatis, ob circumſtantias et cauſas nullas, aliam dotationem poſcendi ius eſt.

§. 243. Praeter dotationem ante definitam, liberis vi legum nunquam ius competit, aliam dotem a parentibus exigendi.

§. 244. Atque etiam ſi parentes dotem, absque determinatione vlteriori ſummae aut rei certae promiſerunt; ad hanc tantum dotationem §. 232. 233. ſunt obligati.

§. 245. Si vero, praeter dotationem, liberis dotem ſponte conſtitutam dederunt, in caſu dubio dos

Source : BIU Cujas

deſumta praeſumitur ex peculio liberorum, quatenus id ſuffecit.

§. 246. Si liberi non poſſident peculium, valet praeſumtio, dotem ex patris bonis eſſe datam.

§. 247. Patre mortuo, dos ex matris re familiari deſumta cenſetur, nihil conferente vitrico, licet expreſſe conſenſerit.

§. 248. Non niſi in bonorum omnium communione dos liberis data, et ex eorum peculio non profecta, ſemper praeſumitur ex re familiari communi deſumta.

§. 249. Patria quoque poteſtate ſoluta liberi parentibus pietatem debent. Iura parentum, poteſtate ſoluta,

§. 250. Officium, conſenſum parentum ad celebrandas nuptias impetrandi, finita patria poteſtate non tollitur. (Tit. I. §. 1009. ſeqq.)

§. 251. Sublata quoque patria poteſtate liberos et parentes ſe inuicem oportet adiuuare, et alteros alteris, ſi alere ſe nequeunt, victum ſuppeditare. in primis qua adiutorium mutuum.

§. 252. Si impotentia ſe alendi, morbo, caſu aduerſo, aut absque vlla culpa eſt exorta; liberi parentibus et hi illis ad victum honeſtum pro ſua facultate exhibendum obligantur.

§. 253. At vero, ſi pars ſuſtentatione et ſubſidiis indigens culpa ſua ad egeſtatem fuerit redacta, aut ſi erga aliam ita ſe geſſerit, vt huic ius, eam exheredandi competeret; acquieſcere debet victu, quem exigit neceſſitas.

§. 254. Liberi, qui patria poteſtate finita, a parentibus adhuc ſunt alendi, tum quoque obligantur ad parentes in oeconomia et quaeſtu pro viribus adiuuandos.

§. 255. Praeter caſus ſolitos, §. 210. 230. definitos, poteſtas patria ipſo iure ſoluitur, ſi pater ob delicta grauia condemnatus eſt ad graues et ignominioſas ergaſtuli aut munitionis operas, ad carceris poenam decem annorum vel ad vitae dies, aut ad relegationem. Caſus ſingulares, quibus patria poteſtas ſoluitur.

Source : BIU Cujas

§. 256. Et si a iudice declaratur prodigus.

§. 257. Et tum quoque, si republica insciente ex terris regiis euadit animo, subditi officiis se subtrahendi.

§. 258. Denique si ex consulto liberos inopes et sine cura reliquit.

§ 259. In quibus casibus omnibus potestatem patriam non recuperat, licet causa priuationis postea fuerit sublata.

§ 260. At contra, potestas patria quiescit, si pater tantum condemnatus est ad carceris ciuilis aut carceris in loco munito poenam, vltra duos quidem, sed infra decem annos.

§. 261. Et si pater in insaniam aut mentis hebetudinem incidit.

§. 262. Poena data, poena remissa, aut sanitate restituta pater recuperat iura sua omnia.

§. 263. Liberis tempore potestatis patriae ob causas istas solutae aut quiescentis adhuc minorennibus tutor est constituendus.

§. 264. Peculii vsusfructus, quatenus ad eos alendos et educandos, aut ad patrem sustentandum non requiritur, substantiae accrescit.

§. 265. Liberi, tempore, quo patria potestas quiescebat, iam maiorennes, aut eo temporis interuallo maiorennitatem assecuti, non amplius redeunt in patriam potestatem.

Circumscriptio patriae potestatis.

§. 266. Patria potestas intuitu educationis limitatur, si pater hanc negligit; si liberos crudeliter tractat; ad mala sollicitat; aut iis victum necessarium denegat. (§. 90. 91.)

§. 267. Et intuitu administrationis peculii liberorum, si pater securitatem singularem, ad quam praestandam ex causis legalibus est obligatus, praestare non potest, aut recusat. (§. 179. seqq.)

§. 268. Denique intuitu administrationis et vsusfructus simul; si patris bona ad concursum delabun-

Source : BIU Cujas

tur, aut pater alias facultate priuatur, liberos ordini conuenienter alendi et educandi. (§. 204-209.)

§. 269. In caſibus omnibus, in quibus patria poteſtas eo modo ſoluitur, quieſcit, aut limitibus circumſcribitur (§. 255-268.) pater eiusque bona nihilo minus obligantur ad implenda officia, cum ea coniuncta.

§. 270. Patris morte ciuili aut naturali poteſtatis patriae finiuntur et officia et iura.

## Sectio Quinta.

### *De ſucceſſione liberorum et conſanguineorum lineae deſcendentis aliorum.*

§. 271. Succeſſio in defunctorum parentum hereditatem relictam vel pactis definitur, vel, his deficientibus, vltimae voluntatis diſpoſitionibus, vel, iis quoque non extantibus, ſtatutis aut legibus prouincialibus.

§. 272. Si in ſtatutis aut legibus prouincialibus conſtitutiones continentur nullae, aut non ſufficientes; praecepta ſequentia ſunt obſeruanda.

1) Separatio rerum ad hereditatem non pertinentium,

§. 273. Ante omnia ab hereditate ſeparantur feuda, fideicommiſſa et res bonorum aliae, in quibus ex legibus aut familiae pactis ſuccedendi ordo ſingularis obtinet. (Tit. I. §. 502-539.)

§. 274. Coniugi ſuperſtiti, res ſua familiaris traditur ſecundum tituli primi praecepta. (Tit. I. §. 544. ſeqq.)

in primis peculii liberorum,

§. 275. Si pater defunctus peculium liberorum adminiſtrauit, liberorum cuique ſuum ex hereditate reſtituendum eſt, tanquam debitum.

§. 276. In ſeparando liberorum peculio ab hereditate paterna in genere ea principia obtinent, quae titulo primo in eum caſum praeſcripta ſunt, ſi poſt

Source : BIU Cujas

mariti mortem vxor bona fua ex hereditate recipit. (Tit. I. §. 544. feqq.)

§. 277. Peculium liberorum liberum hic aequiparatur bonis vxoris reſeruatis, et non liberum illatis.

§. 278. In quibus caſibus praecepta iſta vxori electionem concedunt, in iis omnibus liberis hic quoque eadem competit.

§. 279. Bona mobilia et effecta liberorum, quae apud patrem ſunt depoſita, liberis integra ſunt reſtituenda.

§. 280. Quae ſi in eo ſtatu, quo pater ea accepit, non amplius extant; liberis reſtituendum eſt verum pretium, quod fuit temporis momento, quo pater ea accepit.

§. 281. At pater tamen iacturam aut deminutionem pretii, caſu exortam, non magis praeſtat ac depoſitarius alius.

§. 282. Patri permittitur vſus modicus effectorum filii, quatenus ea vſu non deteruntur.

§. 283. At vero, ſi pater in vſum ſuum adhibere velit ea mobilia, quae vtendo neceſſario deteruntur; curet neceſſe eſt, vt in iudicio aeſtumentur.

§. 284. Tum filio, ſi peculium ipſi eſt tradendum, eſt electio: vtrum mobilia, qualia ſunt, velit accipere, an pretium aeſtumatum petere.

§. 285. Si pater aeſtumationem conficiendam non curauit; filio mobilium, quibus pater eſt vſus, repenſandum eſt pretium, quod rebus eius generis perfecte planeque idoneis tempore fuit traditionis.

§. 286. At pater tamen in caſu nullo praeſtat effecta vſu conſumta et detrita ea, quae ad filii vſum perſonalem ſolum ſunt adhibita.

§. 287. Sumtus, quos pater in liberos impendit, his de ſubſtantia peculii non detrahuntur.

§. 288. Quin etiam in dotatione proprie ſic dicta eiusmodi imputatio locum in regula non habet.

Source : BIU Cujas

§. 289. At vero, ſi pater expreſſe declarauit, tales impenſas liberorum peculio imputari debere; imputationem iſtam eatenus debent agnoſcere, quatenus impenſae excedunt peculii vſumfructum, a patre perceptum.

§. 290. At eo in caſu requiritur voluntatis patris declaratio perſpicua, determinata et certa, licet ore tantum prolata.

§. 291. Notatio ſola ſumtuum in filium impenſorum a patre facta pro eiusmodi declaratione non eſt habenda.

§. 292. Si pater liberis, peculium poſſidentibus, in matrimonio contrahendo, aut oeconomia ſeparata inſtituenda, praeter dotationem propriam, dotem contulit; praeſumtio valet legalis, eam ex proprio liberorum peculio eſſe profectam. (§. 245.)

§. 293. Eiusmodi dos ſingularis liberorum peculio imputatur, niſi pater contrarium perſpicue et definite declarauit.

§. 294. A *defuncti* hereditate quoque ſeparanda eſt dos hereditaria, (*Erbſchatz*), conſtituta pro matrimonio, per mortem parentis alterius diſſoluto. dotis hereditariae. (*Erbſchatz.*)

§. 295. Cuius dominium cedit deſcendentibus, ex hoc matrimonio procreatis, ſecundum regulas ſucceſſionis legalis.

§. 296. Quorum quisque de rata ſua, tanquam de re dominii liberi, poteſt diſponere, at ſaluo tamen vſufructu, coniugi ſuperſtiti competente. (Tit. I. §. 288. ſeqq.)

§. 297. Si liberorum aliqui ex dote hereditaria dotationem acceperunt; reliquis ante diuiſionem, tantumdem ſoluendum eſt in anteceſſum (ibid. §. 299.)

§. 298. Si pars dotis hereditariae adhuc extans non ſufficit, vt non dotati dotatis fiant aequales; quae deſunt, ex dotantis bonis aut hereditate tanquam debitum ſunt ſupplenda.

Source : BIU Cujas

§. 299. Quod ſi fieri nequeat, ob bonorum aut hereditatis inſufficientiam; liberos dotatos pro portione acceptorum oportet tantum reſtituere, vt fratres et ſorores aequaliter cum iis dotem participent.

a) Succeſſio ex legibus liberorum primi gradus.

§. 300. Si itaque ſecundum praecepta antecedentia (§. 273-299.) a defuncti hereditate ſeparata ſunt, quae ad eius hereditatem non pertinent; in reliqua ſuccedunt liberi ex matrimonio ad manum dextram procreati omnes.

§. 301. Quatenus coniux ſuperſtes cum liberis ſimul hereditatem participet, in tituli primi §. 623. 624. eſt praeceptum.

§. 302. Liberi parentum fiunt heredes partibus aequalibus.

De exaequatione liberorum ratione dotationum, et acceptorum aliorum.

§. 303. Si qui liberi a teſtatore, dum viueret, aliquid in dotationem acceperunt; reliquorum cuique tantumdem ex hereditate, ante eius diuiſionem, in anteceſſum eſt exhibendum.

§. 304. Sub dotatione hic intelliguntur omnia, quae liberi in matrimonio iungendo, in oeconomia ſeparata inſtituenda, in quaeſtu proprio conſtituendo, aut in munere publico ſuſcipiendo a parentibus acceperunt.

§. 305. In hoc ſenſu ad dotationem pertinent dos filiabus nubentibus data; dos hereditaria (*Erbſchatz*), iisdem aut filiis ex parentum bonis conſtituta; donatio propter nuptias; antipherna aut vidualitium; ſumtus facti in praebendam aut reditus (*Rente*) alios, liberis alendi cauſa emtos; dona nuptialia; et in genere omnia, quae a parentibus in eum finem ſunt data, vt liberi poſſint matrimonium celebrare, aut oeconomiam ſeparatam inſtituere, quaeſtum facere, aut munus ſuſcipere.

§. 306. Vtrum ea dotatio adhuc extet, nec ne, in hereditate diuidenda in regula nullum efficit diſcrimen. (§. 347.)

§. 307.

Source : BIU Cujas

§. 307. At vſurae aut alii fructus et emolumenta hic nunquam veniunt in computum.

§. 308. Dotatio (*Ausſtattung*), pacto ſcripto promiſſa ſed nondum re vera data, tanquam debitum de hereditate deducitur, et de reliquo cum dotatione re vera data iura habet aequalia.

§. 309. Si liberi plures dotati (*ausgeſtattet*) non omnes dotationem aequalem acceperunt; ii, quibus dotatio minor eſt data, ex hereditate in anteceſſum poſſunt ea petere, quae ad exaequationem plenam et perfectam requiruntur.

§. 310. Si exhauritur hereditas hac exaequatione liberorum, ſiue plane nondum ſiue parcius dotatorum, cum liberis largius dotatis; hi excluduntur a diuiſione.

§. 311. Liberi reliqui plane nondum aut parcius dotati tunc hereditatem ſic diuidunt, vt inter eos aequalitas obſeruetur quam exactiſſima.

§. 312. Liberi ab hereditatem relinquente viuo dotati de acceptis nihil vnquam fratribus et ſororibus refundunt.

§. 313. Si tamen in patris defuncti hereditate non tantum extat, vt liberi nondum dotati dotationem neceſſariam, §. 232. 233. expoſitam, conſequi inde poſſint; fratres et ſorores iam dotatos ſupplere oportet, quae deſunt.

§. 314. Si fratres et ſorores iam dotati exiſtunt plures; hi ad hanc dotationem nondum dotatorum pro accepti ratione debent conferre.

§. 315. A quorum tamen nemine poteſt exigi, vt conferat plus tertia parte dotationis acceptae.

§. 316. Quae liberi dotati ad dotationem nondum dotatorum conferre debeant, ſtatim quidem in hereditatis diuiſione eruenda ſunt et definienda;

§. 317. At ſumma tamen conferenda iis, qui eam praeſtare debent, tamdiu absque vſurarum pen-



Source : BIU Cujas

ſione relinquitur, donec caſus exiſtit, quo nondum dotati ſunt dotandi.

§. 318. Eo vſque liberis nondum dotatis, in ſummae conferendae ſecuritatem, in dotatorum bonis praelationis ius quintae claſſis competit, inde a die diuiſionis hereditariae factae.

§. 319. Si nondum dotatus moritur prius, quam dotatione re vera indiget, ſumma conferenda definita ad bona eius redit, qui ad eam praeſtandam fuit obligatus.

§. 320. Idem obtinet, ſi liberorum nondum dotatorum ſtatus hereditatibus delatis et caſibus ſecundis aliis ſic eſt mutatus, aut ſi poſt patris mortem ad eam peruenerunt fortunam, vt ad dotationem neceſſariam pecuniae ſumma a fratribus et ſororibus conferenda non indigeant.

§. 321. At contra quoque fratres ſororesque patre adhuc viuo ſeparatos ſiue dotatos ſumtus ferre oportet impendendos in educationem et ſuſtentationem neceſſariam fratrum et ſororum nondum educatorum, quos pater reliquit inopes.

§. 322. At vero fratrum et ſororum dotatorum obligatio, nondum dotatos educandi, alendi et dotandi, §. 313. ſeqq. definita, eatenus tantum locum habet, quatenus non dotati ea ſubſidia ne a matre quidem conſequi poſſunt. (§. 236.)

§. 323. Exaequatio §. 303. deſcripta intuitu dotationum obtinet tantum inter liberos ipſos, et nihil pertinet ad coniugem coheredem ſuperſtitem.

§. 324. Qui igitur portionem hereditariam ipſi competentem ex maſſa capit prius, quam exaequationis ſummae, liberis nondum dotatis ſoluendae, de ea deducuntur.

§. 325. At contra quoque coniux ſuperſtes liberis dotatis nunquam aliquid poteſt imputare, aut ab iis repetere.

Source : BIU Cujas

§. 326. At vero, ſi maritus, in communione bonorum viuens, liberos ſuos matrimonii prioris, durante matrimonio poſteriori, absque vxoris conſenſu, large dotauit; liberos dotatos, ſi patre demortuo, bona communia non tanti ſunt, vt vxor ea ſaltem recipiat, quae in communionem contulit, ea, quae deſunt, vxori in tantum, et in ea proportione oportet reſtituere, in quantum et in qua proportione in dotationem acceperunt plura, ac neceſſitas vera exigit.

§. 327. Quae de dotatione liberorum, et de aequalitate inter eos ideo conſtituenda in antecedentibus §. 303. ſeqq. ſunt praecepta, valent quoque omnia intuitu donationum, ab hereditatem relinquente iis factarum.

§. 328. Quod tamen ad eas tantum donationes pertinet, quae in fundis, iuribus aut ſortibus elocatis conſtiterunt.

§. 329. Reliquorum omnium, quae praeter dotationem, et donationes ante expoſitas, liberorum vnus et alter a parentibus viuis accepit, in diuidenda hereditate, ſecundum regulas ſucceſſionis ex lege, nulla habetur ratio.

§. 330. At vero intuitu iuris, donationes immodicas reuocandi, liberi reliqui, vti coniux ſuperſtes contra filium filiamue, in cuius commodum donatio eſt facta, idem ius habent, quod contra alienum. (Part. I. Tit. XI. §. 1091. ſeqq.)

§. 331. Summa eorum, quae liberi nonnulli ab hereditatem relinquente viuo acceperunt, et liberis reliquis, ſecundum principia antecedentia, ex hereditate in anteceſſum competunt, ſequentibus definienda eſt regulis. Principia determinandi harum dotationum et acceptorum ſummam.

§. 332. Si pecunia parata aut ſortes elocatae ſunt datae, earum vera ſumma eſt eruenda.

§. 333. Fundis aut iuribus, absque pretii determinatione, datis; pretium, quod iis tempore tra-



Source : BIU Cujas

ditionis fuit, ſecundum eorum reditus eius temporis eſt eruendum.

§. 334. Qui reditus, ſi documentis deficientibus certitudine ſufficiente determinari non poſſunt; pretium temporis, quo hereditatem relinquens fundum aut ius ſibi acquiſiuit, normam conſtituit.

§. 335. At partibus tamen patet probatio, fundi ſubſtantiam, per hereditatem relinquentis tempus poſſeſſionis vſque ad tempus, quo fundum in filium dotatum aut donatum contulit, eſſe melioratam aut deterioratam, et quanti fundi ſubſtantia meliorata ſit aut deteriorata.

§. 336. Si hereditatem relinquens, dum fundum aut ius contulit, pretium certum determinauit; pro norma eſt ponendum hoc pretium.

§. 337. Aſſertionis partium, hoc pretium iuſto maius eſſe, aut minus, in regula nulla habenda eſt ratio.

§. 338. At vero, ſi pretium tam manifeſto minoris eſt aeſtumatum, vt pretium verum tempore, quo conferebatur, pretium taxatum vltra dimidium excedat; filio dotato imputatur, pro pretio taxato, pretii veri dimidium.

§. 339. Simulac itaque liberi reliqui quodam modo (taliter qualiter) poſſunt probare, pretium taxatum a pretio vero multum differre, ius iis competit petendi, vt pretium verum ſecundum praecepta §. 333-335. eruatur.

§. 340. Filius, qui fundum aut ius pretio a teſtatore determinato ſemel ſuſcepit, pretii determinationem impugnare nunquam poteſt ſub praetextu, eam eſſe iuſto maiorem.

§. 341. Si vero hereditatem relinquens pretium, poſt ſuſceptionem a ſua tantum parte (vnilateraliter) definiuit; filio ius eſt prouocandi, vt verum eruatur pretium, quod fundo aut iuri ſuſceptionis tempore fuit.

Source : BIU Cujas

§. 342. Deinde filio dotato eſt electio, vtrum fundum pro pretio eruto velit ſibi habere, et ſibi imputari, an fundo ipſo maſſae reſtituto cum fratribus et ſororibus aequaliter diuidere.

§. 343. Poſterius ſi eligit, deteriorationes inde a ſuſceptione exortae, vti a bonae fidei poſſeſſore, maſſae ab ipſo ſunt reſarciendae.

§. 344. Meliorationes cum eiusmodi deterioratio-nibus tantum poteſt compenſare, at ex maſſa non petere meliorationum repenſationem.

§. 345. Datis in dotationem mobilibus, quorum pretium hereditatem relinquens eum in finem, vt imputetur, definiit; haec aeſtumatio vnica eſt norma.

§. 346. Quorum pretio a teſtatore non determinato, pretium valet, quod iis eſt diuiſionis hereditatis tempore.

§. 347. Rerum, quae vſu aut alio modo abſque dotati culpa lata delentur aut amittuntur, in dotationum imputatione nulla habetur ratio.

3) Succeſſio ex lege nepotum et deſcendentium remotiorum reliquorum,

§. 348. Nepotes et deſcendentes graduum remotiorum ad ſucceſſionem perueniunt ſecundum lineas, quibus ab hereditatem relinquente ſanguinem ducunt.

§. 349. Si itaque exiſtunt gradus primi liberi, et liberorum aliorum, ante hereditatem relinquentem mortuorum, nepotes aut pronepotes; tot portiones ſunt conſtituendae, quot ſunt lineae, ab hereditatem relinquente immediate originem trahentes.

§. 350. Quod idem debet fieri, ſi nulli gradus primi liberi exiſtunt, ſed graduum tantum remotiorum deſcendentes.

§. 351. Vti in hereditatem totam ſuccedunt lineae principales, ab hereditatem relinquente ſanguinem ducentes; ſic quoque lineae ſecundariae, ad lineam principalem pertinentes, ſuccedunt in lineae principalis portionem.



Source : BIU Cujas

§. 352. Quoties itaque propior (proximior) lineae descendens heres esse non potest, aut recusat, ius eius hereditarium deuoluitur ad descendentes remotiores, sanguinem ab eo ducentes.

§. 353. Nepotes itaque auis succedunt, licet parentum praedefunctorum heredes non sint facti.

§. 354. Neque minus, si eorum parentes ab auis sunt exheredati.

§. 355. Atque etiam, si eorum parentes repudiarunt hereditatem.

§. 356. In quantum liberi parentum suorum hereditatem in praeiudicium creditorum suorum possint repudiare, diiudicandum est ex generalibus de renuntiationibus principiis (P. I. Tit. XVI. Sect. VII.)

§. 357. Si liberi de iure suo hereditario in hereditatem parentum pacto cum parentibus ipsis aut cum aliis inito dispoſuerunt; eorum descendentes eatenus pactum impugnare non possunt, quatenus parentes ipsi hereditatis delatae tempore adhuc viuunt.

§. 358. At vero, si liberi, qui eiusmodi pactum celebrarunt, mortui sunt ante hereditatem re vera delatam; eorum descendentes eatenus tantum pacto tenentur, quatenus parentum heredes sunt facti.

§. 359. In quibus casibus secundum principia, §. 303. seqq. praescripta, exaequatio inter gradus primi liberos propter dotationes et donationes deberet fieri; in iis omnibus inter lineas quoque exaequatio debet fieri, licet remotiores tantum descendentes vnius aut alterius lineae ad successionem perueniant.

§. 360. Sic e. g. nepotibus, qui immediati sunt aui heredes, dotatio a patre accepta ab eius fratribus et sororibus imputatur.

§. 361. At contra quoque vice versa filii indotati nepotibus omnino ius est, patris fratribus et so-

Source : BIU Cujas

roribus ea imputandi, quae hi acceperunt ab hereditatem relinquente.

§. 362. In qua exaequatione inter lineas nullum diſcrimen inde exoritur, vtrum deſcendentes, graduum remotiorum ſuccedentes, parentum immediatorum ſuorum heredes ſint facti, an non facti.

§. 363. Quae nepotes aut graduum remotiorum deſcendentes, parentibus ſuis immediatis viuis, ab auis acceperunt, neque parentibus, neque iis ipſis in diuidendo cum lineis aliis poſſunt imputari.

§. 364. At vero, ſi aui, poſt mortem liberorum ſuorum, nepoti ab iis relicto dotationem, aut donum ſecundum §. 328. collationi ſ. imputationi in genere ſubiectum contulerunt; dotatio aut donum lineae, ad quam dotatus aut donatus pertinet, omnino imputatur.

§. 365. Inter vnius eiusdemque lineae participantes exaequatio eodem fit modo, ac ſi nepos dotationem aut donationem accepiſſet a parentibus ſuis immediatis.

§. 366. Si defunctus in bonorum communione vixit; in ſeparatione inter coniugem ſuperſtitem et liberos, praecepta tituli primi §. 635. ſeqq. obtinent.

4) Succeſſio deſcendentium, ſi bonorum extitit communio.

§. 367. In hereditatem defuncti, ſecundum haec praecepta conſtitutam, eius deſcendentes eodem modo ſuccedunt, qui in antecedentibus de ſucceſſione ex lege ſecundum ius commune eſt praeceptus.

§. 368. At parentibus tamen liberum eſt, vt viui adhuc liberis de iure hereditario in futuram hereditatem ſatisfaciant.

§. 369. Quae tamen ſatisfactio pacto ſucceſſorio ſolenni eſt conſtituenda.

§. 370. In regula ſatisfactio tantum extenditur ad eius vtrorumque parentum hereditatem, qui primus moritur.



Source : BIU Cujas

§. 371. At vero complectitur rem familiarem, a primo defuncto relictam, liberam omnem, siue in communionem fuerit collata, siue non collata.

§. 372. In regula satisfactio non nisi in fauorem coniugis superstitis facta praesumitur.

§. 373. Si itaque parentum, qui liberis satisfecerunt, alter moritur; filius, cui est satisfactum, eius hereditatem petere nequit.

§. 374. Quin potius, quae ei secundum successionis ex lege regulas ex hereditate forsan competerent, parenti cedunt superstiti.

§. 375. Si vero hic quoque defungitur, filius, cui est satisfactum, aeque eius est heres, ac si nulla praestita fuisset satisfactio.

§. 376. Si tunc existunt liberi, quibus est satisfactum, et quibus nondum est satisfactum, exaequatio inter eos ob satisfactionem illorum, et horum portiones hereditarias, ex hereditate praedefuncti coniugis acceptas, secundum easdem fit regulas, quae §. 303. seqq. de donationibus sunt praescriptae.

§. 377. Si tali satisfactionis pacto filius ab hereditate parentis vtriusque, in fauorem etiam fratrum et sororum suorum reliquorum, aut tertii, debeat excludi; pactum diiudicandum est ex principiis de pactis successoriis, inter parentes et liberos in genere praescriptis.

5) Successio descendentium ex vltimae voluntatis dispositione.

§. 378. A legibus antecedentibus de liberorum et descendentium remotiorum successione (§. 300-376.) parentes in vltimae voluntatis dispositionibus possunt recedere.

§. 379. Quae dispositiones, si iis liberi et descendentes remotiores iure hereditario debeant priuari, solennitatibus testamenti validi omnibus munitae sint necesse est. (§. 431.)

§. 80. a) At contra, si dispositio tantum spectat ad diuisionis inter liberos principia aut modum; iam sufficit, si tantum a testatore manu propria scripta

Source : BIU Cujas

eſt et ſubſcripta, aut coram iuſtitiae commiſſario et teſtibus duobus ad protocollum ore declarata.

§. 380. b) Atque etiam ad validitatem eiusmodi diſpoſitionis inter liberos iam ſufficit, ſi teſtator diſpoſitionem non quidem manu propria ſcriptam, ſed in omnibus tamen foliis et ſub finem ſubſcriptam coram iuſtitiae commiſſario et teſtibus duobus pro ſua agnoſcit, adiecta affirmatione expreſſa, ſe eam ante perlegiſſe, et ſi haec agnitio ſub originali rite notatur.

§. 380. c) In quo caſu (§. 380. b.), ſi diſponens eſt ordinis ruſtici aut ciuici vulgaris, iuſtitiae commiſſarius de eo certus fiat, diſponentem ſcripta poſſe legere, et qua ratione de eo certus factus ſit, in nota (regiſtratura) conficienda notet neceſſe eſt.

§. 380. d) Cuius tamen notae omiſſio validitati diſpoſitionis nihil nocet, ſi modo diſponentis facultas ſcripta legendi alio modo poſſit probari.

§. 381. Si in eiusmodi vltimae voluntatis diſpoſitione, omiſſis teſtamenti veri ſolennitatibus facta, (§. 380 a. 380 b.) in coniugis ſuperſtitis fauorem, vel tertii, quid eſt diſpoſitum, id non ſcriptum habetur.

§. 382. At diſpoſitio ipſa, quatenus ad liberos pertinet, vim habet.

§. 383. Parentes vltimae voluntatis diſpoſitionibus, vel per ſolennis teſtamenti, vel diſpoſitionis quoque priuilegiatae modum inter liberos factis, hereditatem ſuam inter liberos inaequaliter poſſunt diuidere.

§. 384. Diſponere poſſunt, vt nondum dotati prae dotatis ſummam, dotationibus et donationibus minorem, aut nihil plane antecapiant.

§. 385. Definire poſſunt: quanti dotationes, quas liberi nonnulli ab iis acceperunt, in diuidundo cum reliquis debeant imputari.

§. 386. Liberorum vnum aut alterum poſſunt obligare, vt ipſorum hereditatis portioni etiam im-



Source : BIU Cujas

putentur pecuniae aut res ab iis acceptae, aut sumtus in ipsos impensi ii, quorum alias in successione ex lege nulla habetur ratio. (§. 329.)

§. 387. At vero si parentes eiusmodi collationem (§. 385-386) praecipiunt; summam vel in dispositione ipsa, vel relatione ad consignationem aliam, ab ipsis factam, sufficienter determinent necesse est.

§. 388. Qua determinatione deficiente, imputatio iussa pro non scripta habetur.

§. 389. Atque etiam per vltimae voluntatis dispositiones parentes liberos obligare non possunt, vt eorum, quae iure proprio ab iis semel acceperunt, aliquid restituant.

§. 390. Quidquid in vltimae parentum voluntatis dispositione non est determinatum, diiudicandum est ex regulis successionis ex lege.

De legitima.

§. 391. At omnia, quae in antecedentibus §. 383 seqq. praecepta sunt de iure parentum, de bonis suis inter liberos pro arbitrio disponendi, valent tantum, si liberis salua est reseruata legitima.

§. 392. Legitima, si vnus tantum aut duo existunt liberi, est pars tertia; si tres aut quatuor, dimidia; et si plures quam quatuor, tertiae partes duae hereditatis portionis, quam quisque accepisset, si successio ex lege locum habuisset.

§. 393. Vera tantum dotationis acceptae et donorum §. 328 descriptorum summa liberorum legitimae potest imputari (§. 331. sqq.).

§. 394. Imputationibus aliis parentes legitimam laedere et deminuere non possunt.

§. 395. Si tamen hereditatem relinquens exsoluit descendentium vnius debita, licet ad ea agnoscenda ex legibus non erat obligatus, ius ei competit, legitimae eius imputandi soluta.

Source : BIU Cujas

§. 396. Quidquid in liberos in caſum mortis, quocunque ſit nomine factum, a parentibus confertur, in computatione legitimae eſt imputandum.

§. 397. Gerada, cognatae gerada (*Niftel*), res expeditoriae, feuda, fideicommiſſa, et in vniuerſum omnia, quae liberi non a parentibus ſed per parentes tantum accipiunt, in computatione legitimae non imputantur.

§. 398. Legitima conditionibus aut limitationibus aliis grauari non poteſt.

§. 399. Parentibus tamen ius liberos in totum exheredandi competit: 1) ſi perduellionis aut criminis laeſae maieſtatis, in imperantis perſonam admiſſi, rei ſunt iudicati; De exheredatione.

§. 400. 2) Si vitae parentum germanorum aut non germanorum vnius inſidias ſtruxerunt;

§. 401. 3) Si parentum germanorum vnum in iudicio falſo accuſarunt meliorum ſcientes criminis, in quod grauior quam pecuniaria aut ciuilis tantum carceris poena eſt conſtituta;

§. 402. 4) Si parentum germanorum vni vim intulerunt, excepto caſu moderaminis inculpatae tutelae;

§. 403. 5) Si bonam hereditatem relinquentis famam iniuriis grauibus petierunt.

§. 404. Vtrum iniuriae §. 400 - 403 deſcriptae a liberis immediate, an per alios, parentibus ſint illatae, nihil mutat.

§. 405. 6) Si liberi cum altera parte germanorum aut non germanorum parentum conſuetudinem habuerunt inceſtuoſam aut adulterinam;

§. 406. 7) Si liberi delictis grauibus hereditatem relinquentem haud mediocri bonorum parte priuarunt.

§. 407. Haud mediocre damnum illud habetur, quod minimum ad legitimae filio competentis ſummam accedit.

Source : BIU Cujas

§. 408. 8) Si filius aut filia teſtatorem egenum ſubſidiis noluit adiuuare.

§. 409. 9) Si liberi, licet honeſte educati, magnis ſceleribus, morum turpitudine, aut eligendo inhoneſto vitae genere ſe inter ordinis ſocios publice dehoneſtarunt.

§. 410. Liberorum exheredatio plena locum habere non poteſt niſi ex his cauſis, §. 399 - 409 expoſitis, non autem ex aliis, licet eaedem ac expreſſae, aut iis ſimiles eſſe videantur.

§. 411. Ex cauſis iisdem parentes legitimam poſſunt deminuere.

§. 412. Parentibus ius eſſe, liberos, qui absque eorum conſenſu impetrato, aut a iudice ſuppleto, matrimonium inierunt, vſque ad legitimae dimidium exheredandi, in tituli primi §. 1008. 1010. 1012. eſt praeceptum.

§. 413. Idem obtinet, ſi liberi coitu illegitimo parentum conſenſum in nuptias celebrandas extorquere voluerunt.

§. 414. Exheredatio in teſtamento facta tamdiu ſubſiſtit, vſque donec teſtator hoc teſtamentum non reuocauit, aut voluntatem, exheredationem tollendi, non perſpicue declarauit.

§. 415. Quae declaratio, intuitu formae externae, ſaltem munita ſit neceſſe eſt requiſitis, intuitu vltimae voluntatis diſpoſitionis inter liberos §. 380. praeſcriptis.

§. 416. Sola gratiae reconciliatio, vti receptio filii filiaeue in domum patriam, pro exheredationis reuocatione nondum eſt habenda.

§. 417. Legitime exheredatus in computanda liberorum reliquorum legitima connumeratur.

§. 418. Ex quibus cauſis parentes liberis legitimam iure poſſunt eripere aut deminuere, ex iisdem eam etiam poſſunt onerare conditionibus, aut libero-

Source : BIU Cujas

rum ius de ea diſponendi et inter viuos et mortis cauſa circumſcribere.

§. 419. Parentes praeter ea quoque liberorum ius de legitima diſponendi tunc poſſunt circumſcribere, ſi ita ſunt obaerati, vt debita legitimam totam aut in tantum abſorbeant, vt victus neceſſarius ex ea ipſis non ſuperſit. De exheredatione bona mente facta.

§. 420. Atque etiam, ſi oeconomiae inordinatae et profuſae ſe reos reddiderunt.

§. 421. Denique ſi liberi ob inſaniam aut ſtupiditatem rebus ſuis ipſi nequeunt praeeſſe.

§. 422. In caſibus tamen omnibus legitima limitationis cauſa expreſſe adiecta ſit neceſſe eſt.

§. 423. Ex tali cauſa legitima parentes liberis diſpoſitionem inter viuos, intuitu quoque legitimae, poſſunt interdicere.

§. 424. Et diſponere poſſunt, vt praeſentibus aut futuris liberorum creditoribus ius non debeat competere, ex portionis hereditariae ſubſtantia ſatisfactionem petendi.

§. 425. At legitimae vſufructu priuare liberos non poſſunt.

§. 426. Atque etiam eorum ius, mortis cauſa diſponendi intuitu legitimae, in deſcendentium tantum fauorem poſſunt limitibus circumſcribere.

§. 427. Attamen iis, ſi moriantur liberis non relictis, fratres ſororesque et eorum deſcendentes, in legitima quoque poſſunt ſubſtituere.

§. 428. Si parentes liberorum ius de portione legitima diſponendi limitibus eo modo circumſcripſerunt; iudicem oportet eas limitationes in fundis immobilibus referendas (intabulandas) curare, eas publice promulgare, et pro re nata liberis curatorem conſtituere.

§. 429. Vſumfructum, quem liberi ſecundum §. 425. habent, eorum creditores eatenus tantum poſ-

Source : BIU Cujas

ſunt petere, quatenus ad neceſſarium liberorum victum non eſt neceſſarius.

§. 430. Si parentes, filio portionem hereditariam completam relinquentes, ſimul diſponunt, vt ea conſeruetur nepotibus; filium huic diſpoſitioni ſe oportet ſubmittere, neque pro ea legitimam poteſt eligere.

§. 431. Omnes vltimae voluntatis diſpoſitiones, quibus liberis legitima debet eripi, minui aut onerari, ſub poena nullitatis, in forma teſtamenti ſolennis conceptae ſint neceſſe eſt; et forma diſpoſitionis inter liberos illis non ſufficit.

Effectus exheredationis aut praeteritionis illegalis.

§. 432. Si filius in legitima exheredatus, laeſus, aut alias oneratus aſſerit, ſibi tale damnum ex cauſa iniuſta, aut falſa eſſe illatum; ideo legitime audiatur neceſſe eſt.

§. 433. Si iudex grauamina iuſta eſſe cognoſcit, filio legitima ex hereditate eſt tradenda, aut ſupplenda, aut onus vel limitatio legitimae impoſita ſententia iudicis pro ſublata declaranda.

§. 434. Ad praeſtandam aut ſupplendam legitimam, tali filio competentem, heredes et legatarios reliquos pro portionis rata oportet conferre.

§. 435. At vero, ſi teſtator portionem hereditariam, exheredato filio ereptam, coheredum aut legatariorum vni expreſſe contulit; hic filio illegitime et iniuſte exheredato ſolus ſatisfaciat.

§. 436. In rebus reliquis omnibus, ad exheredationem non ſpectantibus, vltimae voluntatis diſpoſitio valet.

§. 437. Quae in antecedentibus de liberorum exhereditatione ſunt praecepta, valent quoque de nepotibus aliisque graduum remotiorum deſcendentibus, quatenus iis ius hereditarium legale competit.

§. 438. Si exheredatus teſtamentum ſemel expreſſe agnouit, poſtea illud impugnare nequit.

Source : BIU Cujas

§. 439. Legati, in teſtamento ſcripti, acceptio ſola pro tali agnitione nondum eſt habenda.

§. 440. Si exheredatus parentum diſpoſitionem per duos annos, poſt eam cognitam, iudicialiter non impugnauit; ius eius eam impugnandi praeſcriptione eſt extinctum.

§. 441. Si parentes filium quidem exheredarunt, at nulla exheredandi cauſa, aut non legitima adiecta; praecepta §. 432-436. obtinent.

§. 442. Idem obtinet, ſi filius aut nepos in vltimae voluntatis diſpoſitione plane ſilentio eſt praeteritus.

§. 443. Si vero filius, in teſtamento heres ſcriptus, ante teſtatorem eſt mortuus; eius deſcendentes plane in eius locum ſuccedunt, licet eorum in teſtamento non facta ſit mentio expreſſa.

§. 444. Si patet, praeteritionis filii aut nepotis cauſam in eo latere, quod teſtator eius exiſtentiam ignorauit, aut errore eum mortuum putauit; praeterito ex hereditate tantum eſt conferendum, quantum in teſtamento deſtinatum eſt heredi, portionem omnium minimam accipienti.

§. 445. Si vnus tantum, aut plures heredes partibus aequalibus ſunt ſcripti; praeteritus tantum accipit, quantum heredum ſcriptorum quisque.

§. 446. Si illi, cui minima collata eſt portio, deſtinata eſt ſumma praeteriti legitima minor, hic legitimam capit.

§. 447. Ad quam ſatisfactionem praeterito praeſtandam heredes ſcriptos et legatarios ſecundum praeceptum §. 434. conferre oportet.

§. 448. Neque huic collationi proportione quotae hereditariae ſubducere ſe poteſt, portionem omnium minimam accipiens, cui praeteritus eſt exaequandus.

§. 449. In reliquis omnibus talis quoque vltimae voluntatis diſpoſitio (§. 444.) valet.

Source : BIU Cujas

§. 450. Si tamen ex errore praeteritus poſt teſtamentum conditum eſt reuerſus, aut ſi alias teſtatori eius exiſtentiam aut vitam innotuiſſe probari poteſt, et teſtator poſt illud temporis momentum annum vnum praeterlabi paſſus eius intuitu nihil diſpoſuit; teſtamentum vim ſuam amittit.

§. 451. In quo igitur caſu liberi ex lege ſuccedunt.

§. 452. Si abſens, in teſtamento praeteritus, facta demum hereditatis delatione, quia verum mortis tempus erui nequit, ſententia declaratur mortuus; ob hanc mortis declarationem ſerius factam non tamen poteſt ſtatui, tempore hereditatis delatae eum adhuc vixiſſe.

§. 453. Quin potius ius heredum, quos forſan relinquit, hereditatem teſtatoris ex §. 444. petendi, vnice diiudicandum eſt ex praecepto partis primae Tit. I., §. 38.

§. 454. Si teſtator poſt teſtamentum conditum liberos aut nepotes ſuſcipit, quibus ſucceſſionis immediatae ius competit, et idem moritur anno praeterlapſo, diſpoſitione eorum intuitu nulla facta; praecepta §. 450. 451. locum habent.

§. 455. At vero, ſi hereditatem relinquens mortuus eſt, ante elapſum annum vnum, poſt filium talem aut nepotem ſuſceptum; praecepta §. 444-449. obtinent.

§. 456. Si quis poſt teſtamentum conditum alium ſolenniter adoptauit, nulla de eius ſucceſſione diſpoſitione facta, teſtamentum eo ipſo valore cadit.

Legitima liberorum ex matrimoniis diuortio ſeparatis.

§. 457. In vnico tantum caſu parentes ſunt obligati, vt viui adhuc liberis conſtituant legitimam.

§. 458. Si ſcilicet in diuortiis parentum alter declaratur nocens; hunc liberis ex eo matrimonio procreatis eam ſummam aſſignare oportet, quae foret ſumma legitimae, matrimonio per mortem diſſoluto.

§. 459.

Source : BIU Cujas

§. 459. In qua legitima computanda rationi tantum inferuntur bona partis nocentis, deducta ſatisfactione, innocenti ex iis competente.

§. 460. Si in diuortio patet, parentes vtrosque pari gradu eſſe nocentes; liberis legitima ex vtriusque bonis eſt aſſignanda.

§. 461. Quae legitima liberis aſſignata in verum eorum venit dominium.

§. 462. At ei tamen, ex cuius bonis eſt aſſignata, adminiſtratio et vſusfructus ad dies vitae permittitur.

§. 463. Qui cautionem de legitima iſta aſſignata in iis tantum caſibus praeſtat, in quibus pater ad eam de peculio liberorum praeſtandam eſt obligatus.

§. 464. Cautione ſingulari nulla praeſtita, liberi ob legitimam in bonis conſtituentis eodem praelationis iure gaudent, quod leges propter peculium non liberum in bonis patris iis attribuunt.

§. 465. Dum is, ex cuius bonis legitima eſt aſſignata, adhuc viuit, liberi de legitima neque inter viuos, neque mortis cauſa, poſſunt diſponere.

§. 466. At eam tamen iure hereditario relinquunt deſcendentibus, ſecundum regulas ſucceſſionis ex lege.

§. 467. Si eiusmodi filius moritur ſine deſcendentibus hereditatis capacibus; legitima germanis eius fratribus et ſororibus, eorumque deſcendentibus accreſcit.

§. 468. Si tales fratres et ſorores aut patrueles et amitini non exiſtunt; legitima ad conſtituentis bona redit; et parentum diuortio ſeparatorum pars altera iure nullo eam poteſt petere.

§. 469. Si filius nondum dotâtus, cui legitima eſt conſtituta, ex patria exit poteſtate, ſeparatam oeconomiam inſtituens; ſummae aſſignatae exſolutionem loco dotationis alias ipſi competentis poteſt petere.



Source : BIU Cujas

§. 470. Tum legitimae huius illimitatum acquirit dominium.

§. 471. Legitimae conſtitutione praeuia liberi a ſucceſſione futura in bona parentum diuortio ſeparatorum non excluduntur.

§. 472. Si ille, quem legitimam iis aſſignare oportuit, inteſtatus eſt defunctus: iis in eius hereditate ius ſuccedendi legale plenum competit, vti lineae deſcendentis conſanguineo alii omni.

§. 473. Neque minus idem eſt obligatus, ſi vltimam voluntatem cupit condere, vt iis legitimam ſaltem relinquat ex bonis, quae tunc poſſidet.

§. 474. Legitimam in diuortio conſtitutam ex hereditate tanquam debitum capiunt.

§. 475. In vnico tantum caſu, ſi compriuigni (ſemiconſanguinei) exiſtunt, quos conſtituens ex alio matrimonio ſuſcepit, haec prima legitima aeque iis eſt imputanda, ac in antecedentibus de dotationibus eſt praeceptum.

§. 476. Si diuortii tempore liberi ex matrimonio diſſoluendo iam ſunt maiorennes; ipſis relinquitur, quatenus vti velint iure, legitimae aſſignationem petendi, contra parentem nocentem.

§. 477. Sin vero adhuc ſint minorennes; curatorem in diuortii proceſſu iis conſtituendum curare oportet, vt legitima eruatur et cautio, ſi opus fuerit, de ea praeſtetur.

§. 478. Si legitimae ſumma per conuentionem inter parentem nocentem et innocentem fuerit determinata, in regula curatori ea eſt acquieſcendum.

§. 479. Idem obtinet, ſi partes vtraeque nocentes eam determinationem, intuitu vtriusque rei familiaris, inter ſe definierunt, et quaeque pars ſe offert, ad eius veritatem et intuitu rei familiaris ſuae, et intuitu notitiae, quam de alterius re familiari habet, iurisiurandi loco affirmandam.

Source : BIU Cujas

§. 480. At in vtroque tamen caſu curator, legitimae cognitionem propiorem petens, eſt audiendus, ſi graues poteſt proferre et demonſtrare ſuſpicionis cauſas et rationes, liberorum legitimam determinatione parentum eſſe laeſam.

§. 481. Pactis quoque ſucceſſio liberorum poteſt definiri. 6) Succeſſio deſcendentium ex pactis.

§. 482. Eiusmodi pacta, a parentibus inter ſe aut cum tertio celebrata, liberos oportet agnoſcere; quatenus pactis iſtis non laeditur legitima, ex parentum hereditate futura ipſis competens.

§. 483. Cum liberis quoque ipſis parentes talia pacta hereditaria poſſunt inire.

§. 484. At pacta tamen, quae filium ab hereditate parentum prorſus excludant, aut in legitima laedant, celebrari tantum poſſunt cum maiorennibus ex patria poteſtate dimiſſis, et non niſi coram eorum iudicio competente.

§. 485. At pactum eo modo celebratum filius ſub nullo praetextu, et ne ob mutatam quidem parentum fortunam, deinde poteſt impugnare.

§. 486. Si vero liberi reliqui, aut coniux, aut is, in cuius fauorem alias pactum eſt celebratum, ante hereditatis delationis exiſtentiam deceſſerunt; neque parentum pars, quae pactum celebrauit, vltimae voluntatis condidit diſpoſitionem; filius antea excluſus nihilo minus admittitur ad ſucceſſionem ex lege.

§. 487. Conſanguinei lineae aſcendentis et collateralis itaque talem filium eatenus tantum ab hereditate parentum poſſunt excludere, quatenus pactum cum iis expreſſe in eorum fauorem eſt initum.

§. 488. Liberi, qui iuri hereditario pacto valido renuntiarunt, in computanda reliquorum legitima connumerantur.



Source : BIU Cujas

## Sectio Sexta.

### *De ſucceſſione parentum et aliorum conſanguineorum lineae aſcendentis.*

Succeſſio parentum primi gradus,

§. 489. Deficientibus lineae deſcendentis conſanguineis, defunctorum parentes germani ad ſucceſſionem ex lege perueniunt, excluſis fratribus atque ſororibus.

§. 490. Pater et mater ſuperſtites hereditatem aequaliter diuidunt.

§. 491. Si alter tantum ex parentibus eſt ſuperſtes; hic integram capit hereditatem.

aſcendentium remotiorum.

§. 492. Parentibus iam praedefunctis, aſcendentes remotiores excluduntur ab hereditatem relinquentis fratribus et ſororibus germanis atque eorum deſcendentibus.

§. 493. Si defunctus tantum relinquit fratres ſororesque vterinos et conſanguineos, aut eorum deſcendentes; his cum aſcendentibus remotioribus ſimul defertur ſucceſſio.

§. 494. Tum fratres ſororesue vterini et conſanguinei atque eorum deſcendentes capiunt hereditatis dimidiam, et cognati agnatiue lineae aſcendentis dimidiam alteram.

§. 495. Si defunctus neque fratres vel ſorores neque horum deſcendentes relinquit; hereditas defertur agnatis cognatisue lineae aſcendentis, excluſis reliquis a latere coniunctis omnibus.

§. 496. Quo ordine fratres vel ſorores et patrueles amitinique defuncto ſuccedant, in titulo tertio eſt praeſcriptum.

§. 497. Aſcendentium, ſiue ſoli, ſiue cum fratribus ſororibusue vterinis et conſanguineis ſ. vnilateralibus ſimul ad ſucceſſionem perueniant, gradu propior ſemper excludit remotiores.

Source : BIU Cujas

§. 498. Aſcendentes vnius eiusdemque gradus plures huius lineae aſcendentis portionis heredes ſunt partibus aequalibus.

§. 499. In tota aſcendentium ſucceſſione, et diuiſione hereditatis inter agnatos vel cognatos paternos et maternos nihil intereſt, vnde et ex qua parte bona filio defuncto ſint delata.

Vltimae voluntatis diſpoſitiones liberorum.

§. 500. Liberis ius competit, agnatorum cognatorumue lineae aſcendentis ſucceſſionem ex lege per teſtamentum ſolenne mutandi.

Aſcendentium legitima.

§. 501. At parentibus et aſcendentibus reliquis, lege ad ſucceſſionem vocatis, legitimam eripere nequeunt, ne tali quidem vltimae voluntatis diſpoſitione.

§. 502. Legitima aſcendenti cuilibet competens ſine diſcrimine numeri eſt dimidia portionis, ſecundum ſucceſſionem ex lege ipſi competentis.

§. 503. Quam legitimam liberi neque laedere poſſunt et minuere, neque conditionibus circumſcribere, neque oneribus grauare.

§. 504. Si defunctus quidem relinquit deſcendentes, at ex cauſa iuſta et legitima exheredatos; aſcendentibus iis, quos lex, deficientibus deſcendentibus, ad ſucceſſionem vocat, legitimam debet relinquere.

§. 505. Si vero defuncti deſcendentes iuri hereditario renuntiarunt; aſcendentes, his tempore hereditatis delatae adhuc ſuperſtitibus, legitimam eatenus tantum poſſunt petere, quatenus renuntiatio expreſſe in ipſorum fauorem eſt facta.

Cauſae exheredationis.

§. 506. Liberi parentes ſuos et aſcendentes remotiores in legitima quoque poſſunt exheredare; 1) ſi perduellionis aut criminis laeſae maieſtatis, in perſonam imperantis admiſſi, rei ſunt iudicati;

§. 507. 2) Si teſtatoris, aut eius coniugis aut deſcendentium vitae inſidias ſtruxerunt;



Source : BIU Cujas

§. 508. 3) Si male tractando testatorem eius valetudini damnum graue et durans dolose intulerunt;

§. 509. 4) Si eum grauis delicti, in quod leges poenam ergastuli aut munitionis (*Festungsstrafe*) constituerunt, meliorum scientes, falso in iudicio accusarunt.

§. 510. In his quoque exheredandi causis (§. 507 - 509) praeceptum §. 407. locum habet.

§. 511. 5) Si ascendens exheredatus cum filii exheredantis coniuge, durante matrimonio, adulterium commisit;

§. 512. 6) Si exheredatus in exheredantis educatione qua corpus aut mores grauiter neglexit officia, quae secundum leges ei incubuerunt;

§. 513. 7) Si consulto se subduxit obligationi legitimae, filium absque culpa lata ad inopiam et egestatem redactum alendi, licet possederit bona sufficientia.

§. 514. Ex iisdem causis (§. 506 - 513) filius ascendentium legitimam potest minuere, conditionibus circumscribere, aut oneribus grauare.

§. 515. De exheredatione ascendentium, bona mente facta, eadem praecepta locum habent, quae de hac liberorum exheredationis specie §. 419. sqq. data sunt.

Effectus exheredationis aut praeteritionis illegitimae.

§. 516. Atque etiam de iure parentum iniuste exheredatorum, aut praeteritorum, aut in legitima grauatorum valent omnia, quae de casibus similibus, intuitu liberorum, §. 432. seqq. sunt praecepta.

§. 517. At in eo tamen casu, si primi gradus parentes in testamento instituti ante hereditatem relinquentem sunt mortui, horum parentes in illorum locum non succedunt. (§. 433).

§. 518. Quin potius hi, si in testamento fuerint praeteriti, non nisi legitimam, et vel eam quoque eatenus tantum possunt petere, quatenus hereditatem relinquentis morte nulli existunt fratres vel sorores germani, neque eorum liberi.

Source : BIU Cujas

§. 519. In locis, vbi bonorum communio viget, intuitu ſucceſſionis in hereditate liberorum, quibus iam eſt, aut quibus nondum eſt ſatisfactum, attenduntur ſtatutorum et legum prouincialium praecepta. Succeſſio aſcendentium, ſi extitit bonorum communio.

§. 520. Quae vbi ſingulare nihil praecipiunt, ibi de ſucceſſione aſcendentium locum habent regulae ſucceſſionis ex lege ſecundum ius commune.

## Sectio Septima.

### *De ſubſtitutione pupillari.*

§. 521. Parentibus vti teſtatori alii omni ius competit, de bonis, quae liberis per hereditatem ab iis deferuntur, per vltimae voluntatis modum disponendi, in eum caſum, ſi liberi impuberes (Part. I. Tit. II. §. 25.) anno decimo quarto nondum impleto deceſſerint. Subſtitutio in locum liberorum impuberum.

§. 522. Quod ius, intuitu vtrorumque parentum, quoque extenditur ad legitimam, a quolibet parentum filio filiaeue relictam.

§. 523. At contra, patri ſoli tantum ius competit, ſubſtituendi liberis de peculio in eum caſum, ſi intra impubertatis annos decedant.

§. 524. Liberis exheredatis pater eo modo tunc demum poteſt ſubſtituere, ſi exheredatio ſecundum §. 419. ſeqq. bona mente eſt facta.

§. 525. Subſtitutionem §. 523. deſcriptam pater poteſt condere in vltimae voluntatis diſpoſitione, ſi teſtamenti ſolennitatibus eſt munita.

§. 526. At quoque in teſtamento ſeparato ſibi, et in ſeparato liberis poteſt heredem ſcribere.

§. 527. Quin etiam, ſi de bonis ſuis teſtamentum condere neceſſitatis eſſe non cenſet, nihilo minus ei diſponere licet pro filio filiaue in ſeparata vltimae voluntatis diſpoſitione.

§. 528. Ac licet diſpoſitio patris de bonis ſuis relictis et de peculio filii filiaeue in eadem tantum con-



Source : BIU Cujas

tineatur diſpoſitione, nihilo minus quaelibet harum diſpoſitionum habetur diſpoſitio per ſe ſubſiſtens.

§. 529. Licet itaque pater eundem, quem ſuum heredem ſcripſit, etiam in filii bonis ſubſtituat; heredi nihilo minus licet, alteram tantum hereditatem adire, et repudiare alteram.

Quomodo pater diſponere poſſit.

§. 530. Quibus legitima ex bonis a filio filiaue relictis competit, iis hereditaria ex lege portio, ne in diſpoſitione quidem, a patre pro filio filiaue facta, poteſt eripi aut laedi.

§. 531. At pater tamen heredem talem neceſſarium legitima quoque ex bonis a filio filiaue relictis ob eas cauſas poteſt priuare, ob quas filius filiaue iure exheredandi gauderet, ſi vltimae voluntatis diſpoſitionem condere ipſi liceret.

§. 532. Si filius filiaue fratres vel ſorores germanos aut vnilaterales, aut patrueles amitinosque relinquit; pater excepto caſu §. 531. nullum eorum a ſucceſſione ex lege in totum poteſt excludere.

§. 533. At bona tamen, a filio filiaue relicta, inter eos inaequaliter quoque poteſt diuidere.

§. 534. At eum tamen oportet cuique eorum dimidium ſaltem eius relinquere, quod ei ſecundum regulas ſucceſſionis ex lege competeret.

§. 535. Si filius filiaue neque agnatos aſcendentes relinquit, neque fratres vel ſorores aut patrueles amitinosque, ſed remotiores tantum agnatos vel cognatos; pater inter eos de bonis a filio filiaue relictis pro arbitrio poteſt diſponere.

§. 536. Hinc loco propioris (proximioris) remotiores, aut ex pluribus quoque eiusdem gradus agnatis cognatisue, vnum tantum ad ſucceſſionem filii filiaeue poteſt vocare.

§. 537. Extraneis cum filio filiaue nullo ſanguinis vinculo coniunctis pater bona a filio filiaue relicta neque omnia, neque ex parte, poteſt conferre.

Source : BIU Cujas

§. 538. In quantum pater in diſpoſitione ſua, pro filio filiaue facta, hos fines legitimos exceſſit, in tantum ſcriptum pro non ſcripto habetur.

§. 539. Si non niſi extraneos ad ſucceſſionem vocauit, diſpoſitio eſt inualida.

§. 540. Eodem modo eiusmodi diſpoſitio vim ſuam amittit, ſimulac liberi, pro quibus condita eſt, ad pubertatem peruenerunt. Quamdiu ſubſtitutio a patre facta valeat.

§. 541. Neque vllum inde diſcrimen, vtrum eiusmodi liberi voluntatis vltimae diſpoſitionem condiderint, nec ne.

§. 542. Si filius filiaue, facta ſubſtitutione, a tertio, accedente patris conſenſu, ſolenniter adoptatur, ſubſtitutio euaneſcit.

§. 543. Si, qui in bonis a filio filiaue relictis eſt ſubſtitutus, ante filium filiamue moritur; illius ius ex ſubſtitutione ad eius heredes non tranſit.

§. 544. Quidquid in antecedentibus praeceptum eſt de iure patris, liberis in eorum peculio, legitima, quam hereditate iis detulit, ſimul comprehenſa, ſubſtituendi, idem quoque de matre valet, intuitu legitimae, liberis ab ea relictae. (§. 525-543.) Subſtitutio pupillaris a matre facta.

§. 545. Liberis, qui ob inſaniam aut ſtupiditatem teſtamentum condere nequeunt, pater eodem iure in eorum mortis caſum heredem poteſt ſcribere. Subſtitutio quaſi pupillaris, qua parentes liberis furioſis et mente captis heredem ſcribunt.

§. 546. Idem valet de mutis et ſurdis, quatenus ipſi teſtamentum condere nequeunt.

§. 547. Si liberis patris mortis tempore facultas teſtamentum condendi (§. 545. 546.) re vera deficit; ſubſtitutio valet, licet tempore ſubſtitutionis conditae iis ea facultas nondum defuiſſet.

§. 548. At vero, ſi liberi, antequam inſani aut mente capti ſunt facti, teſtamentum condiderunt in ſe validum et legitimum; patris ſubſtitutione liberorum diſpoſitio, neque intuitu peculii liberorum, neque intuitu legitimae, liberis ab ipſo relictae, viribus deſtituitur.



Source : BIU Cujas

§. 549. Quatenus pater liberis insanis vel mente captis, aut surdis mutisque simul in bonis relictis potest substituere, eatenus matri quoque idem ius competit, si pater iure suo non est vsus.

§. 550. In qua substitutionis specie (§. 545. seqq.) caeterum sunt obseruanda omnia, quae in casum impubertatis in antecedentibus sunt praecepta.

Quando haec substitutio quasi pupillaris euanescat.

§. 551. Haec substitutio viribus destituitur, si filius moritur relictis coniuge, aut descendentibus legitimis.

§. 552. Quod idem fit, si postea tales liberi ad mentem sanam redierunt, atque adeo cura est finita.

§. 553. Si filio ob morbum redeuntem iterum curator est constituendus, substitutio nihilo minus vim suam non recuperat; ne tum quidem, si filius dilucido temporis interuallo non ipse disposuit.

§. 554. Caeterum substitutio pupillaris in casu nullo impedit, quo minus de filii bonis inter viuos disponatur, simulac filii vtilitas eiusmodi dispositionem exigit.

## Sectio Octaua.

### *De liberis ex matrimonio ad legem Salicam.*

§. 555. De liberis ex matrimonio ad legem salicam natis valent omnia, quae intuitu liberorum legitimorum generatim in antecedentibus sunt praecepta, nisi leges eorum praeceptorum exceptiones expresse definiant.

§. 556. In his autem casibus exceptis, talibus liberis iura liberorum, ex matrimonio ad dextram manum susceptorum, attribui tantum possunt per celebrationem eiusmodi matrimonii cum matre, aut per legitimationem.

Ordo et familiae iura

§. 557. Liberi ex matrimonio ad legem salicam procreati patris nomen non gerunt.

Source : BIU Cujas

§. 558. In eius familiam non intrant, neque petere poſſunt iura praerogatiua, ordini eius et dignitati conceſſa. ciusmodi liberorum.

§. 559. At contra, tales liberi gerunt nomen matris gentilitium.

§. 560. In matris familiam intrant, quatenus mater habet familiae iura, quae poteſt ad legitimos deſcendentes transferre.

§. 561. De eiusmodi liberorum perſona pater gaudet omnibus patriae poteſtatis iuribus; at contra, de eorum bonis ea iura ſibi arrogare nequit.

§. 562. Liberi ex matrimonio ad legem ſalicam a parentibus alimenta et educationem poſſunt exigere. Alimenta et educatio.

§. 563. Et alimenta et educatio ordini matris conuenienter ſunt conſtituenda.

§. 564. At vero, ſi mater eſt originis ciuicae, pater tantum obligatur ad educationem et victum liberorum eo modo inſtituendum, quo ciuis opifex liberos ſuos legitimos alere ſolet et educare.

§. 565. Idem modus norma quoque eſt vitae generis futuri eligendi, et dotationis talium liberorum.

§. 566. Proprii talium liberorum peculii vſusfructus patri competit nullus. Ratio intuitu bonorum.

§. 567. At omnino ei competit proprii huius peculii adminiſtratio, donec liberi ad maiorennitatem peruenerunt.

§. 568. In quo adminiſtrando curatoris iuribus gaudet, et eiusdem officiis aſtringitur.

§. 569. Dum filius adhuc eſt minorennis, intuitu facultatis ſe obligandi alii aequiparatur pupillo.

§. 570, Liberis ex matrimonio ad legem ſalicam, tempore mortis patris nondum educatis et dotatis, ea ex hereditate ſunt aſſignanda, quae ad eos alendos et dotandos ſunt neceſſaria, et de iis cautio in ſecuritatem ab heredibus eſt praeſtanda. Iura in hereditate patris,

Source : BIU Cujas

§. 571. Quanti educationis sumtus sint constituendi, et ad quam filii aetatem sint computandi, lite exorta iudicis arbitrio aequo definiendum est pro modo, quo pater filium educare debuisset, et pro vitae genere, cui eum destinauit.

§. 572. Si liberi nulli exstunt ex matrimonio ad dextram manum susceptí; liberi ex matrimonio ad legem salicam hos educationis et dotationis sumtus, tanquam debitum, ex hereditate antecapiunt.

§. 573. At vero, si liberi exstunt ex matrimonio ad dextram manum; liberi ex matrimonio ad legem salicam quidem dotationem, secundum §. 571. iis competentem, tunc quoque ex hereditate possunt petere;

§. 574. At hereditas tamen, si non sufficit, sic est diuidenda, vt quisque filius filiaue matrimonii ad dextram manum saltem capiat alterum tantum eius, quod filius filiaue matrimonii ad legem salicam ex bonis patris accipit.

§. 575. Caeterum de obligatione sorores fratresue matrimonii ad legem salicam alendi, liberis ex matrimonio ad dextram manum incumbente, valent eadem, quae de obligatione fratrum sororumue generatim in titulo subsequenti sunt praecepta.

§. 576. Si pater intuitu successionis talium liberorum in sua hereditate aliquid dispossuit; in eo standum.

§. 577. At tali quoque dispositione liberos nequit priuare victu et dotatione, secundum §. 571. ipsis competente.

§. 578. Neque ei ius competit, liberis ex matrimonio ad legem salicam procreatis in proprio eorum peculio pupillariter substituendi.

§. 579. Si pater nihil dispossuit, et descendentes ex matrimonio ad dextram manum susceptos relinquit; liberis ex matrimonio ad legem salicam nulla competit portio hereditaria.

Source : BIU Cujas

§. 580. At vero ſi nullos deſcendentes ex matrimonio ad dextram manum relinquit; liberi ex matrimonio ad legem ſalicam ſuſcepti, ſi eorum tres tantum ſunt aut pauciores, accipiunt tertiam hereditatis partem; et dimidiam, ſi tribus ſunt plures.

§. 581. Eiusmodi deſcendentes plures ex matrimonio ad legem ſalicam, portionem eam hereditariam legalem inter ſe diuidunt, ſecundum principia, in ſectione quinta de ſucceſſione deſcendentium generatim praeſcripta.

§. 582. Si pater nullos quidem alios relinquit deſcendentes, at coniugem; liberi ex matrimonio ad legem ſalicam portionem ſuam demum capiunt, deducta portione hereditaria, coniugi competente.

§. 583. Satisfactio quoque coniugis ex tali matrimonio relictae, ſiue liberorum mater ſit, ſiue non ſit, de hereditate deducitur ante computationem portionis, liberis competentis.

§. 584. Si neque coniux, neque agnati cognatiue propinqui alii (Tit. I. §. 622.) exiſtunt; liberi ex matrimonio ad legem ſalicam ſuſcepti perueniunt ad plenam ſucceſſionem ex lege in bona propria libera, a patre relicta.

§. 585. Ad relinquendam legitimam liberis ex matrimonio ad legem ſalicam ſuſceptis pater in caſu nullo eſt obligatus.

§. 586. In hereditate matris liberi, ſiue ex matrimonio ad manum dextram ſiue ad legem ſalicam ſint procreati, ius ſuccedendi legale habent. *in hereditate matris, eiusque cognatorum.*

§. 587. Maternorum quoque cognatorum aeque ſunt heredes, ac ſi ex matrimonio ad manum dextram fuerint procreati.

§. 588. In peculio liberorum ex matrimonio ad legem ſalicam procreatorum pater eiusque agnati cognatiue iure legali ſuccedendi nullo gaudent. *Succeſſio parentum.*

§. 589. At contra, intuitu ſucceſſionis matris eiusque cognatorum eadem praecepta locum habent,

Source : BIU Cujas

quae intuitu ſucceſſionis in peculio liberorum ex matrimonio ad manum dextram.

Iura liberorum matrimonio ad legem ſalicam diſſoluto.

§. 590. Si matrimonium ad legem ſalicam per iudicis ſententiam diſſoluitur; matrem nocentem eiusmodi matrimonii liberis legitimam aſſignare oportet eodem modo, qui intuitu liberorum matrimonii ad dextram manum eſt praeſcriptus.

§. 591. Sic etiam pater nocens declaratus liberis, ex matrimonio ad legem ſalicam ſuſceptis, dotationem ipſis competentem ex bonis ſuis aſſignet neceſſe eſt.

## Sectio Nona.

### *De liberis ex coitu illegitimo procreatis.*

Legitimatio liberorum illegitimorum, per iudicis ſententiam,

§. 592. Liberi ex coitu illegitimo procreati in caſibus omnibus, vbi matri ſtupratoris coniugis verae iura per iudicis ſententiam ſunt attributa, iura conſequuntur liberorum ex matrimonio plene valido procreatorum.

§. 593. Quae iura iis ſalua manent, licet parentum matrimonium propter pertinacem patris recuſationem, per benedictionem ſacerdotalem non conſummetur.

§. 594. At vero, ſi mater intra terminum legitimum (Tit. I. §. 1095.) ad iudicialem declarationem non egit, liberi natiuitatis legitimae iura, inde dependentia, arrogare ſibi nunquam poſſunt;

§. 595. At liberi tamen proceſſum a matre iam inſtitutum, ſi ante eius deciſionem moriatur, in eum finem poſſunt perſequi, vt ipſis attribuantur liberorum legitimorum iura.

per ſubſequens matrimonium cum matre initum,

§. 596. Si ſtuprator vitiatam, vel ſine proceſſu et ſententia lata, re vera matrimonio ſibi iungit; liberi ex concubitu illegitimo procreati conſequuntur per matrimonium ſubſequens liberorum legitimorum iura et obligationes, in caſibus omnibus, per leges ſingulares non expreſſe exceptis.

Source : BIU Cujas

§. 597. Filius ex ſponſa ſuſceptus iura legitimi iam acquirit patris declaratione iudiciali ſola, licet matrimonium cum matre non fuerit re vera conſummatum. per declarationem patris in iudicio factam,

§. 598. Si filii illegitimi legitimatio fit per matrimonium re vera ſubſequens; benedictio ſacerdotalis, et in caſu §. 597. declaratio iudicialis temporis momentum determinat, quo iura et obligationes filii tanquam legitimi initium capiunt.

§. 599. At contra in caſu §. 592. hoc temporis momentum ad diem actionis oblatae retrotrahitur.

§. 600. Si filius illegitimus tempore matrimonii a parentibus celebrati iam eſt mortuus, at relictis deſcendentibus legitimis; hi, etiam intuitu auorum, conſequuntur iura et officia legitimorum deſcendentium omnia.

§. 601. Si matrimonium inter parentes non obtinuit, pater nihilo minus a principe poteſt petere, vt legitimetur illegitimus. per iudicis auctoritatem.

§. 602. In explorando eiusmodi petito ſimul hoc eſt attendendum: an legitimatio filio ſit vtilis; et ſi de eius vtilitate dubitatio exiſtit, filius ipſe, aut, hoc adhuc minorenni, curator ei conſtituendus de re eſt audiendus.

§. 603. Per hanc legitimationem filius conſequitur patris ordinem, et ipſius intuitu iura et officia filii legitimi omnia.

§. 604. Per eam autem in patris familiam non intrat.

§. 605. In quam ſi debeat quoque recipi; hoc per familiae pactum fiat neceſſe eſt.

§. 606. Attamen inter liberos legitimantis legitimos, et legitimatum ipſum eadem exoritur ratio, quae eſt inter fratres vel ſorores legitimos, ab eodem patre procreatos.

§. 607. Si pater tempore, quo filium illegitimum legitimandum curauit, iam deſcendentes ſuſce-

Source : BIU Cujas

perat legitimos, quorum vni poſtea legitimam tantum relinquit; in legitima computanda legitimatus non connumeratur.

§. 608. Atque etiam inter legitimatum et agnatos vel cognatos matris ſuae, per legitimationem, ſine eorum conſenſu expreſſo factam, nulla alia fundatur familiae ratio, quam ex illegitima natiuitate ipſa iam fuerat exorta.

§. 609. Liberis ex matrimonio ad legem ſalicam procreatis qualitas liberorum ex matrimonio ſolenni natorum, intuitu patris, per imperantis legitimationem poteſt concedi.

§. 610. At vero, ſi legitimationis tempore iam exiſtunt deſcendentes ex matrimonio ad dextram manum, praeceptum §. 607. obtinet.

§. 611. At recipi in patris familiam non poſſunt, niſi per familiae pactum.

Iura illegitimorum liberorum, victus et educatio.

§. 612. Illegitimi, qui neque per matrimonium ſubſequens, neque per iudicis ſententiam, neque per legitimationem iura legitimorum ſunt conſecuti, a patre praeter alimenta et educationem nihil poſſunt exigere.

§. 613. Ad quae praeſtanda pater eſt obligatus, licet mater ſecundum tituli primi ſectionem vndecimam vel ſatisfactionem plane nullam, vel eius tantum ſpeciem minorem poſſit petere.

§. 614. Simulac filii illegitimi exiſtentia, ſiue per proceſſum inter parentes oriundum, ſiue alias denuntiatione certa iudicio de rebus tutelaribus innotuit, hoc ex officio oportet curatorem conſtituere illegitimo.

§. 615. Quem illegitimi iura contra patrem illegitimum oportet obſeruare, et cum parente vtroque, ſub cura iudicii de rebus tutelaribus ea paciſci, quae ad educandum et alendum illegitimum ſunt neceſſaria.

§. 616.

Source : BIU Cujas

§. 616. Curatori ius eſt et obligatio incumbit attendendi, vt obſeruentur, quae pacta ſunt; et ſi non obſeruentur, denuntiandi iudicio de rebus tutelaribus, quod vlterius diſponat.

§. 617. Si pater dictus filium a ſe eſſe procreatum negat; curator, licet mater rem nolit proceſſui permittere, nihilo minus in filii fauorem poteſt petere, vt legitime res audiatur et de ea cognoſcatur.

§. 618. In cognoſcendo et diiudicando, an filius a patre dicto ſit procreatus, attendenda ſunt principia, in antecedentis tituli ſectione vndecima expoſita.

§. 619. Si mater temporis ſpatio, in quod ſecundum haec principia filii conceptio incidit, rem habuit cum maribus pluribus; a ſententia curatoris circumſtantiarum rationem habentis pendet, quem eorum velit primum conuenire, vt officia debita praeſtet illegitimo.

§. 620. Qui vero ſi liberatur, aut ſi officia iſta adimplere nequit; curator iura illegitimi etiam contra reliquorum, qui cum matre rem habuerunt, alium poſt alium poteſt perſequi.

§. 621. Suſtentatio et educatio filii, donec quartum annum exceſſit, in regula concedenda eſt matri, patris ſumtibus.

§. 622. Si filius quartum annum eſt egreſſus, ab electione patris dependet, vtrum filium velit ipſe alere et educare, an matri ſuis ſumtibus ſuſtentationem et educationem poſtea quoque concedere.

§. 623. Si mater filium ſumtibus ſuis ſolis alere vult et educare, patri ius contradicendi nullum competit.

§. 624. Si iudicio de rebus tutelaribus videtur, patri ſine damno, filio metuendo, educationem non poſſe committi; hoc eam, ſumtibus patris, matri poteſt committere.



Source : BIU Cujas

§. 625. Moribus atque vita vtriusque parentis ita comparatis, vt nulli eorum educatio illegitimi filii filiaeue possit committi, a iudicio de rebus tutelaribus secundum praeceptum §. 98. seqq. est procedendum.

§. 626. In casibus omnibus, vbi alimentorum et educationis sumtus ad pecuniam rediguntur, ea tantum summa est attendenda, quam homines ruslici aut ordinis ciuici vulgaris in filii legitimi educationem, connumerato mineruali et didactro impenderent.

§. 627. In quibus ratio habenda est pretiorum cuiusque loci solitorum, et filii filiaeue necessitatum in annos auctarum.

§. 628. Si pater filii filiaeue victum et educationem eo modo procurare nequit, hoc officium ad auos paternos transit.

§. 629. Qui si deficiunt, aut ob paupertatem alimenta et educationem praestare nequeunt, mater et aui materni ad ea officia demum sunt obligati.

§. 630. At vero, si mater ea possidet bona propria, vt ex eorum reditibus, saluis sui victus sumtibus, alere filium filiamue possit; ad alendum filium filiamue vna cum patre illegitimo, et in primis prae huius parentibus est obligata.

§. 631. Si pater illegitimi nequit cognosci; alendi et educandi officium immediate matri eiusque parentibus incumbit.

§. 632. Qui si non amplius existunt, aut filium ob paupertatem alere et educare nequeunt; regnum liberos illegitimos alendos et educandos curare oportet per loci cuiusque instituta, pauperibus alendis destinata.

Quamdiu illegitimi sint alendi.

§. 633. Obligatio parentum liberos illegitimos alendi eo vsque tantum durat, donec annum decimum quartum sunt egressi.

§. 634. Quo tempore praeterlapso liberos ipsos oportet alimenta sibi comparare.

Source : BIU Cujas

§. 635. At filiis illegitimis, opificio (arti manuariae) aut quaeſtui (profeſſioni) deſtinatis, pater quoque poſtea tenetur ad ſoluendum didactrum, et pecuniam pro dimiſſione ex diſciplina. (*Lehr- und Los-ſprechegeld*)

§. 636. Si praeter ea pater quoque filium educari curauit ad certum quendam quaeſtum, ex quo peracto anno decimo quarto alimenta ſibi comparare nondum poteſt; pater filium tamdiu debet alere, donec filius ipſe hoc quaeſtu ſ. vitae genere a patre electo alere ſe poteſt.

§. 637. Si liberi illegitimi ob morbum aut aliam vitioſam corporis et animi affectionem facultate priuantur, victum ſibi comparandi; a parentibus et auis alimenta neceſſaria petere quoque vlterius poſſunt.

§. 638. At contra, liberos quoque illegitimos pro facultate ſua ſuſtentare oportet parentes et auos inopes, deficientibus aliis ad eos alendos propius obligatis.

§. 639. Liberi illegitimi neque in patris neque in matris familiam intrant. Iura ordinis et familiae.

§. 640. At matris tamen nomen gentilitium gerunt, et pertinent ad eum ordinem, quo mater fuit tempore, quo eos eſt enixa.

§. 641. Matre vero ex nobili gente orta, filio illegitimo non licet nomen et inſignia nobilia ſibi arrogare.

§. 642. Liberi illegitimi, vſque dum annum decimum quartum ſunt egreſſi, inſtituuntur in fidei, cui mater eſt addicta, confeſſione.

§. 643. At vero ſi pater coetui Chriſtianorum eſt addictus, mater autem coetui religioſo alii; illegitimus, donec annum decimum quartum exceſſit, in fide chriſtiana eſt inſtituendus.

§. 644. Illegitimi non ſunt ſub patria poteſtate, ſed tantum ſub cura, a regno ipſis ordinata.



Source : BIU Cujas

§. 645. Iura parentum perſonalia in eos non extenduntur vlterius, ac educationis finis exigit.

§. 646. In primis electio vitae generis, cui illegitimus eſt deſtinandus, non a patre dependet, ſed a tutela.

Iura in bonis a patre relictis.

§. 647. Patre ante educationem finitam defuncto, liberi illegitimi ea, quae ad educationem adhuc requiruntur, ex bonis a patre relictis poſſunt exigere.

§. 648. Si exiſtunt liberi legitimi, in ſummam educationi futurae deſtinatam aſſignari tantum poſſunt bonorum relictorum fructus, quos non excedat.

§. 649. At liberis legitimis nullis exiſtentibus, quae defunt educationis ſumtibus, ſi opus fuerit, ex ſubſtantia quoque ſunt ſumenda.

§. 650. Si omnes, qui exiſtunt, liberi legitimi, aut etiam nonnulli eorum nondum ſunt educati; bonorum a patre relictorum fructibus ad eorum omnium educationem non ſufficientibus, ea eſt inſtituenda ratio, vt legitimis aſſignetur duplum eius, quod aſſignatur illegitimis.

§. 651. Praeter ea illegitimi, ſi pater deſcendentes relinquit ex matrimonio ad dextram manum aut ad legem ſalicam ſuſceptos, in bonis a patre relictis nullum ius habent hereditarium legale.

§. 652. Si non exiſtunt eiusmodi deſcendentes legitimi, neque vltimae voluntatis diſpoſitio a patre condita; illegitimis ſexta hereditatis pars competit, ſecundum determinationes propiores, §. 581. 582. 583. expoſitas.

§. 653. Liberi illegitimi, quorum mater conceptionis tempore cum maribus pluribus rem habuit, eam portionem hereditariam exigere non poſſunt.

§. 654. Hinc illegitimi, tale ius hereditarium ſibi arrogaturi, vel ſpontaneam patris dicti agnitionem probent, vel ſententiam producant vires rei iudicatae nactam, qua ipſis, patre adhuc viuo, ius tale hereditarium eſt reſeruatum.

Source : BIU Cujas

§. 655. Ad legitimam liberis illegitimis relinquendam nullo in casu pater tenetur.

§. 656. In bonis a matre relictis illegitimis cum legitimis aequale ius succedendi ex lege competit. *in bonis a matre relictis.*

§. 657. At legitimi tamen in anteceſſum capiunt, quae matri a legitimorum patre, aut eius ascendentibus, per pacta, voluntatis vltimae disposiciones, aut succeſſionem ex lege sunt delata.

§. 658. Hereditatem illegitimorum petendi ius patri plane nullum competit. *Ius hereditarium parentum, in hereditate liberorum.*

§. 659. Mater contra illegitimorum eodem iure, quo legitimorum, eſt heres.

§. 660. Inter liberos illegitimos, et parentum vtrorumque agnatos cognatosue in regula succeſſio ex lege locum habet nulla. (Tit. III. §. 6-8.) *Ius hereditarium illegitimorum in hereditate paternorum et maternorum agnatorum vel cognatorum.*

§. 661. Illegitimi igitur neque ex auorum maternorum hereditate petere poſſunt legitimam.

§. 662. In vitae ciuilis rebus illegitimi cum legitime natis, aut pro legitimis declaratis, gaudent iuribus aequalibus.

§. 663. Si ad illegitimorum meliorem succeſſum et prosperitatem legitimationis factae documentum scriptum requiritur; parentum alter, aut illegitimus ipse, aut eius curator illud potest petere. *Legitimatio in finem melioris fortunae solum facta.*

§. 664. Legitimationis factae documentum scriptum exhibet iudicium prouinciae supremum.

§. 665. Quo tamen nihil mutatur in liberorum ad parentes eorumque familias relatione reliqua.

## Sectio Decima.

### *De adoptione.*

§. 666. Adoptio fieri tantum potest pacto scripto.

§. 667. Quod pactum prouinciae, qua adoptans sedem fixam habet, supremo iudicio ad cognoscendum et confirmandum exhibeatur neceſſe eſt.



Source : BIU Cujas

Quis adoptare possit?

§. 668. Iis tantum, qui annum quinquagesimum excesserunt, adoptare liceat.

§. 669. At permitti tamen quoque potest personis ea aetate inferioribus adoptio, at non nisi accedente singulari imperantis venia; si propter corporis aut valetudinis affectionem liberorum naturalium procreatio sperari ab iis nequit.

§. 670. Caeterum ius adoptandi denegatur tantum iis, qui ad caelibatum vi ordinis sunt obligati.

§. 671. Cui legitimi adhuc sunt descendentes, adoptare nequit.

§. 672. Consensus parentum adoptantis in regula est necessarius.

§. 673. At defectus tamen consensus eorum id tantum efficit, vt parentibus ius ex adoptantis hereditate petendi legitimam, si decesserit, conseruetur integrum.

§. 674. Feminae quoque adoptare possunt.

§. 675. At nuptae tantum cum mariti consensu.

§. 676. Si maritus absque vxoris consensu aliquem adoptauit; inde vxoris ius hereditarium in hereditate futura non mutatur.

Quinam adoptari queant?

§. 677. Adoptandus aetate minor sit adoptante necesse est.

§. 678. Si annos impubertatis est egressus, consensus eius liber requiritur.

§. 679. Si pater eius adhuc viuit, huius quoque consensus est necessarius.

§. 680. Si est sub tutela, iudicii de rebus tutelaribus consensus est impetrandus.

Effectus adoptionis,

§. 681. Per adoptionem inter patrem adoptantem et filium adoptiuum in regula ea iura et officia exoriuntur, quae inter parentes germanos et liberos ex matrimonio ad dextram manum procreatos.

intuitu personae,

§. 682. Adoptiuus nomen patris adoptantis accipit.

Source : BIU Cujas

§. 683. Conſequitur iura ordinis adoptantis omnia, quatenus ea per natiuitatem ex matrimonio ad dextram manum propagantur.

§. 684. Si vero adoptans eſt nobilis, et ciuici ordinis adoptatus; hic iura ſingularia et praerogatiua nobilitatis aſſequi tantum poteſt per ſingularem imperantis gratiam.

§. 685. Si adoptans eſt ordinis ciuici, et adoptatus ex gente nobili ortus; hic quidem nobilitatis iura non amittit; at praeter adoptantis nomen (§. 682.) ſimul nomen gentilitium ſuum nobile aſſeruare eum oportet.

§. 686. Si adoptans eſt maritatus, inter eius vxorem et adoptiuum ea tantum exiſtit ratio, quae inter parentes non germanos et priuignos.

§. 687. Adoptione vero ab vtroque coniuge communiter facta, adoptato cum vtroque intercedit eadem ratio, quae filio germano cum parentibus.

§. 688. Si femina aliquem adoptauit, adoptiuus conſequitur nomen gentilitium matris et ordinem, cuius ea adoptionis tempore fuit.

§. 689. Nomen et ordo eius, qui fuit maritus, tali filio attribui tantum poteſt ſub circumſtantiis ſingularibus, metum contradictionis familiae mariti excludentibus, et non niſi expreſſa imperantis gratia.

§. 690. Caeterum mater adoptans erga adoptiuum conſequitur iura et officia matris germanae omnia.

§. 691. In bonis quoque parentum adoptantium, quatenus parentibus ius de iis libere diſponendi competit, adoptiuus conſequitur iura liberorum ex matrimonio ad dextram manum procreatorum omnia. intuitu bonorum adoptantis, et

§. 692. Quidquid igitur de alimentatione, educatione, dotatione, et ſucceſſione horum liberorum eſt praeceptum, valet quoque de adoptiuis.



Source : BIU Cujas

§. 693. Cum liberis quoque germanis, poſt adoptionem ab adoptante forſan procreatis, adoptiuo intuitu adoptantis, iura competunt paria.

adoptiui. §. 694. At contra, pater adoptans de adoptiui bonis iura patris naturalis neque inter viuos, neque mortis cauſa conſequitur.

§. 695. Adoptiuo maiorenni peculium ſuum concedendum eſt, vt libere illud adminiſtret atque eo vtatur.

§. 696. Sin adhuc eſt minorennis, peculium manet ſub patris aut curatoris adminiſtratione, qua hactenus fuit.

§. 697. Sed pater quoque naturalis amittit vſumfructum alias ipſi competentem.

§. 698. Hinc bona filii ratione eius tantum debet adminiſtrare, eorumque reditus ad augendam ſortem, aut alio modo in filii rem vtiliter impendere.

§. 699. Adoptiui patre naturali poſt adoptionem mortuo, cura bonorum filii committi adoptanti poteſt.

§. 700. At iudicium tamen de rebus tutelaribus non tenetur, vt eum curatorem conſtituat.

§. 701. Adoptiuo ante parentes naturales mortuo, his, non autem adoptantibus, ſucceſſio ex lege defertur.

§. 702. At contra adoptiuo quoque ſeruatur integrum ius hereditarium ex lege, in naturalium parentum hereditate.

Propiores determinationes per pacta. §. 703. Determinationes legales antecedentes (§. 682-702.) per pactum in adoptione initum aliter poſſunt definiri.

§. 704. Intuitu rationum perſonalium eiusmodi mutationes eatenus admittuntur, quatenus inde negotii eſſentiale non tollitur.

§. 705. Si determinationes legales reſpectu bonorum pacto debeant mutari; adoptando adhuc mi-

Source : BIU Cujas

norenne, iudicium de rebus tutelaribus cognoſcat neceſſe eſt eas mutationes, et an iis mutationibus factis adoptio filio ſit vtilis.

§. 706. Pactum, quo adoptiuus vel adeo legitima ex hereditate naturalium ſuorum parentum futura priuatur, cum maiorenni tantum poteſt celebrari.

§. 707. Per adoptionem adoptiui quoque deſcendentes, tunc iam exiſtentes et poſtea procreati, cum parentibus adoptantibus eadem ratione iunguntur, quae deſcendentibus eſt cum aſcendentibus. Familiae, rationes.

§. 708. Caeterum autem inter adoptiuum et adoptantis familiam per adoptionem nulla omnino exoritur coniunctio.

§. 709. Neque adoptantis liberis naturalibus, poſt adoptionem forſan procreatis, cum adoptiuo intercedit fratrum vel ſororum ratio.

§. 710. Si per adoptionem ſimul familiae coniunctio debeat conſtitui; id per familiae pactum ſeparatum fiat neceſſe eſt.

§. 711. At contra adoptiuus membrum manet familiae, in qua natus eſt.

§. 712. Inter eum igitur et agnatos cognatosue ipſius naturales iura et officia omnia aeque ſubſiſtunt, ac ſi nulla facta fuiſſet adoptio.

§. 713. Ad praecauendam horum iurium obſcurationem adoptiuo ius competit, cum adoptantis nomine ſimul nomen ſuum gentilitium gerendi.

§. 714. Adoptio ſemel legitime facta iisdem tantum modis poteſt ſolui, quibus perfecta eſt, conſentientibus iis, quorum intereſt, et accedente iudicis confirmatione. Quibus modis adoptio poſſit ſolui.

§. 715. Quibus obſeruatis adoptio omnes amittit effectus, et iura atque officia eorum, quorum intereſt, ſic ſunt diiudicanda, ac ſi nunquam fuiſſet facta.

§. 716. Poteſtas patria ex adoptione oriunda finitur et ſoluitur modis iisdem, quibus patris naturalis poteſtas.



Source : BIU Cujas

## Sectio Vndecima.

### *De prolis vnione.*

§. 717. Inter parentes non germanos et inter priuignos nullae sunt familiae rationes.

§. 718. At eiusmodi tamen rationes certo modo per prolis vnionem possunt fundari.

§. 719. Eiusmodi prolis vnio locum habet, si personarum, quae matrimonium ad dextram manum ineunt, vel altera vel vtraque ex tali matrimonio priori liberos habet viuos.

§. 720. Cuius prolis vnionis is est finis, vt inter parentes non germanos et priuignos producantur iura et officia personalia eadem, quae inter parentes et liberos germanos subsistunt, atque etiam mutua succedendi iura.

§. 721. Prolis vnio fieri tantum potest per pactum in iudicio perfectum et confirmatum.

§. 722. Quod fieri potest et in pacto matrimoniali, a parentibus matrimonium iungentibus inito, et post nuptias iam celebratas pacto separato.

§. 723. Prolis vnio et parentum et liberorum vniendorum requirit consensum.

§. 724. Si liberi adhuc sunt minorennes, iudicium de rebus tutelaribus curatore adhibito oportet cognoscere, an prolis vnio, et conditiones pacti de ea initi in liberorum cedant vtilitatem.

§. 725. Quilibet parentum, liberos, quos iam habet, cum liberis, quos coniux alter habet, viens, liberis, quos iam habet, tenetur ad assignandam, in mortis futurae casum, in anteceſſum summam certam ex bonis, quae prolis vnionis tempore possidet.

§. 726. Quae portio constituenda dimidiam saltem aequet necesse est bonorum, a parentibus eam constituentibus in matrimonium nouum illatorum.

Source : BIU Cujas

§. 727. De definienda huius portionis conſtituendae ſumma, acquieſcendum eſt iudici indicatione officioſa parentum, quos non poteſt adigere, vt ſtatum bonorum reuelent.

§. 728. Si coniugum, prolis vnionem conſtituentium, vnus aut alter conſanguineos habet lineae aſcendentis; eorum conſenſum producat neceſſe eſt.

§. 729. Quo conſenſu non impetrato, aſcendentibus talibus ius reſeruatur, legitimam petendi ex hereditate futura deſcendentis, prolis vnionem conſtituentis.

§. 730. Si liberi vniendi procreati ſunt ex matrimonio per iudicis ſententiam diſſoluto; intuitu conſenſus producendi parentis alterius diuortio ſeparati locum habent eadem praecepta, quae §. 728. 729. intuitu aſcendentium ſunt praeſcripta.

§. 731. Prolis vnionis effectus legales in primis determinantur ſententia pacti, de ea celebrati.

§. 732. In quo ſi ſingulare quid non eſt determinatum; vitricus aut nouerca in liberorum vnitorum perſonas iura conſequuntur parentum germanorum omnia.

§. 733. At contra vitricus in bonis priuignorum nullo modo ſibi acquirit iura, patri germano inter viuos competentia.

§. 734. At omnino prolis vnio fundat inter parentes et liberos vnitos ſuccedendi iura paria et mutua.

§. 735. Quae tamen iura ad ea tantum extenduntur bona, de quibus ius libere diſponendi cuique competit.

§. 736. Ea quoque bona, quae liberis poſt prolis vnionem conſtitutam aliunde, quam a parentibus vnionem conſtituentibus ſunt delata, his ſuccedendi iuribus non ſunt ſubiecta.

Source : BIU Cujas

§. 737. Parentis alterius defuncti hereditatis liberi germani et priuigni pari iure sunt heredes.

§. 738. At tunc tamen defuncti liberi, ex matrimonio priori germani, antecapiunt quantum, secundum §. 725. in pacto de vnione ipsis constitutum.

§. 739. Hereditatem relinquentis liberi germani ex eo matrimonio, cuius intuitu prolis vnio est constituta, petere non possunt praecipuam portionem eam, quae fratribus vel sororibus vnilateralibus est constituta.

§. 740. Quin potius hereditas reliqua aequaliter diuiditur inter defuncti liberos germanos et priuignos omnes, secundum successionis ex lege regulam.

§. 741. Et si vel priuigni tantum existunt, hi defuncti ascendentes et collaterales a successione excludunt.

§. 742. At intuitu tamen legitimae, ascendentibus, qui in prolis vnionem non consenserunt, competentis, reseruatio §. 729. attenditur.

§. 743. Si liberorum vnitorum vnus moritur non relictis descendentibus legitimis; defuncti parentes germani et non germani aequali iure sunt eius heredes.

§. 744. Et si vitricus tantum aut nouerca sit adhuc superstes; filii defuncti consanguinei ab his excluduntur a successione.

§. 745. Quod tamen succedendi ius vitrici et nouercae tantum extenditur ad bona in prolis vnionem illata.

§. 746. In ea, quae secundum §. 736. ab vnione sunt excepta, successio communis ex lege locum habet.

§. 747. Successionem pacto fundatam pars altera, in alterius praeiudicium, per vltimae voluntatis dispositiones tollere nequit.

Source : BIU Cujas

§. 748. Parentes igitur per voluntatis vltimae modum disponere tantum possunt de bonis, in constituenda vnione forsan expresse reseruatis, et liberi tantum de bonis, secundum §. 736. in vnionem non illatis.

§. 749. At vnientes tamen parentes et liberi vniti exheredare se possunt ex causis iisdem, ex quibus parentes et liberi germani. (§. 399. sqq. §. 506. sqq.)

§. 750. Matrimonio, cuius intuitu prolis vnionis pactum est initum, per iudicis sententiam iterum dissoluto, prolis vnio cum effectibus legalibus omnibus eo ipso extinguitur.

§. 751. Quo casu excepto, ea dissolui tantum potest omnium, quorum interest, consensu libero, in iudicio declarato.

§. 752. Per prolis vnionem neque consanguinitas oritur, neque ius succedendi, inter liberos vnitos, aut cum eorum familiis mutuis, aut inter eas.

## Sectio Duodecima.

### *De liberis cura, seu iis, qui tanquam liberi educantur.* (*Pflegekindern.*)

§. 753. Qui liberos a parentibus defertos s. inopes relictos alendos curat et educandos, omnia germanorum parentum iura de iis consequitur.

§. 754. Obligatus est, vt puerum puellamue educet et instituat in fidei confessionum a regno receptarum vna, et in quaestu vllo vtili.

§. 755. Si filii parentes cum eo, qui cura sua patris nomen meretur (*Pflegevater*), ordinis sunt eiusdem aut superioris; pater cura obligatur, ad puerum puellamue eodem modo, quo liberos suos, alendum et educandum.

Source : BIU Cujas

§. 756. Si parentes ordinis funt inferioris, aut fi liberorum ordo plane eft incognitus; ab eius, qui cura fua nomen patris meretur, arbitrio vnice pendet, quem alendi et educandi modum velit eligere.

§. 757. Atque etiam in eligendo futuro vitae genere liberorum cura, patri cura (nutritori) iura patris germani competunt omnia.

§. 758. In maritandis liberis cura, confenfus eius, qui cura fua patris nomen meretur, non germanorum parentum eft neceffarius.

§. 759. At contra, pater cura in re familiari, quam forfan filius cura habet, ius plane nullum confequitur.

§. 760. Quin potius, intuitu huius rei familiaris obferuantur praecepta, de bonis adoptiuorum data (§. 694. feqq.)

§. 761. Neque inter parentes et liberos cura oriuntur iura fuccedendi ex lege.

§. 762. At ii tamen, qui cura fua nomen parentum merentur, (nutritores), in cafu fucceffionis ex lege fuccedunt in locum confanguineorum eorum, qui liberorum defertorum et inopum curam fufcipere fcientes et de induftria recufarunt.

§. 763. Parentes cura repetere quoque poffunt dona, praeter victum et veftitum folitum liberis cura data, ex eorum hereditate, quatenus in ea adhuc extant.

§. 764. A liberis cura ordinis vulgaris aut ignoti parentes cura exigere poffunt operas in fatisfactionem et indemnitatem praeftandas.

§. 765. Puer igitur aut puella anno decimo quarto peracto obligatur, ad praeftandas operas fine mercede per tot annos, per quot antea eft fuftentatus.

§. 766. Per annos, quibus operas fine mercede praeftant, liberis cura praeter veftimenta neceffaria

Source : BIU Cujas

idem victus eſt exhibendus, quem accipiunt alii, operas easdem praeſtantes.

§. 767. Liberorum cura operas extraneo concedere non licet.

§. 768. Parentibus cura mortuis operae ceſſant.

§. 769. Parentes cura conſenſum ad matrimonium liberorum cura denegare non poſſunt ex ea cauſa ſola, quod operarum praeſtandarum tempus nondum eſt praeterlapſum.

§. 770. Parentes cura ſi iuribus ſuis ita abutuntur, vt liberorum cura vita, valetudo, bona fama, mores, et libertas in rebus diuinis (autonomia) inde in periculum veniant; liberi cura ab operis praeſtandis immunes ſunt declarandi.

§. 771. Parentes cura iura perſonalia de liberis cura amittunt omnia, ſi educatione nondum finita curam eorum intermittunt.

§. 772. Si quis alienos liberos, excepto inopiae caſu, alendos ſuſcipit; huius rationes erga eos in primis diiudicandae ſunt ex ſententia pacti, de alendis et educandis his liberis celebrati.

§. 773. Quatenus eius iura et officia pacto non ſunt determinata, non extenduntur vlterius, ac educationis ſuſceptae finis immediate exigit.

Source : BIU Cujas

# TITVLVS TERTIVS.

## De reliquorum familiae membrorum iuribus et officiis.

Quomodo familiae coniunctiones oriantur.

§. 1. Perſonae conſanguinitate coniunctae ad vnam referuntur familiam (Part. I. Tit. I. §. 42-45).

§. 2. Vxor pro ſua tantum perſona iura familiae mariti per matrimonium eatenus participat, quatenus ei haec iura a marito poſſunt deferri. (Tit. I. §. 192).

§. 3. In quantum procreatione et natiuitate ex matrimonio ad legem ſalicam, ex coitu illegitimo, legitimatione per principem aut magiſtratum, adoptione, aut prolis vnione familiae coniunctiones exoriuntur, vel non oriuntur, in titulo praecedenti eſt praeceptum.

§. 4. Liberi ex vno eodemque patre et vna eademque matre in legitimo matrimonio procreati, aut per matrimonium tale ſubſequens legitimati, inter ſe inuicem fratrum ſororumque germanorum habent iura.

§. 5. Si communem tantum patrem, aut communem tantum matrem agnoſcunt, tanquam fratres et ſorores vnilaterales tantum ſunt inter ſe coniuncti.

§. 6. Liberi illegitimi vnius eiusdemque matris, licet communem habeant patrem, nihilo minus, quamdiu parentes matrimonio non iunguntur, tantum habentur pro fratribus vel ſororibus vterinis.

§. 7.

Source : BIU Cujas

§. 7. Inter liberos illegitimos, ab vno eodemque patre ex diuerſis matribus procreatos, nulla familiae neceſſitudo ciuilis ſubſiſtit.

§. 8. Neque liberis illegitimis cum iis, quos mater in matrimonio cum patre alio inito eſt enixa, eiusmodi neceſſitudo intercedit.

§. 9. Omnia familiae membra, qua talia, vi legum certa iura et officia habent communia. Generalia familiae iura et officia:

§. 10. In quorum numero in primis eſt cura liberorum et perſonarum aliarum, ad familiam pertinentium, quae ſibi praeeſſe nequeunt. 1) Cura de membris familiae, quae ſibi praeeſſe nequeunt.

§. 11. Si parentes educationis et curae officia, liberis debita, grauiter negligunt; familiae membris, nulla gradus agnationis cognationisue ratione habita, ius eſt et obligatio, iudicio de rebus tutelaribus rem denuntiandi, et cognitionem petendi.

§. 12. De agnatorum officio tutores vel curatores iis familiae membris, quae iis indigent, procurandi, et eorum tutelam vel curam ſuſcipiendi, in titulo de tutela vel cura agitur. (Tit. XVIII. Sect. II. III.).

§. 13. An et quamdiu familiae membris mortem aliorum lugere liceat, ordinationes politiae determinant. 2) Familiae luctus.

§. 14. Deſcendentes et aſcendentes ad ſe inuicem alendos ſecundum determinationes propiores, de parentibus et liberis in titulo antecedente datas, obligantur. (Tit. II. §. 251 - 254). 3) Adiutorii mutui officium.

§. 15. Fratres quoque et ſorores gradus primi fratribus atque ſororibus, qui alere ſe nequeunt, praeſtare alimenta neceſſaria oportet.

§. 16. Neque vllum inde diſcrimen, vtrum fratres ſororesue germani ſint, an vnilaterales, vtrum ex matrimonio ad dextram manum, an ad legem ſalicam ſint procreati.

§. 17. In genere tamen agnatorum cognatorumue obligatio, familiae membra omni ope deſtituta alendi, determinatur regulis ſucceſſionis ex lege.



Source : BIU Cujas

§. 18. Qui itaque agnati cognatiue alendi heres foret proximus, huic quoque illum alendi propior incumbit obligatio.

§ 19. At vero, ſi propius obligatus ob inopiam eum alere non poſſit, eum ſequens in eius locum debet ſuccedere.

§. 20. Agnati cognatiue eiusdem gradus plures alimenta, inopi familiae membro exhibenda, communiter debent praeſtare, at quisque tamen pro facultatibus.

§. 21. Fratribus ſororibusque tantum ius competit, ea, quae in victum et alimenta fratrum ſororumue inopum impenderunt, ab his repoſcendi; ſi horum fortunae poſtea ita ſunt auctae, vt reſtitutionem poſſint praeſtare ſaluis ſuis et ſuorum alimentis.

§. 22. Collaterales alii, praeter fratres ſororesue gradus primi, ad alenda familiae membra indigentia adigi non poſſunt.

§. 23. At iure ſuccedendi ex lege priuantur, qui agnatos cognatosue inopes contra naturae officium deſerunt.

§. 24. Quae tamen iuris ſuccedendi priuatio tunc tantum locum poteſt habere, ſi agnatus cognatusue, iure eo priuandus, ad alendum agnatum cognatumue inopem expreſſe prouocatus hoc ſuum officium praeſtare recuſauit.

§. 25. Tum in eius locum ſuccedit ille, qui huius inopis curam in ſe ſuſcepit.

§. 26. Si plures coniuncti eius alendi et ſuſtentandi curam communiter ſuſceperunt, eius heredes fiunt pro collatorum rata.

§. 27. Merae elemoſynae et dona, licet in certis ſummis et terminis datae, ius ſuccedendi nunquam fundant.

§. 28. De iure hereditario publicorum inſtitutorum in hereditate perſonarum in iis receptarum, agi-

Source : BIU Cujas

tur in titulo de inſtitutis pauperibus alendis deſtinatis (ptochodochiis). (Tit. XIX.)

§. 29. Agnati cognatiue, quos inopia propria ſola impediuit, quo minus agnatos cognatosue inopes aluerint, priuatione iuris hereditarii nunquam poſſunt puniri.

§. 30. At ei tamen, qui hereditatem relinquentem aluit, ſumtus in alimenta erogatos, tanquam debitum, ex hereditate reſtituere eos oportet.

§. 31. Ex collateralibus fratres ſororesque ad ſucceſſionem ex lege primi vocantur. Succeſſio fratrum.

§. 32. At per pacta tamen et vltimae voluntatis diſpoſitiones a ſucceſſione excludi plane poſſunt.

§. 33. Fratres ſororesque a ſe inuicem legitimam petere non poſſunt.

§. 34. In quantum aſcendentes excludant, aut cum iis ſimul ad ſucceſſionem perueniant, in titulo antecedente eſt praeceptum.

§. 35. Fratres ſororesque germani eorumque deſcendentes excludunt vnilaterales. germanorum,

§. 36. Fratres ſororesue germani plures hereditatem inter ſe diuidunt in capita.

§. 37. Quorum ſi nonnulli aut omnes, relictis deſcendentibus, ante hereditatem relinquentem ſunt mortui; in lineas ſuccedunt.

§. 38. Lineae cuiusque portionem ſubdiuidunt lineae ſecundariae, ad eam pertinentes, ſecundum easdem regulas, quae de ſucceſſione deſcendentium in titulo ſecundo §. 351-358. ſunt praeſcriptae.

§. 39. Quoties itaque in vna linea perſona, defuncto gradu propior, eius heres eſſe non poteſt, aut recuſat, ius eius hereditarium deuoluitur ad deſcendentes remotiores, originem ab ea ducentes.

§. 40. Licet vero deſcendentes fratrum ſororumue non ſint facti parentum ſuorum heredes; hoc tamen nihil valet ad eorum ius ſuccedendi in hereditate fratrum ſororumue parentum ſuorum.



Source : BIU Cujas

consanguineorum et vterinorum.

§. 41. Si defunctus neque fratres fororesue germanos neque descendentes eorum relinquit; consanguinei et vterini eorumque descendentes ad successionem perueniunt.

§. 42. Quorum si sunt plures, idem succedendi ordo in lineas locum habet, qui inter fratres fororesue germanos eorumque descendentes.

§. 43. Inter fratres fororesue consanguineos et vterinos in regula nullum est discrimen.

§. 44. Neque hic attenditur, vtrum defuncto bona a patre, an a matre sint delata.

§. 45. Quatenus in feudis, fideicommissis et praediis gentilitiis fratres consanguinei cum fratribus germanis simul ad successionem admittantur, et vterinos excludant, suo loco est praescriptum.

collateralium reliquorum.

§. 46. Si defunctus neque ascendentes aut descendentes, neque fratres fororesue vel horum descendentes relinquit; ad successionem vocantur reliqui collaterales.

§. 47. In quantum hi cum coniuge superstite simul hereditatem participent, aut ab hoc excludantur, in tituli primi §. 622. seqq. est definitum.

§. 48. Collaterales ad successionem vocantur pro gradus propinquitate (proximitate).

§. 49. Gradus propior (proximior) excludit remotiores.

§. 50. Parentes ante hereditatem derelinquentem mortui ius succedendi suum nunquam ad liberos suos deuoluunt.

§. 51. Personae eiusdem gradus plures heredes sunt partibus aequalibus.

§. 52. Neque vllum discrimen, vtrum collaterales sint paterni, an materni, vtrum defuncti sint agnati cognatiue germani, an vnilaterales.

§. 53. De collateralium successione in feuda, fideicommissa, aut praedia gentilitia valet singularis successionis ordo praescriptus.

Source : BIU Cujas

# TITVLVS QVARTVS.

## De iuribus familiae communibus.

### Sectio Prima.

*De communibus familiae iuribus in genere.*

§. 1. Communia familiae iura participant familiae membra omnia, ſine modi aut gradus agnationis cognationisue diſcrimine. Qui iurium familiæ ſint participes.

§. 2. Si de familiae iuribus in genere agitur, ea feminis quoque et perſonis iis competunt, quae origine a feminis ducta cum familia ſunt coniunctae.

§. 3. Feminae et perſonae, per has cum familia coniunctae, in iis tantum caſibus ab his iuribus excluduntur, in quibus fundationis literae (*Stiftungsbriefe*), familiae pacta, aut leges ſingulares eam excluſionem definiunt.

§. 4. Si commune familiae ius ita eſt comparatum, vt non ab omnibus ſimul, ſed ab vno tantum poſſit exerceri; eiusmodi iuris exercitium, niſi fundationis literae aut pacta familiae aliud definiant, competit illi, qui primo acquirenti gradu eſt proximus. Eorum exercitium.

§. 5. Si primus acquirens nullus eſt notus, aut ſi plura eiusdem gradus familiae membra exiſtunt; iuris familiae exercitium competit natu maiori.



Source : BIU Cujas

§. 6. Si neque aetas rem decidit; forti determinatio eſt permittenda.

Concluſa familiae.

§. 7. Res familiae communes per totius familiae conſilia et concluſa ſunt ordinanda.

§. 8. Quod quatenus poſſit fieri per vota plurima, aut non niſi per concluſum, vno ore ab omnibus familiae membris approbatum, definiendum eſt ſecundum praecepta de iure ſocietatum generalia, niſi fundationis literae aut familiae pacta aliud determinant.

Antiſtes ſ. praeſes familiae.

§. 9. Ad eiusmodi deliberationes et conſilia familiae caput oportet membra conuocare.

§. 10. Qui praeſes familiae ſit habendus, per reliquorum membrorum electionem, et, ſi electio nulla eſt facta, aut in genere in familia non eſt vſitata, per aetatis annos definitur.

§. 11. Feminae tantum fundationis literis, aut electione reliquorum membrorum antiſtites familiae poſſunt conſtitui.

§. 12. Familiae antiſtiti praecipue conſeruatio familiae iurium curae eſſe debet.

§. 13. At in proceſſibus tamen mandatum a reliquis familiae membris datum ab eo eſt producendum.

§. 14. In quibus autem caſibus familiae periculum ex mora poſſet enaſci, vi mandati praeſumti eſt admittendus. (Part. I. Tit. XIII. §. 119. ſeqq.)

§. 15. Sumtus mandati talis, vere dati aut praeſumti, fundamento erogati a familia ei ſunt refundendi.

§. 16. Qui ſumtus in regula ſecundum perſonarum ad familiam pertinentium numerum ordinantur.

§. 17. Liberi tamen, quorum parentes adhuc viuunt, eatenus tantum connumerantur, quatenus liberum poſſident peculium, aut oeconomiam ſeparatam iam inſtituerunt.

§. 18. Loco familiae membrorum facultatibus deſtitutorum conferre oportet membra facultatibus non deſtituta.

Source : BIU Cujas

§. 19. Documenta, ad communia familiae iura pertinentia, antiſtes ſ. caput familiae cuſtodit.

§. 20. At vero, ſi domus natalis communis exiſtit, familiae documenta in regula in ea ſunt cuſtodienda.

## Sectio Secunda.

### *De familiae fundationibus.*

§. 21. Sub familiae fundationibus hic diſpoſitiones intelliguntur, quibus quis reditus certos ex fundis aut ſortibus certis familiae deſtinat et aſſignat. Fundationes familiae quae ſint, et

§. 22. Pro familiae fundatione quoque eſt habendum, ſi quis certorum iurium praerogatiuorum et iurium aliorum exercitium familiae acquirit et addicit.

§. 23. At vero, ſi quis diſponit, vt fundus certus aut ſors certa vel in perpetuum, vel per plures ſaltem generationes in familia maneat; ea diſpoſitio vocatur familiae fideicommiſſum. quae fideicommiſſa.

§ 24. Si quis diſponit, vt ſortis certae vſurae ſint familiae emolumento; eiusmodi diſpoſitio in caſu dubio fundatio potius, familiae cauſa facta, quam fideicommiſſum habendum.

§. 25. Si praeſcriptus eſt ſortis certae vſurarum modus definitus, tanquam norma redituum annuorum, familiae deſtinatorum; hoc vſurarum modo deminuto, redituum annuorum participes horum deminutionem oportet concedere.

§. 26. At ſi ſors ipſa apud debitorem modo, hunc ex legibus obligante, ita eſt locata, vt extingui et ſolui non debeat; debitor vſurarum deminutionem petere nunquam poteſt.



Source : BIU Cujas

De iure familiae fundationes condendi.

§. 27. Fundationes familiae condendi ius cuique regni subdito eatenus competit, quatenus ei in genere de bonis suis disponere licet.

§. 28. Eiusmodi familiae fundationes condi possunt pactis, vnilateralibus inter viuos dispositionibus, et vltima voluntate.

§. 29. Quae documenta, de familiae fundationibus, in posterum coram fundantis iudice personali competente semper promulgentur, eidemque confirmanda exhibeantur necesse est.

§. 30. Quae promulgatio, nisi fundans ipse viuus iam eam curauit, ab antistite familiae, ad vtilitatem ex fundatione percipiendam vocatae, curetur necesse est.

§. 31. Iudicis est, secundum praeceptionem proprium legum, procedendi modum iudiciarium in causis non litigiosis praescribentium, attendere, vt eiusmodi documenta perspicue et determinate concipiantur, et dubitationes et lites futurae, quantum fieri potest, caueantur.

§. 32. Dum fundationis documentum in iudicio non fuit promulgatum, actio ex eo non detur.

§. 33. At vero, si documenti ipsius validitas ante aut post promulgationem impugnatur; ii, quorum interest, legitime sunt audiendi.

Iura et officia familiae membrorum, intuitu fundationis.

§. 34. Iura et officia, familiae membris intuitu eiusmodi fundationis competentia, ex sententia documenti de fundatione confecti vnice sunt definienda.

§. 35. Lite exorta, quo ordine familiae membra ad vtilitatem ex fundatione percipiendam peruenire debeant, valet praesumtio, fundantem rationem habuisse successionis ex lege, intuitu communis stirpis auctoris familiae vocatae.

§. 36. Si fundationis conditor familiam certam nominatim descriptam ad vtilitatem ex fundatione percipiendam vocauit; ii, qui nomen gentilitium

Source : BIU Cujas

non gerunt, licet alias sint cognati, *nihilo minus* sunt excluſi habendi.

§. 37. Si vero fundator, verbis generalibus in agnatorum cognatorumue, deſcendentium etc. fauorem diſpoſuit; fundationis quoque ſunt participes feminae cognatae et qui per eas ad familiam pertinent.

§. 38. Cura, vt omnia ſecundum documentum de fundatione obſeruentur, et vt iura, familiae exinde competentia, feruentur integra, in primis familiae antiſtiti incumbit, niſi fundator alio modo diſpoſuit.

§. 39. Summa documenti de familiae fundatione familiae concluſo, licet vno ore facto, in eſſentialibus neque tolli poteſt, neque mutari. Quatenus familiae concluſa de familiae fundationibus valeant.

§. 40. At contra, ſi quid in fundationis documento non ſatis diſtincte aut perfecte ſit praeceptum, admitti poteſt declaratio aut ſupplementum, familiae concluſo vno ore facto.

§. 41. Eiusmodi concluſo pro temporibus mutatis mutari quoque poteſt modus, quo redituum ſecuritati ſit proſpiciendum, aut reditus ſint impendendi.

§. 42. Ad faciendum eiusmodi concluſum familiae membra omnia adhibeantur, et iis, quae propter minorennitatem aut ex cauſa alia rebus ſuis praeeſſe nequeunt, curatores conſtituantur neceſſe eſt.

§. 43. Qui quidem curatores conſtituendi ſunt, licet minorennium familiae membrorum patres adhuc ſint in vita.

§. 44. Si noua familiae membra intra diem trecenteſimum ſecundum poſt familiae concluſi conſummationem a parentibus factam naſcuntur; horum intuitu praecepta §. 41. 42. ſunt obſeruanda.

§. 45. Familiae membra ſerius nata familiae concluſum abſolute oportet agnoſcere.

§. 46. Eiusmodi familiae concluſa in iudicio ſunt exploranda et confirmanda (§. 29-33.).



Source : BIU Cujas

## Sectio Tertia.

### *De familiae fideicommiſſis perpetuis.*

§. 47. Cuiuis regni ſubdito licet, in bonis ſuis pro lubitu ſubſtitutiones fideicommiſſarias, ſecundum propiorem tituli de vltimae voluntatis diſpoſitionibus determinationem, in fauorem etiam familiae certae inſtituere. (Part. I. Tit. XII. §. 53. ſeqq.)

Quid in perpetuum familiae fideicommiſſum dari poſſit?

§. 48. At perpetuorum familiae fideicommiſſorum nexui ſubiici tantum poſſunt fortes et praedia, quibuscum agricultura et res pecuaria eſt coniuncta.

§. 49. Eiusmodi familiae fideicommiſſo perpetuo onerari tantum poſſunt fundi liberi, et domini directi nullius poteſtati obnoxii.

§. 50. Feuda non quidem poſſunt in fideicommiſſa commutari; at omnino in illis poteſt conſtitui ordo ſuccedendi, vti in fideicommiſſis, conſentientibus quorum intereſt omnibus.

§. 51. Praedium ruſticum, quod familiae fideicommiſſo perpetuo debet deſtinari, minimum debet praeſtare reditus liquidos duorum millium et quingentorum thalerorum, ſecundum taxationem oeconomicam publice vſitatam.

§. 52. Qui reditus neque onerati ſint vſuris debitorum, praedio inhaerentium, neque oneribus, familiae membris aut alienis praeſtandis.

§. 53. Praedii ruſtici fructus et reditus, in fundationis literis vſque ad ſummae legitimae dimidium, onerari tantum poſſunt praeſtationibus in fauorem liberorum fiduciarii (fideicommiſſum poſſidentis) temporis praeſentis; ad colligendam ſortem in futuros caſus aduerſos; aut ad fideicommiſſum amplificandum et meliorandum.

§. 54. In quouis igitur fideicommiſſo, in poſterum conſtituendo, temporis praeſentis poſſeſſori fructus liquidi mille et ducentorum quinquaginta thalerorum ad liberam diſpoſitionem ſuperſint neceſſe eſt.

Source : BIU Cujas

§. 55. Fundi, qui in et per ſe reditus liquidos duorum millium et quingentorum thalerorum non praeſtant, eatenus tantum ad fideicommiſſum perpetuum poſſunt deſtinari, quatenus cum iis inſeparabiliter coniungitur ſors, cuius vſurae ſupplent, quae deſunt.

§. 56. Vni eidemque familiae in poſterum absque ſpeciali imperantis conſenſu, non conſtituatur fideicommiſſum, reditus liquidos decem millium thalerorum excedens.

§. 57. Neque fiduciario (poſſeſſori fideicommiſſi) poſteriori licet, fideicommiſſum a maioribus ſuis ad ſe delatum vltra iſtos reditus augere.

§. 58. Simulac vero familia in plures abit lineas collaterales, harum linearum cuique fideicommiſſum ſeparatum poteſt conſtitui.

§. 59. Ad merum fideicommiſſum pecuniarium, per ſe ſubſiſtens, ſors ſufficit decem millium thalerorum.

§. 60. Ex ſolis aedibus et aedificiis, atque etiam ex rebus mobilibus et pretioſis ſolis, fideicommiſſum familiae perpetuum condi nequit.

§. 61. At eiusmodi tamen aedificia, res mobiles et pretiosae adiungi poſſunt fideicommiſſo alii, per ſe ſubſiſtenti.

De conſtitutione familiae fideicommiſſorum.

§. 62. De condendis et promulgandis fideicommiſſorum documentis eadem obtinent, quae de familiae fundationibus ſunt ſancita. (§. 29. ſeqq.)

§. 63. At vero, ſi fideicommiſſum in fundo conſiſtit, promulgatio coram iudice fundi ſiti fiat neceſſe eſt.

§. 64. Quem ex officio oportet curare, vt fideicommiſſum in fundo, cuius nexui eſt ſubiectum, in librum hypothecarium referatur.

§. 65. Familiae quoque membra, fideicommiſſi conditi tempore exiſtentia et nota, ad fideicommiſſum vocata, nomina ſua et agnationis cognatio-

Source : BIU Cujas

nisue cum fideicommittente rationem in libro hypothecario notanda curent neceſſe eſt.

§. 66. Si ex documenti, de fideicommiſſo conſtituto confecti, ſententia eſt praeſumendum, alios, qui fideicommiſſi ſint participes, adhuc exiſtere; iudicem publice eos citare oportet, ad indicanda iura ſua, intabulationis cauſa.

§. 67. Si temporis ſucceſſu noua familiae membra oriuntur, ea quoque obligantur, ſimulac ex patria poteſtate exeunt, et ſeparatam oeconomiam inſtituunt, vt in fideicommiſſi expectatiuariorum qualitate, in librum hypothecarium ſe referenda curent.

§. 68. Iudex ad actus de fideicommiſſo adhibere obligatur ea tantum familiae membra, quae ex libro hypothecario ſunt nota.

§. 69. Membra quae ad intabulandum non comparuerunt, actus omnes, cum intabulatis in iudicio celebratos, et quae ab his ſunt concluſa, absque contradictione vlla agnoſcere oportet.

§. 70. In quibus caſibus membrum non intabulatum ius (praetenſionem) in fideicommiſſum legitimatione ſingulari oportet docere, in iis omnibus tenetur, licet in re principali victor ſententia lata diſceſſerit, ad ſumtus in probandam legitimationem impenſos ferendos omnes.

§. 71. Caeterum in poſterum, in conſtituendo quolibet fideicommiſſo, pertinentiarum et rerum ad inuentarium pertinentium conſcribatur plena conſignatio fide munita, cuius exemplar ad libri hypothecarii acta aſſeruetur neceſſe eſt.

Iura et obligationes poſſeſſoris fideicommiſſi.

§. 72. Praeſentis temporis fideicommiſſi poſſeſſori vtile competit fideicommiſſi dominium.

§. 73. Dominium directum eſt totius familiae.

§. 74. Fideicommiſſi poſſeſſoris iura et officia praecipue diiudicanda ſunt ex ſententia documenti de conſtituendo fideicommiſſo confecti, caeterum autem ex legibus de dominio vtili datis.

Source : BIU Cujas

§. 75. Literarum conſtitutionis ſenſus obſcurus ſemper ita eſt explicandus, vt interpretatio fini, fideicommiſſi familiae conſeruandi, maxime conueniat.

§. 76. In caſibus omnibus, ſi in dominio diuiſo conſenſus domini directi ad diſponendum requiritur, intuitu fideicommiſſorum familiae concluſum diſpoſitionem determinet neceſſe eſt.

§. 77. Intuitu concipiendi eiusmodi familiae concluſi in fideicommiſſis valent omnia, quae de fundationibus familiae cauſa factis praeſcripta ſunt. (§. 41. ſeqq.)

§. 78. Si itaque ſubſtantia bonorum, fideicommiſſi nexui obnoxiorum, permutatione aut alio modo debeat mutari; mutatio familiae concluſo fiat neceſſe eſt.

§. 79. Eiusmodi concluſo non perfecto, familiae membrum quodque, quod non conſenſit, ſimulac ad ſucceſſionem peruenit, diſpoſitionem poteſt impugnare, atque agere ad reſtituendum fideicommiſſum in ſtatum priſtinum.

§. 80. Ad aes alienum neceſſarium, in fideicommiſſi fructus contrahendum, non omnium, ſed certorum tantum familiae membrorum conſenſus eſt neceſſarius. *in primis, ſi fideicommiſſum aere alieno eſt onerandum.*

§. 81. Aes alienum neceſſarium habendum eſt, quod contrahendum fuit ad reſtituenda et reficienda aedificia, caſibus aduerſis atque etiam vetuſtate, absque propria poſſeſſoris culpa, collapſa aut ruina disiecta.

§. 82. At in poſterum tamen quilibet fideicommiſſi poſſeſſor obligetur, vt intabulanda curet aedificia ad fideicommiſſum pertinentia in aſſecurationis ſocietate, damnum ex aedificiis incendio combuſtis ortum reſarciente.

§. 83. Quod ſi ipſius culpa fuerit omiſſum; ob damna ex incendio orta, quae ſocietatis illius collationibus fuiſſent reparata, fideicommiſſi reditus, aere

Source : BIU Cujas

alieno onerare nequit, in poſſeſſorum ſequentium detrimentum.

§. 84. At contra, ſucceſſori in fideicommiſſo, qui a fiduciario defuncto aedificia accepit tam deteriorata, vt vel noua ſint exſtruenda, vel refectione praecipua indigeant, ius competit, ſummam ad eum finem neceſſariam in fideicommiſſi fructus ſumendi mutuam, libero anteceſſoris patrimonio ad eam ſummam reſtituendam haud ſufficiente.

§. 85. Si fideicommiſſi inuentario, aut etiam ſingulis eius partibus (*Rubriken*), incendio, bello, inundatione, aut aliis caſibus aduerſis eiusmodi damnum eſt illatum, quod pecunia aeſtumatum partem excedit quartam fideicommiſſi redituum, taxatione aliquatenus facta; poſſeſſori quoque ius competit, in fideicommiſſi fructus mutuam ſumendi ſummam, ad inuentarium reſtituendum neceſſariam.

§. 86. Si praedium bello aut modo alio vi ſuperiori ita fuerit deuaſtatum, vt poſſeſſor in vno anno aut altero ex eo non potuerit percipere fructus ad exhibendas praeſtationes ex fundatione neceſſarias; poſſeſſori ius eſt, ſummam praeſtationibus exhibendis deficientem in reditus futuros mutuandi et aſſecurandi.

§. 87. In caſibus omnibus vbi fideicommiſſum aere alieno nouo onerari debet, in re ordinanda duo fideicommiſſi expectatiuarii adhibeantur neceſſe eſt.

§. 88. Si familia ad fideicommiſſum vocata ex pluribus lineis conſtat; adhibendus eſt expectatiuarius proximus lineae, quae eſt in fideicommiſſi poſſeſſione, et lineae poſt illam proximae natu maximus.

§. 89. Si vna tantum linea exiſtit; eius expectatiuarii proximi duo ſunt adhibendi.

§. 90. In expectatiuariorum fideicommiſſi adhibendorum numerum filii poſſeſſoris non referuntur.

Source : BIU Cujas

§. 91. Si expectatiuarii adhibendi ſunt ſub cura, eorum vicem et in hoc negotio curatores oportet ſupplere.

§. 92. Si praeter fideicommiſſi poſſeſſoris liberos expectatiuarii alii nulli exiſtunt, iam ſufficit, ſi iſti adhibeantur.

§. 93. Quibus, ſi rebus ſuis praeeſſe nequeunt, curator ſpecialis ad hoc negotium conſtituatur.

§. 94. Si vnus tantum expectatiuarius exiſtit, eius conſenſus ſufficit.

§. 95. Si nullus expectatiuarius eſt notus, neque tamen iam deciſum, vtrum fideicommiſſum in poſſeſſore praeſente exſpiret; hic debitum conflaturus a iudice rei ſitae debet petere, vt curator fideicommiſſo conſtituatur, qui adhibeatur.

§. 96. In contrahendo eiusmodi debito ſemper termini certi ad debitum extinguendum praefigantur neceſſe eſt, expectatiuariorum adhibitorum conuentione, aut, ea deficiente, ex iudicis arbitrio.

§. 97. Fideicommiſſi poſſeſſor non obligatur, ad ſuſcipiendas terminis certis praefixis in annum vnum ſolutiones, parte quarta redituum vſitatorum, taxatione aliquatenus facta maiores.

§. 98. Quae tamen taxatio non inſtituenda eſt pro conditione praedii praeſente forſan deteriore, ſed ex fructibus tempore eo ex praedio perceptis, quo fuit in ſtatu oeconomico bono ſolito.

§. 99. At poſſeſſori quoque tempus aequum concedatur neceſſe eſt, ad reſtituendum praedium, impendendo ſummam mutuo ſumendam, antequam ſolutionis termini ad extinguendum aes alienum praefixi currere incipiunt.

§. 100. Solutiones terminorum quarta parte fructuum vſitatorum minores expectatiuarii adhibiti poſſeſſori concedere eatenus tantum iure poſſunt, quatenus fideicommiſſum nihilo tamen minus intra decennium ab hoc aere alieno poteſt liberari.

Source : BIU Cujas

§. 101. Eiusmodi mutui negotium semper in iudicio ordinetur necesse est.

§. 102. Iudicem fideicommissi siti ex officio ad id oportet attendere, vt obseruentur requisita, in antecedentibus exposita.

§. 103. Si creditor debitori sponte indulget qua solutionis terminos praefinitos; suo periculo indulget. (Part. I. Tit. XVIII. §. 252. 253.).

§. 104. Fideicommittentis debita, quibus fideicommissum in eo constituendo ipse onerauit, aut quae ex reliqua eius hereditate nequeunt extingui, habenda sunt fideicommissi debita originaria, substantiae inhaerentia.

§. 105. Ad debita eiusmodi ex fructibus soluendum non obligatur successor in fideicommisso.

§. 106. Quae si persoluit, locus est iisdem praeceptis, quae data sunt de debitis feudalibus. (Part. I. Tit. XVIII. §. 292. seqq.)

§. 107. Idem quoque obtinet, si fideicommissi possessor ratione debitorum, terminis praefixis exsoluendorum, in anteceſſum praestitit solutiones, successoris demum tempore praestandas.

§. 108. Ob debita, secundum §. 80. seqq. in certis terminis ex fructibus exsoluenda, praedium ipsum, fideicommissi nexui obnoxium, subhastationis lege nunquam potest vendi.

§. 109. Quin potius creditor propter eiusmodi solutiones non praestitas ex fructibus tantum satisfactionem potest petere, sequestrationis iudicialis via.

§. 110. At ob debita, secundum §. 104. ex fideicommissi substantia ipsa exsoluenda, creditor continuata executione potest quoque petere, vt praedium ipsum in iudicio vendatur.

§. 111. At quae de pretio, ex fideicommisso vendito redacto, debitis solutis adhuc sunt residua, ad fideicommissum constituendum sunt impendenda.

§. 112.

Source : BIU Cujas

§. 112. Hinc eiusmodi praedii emtor non poteſt ſecure ſoluere, niſi pretium deponat in iudicio.

§. 113. Quomodo ſolutis debitis venditionis pretii reſiduum in fideicommiſſum debeat impendi, familiae concluſo eſt conſtituendum.

§. 114. Eiusmodi familiae concluſum tunc etiam eſt neceſſarium, ſi in caſibus extraordinariis ad reſtituendum fideicommiſſum collapſum tanta pecuniae ſumma eſt ſuppeditanda, vt exſolui ex fructibus ſolis non poſſit.

§. 115. Si praedium fideicommiſſi nexui obnoxium, arenis accumulatis, aut aliis eiusmodi caſibus vi ſuperiori exortis, ita deterioratur, vt ex eo exhiberi amplius nequeant praeſtationes, ſecundum §. 53. ex conſtitutione fideicommiſſo inhaerentes; hae in tantum ſunt remittendae, in quantum neceſſe eſt, vt fideicommiſſi poſſeſſor reditus percipiat liquidos §. 54. definitos.

§. 116. Quae tamen remiſſio locum tantum habet, vsque donec praedium in tantum potuit reſtitui, in quantum ad exhibendas praeſtationes requiritur.

§. 117. In litibus, ad fideicommiſſi ſubſtantiam pertinentibus, praeſenti poſſeſſori ius quidem eſt et obligatio, vi mandati praeſumti iura fideicommiſſi defendendi; In proceſſibus.

§. 118. At in cauſa continuata expectatiuarios proximos ſecundum determinationem ſupra praeſcriptam (§. 87.) adhibeat, aut mandatum ab his acceptum producat neceſſe eſt.

§. 119. Quidquid in cauſa ita acta eſt deciſum, aut accedentibus expectatiuariis transactione determinatum, eo familia tota tenetur, et fideicommiſſi poſſeſſor ex ea ſequens omnis.

§. 120. Fideicommiſſi poſſeſſor obligatur ad ſoluendum ex reditibus expenſas litis et iudiciales alias omnes.



Source : BIU Cujas

§. 121. Si vero poſſeſſor inuitus, poſtulantibus expectatiuariis, ad litem continuandam fuit coactus, et cauſa cadit; expectatiuarios, qui cauſam contiuandam poſtularunt, ſolos ferre oportet expenſas, inde ab eo temporis momento factas, quo poſſeſſor de lite voluit tranſigere aut liti renuntiare.

De praeſcriptione.

§. 122. Singula fideicommiſſi, aut in fideicommiſſum, iura praeſcriptione triginta annorum poſſunt extingui, aut contra fideicommiſſum acquiri.

§. 123. At fideicommiſſi qualitati ipſi praeſcribi nullo modo poteſt.

§. 124. Quod ſi igitur ius ſuccedendi expectatiuarii, ad fideicommiſſum vocati, praeſcriptione eſt extinctum; haec praeſcriptio obſtat ei et eius deſcendentibus, intuitu reliquorum omnium, quibus ius in fideicommiſſum competit, at non intuitu alieni.

§. 125. Hinc, defunctis perſonis reliquis ad fideicommiſſum vocatis omnibus, praeſcriptione excluſus eius poſſeſſionem iterum poteſt petere.

De fideicommiſſis pecuniariis.

§. 126. In fideicommiſſis pecuniariis ius poſſeſſoris in regula tantum reſtringitur ad vſuras exigendas et vtilitatem ex iis percipiendam.

§. 127. At ei ius non competit, ſortem ipſam proprio auſu exigendi, aliis cedendi, oppignorandi, aut modo alio onerandi.

§. 128. Incidente caſu, quo de ſortis ſecuritate dubitari poſſit; curare eum oportet, adhibitis et conſentientibus expectatiuariis proximis, ſecundum determinationem §. 87. ſeqq., de ea exigenda et alibi elocanda.

§. 129. Quod idem debet fieri, ſi debitor, cui ius ſortem renuntiandi competit, ſortem renuntiat.

§. 130. In caſu vtroque, niſi contraria iubeat fundationis (conſtitutionis) documentum, ſors ſub iudiciali cura alibi elocetur neceſſe eſt.

§. 131. Sortis fideicommiſſi nexui obnoxiae debitor, qui eam qualitatem haud ignorat, aut ſcire

Source : BIU Cujas

debet, eam iuſſu tantum iudicis aut in iudiciale depoſitum ſecure poteſt ſoluere.

§. 132. Expenſas hac occaſione exortas omnes ferre fideicommiſſi poſſeſſorem praeſentem oportet; neque ſortis fideicommiſſo ſubiectae ſumma vnquam inde poteſt deminui.

§. 133. Si ſors fideicommiſſi nexui obnoxia alio modo debeat mutari, aut ſi fundi in ſortis locum debeant ſurrogari; eiusmodi diſpoſitio fieri tantum per familiae concluſum poteſt.

## Sectio Quarta.

### *De ordine in familiae fideicommiſſa ſuccedendi.*

§. 134. In familiae fideicommiſſis, accedente expreſſo aut tacito regni conſenſu huc vſque iam conſtitutis, ordo ſuccedendi a fideicommittente determinatus vnice eſt obſeruandus. Ordo ſuccedendi in fideicommiſſis iam conſtitutis.

§. 135. Si fideicommittens diſpoſuit, vt in caſu omni ſenior ex familia ad ſucceſſionem perueniat; fundatio vocatur ſenioratus. De ſenioratibus.

§. 136. Ius in ſenioratibus competit deſcendentibus a fideicommittente maſculis omnibus.

§. 137. Poſſeſſore igitur defuncto, ſemper ſuccedit natu maior (ſenior), nulla lineae aut gradus agnationis ratione habita.

§. 138. Si duo ex familia ſeniores eiusdem aetatis ſenioratum petunt; ſorte inter eos eſt decidendum, ſi temporis natiuitatis momentum accuratum non poteſt erui.

§. 139. Maſculis deſcendentibus in familia prorſus extinctis, fideicommiſſum liberum vltimi poſſeſſoris fit patrimonium, niſi fideicommittens de hoc caſu expreſſum quid diſpoſuerit.

§. 140. In poſterum praedia ſenioratibus non amplius deſtinentur. Ordo ſuccedendi in familiae fi-



Source : BIU Cujas

deicommiſſis in poſterum conſtituendis.

§. 141. Diſpoſitiones quoque, ex quibus praedium in familia quadam tantum ſecundum regulas ſucceſſionis ex lege deuolueretur, in poſterum tantum valeant tanquam ſubſtitutiones fideicommiſſariae. (P. I. Tit. XII. §. 53. ſeqq.)

§. 142. Hinc in poſterum fideicommiſſurus ſuccedendi ordinem determinare debet eum, ſecundum quem praedium ſingulare, fideicommiſſi nexui deſtinatum, ſemper tantum vni ex familia deferatur.

§. 143. Si fideicommiſſum conſtat ex praediis ſeparatis pluribus; fideicommittenti determinare quidem licet eorum diuiſionem inter lineas plures, et inde ab initio, et in ſucceſſionis caſibus futuris incidentibus;

§. 144. At eiusmodi tamen diſpoſitio eatenus tantum ſecundum leges valet, quatenus fideicommiſſi ita diuiſi pars quaelibet, per ſe ſola, poſſeſſori futuro minimum praeſtare poteſt reditus liquidos legitimos, §. 50. ſeqq. determinatos.

De maioratibus.

§. 145. Si fideicommittens ita diſponit, vt gradu quidem proximus ex familia ad ſucceſſionem perueniat, at inter plures eiusdem gradus natu maior excludat minores; fideicommiſſum dicitur maioratus.

De minoratu.

§. 146. Ordine ſuccedendi quidem ſecundum gradum propiorem quoque, at ita determinato, vt inter plures gradus eiusdem natu minor excludat maiorem; tale fideicommiſſum vocatur minoratus.

§. 147. Sub primogenitūrarum nomine fideicommiſſa veniunt ea, in quibus ordo ſuccedendi ſecundum lineas cum iure primogenitūrae eſt determinatus.

§. 148. De ſuccedendi ordine in maioratus et minoratus, regulae de ſenioratibus §. 135 - 139. praeſcriptae quoque locum inueniunt.

De primogenituris.

§. 149. In primogenituris praecipue filius fideicommittentis primogenitus, excluſis fratribus poſt

Source : BIU Cujas

eum natis omnibus, ad fideicommiſſi poſſeſſionem peruenit.

§. 150. Quo ante aut poſt fideicommittentem defuncto, huius iterum filius primogenitus ſuccedit.

§. 151. Idem ordo ſuccedendi in reliquis ſucceſſionibus gentilitiis obtinet; ita, vt filius poſſeſſoris primogenitus, et eius deſcendentes, ſemper excludant fratres et agnatos reliquos poſtea natos.

§. 152. Si ramus collateralis lineae primogenitae eſt demortuus; ſucceſſio ad ramum collateralem peruenit ſecundum, prout primogeniturae eſt propior.

§. 153. Gradus agnationis cum poſſeſſore vltimo hic non attenditur.

§. 154. Hinc ſi poſſeſſor vltimus nullos relinquit deſcendentes maſculos, at fratres, fratris filios, aut deſcendentes fratrum maſculos graduum remotiorum; ex his ſuccedit frater natu maior, aut eius filius primogenitus, aut filii primogeniti filius natu maior, plane excluſis poſtea natis omnibus, vti et patruis, ſorſan exiſtentibus.

§. 155. Eodem modo, ſi poſſeſſor vltimus neque deſcendentes, neque fratres, neque maſculos fratrum deſcendentes relinquit, ſucceſſio defertur patruo proxime nato, eiusque deſcendentibus maſculis, ſecundum eundem primogeniturae ordinem.

§. 156. Si patrui aut eorum deſcendentes maſculi non amplius exiſtunt; poſſeſſoris vltimi propatruus proxime natus, vna cum deſcendentibus ſuis maſculis, ſemper ad ſucceſſionem vocatur, ſecundum primogeniturae ordinem.

§. 157. Dum fideicommittentis filii primogeniti deſcendens maſculus adhuc exiſtit, fideicommiſſum ſemper manet in eadem linea, excluſis reliquis omnibus.



Source : BIU Cujas

§. 158. Qua linea prorſus extincta, ad ſucceſſionem peruenit fideicommittentis filii ſecundi linea, lineas iuniores excludens.

§. 159. In qua linea ſecunda de ſuccedendi ordine, ſecundum primogenituraе ius perpetuo obſeruando, valent praecepta eadem, quae de linea prima praeſcripta ſunt, nulla gradus agnationis cum poſſeſſore vltimo ratione habita.

§. 160. Prima igitur linea extincta, ex fideicommittentis filii ſecundi deſcendentibus maſculis ad ſucceſſionem peruenit ille, qui ab eius filio primogenito originem ducit, et inter reliquos proxime ad primogenituram refertur.

§. 161. Secundum eadem principia ſuccedendi ordo quoque determinatur in tertia, quarta et ſequentibus lineis, a fideicommittente deſcendentibus.

§. 162. Caeterum in tota hac ſucceſſione nulla habetur ratio fratrum vterinorum eorumque deſcendentium.

§. 163. At contra, inter fratres germanos et non germanos, ab eodem patre procreatos, eorumque deſcendentes maſculos, nullum eſt diſcrimen.

§. 164. A fideicommittentis voluntate quidem pendet, ita diſponere, vt non lineae primogenitae, ſed linearum poſt natarum ab eo deſcendentium vna ad ſucceſſionem in fideicommiſſum prima perueniat.

§. 165. Qua vero linea primo vocata extincta, niſi fideicommittens in eiusmodi caſum de reliquarum linearum ſucceſſione expreſſe diſpoſuit, ſuccedendi ordo nihilo minus ſecundum primogenituram locum ita habet, vt lineae iuniores ſemper excludantur a ſenioribus.

Si in eadem familia plura fideicommiſſa ab eodem fideicommittente, aut

§. 166. At vero, ſi fideicommittens fideicommiſſa duo aut plura, vnum lineae primogenitae, et reliqua in linearum poſtea natarum fauorem conſtituit; fideicommittentis deſcendentes lineae primogenitae in fideicommiſſo ſecundo nunquam ſuccedunt,

Source : BIU Cujas

quamdiu adhuc exiſtit ſtirps alia virilis, originem a fideicommittente ducens.

§. 167. Si linea maſcula ſecunda extinguitur, aut prima deleta in fideicommiſſo primo ſuccedit; fideicommiſſum ſecundum deuoluitur ad lineam, a filio fideicommittentis tertio originem deriuantem.

§. 168. Secundum eadem principia ſucceſſio transfertur ad quartam et ſequentes lineas, a fideicommittente ortas, quatenus adhuc exiſtunt.

§. 169. Si tandem lineae maſculae omnes a fideicommittente ortae ita ſunt extinctae, vt vna tantum ſuperſit, haec quidem in vtroque fideicommiſſo ſuccedit;

§. 170. At ſi in hac linea duo adhuc aut plures rami collaterales exiſtunt; fideicommiſſum ſecundum defertur ei ramo collaterali, qui non eſt in fideicommiſſi primi poſſeſſione, at tamen ad ſucceſſionem in illud ſecundum primogeniturae principia proximus.

§. 171. Cuius rami collateralis membrum illud ad ſucceſſionem peruenit, quod ex membris reliquis primogeniturae, relatione ad fideicommittentem, eſt proximum.

§. 172. Si in linea adhuc reliqua alii fideicommittentis deſcendentes nulli exiſtunt, praeter primi fideicommiſſi poſſeſſorem eiusque deſcendentes; hic vtraque accipit fideicommiſſa.

§. 173. Quae quidem tum manent coniuncta, vſque donec lineae duae aut plures oriuntur.

§. 174. Quibus exortis, fideicommiſſum primum in linea primogenita manet, et ſecundum defertur lineae poſt eam proximae.

§. 175. Secundum eadem principia ordo ſuccedendi eſt determinandus, ſi in eadem familia fideicommiſſa extant tria aut plura, ab vno eodemque fideicommittente conſtituta.

§. 176. Si fideicommittens linearum, originem ab eo ducentium, cuique fideicommiſſum reliquit; ex-



Source : BIU Cujas

tincta harum linearum vna, fideicommiſſum huic conſtitutum defertur lineae primogenitae, aut ea quoque iam extincta lineae, primogeniturae poſt primogenitam proximae.

§. 177. Quae linea ſi conſiſtit ex ramis collateralibus pluribus, praecepta §. 169. 170. data tum quoque locum inueniunt.

§. 178. In caſibus omnibus, vbi familiae membrum fideicommiſſum, ex ſucceſſionis ordine ei delatum, ea tantum de cauſa nequit acquirere, quod iam eſt in fideicommiſſi alius poſſeſſione, ei eſt electio: vtrum fideicommiſſum recens deuolutum velit accipere, et pro eo fideicommiſſum adhuc poſſeſſum cedere.

a fideicommittentibus diuerſis ſunt conſtituta.

§. 179. Si familiae, fideicommiſſo iam ornatae, perſona alia, a fideicommittente primo diuerſa, conſtituit fideicommiſſum ſeparatum; in ordine in hoc ſuccedendi nulla prorſus habetur ratio fideicommittentis primi, et rationis, quae perſonis et lineis cum hoc intercedit.

§. 180. Quod ſi igitur extinctis lineis, a fideicommittente ſecundo ad ſucceſſionem vocatis, ex eius diſpoſitione fideicommiſſum nihilo minus in familia debeat manere; in hoc ſuccedit familiae membrum illud, quod poſſeſſori vltimo ex lineis a fideicommittente ſecundo vocatis gradu eſt proximum.

§. 181. In quo quidem nihil mutatur, licet familiae membrum, ex §. 180. in ſecundum fideicommiſſum ſuccedens, iam ſit in poſſeſſione fideicommiſſi, a primo fideicommittente conſtituti.

§. 182. At vero ſi fideicommittens ſecundus expreſſe declarauit, fideicommiſſum a ſe conſtitutum nunquam debere concurrere cum primi fideicommittentis fideicommiſſo; eiusmodi tamen declaratio in caſu dubio ſic tantum eſt explicanda, ne fideicommiſſum vtrumque in vna eademque perſona conſolidetur.

Source : BIU Cujas

§. 183. Hinc itaque, ſi gradu proximus in fideicommiſſi primi eſt poſſeſſione, proximus poſt eum in ſecundum ſuccedit.

§. 184. Si deficientibus lineis, a fideicommittente ſecundo vocatis, duo exiſtunt aut plures poſſeſſoris vltimi agnati ſucceſſionis capaces gradus eiusdem; ab huius declaratione dependet, cui eorum fideicommiſſum ſecundum velit aſſignare.

§. 185. Qui ſi de eo ſe non declarauit; inter expectatiuarios hos plures ſucceſſionis capaces gradus eiusdem ſorte eſt decidendum.

§. 186. Si in caſu §. 181. vnum tantum adhuc exiſtit membrum familiae a fideicommittente ſecundo vocatae; id quidem, niſi fideicommittens in hunc caſum expreſſe diſpoſuit, vtriusque fideicommiſſi poſſeſſionem acquirit;

§. 187. At ſimulac ab eo membra plura ſucceſſionis capacia oriuntur; fideicommiſſa inter ea ſecundum regulas antecedentes §. 172. 173. iterum ſunt diuidenda.

§. 188. Si fideicommiſſa duo aut plura ab initio ſeparata in vna perſona ſucceſſionis ordine concurrunt; fructus et reditus, ſummam legitimam §. 56. excedentes, non ſunt impedimento.

§. 189. Extinctis deſcendentibus fideicommittentis maſculis omnibus, fideicommiſſum in deſcendentis maſculi vltimi poſſeſſione patrimonium fit liberum proprium, ſi fideicommittens nihil diſpoſuit in deſcendentium ſexus feminini fauorem. Succeſſio feminarum.

§. 190. At vero, ſi fideicommittens deſcendentes quoque ſexus feminini ad fideicommiſſum vocauit, ſuccedendi ordine earum intuitu determinato; hic ordo ſtricte eſt obſeruandus.

§. 191. Eiusmodi ſuccedendi ordine, a fideicommittente non determinato; defuncto deſcendente



Source : BIU Cujas

masculo vltimo ad successionem perueniunt primogenita huius filia, et eius descendentes masculi.

§. 192. Quod si igitur primogenita possessoris vltimi filia ante aut post patrem fuerit defuncta; fideicommissum eius filiis horumque descendentibus masculis defertur in omnibus secundum primogenituraе regulam.

§. 193. Quae si neque filios neque nepotes ex filiis reliquit; filiarum eius nepotes, secundum primogenituraе ordinem, ad successionem perueniunt.

§. 194. Si tempore, quo fideicommittentis descendens masculus vltimus moritur, huius filia natu maior adhuc est superstes; haec ad fideicommissi possessionem peruenit, licet descendentes successionis capaces masculos tunc nondum habeat.

§. 195. At si ea masculis descendentibus non relictis moritur; successio transit ad secundam possessoris vltimi filiam, eiusque descendentes masculos, secundum easdem regulas.

§. 196. Idem obtinet, si filia possessoris vltimi natu maior ante patrem est defuncta, et possessore vltimo moriente ex hac filia natu maiori nondum existunt descendentes masculi, successionis capaces.

§. 197. Secundum eadem principia determinatur ius succedendi tertiae possessoris vltimi et plurium eius filiarum sequentium, earumque descendentium masculorum.

§. 198. Si secundum haec principia descendens masculus, per feminas a primo fideicommittente originem ducens, semel ad fideicommissi successionem peruenit: cum eo nouus succedendi incipit ordo; atque successio in fideicommisso inter eius descendentes definitur horum ad eum relatione.

§. 199. Si tempore mortis descendentis masculi vltimi, a primo fideicommittente originem ducentis,

Source : BIU Cujas

filiae nullae exiſtunt, et nulli earum deſcendentes, ſucceſſionis capaces; aut ſi moriuntur filiae ab eo relictae omnes, eiusmodi progenie ſucceſſionis capaci non relicta: fideicommiſſum tranſit ad deſcendentes maſculos alios, a primo fideicommittente per feminas originem ducentes.

§. 200. Hic iterum habetur ratio ordinis primogeniturae, relatione ad primum fideicommittentem aut acquirentem.

§. 201. Sic e. g. fideicommittentis primi filiae natu maioris linea excludit lineas omnes iuniores; et in hac linea ſeniori ramus collateralis primogeniturae proximus excludit ramos reliquos omnes.

§. 202. At vero, ſi ex hac regula, deſcendens maſculus, per feminas a primo fideicommittente originem ducens, ad fideicommiſſi poſſeſſionem ſemel peruenit; de nouo ſuccedendi ordine per eum oriundo quoque obſeruatur praeceptum §. 198.

Regulae generales de ſucceſſione in fideicommiſſis.

§. 203. In quauis fideicommiſſi delatione, quatenus in antecedentibus ſingulare quid non eſt expreſſe ſancitum, pro temporis momento, quo vltimus poſſeſſor eſt mortuus, determinatur, quod membrorum tum exiſtentium ſucceſſioni ſit proximum.

§. 204. Quod ſi igitur vel adeo in minoratu ille, qui poſſeſſore vltimo moriente natu fuit minor, fideicommiſſum ſemel acquiſiuit, iura iam acquiſita huius, qui fideicommiſſum iam poſſidet, impugnare nequit, qui temporis ſucceſſu poſt eum, annis illo minor, editur.

§. 205. At in fideicommiſſi tamen ſucceſſione tempore ſucceſſionis apertae iam extitiſſe ſtatuuntur ii, qui intra diem trecenteſimum ſecundum poſt vltimi poſſeſſoris mortem eduntur.

Source : BIU Cujas

## Sectio Quinta.

### *De ſeparatione inter fideicommiſſarium et fiduciarii vltimi heredes.*

§. 206. Fideicommiſſi dominium vtile ad ſucceſſorem tranſit eo temporis momento, quo defunctus eſt, qui adhuc fuit fiduciarius.

§. 207. Cui poſſeſſoris vltimi heredes fideicommiſſum in eo ſtatu oportet tradere, quo a fideicommittente delatum eſt defuncto.

§. 208. Si fideicommiſſum in fundis conſiſtit; inuentarium in eo conſtituendo confectum (§. 71.) plene praeſtetur neceſſe eſt.

§. 209. De iis, quae inuentario deſunt, aut inuentarium excedunt, obtinent omnia, quae de feudi inuentario ſunt ſancita. (Part. I. Tit. XVIII. §. 511. ſeqq.).

§. 210. Per ſe patet, in fideicommiſſis locum non eſſe praeceptis, intuitu feudorum de adhibendo et concurrendo domino feudi directo datis.

§. 211. De meliorationibus aut deteriorationibus in ſubſtantia fideicommiſſi ipſa factis, iisdem locus eſt praeceptis, quae de ſeparatione inter ſucceſſorem feudalem et allodii heredem data ſunt. (Part. I. Tit. XVIII. §. 527. ſeqq.).

§. 212. De vltimi anni fructibus, atque de fructibus adhuc extantibus, et oneribus ex annis anterioribus adhuc praeſtandis, ſeparatio inter ſucceſſorem in fideicommiſſo et poſſeſſoris vltimi heredes inſtituitur ſecundum praecepta de vſufructu data. (Part. I. Tit. XXI. §. 143. ſeqq.)

§. 213. Fideicommiſſi ſucceſſor ea tantum debita obligatur ſuſcipere, quae ſecundum praeceptum §. 104. ex fideicommiſſi ſubſtantia, aut ſecundum praeceptum §. 81. ſeqq. ex eius reditibus ſunt ſoluenda.

Source : BIU Cujas

§. 214. Quorum debitorum vltimorum ſolutionem tum quoque debet ſuſcipere, ſi eo, quo aes alienum contractum fuit, tempore non fuit relatus in expectatiuariorum proximorum numerum, atque adeo eius conſenſus non requiſitus.

§. 215. At vero, obligatur tantum ad ſoluendas eas penſiones (terminos), quae ſecundum determinationes, ab initio in aere alieno conflando definitas (§. 96.), in annos cadunt temporis poſſeſſionis ſuae.

§. 216. Si creditor de penſionibus anterioribus cum ſuo periculo indulſit (§. 103.), harum ſolutionem petere ex reliqua tantum hereditate poteſt.

§. 217. Penſio (terminus) eius anni, quo eſt poſſeſſor vltimus defunctus, ex anni huius fructibus eſt ſoluenda.

§. 218. Si fideicommiſſi poſſeſſor in caſibus, vbi ius ei fuit petendi, vt mutuum in fideicommiſſi reditus contraheret, eo iure non eſt vſus, ſed fideicommiſſum reſtituit ex bonis ſuis propriis, aut aere alieno, fide ſua interpoſita; heredes eius allodiales ideo reſtitutionem nequeunt petere.

§. 219. Neque creditor, qui pecuniam eum in finem ex ſuis ſuppeditauit, ſatisfactionem poteſt petere ex fideicommiſſi fructibus, ſucceſſori in fideicommiſſo competentibus, licet docere poſſit, pecuniam ab ipſo mutuo datam re vera in fideicommiſſum eſſe verſam.

§. 220. At contra, ſi fideicommiſſi poſſeſſor, ob praeſens morae periculum, fideicommiſſum ex ſuis quidem bonis reſtituit, vel aere alieno, fide ſua interpoſita, at quaeſito ſimul ad mutuum contrahendum conſenſu; fideicommiſſarium (ſucceſſorem) hoc mutuum oportet agnoſcere, licet conſenſus demum facta verſione, vel adeo poſt fiduciarii antecedentis mortem, impetratus ſit aut ſuppletus.

§. 221. Quatenus poſſeſſori defuncto ius fuiſſet, mutuum in fideicommiſſi reditus contrahendi ad ſatisfaciendum praeſtationibus, in conſtitutione prae-

Source : BIU Cujas

ſcriptis, (§. 86.) eatenus poſſeſſor nouus tenetur ad ſatisfaciendum praeſtationibus nondum praeſtitis, ex fructibus, quos percipit.

§. 222. Si, quibus ius eas praeſtationes exigendi competit, ex hereditate allodiali ſatisfactionem petunt; heredes reſtitutionem petere ex fideicommiſſi reditibus poſſunt.

§. 223. At in hoc quoque caſu praeceptum obtinet §. 561. 562. in titulo de feudo datum.

§. 224. Ad ſoluendum ex fideicommiſſo debita alia, ac in antecedentibus ſunt determinata, ſucceſſor fideicommiſſarius non tenetur, licet ſimul poſſeſſoris ſ. fiduciarii antecedentis heres fuerit factus.

§. 225. Quin potius creditor ſatisfactionem ex vnica debitoris hereditate libera reliqua debet petere.

§. 226. At vero, ſi ſucceſſor in fideicommiſſo in aliud quam fideicommiſſi debitum proprie ſic dictum expreſſe conſenſit; aut ſi termini, a poſſeſſore fiduciario antecedente ſeruandi, accedente expreſſo ipſius conſenſu, fuerunt prorogati: creditori ius competit, de iis ſatisfactionem petendi ex fideicommiſſi fructibus, dum eos percipit conſentiens.

## Sectio Sexta.

### *De iure retractus gentilitii.*

§. 227. Ex mero conſanguinitatis vinculo familiae membris ius nullum enaſcitur, fundos alienatos, qui olim familiae fuerunt, reuocandi.

§. 228. Vbi itaque eiusmodi ius retractus legibus prouincialibus, ſtatutis, aut validis familiae pactis hactenus vſu nondum eſt introductum, exerceri in poſterum non debet.

§. 229. Iura retractus omnia, meris familiae pactis fundata, ſub eorum iactura intra triennium poſt

Source : BIU Cujas

promulgatum hoc ius commune, in praediis omnibus, ad quae pactum extenditur, in librum hypothecarium referantur neceſſe eſt.

§. 230. Quatenus exercitium iuris retractus gentilitii legibus ſingularibus aut pactis non alio modo eſt determinatum, in eo exercendo praecepta ſequentia ſunt pro norma habenda.

§. 231. Ius retractus ad praedia tantum extenditur, quae a duobus ſaltem familiae membris, venditore praeſente excepto, ſerie non interrupta ſunt poſſeſſa.

§. 232. Iuri retractus locus tantum eſt, ſi praedium in alienum, non vero, ſi ad familiae membrum, licet remotius, alienando transfertur.

§. 233. Familiae membra ſexus feminini eorumque deſcendentes, licet maſculi, ius retractus exercere non poſſunt.

§. 234. Inter ſexus maſculi membra facultas iuris retractus exercendi ordinem ſequitur ſucceſſionis ex lege.

§. 235. Hinc alienantis agnatus propior excludit remotiores.

§. 236. Hic temporis momentum attenditur, quo pactum ab vtraque parte, aut ſaltem ab alienante, eſt ſubſcriptum.

§. 237. Ex agnatis eiusdem gradus pluribus praefertur, qui primus coram iudice rei ſitae comparet.

§. 238. Si agnati eiusdem gradus plures vno eodemque tempore comparent, ſors inter eos decidit.

§. 239. Si is, qui pacti perfecti tempore proximus fuit, praeſcriptionis legitimae tempore nondum delapſo moritur; iuris retractus exercendi ius tranſit ad eius heredem legitimum, licet gradu remotiorem.

§. 240. Caeterum autem hoc ius agnatis competit ex iure proprio.

§. 241. Hinc filius quoque poteſt ius retractus exercere, ſi patris alienantis heres aut plane non fuit, aut tantum in legitima factus.

Source : BIU Cujas

§. 242. Si agnatus proximus hoc ius exercere non poteſt aut recuſat; hoc ius tranſit ad proximum poſt eum, et ſic porro.

§. 243. Hinc agnati quoque remotiores intra legitimae praeſcriptionis terminum ad hoc ius exercendum compareant neceſſe eſt.

§. 244. At vero, antequam hoc ius ab iis re vera poteſt exerceri, expectari debet praeſcriptionis finis, et an intra praeſcriptionis terminum non comparuerit propior ad exercendum ius retractus.

§. 245. Dum familiae membrum adhuc praedium poſſidet, familiae ius retractus reſeruatur integrum.

§. 246. Hinc familiae membrum nullum ſola declaratione ſua: ſe tanquam alienum tantum emere praedium, priuare familiam poteſt iure retractus in futuris alienationis caſibus.

§. 247. In eo tantum caſu, ſi in eiusmodi praedii ſubhaſtatione neceſſaria quis ex familia ſimul licitat, adiudicatione ei facta hoc ius ipſum amittitur, ſi nullum aliud familiae membrum ius retractus exercet.

§. 248. At vero, ſi praedium ſemel ex familia exiit, et ius retractus praeſcriptione eſt extinctum; hoc ius non reuiuiſcit, licet temporis ſucceſſu familiae membrum ad praedii eiusdem poſſeſſionem denuo perueniat.

§. 249. At vero, ſi alienus eiusmodi praedium acquirens praedium rurſus in familiae membrum transtulit, antequam poſſeſſionis ſuae titulum in librum hypothecarium referendum curauit; ius retractus non habetur extinctum.

§. 250. Caeterum de iure retractus gentilitii valent omnia, quae de iure retractus generatim ſunt ſancita. (Part. I. Tit. XX. Sect. III.)

TTTV-

Source : BIU Cujas

# TITVLVS QVINTVS.

## De familia conductícia, seu de iuribus et officiis herorum et famulorum mercenariorum.

§. 1. Relatio inter herum et famulum nititur pacto, quo alter obligatur ad operas oeconomicas et domesticas certas in tempus certum praestandas, vti alter ad certam mercedem pro operis praestitis soluendam. I. De famulis vulgaribus.

§. 2. In societate coniugali mariti est, famulos mercenarios necessarios in familiae vsum conducere. Quis possit famulos mercenarios conducere.

§. 3. Famulas s. ancillas vxor potest conducere, ad quas conducendas non est necessarius expressus mariti consensus.

§. 4. At maritus tamen, cui ancillae conductae non placent, potest disponere, vt praeterlapso tempore seruiendi legitimo dimittantur ex seruitio, nulla temporis in contractu determinati ratione habita.

§. 5. Famulum mercenarium se locaturo ius competat necesse est, libere de persona sua disponendi. Quis se famulum possit locare.

§. 6. Liberi, qui sub patria sunt potestate, sine patris consensu locare se non possunt, neque minorennes absque tutoris approbatione.

§. 7. Vxoribus nuptis non nisi maritis consentientibus licet, nutricationis munus aut seruitium aliud subire.



Source : BIU Cujas

§. 8. In casibus tantum §. 6 et 7, si consensus in tempus certum aut ad dominum certum expresse est restrictus, eius renouatio ad tempus prolongandum aut in mutando domino est necessaria.

§. 9. Famuli mercenarii, qui operas iam locarunt, in adeundo nouo ministerio probare debent, se dominum pristinum legitime dereliquisse.

§. 10. Homines, qui se adhuc nondum in ministerio fuisse perhibent, per magistratus sui testimonium docere oportet, se absque dubitatione vlla famulos posse conduci.

§. 11. Si quis praeceptis §. 9. et 10. neglectis famulum conduxerit mercenarium; locationis conductionis contractus tanquam inualidus statim est dissoluendus, si comparet alius, cui ius de conducti persona aut operis competit.

§. 12. Praeter ea conductor, haec praecepta negligendo, pecuniariam commisit vnius thaleri vsque ad decem multam, aerario loci alendis pauperibus destinato pendendam.

Proxenetae, qui famulos mercenarios conciliant.

§. 13. Nemini in conducendis famulis mercenariis proxenetam licet agere, nisi a loci magistratu constituto et sacramento adstricto.

§. 14. Eiusmodi proxenetis, qui conciliandis famulis operam praestant, diligenter inuestigandum est de personis, eorum opera et studio ministerium quaerentibus.

§. 15. Praecipue eos scrutari oportet: an iis, secundum legum praecepta, ius in seruitium se locandi competat.

§. 16. Famulos mercenarios, qui iam sunt in ministerio, ad ministerium illud derelinquendum et aliud subeundum ne alliciant, sub vllo praetextu.

§. 17. Quod si fecerint, primo in eos animaduertendum est multa pecuniaria duorum thalerorum ad quinque vsque, aut aequa carceris poena; secundo

Source : BIU Cujas

vero praeter ea a quaestus proxenetici exercitio sunt excludendi.

§. 18. Dominis, eorum opera et studio interueniente famulos conducturis, personae oblatae virtutes atque vitia fideliter, et quam optime sciunt, indicare eos oportet.

§. 19. Si famulos inidoneos aut perfidos, meliorum scientes, tanquam idoneos aut fidos certosque commendant; damnum ab eiusmodi famulis datum ab ipsis est praestandum.

§. 20. Praeter ea secundum praeceptum §. 17. graui poena sunt afficiendi, quae, si damnum ab iis reparari ob paupertatem non potest, ad duplum vsque, si opus fuerit, est augenda.

§. 21. Determinatio proxenetici reseruatur loci cuiusque ordinationibus de disciplina publica et famulitiis (*Policey- und Gesinde-Ordnungen*).

Quomodo locationis conductionis operarum contractus celebratur.

§. 22. Ad conducendos famulos vulgares contractus scriptus non requiritur.

§. 23. Cuius loco est arrhae (*Miethgeld*) datio et acceptio.

§. 24. Arrhae summa, vbi leges speciales eam non determinant, a conuentione dependet eorum, quorum interest.

§. 25. Arrha in regula de mercede deducitur.

§. 26. Quin etiam, vbi ea deductio alias locum non habet, domino nihilo minus ius arrham de mercede deducendi competit, si famulus sua culpa ministerium, cui se addixit, ante tempus conuentum derelinquit.

§. 27. Si famulus mercenarius dominis pluribus simul operas suas locauit, is praeferendus, a quo primo arrham accepit.

§. 28. Dominus, qui alteri debet cedere, aut iure suo se sponte abdicat, arrham et proxeneticum a famulo potest repetere.



Source : BIU Cujas

§. 29. Atque etiam, ſi dominus locationem priorem ignorauit, a famulo illi praeſtandum eſt damnum inde oriundum, quod alius famulus mercede maiori eſt conducendus.

§. 30. Dominum, in cuius miniſterio famulus manet, altero petente hanc ſummam (§. 28. et 29.) famulo de mercede oportet deducere, et domino alteri tradere.

§. 31. Praeterea famulus, qui eo modo dominis pluribus ſimul operas ſuas locauit, ſummam arrhae, a ſecundo et reliquis acceptae, tanquam poenam, debet ſoluere loci aerario, alendis pauperibus deſtinato.

Merces et victus.

§. 32. Mercedis et pecuniae pro victu modum, quem leges ſpeciales determinant, excedere non licet.

§. 33. Conuentiones, his legibus contrariae, vim obligandi non habent.

§. 34. Famulis in iudicio non datur actio de donis in feſto natiuitatis Chriſti, ſub anni noui auſpiciis, et eius generis reliquis, licet promiſſis.

§. 35. Vbi nulla eſt legis determinatio, ibi ea dependet qua mercedem et pecuniam pro victu, et qua dona a conuentione, in celebrando locationis conductionis contractu facta.

§. 36. In caſibus omnibus, vbi dona in feſto natiuitatis Chriſti aut anni noui auſpiciis intra miniſterii annum re vera iam ſunt data, dominus ea de mercede poteſt deducere, ſi contractus anno adhuc currente famuli culpa diſſoluitur.

§. 37. Ad famulos maſculos quod attinet, veſtitus famularis (*Livree*) partem mercedis conſtituit, et praeterlapſo tempore, pacto aut loci conſuetudine determinato, famuli eſt proprius.

§. 38. Veſtitum ſingularem famularem ſplendidiorem (*Staatslivree*), praeter illum datum, famulus petere nequit.

Source : BIU Cujas

§. 39. Pallia, veſtes rhedariorum pelliceae, et quae ſunt eius generis reliqua, ad veſtitum famularem ſolitum non pertinent.

§. 40. Tempus ſeruiendi ſ. miniſterii, vbi legibus ſpecialibus non eſt definitum, a conuentione pendet eorum, quorum intereſt. Quamdiu tempus ſeruiendi ſ. miniſterii duret?

§. 41. Si ſingulare nihil eſt pactum, locatio conductio, ſi famuli ſunt vrbani, in anni quadrantem, ſi vero ruſtici, in annum totum contracta habetur.

§. 42. Tempus aditionis, ſi famuli ſunt vrbani, eſt anni cuiusque dies ſecundus Ianuarii, Aprilis, Iulii et Octobris. Miniſterii aditio.

§. 43. Si ruſtici, aditionis tempus, niſi ordinationes famulitiae prouinciales aliud determinent, eſt Ianuarii dies ſecundus.

§. 44. Ante aditionis diem famulo domini prioris miniſterium, contra huius voluntatem, derelinquere non licet.

§. 45. Arrha ſemel data et accepta obligatur dominus, vt famulum aſſumat; et famulus, vt miniſterium tempore determinato adeat.

§. 46. Pars neutra liberare ſe ab iſta obligatione poteſt relinquendo aut reſtituendo arrham.

§. 47. Si dominus famulum aſſumere renuit; arrham perdit, et famulum aeque indemnem praeſtare debet, ac infra (§. 160. ſeqq.) praecipitur in caſum, ſi famulus, pendente locationis conductionis tempore, absque cauſa legitima eſt dimiſſus.

§. 48. At dominus tamen, ante miniſterii aditionem, a contractu recedere ex cauſis iisdem poteſt, ex quibus ei ius competeret, famulum ante elapſum miniſterii tempus (ſ. locatione conductione determinatum) dimittendi. (§. 116. ſeqq.)

§. 49. Idem ius ei quoque competit, ſi famulus miniſterium adire primus recuſauit.

§. 50. In vtroque caſu dominus arrham datam poteſt repetere.



Source : BIU Cujas

§. 51. Si famulus miniſterium adire recuſat; ad illud adeundum a magiſtratu mediis coactiuis eſt compellendus.

§. 52. Si famuli peruicacia eſt cauſa, vt dominus alium famulum in eius locum conducere mercede maiori debeat; hoc damnum a famulo eſt reſarciendum, et arrha reſtituenda.

§. 53. Si famulus, quo minus miniſterium adeat, caſu absque culpa ſua impeditur; domino arrhae reſtitutione eſt acquieſcendum.

§. 54. Si ancillae ante miniſterii aditionem nubendi oblata fuerit occaſio; ei ſubſtituere licet perſonam idoneam aliam, quae miniſterio eius loco fungatur.

§. 55. Quam ſi ſubſtituere nequit, eam quoque ancillam in vrbibus in trimeſtre, et in oeconomia ruſtica in annum dimidium adire oportet miniſterium.

Officia famulorum in miniſterio,

§. 56. Famuli non poſſunt conduci niſi ad negotia licita.

§. 57. Famulos vulgares, non ad negotia certa definita conductos, negotiis excluſis reliquis, negotia domeſtica omnia ex domini voluntate oportet peragere.

§. 58. Ad quas operas praeſtandas tenentur perſonis ad domini familiam pertinentibus, aut in eam receptis, omnibus.

§. 59. Capiti familiae ius eſt, modum atque ordinem definiendi, quo membrum familiae quoduis famulorum miniſterio et operis debeat vti.

§. 60. Famuli quoque, ad certum operarum genus conducti, nihilo minus, domino poſcente, operas domeſticas alias ſimul debent praeſtare, ſi famuli ſocii, operis iis praeſtandis deſtinati, morbo aut alia cauſa, ad aliquod tempus impediuntur, quo minus eas praeſtent.

§. 61. Litem inter famulos de eo exortam, quis eorum hoc aut illud negotium ex deſtinatione ſua debeat peragere, voluntas domini ſola decidit.

Source : BIU Cujas

§. 62. Famulo absque domini venia non eſt facultas, aliis demandandi vicem in negotiis ipſi demandatis.

§. 63. Si famuli dominis perſonam inidoneam aut ſuſpectam, in vicis functionem commendarunt; damnum ab ea datum debent praeſtare.

§. 64. Famulus obligatur, ad operas fide, diligentia, et attentione adhibita praeſtandas.

§. 65. Damnum data opera, aut ex culpa lata aut leui, domino illatum debet refarcire.

§. 66. Ad damnum, leuiſſima culpa datum, refarciendum famulus tunc tantum eſt obligatus, ſi contra expreſſum domini iuſſum egit.

§. 67. Atque etiam, ſi ad ea negotiorum genera ſe locauit, quae praecipuum attentionis aut habilitatis gradum ſupponunt

§. 68. Ob damni reparationem, ad quam praeſtandam famulus eſt obligatus, dominus mercedem eius retinere poteſt.

§. 69. Si damnum neque ex mercede adhuc ſoluenda, neque ex aliis famuli bonis refarciri poteſt; illud refarciendum eſt operis, in tempus aequum ſine mercede praeſtandis.

§. 70. Extra miniſterium famulus quoque obſtrictus eſt, ad domini commoda promouenda, et quantum in ipſo eſt, damna et detrimenta auertenda. extra miniſterium.

§. 71. Cognitam famulorum ſociorum perfidiam domino indicare obligatur.

§. 72. Quam ſi celat, ipſe debet praeſtare damnum omne, quod potuiſſet perfidia indicata auerti, ſi debitor principalis refarcire illud ob paupertatem nequit.

§. 73. Domini inſtitutionibus et ordinationibus domeſticis omnibus famuli ſe debent ſubmittere.

§. 74. Inſcio et non conſentiente domino, ne in rebus ſuis quidem propriis, ex domo diſcedere famulis licet.



Source : BIU Cujas

§. 75. Discedendi veniam a domino datam transgredi iis non licet.

§. 76. Domini dominaeue iussa et reprehensiones famuli reuerenter atque modeste accipiant.

§. 77. Famuli, qui indigne se gerendo domini iram concitant, et ira concitata a domino conuiciis et castigatione mitiore afficiuntur, nullam possunt petere satisfactionem iudicialem.

§. 78. Ea quoque verba aut facta, quae inter personas alias contemtus signa sunt agnita, contra dominum nondum fundant praesumtionem, eum bonam famulorum famam laedere iis voluisse.

§. 79. Excepto casu, vbi dominus male tractando famulum in vitae aut valetudinis periculum praesens atque ineuitabile vocat, domino vim opponere famulo non licet.

§. 80. Delicta famulorum erga dominum commissa, carceris aut operis publici poena, secundum principia iuris criminalis, sunt punienda.

§. 81. Per illud tempus, quo famuli, poenas istas luentes, operas suas praestare non possunt, domino ius est curandi, vt praestentur per alios famulorum sumtibus.

Officia domini.

§. 82. Dominus famulis mercedem et vestimenta temporibus definitis absque mora exhibere obligatur.

§. 83. Si victus quoque fuerit promissus, cibi exhibendi sunt cuiusque loci soliti, vt saturentur.

§. 84. Dominus famulis tempus concedat ad cultum publicum Dei necessarium, et eos diligenter adhortetur, vt sacris interfint.

§. 85. Neque plures operas, neque difficiliores a famulo poscat, quam pro corporis constitutione et viribus, sine valetudinis detrimento potest praestare.

§. 86. Si famulus in praestandis operis aut earum occasione morbum sibi contraxit; domini est, famuli aegroti curationem et sustentationem suscipere.

Source : BIU Cujas

§. 87. Propter impenſas in famuli curationem factas de mercede ipſi nihil detrahatur.

§. 88. Quo caſu excepto dominus ad famulos aegrotos curandos tunc tantum eſt obſtrictus, ſi non habeant in propinquo cognatos agnatosue, qui eos curare poſſunt, et ad eos curandos legibus ſunt obſtricti.

§. 89. Cui officio ſi cognati agnatiue ſatisfacere recuſant; dominus interim eorum curam, vſque donec res fuerit deciſa, ſaluo ſuo iure, debet ſuſcipere.

§. 90. Si publica extant inſtituta, vbi eiusmodi aegroti curantur: famulis in eo eſt acquieſcendum, ſi dominus efficit, vt in iis recepti curentur.

§. 91. In caſu §. 88. definito dominus impenſas in famuli aegroti curationem factas de mercede, pro eo temporis ſpatio ſoluenda, famulo aegroto poteſt detrahere.

§. 92. Qui morbus ſi vltra locationis tempus continuat; hoc tempore praeterlapſo ceſſat domini obligatio externa, curationi et ſuſtentationi famuli aegroti proſpiciendi.

§. 93. At vero magiſtratum loci de re tempeſtiue certiorem debet facere, qui eiusmodi aegroto inopi poſſit proſpicere.

§. 94. Exiſtentibus iisdem cauſis et circumſtantiis, quibus mandans mandatario damnum, quod in expediendo negotio caſu huic accidit, reſarcire debet, domini quoque eſt, vel adeo vltra locationis conductionis tempus curare de famulis, quorum corpori membrisue in praeſtandis eius operis, aut earum occaſione, damnum eſt illatum. (Part. I. Tit. XVIII. §. 80. 81.)

§. 95. Quod tamen officium non extenditur, niſi ad expenſas in aegroti curationem faciendas et neceſſarium famuli victum, vſque donec in eum peruenerit ſtatum, quo alere ſe ipſe poſſit.

§. 96. At vero, ſi famuli valetudo absque lata eius culpa, laeſa eſt domino male eum tractante; ſa-



Source : BIU Cujas

mulus a domino poteſt petere indemnitatem plenam ſecundum generalia legum praecepta.

§. 97. De iis quoque contumeliis et obtrectationibus (ſermonibus inuidioſis), quibus efficitur, ne famulus facile dominum inueniat, famulo iudicialis competit ſatisfactio.

§. 98. In quantum dominus obligetur famuli factis, in miniſterio aut extra miniſterium peractis, ſuo loco eſt determinatum. (Part. I. Tit. VI. §. 60. ſeqq.)

Diſſolutio pacti per mortem;

§. 99. Famulus ſi moritur; heredes eius mercedem et pecuniam pro victu eam tantum poſſunt petere, quae ſoluenda eſt pro ratione temporis, quo operas praeſtitit morbo nondum preſſus.

§. 100. Ad funeris ſumtus pro famulis ſoluendos dominus in caſu nullo obligatur.

§. 101. Si dominus defungitur ante elapſum renuntiationis terminum ſolitum; heredes ad mercedem et victum vſque ad finem tantum trimeſtris currentis praeſtandum famulis tenentur.

§. 102. Si dominus poſt terminum renuntiationis elapſum defungitur; heredes famulis, ſi alere eos amplius nolunt, praeter mercedem et victum trimeſtris currentis mercedem quoque trimeſtris ſequentis, at ſine victu tamen debent praeſtare.

§. 103. Generis maſculi famuli cultum (veſtitum) famularem tenent omnem, ſi domino defuncto iam per annum dimidium aut menſibus ſex plus ſeruierunt.

§. 104. Si per tempus breuius in miniſterio fuerunt, tunicam (*Rock*), ſubuculam (*Weſte*) et pileum reddere eos oportet.

§. 105. Famulus in ſingulos tantum menſes conductus mercedem et victus pretium accipit, domino ante decimum quintum menſis diem mortuo, in menſem tantum exeuntem, at alias quoque in ſubſequentem.

Source : BIU Cujas

§. 106. Concurſu de domini bonis moto praecepta §. 101-105. locum habent.

§. 107. Dies concurſus formati in hoc reſpectu diei mortis aequiparatur.

§. 108. De mercede famulorum tunc reſidua ordinationis concurſus praecepta attenduntur.

§. 109. Quibus caſibus exceptis locationis conductionis contractus intra miniſterii tempus vnilateraliter nequit diſſolui. renuntiatione antecedente;

§. 110. Pars, quae locationis conductionis contractum poſt tempus miniſterii elapſum non cupit continuare, intra terminum iuſtum renuntiet neceſſe eſt.

§. 111. Renuntiationis termino per leges ſpeciales non determinato, terminus, ſi famuli ſunt vrbani, ſex hebdomadum, et ſi ruſtici, trium menſium ante tempus miniſterii elapſum ſtatuitur.

§. 112. Si famuli in menſes ſingulos ſunt conducti, renuntiatio locum adhuc habet menſis cuiusque die decimo quinto.

§. 113. Renuntiatione nulla facta, pactum tacite prolongatum habetur.

§. 114. Si famuli ſunt vrbani, prolongatio in anni quadrantem, ſi ruſtici, in annum facta cenſetur.

§. 115. Si famuli in ſingulos menſes ſunt conducti, prolongatio in vnum tantum menſem ſemper intelligitur.

§. 116. Absque renuntiatione dominus famulum ſtatim poteſt dimittere: 1) ſi famulus dominum aut eius familiam vi, conuiciis et maledictis, aut obtrectationibus contumelioſis laedat; aut inſtigationibus malitioſis diſcordias in familia concitare conetur; absque renuntiatione ex parte dominorum;

§. 117. 2) Si inobedientiae et contumaciae pertinacis erga domini iuſſa ſe reum reddat;

§. 118. 3) Si officialibus domeſticis (*Hausofficianten*), quibus de famulis vulgaribus cura eſt deman-

Source : BIU Cujas

data, vi aut grauibus conuiciis et maledictis in eorum officio resistat;

§. 119. 4) Si domini liberos ad mala seducat, aut si ipsi cum liberis suspecta sit consuetudo;

§. 120. 5) Si furti aut interuersionis erga dominum reum se reddat;

§. 121. 6) Si famulos socios ad eadem delicta solicitet;

§. 122. 7) Si domini nomine, domino nescio, pecuniam sumat mutuam, aut merces sine pecunia numerata;

§. 123. 8) Si cultum (vestitum) famularem nondum meritum totum, aut eius partem vendat, aut oppignoret;

§. 124. 9) Si domino nesciente et sine eius permissu abnoctare insuescat;

§. 125. 10) Si igne et lumine, licet iam fuerit admonitus, incaute vtatur;

§. 126. 11) Si, licet antea non fuerit admonitus, ex eiusmodi vsu incauto incendium re vera iam fuerit exortum;

§. 127. 12) Si famulus moribus dissolutis morbum contagiosum aut fastidiosum sibi contraxerit;

§. 128. 13) Si famulus a magistratu octo diebus plus carcere detineatur;

§. 129. 14) Si ancilla facta sit grauida; qui tamen casus magistratui est denuntiandus, et ancilla non dimittenda, priusquam magistratus ad praecauenda mala parauit omnia, quae legibus sunt praecepta.

§. 130. 15) Si dominus a famulo in conductione deceptus fuerit productis testimoniis falsis;

§. 131. 16) Si famulus in ministerio anteriori tam male se gessit, vt eam ob causam secundum §. 116-127. dimitti potuisset, et si malos istos mores dominus anterior in testimonio dato celauerit, neque famulus ipse, cum a nouo domino conduceretur, eos aperte et candide indicauerit.

Source : BIU Cujas

§. 132. Famulus miniſterium, renuntiatione non antecedente, poteſt derelinquere: 1) ſi a domino male tractatus in periculum vitae aut valetudinis fuit vocatus; ex parte famulorum.

§. 133. 2) Si dominus famulum absque tali periculo, at acerbitate tamen immodica et inſolita, tractauit;

§. 134. 3) Si dominus famulum ad facta, quae contra legem ſunt aut bonos mores, ſolicitare voluit;

§. 135. 4) Si dominus famulum ab eiusmodi ſolicitationibus illicitis contra perſonas, ad familiam pertinentes, aut domum frequentantes, noluit tueri;

§. 136. 5) Si famulo victus pretium prorſus detinuit, aut ipſi victum neceſſarium denegauit;

§. 137. 6) Si dominus itinera in terras peregrinas priuata ſuſcipit in tempus, annum miniſterii exeuntem excedens;

§. 138. 7) Si dominus in rebus publicis extra terras regias miſſus, aut domicilium ad locum alium in terris regiis ſitum transferens, in vtroque caſu ſuſcipere recuſat obligationem, ſuis ſumtibus famulum elapſo miniſterii tempore remittendi;

§. 139. 8) Si famulus ob morbum grauem continuare miniſterium nequit.

§. 140. Ante elapſum locationis conductionis tempus contractu determinatum, at renuntiatione tamen antecedente, dominus famulum poteſt dimittere: 1) ſi famulo deſit ſcientia atque habilitas, quam requirunt negotia, ad quae peragenda eſt deſtinatus; Intra tempus, at praemiſſa tamen renuntiatione: ex parte dominorum;

§. 141. 2) Si famuli, absque domini venia ſuae voluptatis cauſa excurrant; aut ſine neceſſitate elapſo tempore conceſſo, aut ad negotium expediendum

Source : BIU Cujas

neceſſario, non redire ſoleant; aut miniſterium alias petulanter negligant;

§. 142. 3) Si famulus potationi addictus aut ludis deditus ſit, aut rixis vel pugnis cum famulis ſociis concordiam domeſticam turbet, neque admonitus hos prauos mores corrigat;

§. 143. 4) Si inito locationis conductionis contractu domini res familiaris ita deminuatur, vt vel prorſus ſuas operas ſine famulis debeat perficere, vel famulorum ſaltem numerum minuere.

ex parte famulorum.

§. 144. Famuli ante elapſum miniſterii tempus, at renuntiatione tamen praemiſſa, miniſterium poſſunt derelinquere; 1) ſi dominus mercedem pactam terminis praeſtitutis non recte ſoluat;

§. 145. 2) Si dominus famulum ignominiae publicae proprio auſu exponat;

§. 146. 3) Si famulo per matrimonium, aut modo alio, fauorabilis offeratur oeconomiae ſeparatae inſtituendae occaſio, quae miniſterii tempus ſeruando foret negligenda.

§. 147. In quibus caſibus locationis conductionis contractus intra miniſterii tempus, at praemiſſa tamen renuntiatione tantum poteſt diſſolui, in iis omnibus nihilo minus trimeſtre currens, et ſi famuli ſunt in ſingulos menſes conducti, menſis currens eſt ſeruandus.

§. 148. Si famuli parentes ob rerum et circumſtantiarum ſuarum mutationem, quae poſt locationem demum accidit, eo carere in ſua oeconomia non poſſunt; aut ſi famulus in rebus ſuis longum iter ſuſcipere cogitur: hic quidem dimiſſionem quoque poteſt petere;

§. 149. At alium tamen famulum idoneum in locum ſuum debet ſubſtituere, et cum eo conuenire de mercede, victu, et cultu famulari, absque domini praeiudicio.

Source : BIU Cujas

§. 150. In quibus casibus domino ius famulum, intra ministerii tempus, renuntiatione facta, aut sine ea dimittendi competit (§. 116-131. §. 140-143.), in iis omnibus famulus mercedem et victum, aut victus pretium exigere tantum potest pro ratione temporis, quo praestitit operas. Quid deinde intuitu mercedis, victus, et cultus famularis sit iuris.

§. 151. Idem iuris est in iis casibus, in quibus famulus quidem ante tempus ministerii elapsum, at renuntiatione tamen praemissa, ministerium potest derelinquere (§. 144. 145. 146.)

§. 152. In quibus casibus famulus statim et sine renuntiatione iure ministerii relinquendi gaudet (§. 132-139.), in iis ei merces et victus trimestris currentis, et, si in singulos menses fuerit conductus, mensis currentis est praestandus.

§. 153. Si causa, ob quam legitime ex seruitio potest discedere, post terminum renuntiationis elapsum demum acciderit; dominum eam reparationem quoque pro anni quadrante subsequente aut mense subsequente praestare oportet.

§. 154. In regula famulus cultum famularem, qui pars mercedis habendus, tenet omnem, si ex causis §. 132-139. definitis ministerium derelinquit.

§. 155. Si famulus tantum ex causis §. 140-143. expositis ex ministerio discedit; tunicam et pileum relinquit, si nondum per sex menses ministerium praestitit.

§. 156. In iis casibus, vbi famulus secundum §. 116-131. 140-143. a domino dimittitur, dominus in regula totum cultum famularem potest retinere.

§. 157. At vero, si famulus per annum dimidium in ministerio fuit, et tantum ex causis §. 140-143. expositis dimittitur, ei cedunt cultus famularis partes minores (*kleine Montirungsstücke*).

§. 158. Si famulus ex causa §. 144 et 145. exposita, renuntiatione praemissa, dimissionem petit; locum obtinent praecepta §. 154. 155.

Source : BIU Cujas

§. 159. At vero, ſi tantum diſcedit ex cauſa §. 145. determinata; famulum cultus famularis partibus minoribus oportet acquieſcere.

Effectus legales dimiſſionis absque cauſa factae, aut

§. 160. Dominus, ex alia cauſa, quam legitima, famulum ante tempus miniſterii elapſum dimittens, a magiſtratu eſt compellendus, vt eum recipiat, et contractum continuet.

§. 161. Quod ſi pertinaciter recuſat, famulo mercedem et cultum famularem in miniſterii tempus adhuc reſiduum eum oportet praeſtare.

§. 162. Victum quoque ad illud tempus vſque curare.

§. 163. At vero, ſi famulus, iam ante tempus miniſterii elapſum, alium dominum poteſt inuenire; damni reſarciendi obligatio domini vſque ad hoc tantum temporis momentum extenditur, et vltra illud tempus non niſi in tantum, in quantum famulum in nouo miniſterio viliori mercede contentum eſſe oportuit.

§. 164. Si dominus ad recipiendum famulum dimiſſum eſt paratus; famulus miniſterium rurſus adire recuſans in regula nullam reparationem poteſt exigere.

§. 165. Si vero famulus eam recuſationis cauſam docet, ob quam ipſi ius miniſterium derelinquendi competeret; ei competit reparatio §. 152. ſeqq. definita.

§. 166. Si famulus miniſterium anterius rurſus adire nequit, ob dominum alium interea inuentum; praeceptum §. 163. habet locum.

diſceſſus ex miniſterio absque cauſa facti.

§. 167. Famulus ante elapſum tempus definitum, abſque cauſa legitima, ex miniſterio diſcedens mediis coactiuis ad illud continuandum eſt adigendus.

§. 168. Domino vero famulum talem repudianti ius eſt, alium in eius locum conducendi, et famulus diſcedens tenetur ad reſtituendos ſumtus, quibus cauſam dedit, maiores.

§. 169.

Source : BIU Cujas

§. 169. Famulus discedens obligatus est, vt recte tradat domino omnia, quae ei in negotiis suis vtenda, aut alias custodienda sunt commissa.

§. 170. Domino tenetur ad resarciendum damnum, iis rebus culpa sua illatum. (§. 65-69.)

§. 171. Famulo discedenti dominus dimissionis literas (*Abschied*) debet dare, et operarum praestitarum testimonium, veritate fundatum. Literae dimissionis (*Abschied*).

§. 172. In quibus si famulus criminum accusatur, quae efficerent, ne facile dominum inueniat, ad iudicis cognitionem famulus potest prouocare.

§. 173. In qua si accusatio falsa cognoscitur; magistratus famulo dimissionis literas domini sumtibus debet expedire, et huic interdicere sub multa certa pecuniaria obtrectationes vlteriores.

§. 174. At contra dominus, si famulo, qui grauium delictorum et interuersionum reum se reddidit, contrarium testatus est meliorum sciens, damnum tertio inde ortum praestat omne.

§. 175. Hinc dominus nouus conuenire iure potest dominum anteriorem de damno, ex talibus famuli vitiis aut interuersionibus ipsi dato.

§. 176. Qui dominus quoque afficiendus est multa pecuniaria, thaleri vnius vsque ad thaleros quinque, in fauorem loci aerarii, pauperibus alendis destinati.

§. 177. Officiales domestici (*Hausofficianten*), quibus certum tantum negotium definitum in administranda re familiari aut oeconomia, aut cura de certa eius parte demandatur, contractu scripto sunt conducendi. II. De officialibus domesticis (*Hausofficianten*).

§. 178. Conuentiones ore factae sunt inualidae, licet arrha sit data et accepta.

§. 179. At eam tamen partem, quae a conuentione ore facta recedit, arrham oportet perdere, aut restituere.



Source : BIU Cujas

§. 180. Si miniſterium fundamento pacti ore tantum contracti re vera eſt inchoatum: et vna pars et altera, elapſo quolibet anni quadrante, a pacto poteſt recedere; at obſeruato tamen renuntiationis ſex hebdomadarum termino.

§. 181. Honorarium pro operis, per tempus interiectum praeſtitis, definitur ex conuentione ore facta, et ea deficiente ex honorario, domeſtico officiali adhuc vere dato, aut, ſi neque ex eo lis poteſt decidi, iudicis arbitrio ex eo, quod homines eius claſſis eodem loco ex more ſolito accipiunt.

§. 182. Officiales domeſtici obligati tantum ſunt ad expedienda ea negotia, quae cum miniſterio, ad quod ſunt conducti, pro fine deſtinato ſunt coniuncta.

§. 183. Ad ſuſcipienda negotia domeſtica alia non niſi in ſummae neceſſitatis caſu ſunt obſtricti.

§. 184. In expediendo negotio, ad quod ſunt conducti, culpam leuem praeſtant omnem.

§. 185. Officiales domeſtici ob conuicia et maledicta grauia, atque ob vim, a domino iis iniuſte illatam, iam ante miniſterii tempus elapſum, dimiſſionem poſſunt petere.

§. 186. In rebus et cauſis reliquis omnibus officialibus domeſticis eadem, quae famulis vulgaribus, iura ſunt atque officia.

De perſonis ad educandos liberos conductis.

§. 187. Perſonae ſexus vtriusque, ad educandos liberos conductae, atque ſcribae priuati, capellani priuati, et alii, qui ſcientiis et artibus liberalibus domi operas praeſtant, non ſunt habendi meri officiales domeſtici.

§. 188. Quin potius eorum iura et officia diiudicanda ſunt ex ſententia pacti ſcripti, cum iis initi; ex negotii ſuſcepti natura, fine et requiſitis; et ex generalibus praeceptis de pactis, et de alienatione rerum pro factis. (Part. I. Tit. XI. §. 869. ſeqq.)

Source : BIU Cujas

§. 189. Eiusmodi perſonae ad operas domeſticas in caſu nullo ſunt obligati.

§. 190. Ad ea familiae membra pertinent, quibus famulos vulgares ſecundum domini ordinationem praeſtare operas oportet. (§. 58. 59.)

§. 191. Perſonae ſexus vtriusque, ad educandos liberos conductae, dimitti non poſſunt ob ſolam educandorum caſtigationem modicam, in malam tractationem non degenerantem.

§. 192. Si vel adeo caſtigationes corpus tantum afficientes in pacto ineundo ſunt interdictae; interdicti violatio renuntiandi ius fundat.

§. 193. Tempus miniſterii legitimum talium perſonarum §. 187. deſcriptarum, niſi pactum aliud definiat, in annum putatur.

§. 194. De eius prolongatione tacita valent omnia, quae de famulis vulgaribus ſunt praecepta.

§. 195. Renuntiationis terminus, niſi pacto aliud fuerit determinatum, in anni quadrantem determinatur.

§. 196. Seruitus in terris regiis non toleretur. III. De ſeruis. (*Sclaven.*)

§. 197. Subdito regio nulli ad ſeruitutem ſe obligare licet.

§. 198. Peregrinis, per aliquod tantum temporis ſpatium in terris regiis commorantibus, iura de ſeruis ſecum ductis ſunt ſalua et integra.

§. 199. At iis tamen a magiſtratu limites ſunt praeſcribendi, ſi iura iſta velint extendere vſque ad tractationem malam, ſeruorum vitae periculoſam.

§. 200. Si eiusmodi peregrini in terris regiis ſedem ſuam collocant; aut ſi ſubditi regii ſeruos in terris exteris emtos in regias prouincias deducunt; ſeruitus extinguitur.

§. 201. Domino igitur dominium perſonale nullum de eo competit, qui ſeruus fuit.



Source : BIU Cujas

§. 202. At hunc tamen domino inde ab eo tempore ſine mercede tamdiu operas oportet praeſtare, donec illi operis ſuis indemnitatem praeſtiterit expenſarum, in eum emendum factarum.

§. 203. In qua indemnitate computanda pro norma ſumitur merces, quam eius loci aut prouinciae famuli, pro eius generis miniſterio ſolent accipere.

§. 204. Intra tempus miniſterii, ſine mercede praeſtandi, ei qui ſeruus fuit veſtimenta neceſſaria et victus neceſſarius, aeque ac famulis, exhibeantur neceſſe eſt.

§. 205. In rebus et cauſis quoque reliquis omnibus ipſi ſunt eadem, quae vulgaribus et liberis famulis, iura et officia.

§. 206. Si dominus liberorum ab eo, qui ſeruus fuit, procreatorum curam geſſit; domino de eorum operis eadem iura competunt, quae alios liberos inopes curanti et educanti. (Tit. II. §. 753 771.)

§. 207. Eum, qui ſeruus fuit, dominus praedio ruſtico ſubditum quoque poteſt addicere.

§. 208. Quo facto, illi eadem ſunt iura et officia, quae aliis praedii ſubditis.

Source : BIU Cujas

# TITVLVS SEXTVS.

## De ſocietatibus in genere, et de corporibus et vniuerſitatibus ſpeciatim.

§. 1. Sub ſocietatibus generatim hic intelliguntur coniunctiones plurium regni membrorum, in finem eundem communem. Societates generatim

§. 2. Qui finis quatenus cum ſalute publica poteſt conſiſtere, eatenus eiusmodi ſocietates ſunt licitae. licitae;

§. 3. Societates autem, quarum finis et negotia publicae tranquillitati, ſecuritati et ordini aduerſantur, ſunt illicitae, atque in regno non tolerandae. illicitae.

§. 4. Societates quoque per ſe non illicitas vetare poteſt regnum, ſimulac apparet, eas finibus aut inſtitutis aliis, vtilitati communi inſeruientibus, eſſe impedimento aut detrimento.

§. 5. Eiusmodi ſocietates expreſſe prohibitae, inde ab interdicti dati tempore, aequiparandae ſunt ſocietatibus per ſe illicitis.

§. 6. Societates illicitae et vetitae, qua tales, nulla iura neque in membra ſua, neque in alios habent.

§. 7. Earum membra de factis illicitis, ab iis communiter, aut a ſingulis ad ſocietatis finem commiſſis, ad damni reparationem et ad poenam luendam aeque ſunt obligata, ac delicti correi alii.



Source : BIU Cujas

§. 8. A qua tamen obligatione membra ea liberata sunt, quae societatis finem bono publico contrarium ignorarunt, neque factorum illicitorum, a reliquis commissorum, fuerunt correa.

§. 9. Quin potius ea membra, si ipsis ex ea societate damnum oriatur, eius reparationem possunt petere ab iis, a quibus solicitati sunt, vt ad societatem accederent, vti a societatis antistitibus.

§. 10. Qui ad societatem a regno expresse vetitam accedit, liberare se non potest a poena lege prohibitiua definita, praetendendo finis illiciti ignorantiam.

Iura societatum priuatarum licitarum.

§. 11. Iura et officia membrorum societatum licitarum inter se diiudicantur ex pacto, inter ea subsistente, et eo deficiente, ex legibus specialibus, intuitu diuersorum eiusmodi societatum generum latis, et vbi neque istae decidunt, ex fine coniunctionis.

§. 12. Intuitu factorum et actuum, ex quibus iura et obligationes erga alios oriuntur, habentur tantum socii iuris communis aut obligationis communis.

§. 13. Eiusmodi societates relatione ad alios, praeter se, personam moralem non agunt, atque ideo, qua tales, neque fundos neque sortes societatis nomine possunt acquirere.

§. 14. Inter se tamen tales societates, dum consistunt, interna iura corporum et vniuersitatum habent. (§. 25. seqq.)

§. 15. Membrum igitur, societatem relinquens, ex societatis bonis eatenus tantum ratam potest petere, quatenus membro corporis et vniuersitatis ratam petendi ius competit.

§. 16. Societates negotiatoriae (*Handlungsgesellschaften*) vnice diiudicantur ex praeceptis sectionis tertiae tituli decimi septimi partis primae, et sectionis septimae tituli octaui partis secundae.

Source : BIU Cujas

§. 17. Quaecunque tali ſocietati obtingunt, non fiunt niſi bona, quae ſunt in communi membrorum praeſentium dominio.

§. 18. Hinc membrum quodque ſocietatem relinquens ratam ſuam eorum, quae ſocietati obtigerunt, aeque poteſt petere, ac bonorum reliquorum, quae ſunt in dominio communi.

§. 19. Si in acquirendis aut conferendis rebus contrarium expreſſe eſt determinatum: membrum ſocietatem relinquens res eas non quidem poteſt petere, dum manet ſocietas;

§. 20. At vero, ſi ſocietas plane diſſoluitur; eiusmodi res quoque, vti communia bona reliqua, diuiditur inter eius temporis membra.

§. 21. Donationes ſocietati priuatae licitae, quae tamen non eſt ſocietas negotiatoria, ad certum finem factae, ad donatorem aut eius heredes redeunt, quatenus adhuc extant, ſi diſſoluta ſocietate finis obtineri non amplius poteſt. (Part. I. Tit. XVI. §. 201. ſeqq.)

Societates priuilegiatae.

§. 22. Iura et rationes ſocietatis a regno expreſſe approbatae aut priuilegiatae, in primis ex ſumma priuilegii dati diiudicentur neceſſe eſt.

§. 23. Quatenus tamen in priuilegio ſingulare nihil eſt determinatum, ſocietates priuilegiatae cum aliis licitis iura tantum habent aequalia.

§. 24. Regnum tamen ſocietatem a ſe expreſſe priuilegiatam ex iis tantum cauſis poteſt diſſoluere, ex quibus priuilegium in genere poteſt reuocari.

Corporatorum et vniuerſitatum iura.

§. 25. Iura corporatorum et vniuerſitatum competunt tantum iis ſocietatibus a regno approbatis, quae ſe coniunxerunt ad obtinendum finem perpetuum, bono publico inſeruientem.

§. 26. Rationes et iura corporatorum et vniuerſitatum in primis diiudicanda ſunt ex pactis in iis inſtituendis celebratis, aut conſtitutionis literis (*Stiftungsbriefen*) datis; ex priuilegiis et conceſſionibus a re-



Source : BIU Cujas

gno impetratis; et ex conclusis s. statutis postea conceptis, regni approbatione accedente.

I. Earum constitutio fundamentalis.

§. 27. Iura et officia societatis eiusque membrorum his modis determinata, atque dispositiones, de expediendis communibus rebus et negotiis factae, constitutionem corporis aut vniuersitatis efficiunt.

§. 28. Quatenus iis societatis finis et ea media sunt definita, sine quibus finis iste obtineri nequit, eatenus ad constitutionem fundamentalem pertinent.

§. 29. Constitutiones fundamentales eatenus tantum possunt mutari aut abrogari, quatenus corporatio ipsa potest dissolui.

§. 30. Neque constitutiones alias, regno inscio et non approbante, proprio ausu mutare possunt corporati.

§. 31. In quantum autem eiusmodi mutationes per societatis conclusum, secundum plurima vota concipiendum, cum regni approbatione fieri possint, ex regulis infra datis est diiudicandum.

§. 32. In explicandis legum societatis fundamentalium locis obscuris et dubiis locum habent regulae generales de interpretandis pactis, legibus et priuilegiis in genere.

§. 33. At in primis tamen hic quoque ratio habenda est consuetudinis, quae in societate adhuc obtinuit, quatenus ea fundamentali societatis constitutioni et legibus regni generalibus non repugnat.

§. 34. Declaratio generalis, de eiusmodi locis obscuris aut dubiis pro tempore futuro concipienda, concipi tantum potest per corporatorum concluſa, approbatione regni accedente.

§. 35. Si tale conclusum perfici nequit, aut si res, de qua agitur, ad corporatorum iura et officia erga alios non corporatos spectat; hoc ius declarandi regno soli tantum competit.

Source : BIU Cujas

§. 36. At tertius, qui afferit, iura ſua iam quaeſita talibus declarationibus eſſe laeſa, ideo legitime eſt audiendus.

§. 37. Membrum quodque ad corporationem nouiter accedens eo ipſo eius conſtitutionibus ſe ſubmittit.

§. 38. Ab officio, eas obſeruandi, quatenus ad conſtitutiones fundamentales pertinet, ſingula quoque membra liberari nunquam poſſunt.

§. 39. In quantum vero corporati aut eorum antiſtites membra ſingula ab obligationibus et oneribus aliis, ad conſtitutionem fundamentalem non pertinentibus, diſpenſare poſſint, ex ſingulari ratione et compoſitione cuiusque corporationum generis pendet.

§. 40. Quatenus corporationis conſtitutio ex fontibus adhuc adductis (§. 26-36.) determinari nequit, ratio habenda eſt legum ſpecialium, de diuerſis corporationum generibus latarum.

§. 41. Vbi et hae nihil propius determinant, praeceptis generalibus ſequentibus eſt locus.

§. 42. Membrum corporationis omne eſt obligatum, vt facta ſua fini communi conuenienter formet, et ad eum obtinendum concurrat. II. Iura interna.

§. 43. Corporationi ius eſt, expellendi membra, conſulto aut alio modo pertinaciter contra hunc finem agentia.

§. 44. Quo tamen iure vti non poteſt, niſi ſub regni cura, et ſecundum leges a regno datas.

§. 45. Ius membra puniendi proprie ſic dictum corporatis tantum competere poteſt ob delicta, a membris in hac qualitate commiſſa, et eatenus tantum, quatenus iis regnum ius tale expreſſe conceſſit.

§. 46. At in hoc quoque caſu corporatos in exercendo hoc puniendi iure ordinem et modum procedendi in legibus generatim praeſcriptum oportet obſeruare.



Source : BIU Cujas

§. 47. Atque etiam contra tales dispositiones poenales prouocatio ad tribunalia a regno ordinata admittitur.

§. 48. Corporatis ius est, noua membra, conscio et consentiente regno, recipiendi.

§. 49. Iura et priuilegia, corporatis aut vniuersitati a regno concessa, in regula prosunt membris eius omnibus praesentibus et futuris.

§. 50. At vero, ad priuilegia, vniuersae tantum societati tanquam personae morali concessa, membra singula pro suis personis, et in rebus suis priuatis, prouocare nequeunt.

Deliberationes et conclusa;

§. 51. Corporationis res internae deliberationibus et conclusis membrorum ordinantur.

§. 52. In casibus ordinariis et conuentibus, semel in perpetuum ad eos componendos determinatis, conclusum decidit membrorum, in hoc conuentu praesentium.

§. 53. In casibus extraordinariis, quorum transactio in constitutionis legibus non est conuentibus ordinariis concessa, membra omnia expresse conuocentur necesse est.

§. 54. Si in conuocandis talibus conuentibus extraordinariis simul deliberationis obiectum est indicatum; membra, quae comparent, nulla numeri eorum ratione habita, validum condere possunt conclusum.

§. 55. Obiecto deliberationis non expresse denuntiato, membrorum partes tertiae saltem duae adsint necesse est, si conclusum debeat condi.

§. 56. Si membra non rite fuerint conuocata, aut si in casu §. 55. iustus membrorum numerus non fuerit praesens; conclusum nihilo minus conditum est nullum.

§. 57. Iam sufficit, si citatio domicilio cuiusque membri solito insinuatur secundum modum, in processus ordinatione praescriptum.

Source : BIU Cujas

§. 58. Membra, quae domicilium, quod adhuc habuerunt, mutant, non nuntiato corporationis antiſtitibus domicilii noui loco, corporatio ſeparatim citare non obligatur.

§. 59. Idem iuris eſt de iis membris, quae domicilium extra prouinciam collocantia non indicant corporationi mandatarium, cui citatio in caſibus obuenientibus debeat inſinuari.

§. 60. Membra abſentia conuentibus intereſſe per mandatarium quoque poſſunt.

§. 61. At eiusmodi mandatum corporato dari tantum poteſt.

§. 62. Societatis concluſa per plurima vota conduntur.

§. 63. Si vota ſunt paria, deciſio competit inſtantiae illi, cui alias competit ius, concluſa corporatorum confirmandi.

§. 64. Ad tributa noua, quae neque in conſtitutione, neque in legibus regni generalibus ſunt fundata, conſenſus membrorum requiritur omnium. inprimis intuitu tributorum nouorum;

§. 65. Quae vero tributa, ſi ad obtinendum corporationis finem, aut ad implendam obligationem ab ea iam ante legitime ſuſceptam, ſunt neceſſaria; in eiusmodi quoque rebus numerus minor pluralitati votorum ſe debet ſubmittere.

§. 66. In caſu nullo tributa nŏua poſſunt imponi regno inſcio et haud approbante.

§. 67. Quae de nouis tributis ſunt praecepta, valent quoque de augendis adhuc ſolitis.

§. 68. Iura ſocialia, quae non membris omnibus, ſed vni tantum aut alteri eorum, tanquam membro, competunt, his inuitis per ſolam votorum pluralitatem non poſſunt eripi, aut limitari.

§. 69. Idem iuris eſt, ſi non omnibus, ſed vni tantum aut quibusdam membris, onera aut obligationes nouae debeant imponi.

Source : BIU Cujas

intuitu bonorum;

§. 70. Adminiſtratio et vſusfructus bonorum communium, quae ſunt corporatorum, ordinatur quoque eorum concluſis.

§. 71. Verſio in promouendam communem vniuerſitatis vtilitatem, et ad obtinendum finem propoſitum fiat neceſſe eſt.

§. 72. Ea bonorum ſocietatis pars, cuius fructus et emolumenta membris ſingulis ſunt deſtinati, ſecundum iura dominii communis eſt tractanda. (Part. I. Tit. XVII. Sect. I.)

intuitu fundationum.

§. 73. Corpori ius non eſt, ea quae membrum, vel adeo extraneus, ei in certum quendam finem contulit, absque huius conſenſu in alium vſum adhibendi.

§. 74. In quantum autem, rebus et circumſtantiis mutatis, regnum fundante mortuo poſſit disponere, vt in alium vſum adhibeantur, quae ab eo fundata ſunt, diiudicandum eſt ex principio infra §. 193. dato.

§. 75. In caſibus omnibus, vbi talis diſpoſitio fieri debet, corporatorum adhuc exiſtentium arbitrium ante omnia eſt audiendum, neque ab hoc arbitrio ſine iuſtis et grauibus cauſis et rationibus recedendum.

§. 76. Neque a mediis, ad obtinendum eiusmodi fundationis finem praeſcriptis, proprio aufu recedere corporatis licet.

§. 77. Regnum ipſum media iſta et conſtitutionem mutandi ius tunc tantum habet, ſi clare appareret, finem iis obtineri non poſſe, aut corporatos eum omnino non eſſe effecturos.

§. 78. Si in fundatione in certarum quarundam perſonarum fauorem aliquid ſit diſpoſitum, in eo ſine perſonarum iſtarum conſenſu aut plena indemnitate, iis praeſtita, mutari nihil poteſt.

§. 79. Si in caſu, niſi ad literam obſeruentur, quae auctor diſpoſuit, tertio ius in re aut ſum-

Source : BIU Cujas

ma fundationi deſtinata eſt conceſſum; locum non habet mutatio, niſi hic tertius adhibitus ſit aut conſenſerit.

§. 80. Si diſpoſitiones a fundante factae, iam eo tempore, quo fundatio condita eſt, et corporatis demandata, fini contrariae cognoſcuntur; corporatis non permittendum eſt, vt eam fundationem accipiant.

§. 81. Corpora et vniuerſitates in vitae ciuilis negotiis perſonam agunt moralem. III. Iura externa;

§. 82. Intuitu ſuorum iurium et obligationum erga alios, non corporatos, diiudicantur ex legibus iisdem, quibus regni membra ſingula alia.

§. 83. At vero, absque conſenſu ſingulari inſtantiae ipſis praepoſitae res immobiles neque acquirere poſſunt, neque alienare aut oppignorare.

§. 84. Actus eiusmodi, a tertio ſine hoc conſenſu cum iis celebrati, ſunt nulli.

§. 85. Intuitu debitorum quoque, pro quibus ſubſtantia immobilium corporationis aut vniuerſitatis bonorum, aut eorum fructus in tempus, annum excedens, debent obligari, inſtantiae ipſis praepoſitae conſenſus eſt neceſſarius.

§. 86. Externorum ſocietatis iurium exercitium corporatorum concluſis ordinatur.

§. 87. De quibus concluſis condendis valent omnia, quae de internis corporis rebus definita ſunt.

§. 88. Corporatorum concluſis definiuntur quoque res eae atque negotia, quae non quidem ad corporatos, qua perſonam moralem, ſed ad omnia tamen corporis membra, qua talia, pertinent.

§. 89. At vero, ſi de iuribus aut praeſtationibus agitur, quae inter ſingula membra ita poſſunt diuidi, vt membrum quoduis pro ſe iure poſſit vti, aut officium praeſtare, non limitatis inde reliquorum iuribus, aut officiis eorum aggrauatis; membra ſingula non

Source : BIU Cujas

tenentur concluſo, per plurima reliquorum vota facto.

§. 90. Hinc quoque per actus, vi talis concluſi, poſtea ſequentes, pro ſuis perſonis neque iura acquirunt, neque obligationes ſuſcipiunt.

ſpeciatim intuitu debitorum.

§. 91. Debita a corporatis rite ſuſcepta praeſtantur ex communibus eorum bonis.

§. 92. Ex ea bonorum corporis aut vniuerſitatis parte, cuius fructus ſingulis membris competunt, creditor ſatisfactionem tantum poteſt petere deficientibus aliis bonis communibus.

§. 93. Atque etiam haec pars ſocietatis bonorum eatenus tantum poteſt peti, quatenus concluſum, quo obligatio eſt ſuſcepta, ſecundum praeceptum §. 62-69. membrum ſingulum quoduis obligat.

§. 94. Ex bonis priuatis membra tunc tantum debita praeſtant, ſi hanc obligationem expreſſe in ſe ſuſceperunt.

§. 95. Ad eam obligationem corporati contradicentes ne per votorum quidem pluralitatem maiorem poſſunt adigi.

§. 96. At contra, ſingula membra, vel absque expreſſo conſenſu, praeſtant debita, ad eam vniuerſitatis neceſſitatem contracta, ad quam ſuſtinendam tributa noua aut aucta, vel contra ſuam voluntatem, conferre debuiſſent. (§. 65.)

§. 97. Si verum adeſt ſocietatis debitum, collationibus nouis aut auctis extinguendum; ſocietati ius eſt, eas collationes, ſub regni cura et approbatione ita conſtituendi, vt ſenſim ſenſimque tantum colligantur, quae requiruntur, et modo aequo diuidatur onus inter membra et praeſentia et futura.

§. 98. Creditor quoque tali ſolutione ſenſim ſenſimque praeſtanda debet acquieſcere, ſi non extant communia bona, ex quibus ſatisfactionem poſſit petere, aut ſi in pacto, cum ſocietate inito, de alio non eſt conuentum.

Source : BIU Cujas

§. 99. Quatenus ſecundum praeceptum §. 97. ſocietatis debita pecuniis membrorum collatis ſenſim ſunt extinguenda; eatenus membra noua ad has collationes continuas ſimul ſuſcipiendas ſunt obligata.

§. 100. Quod tamen iis, dum recipiuntur, eſt denuntiandum.

§. 101. Quo facto, ſi collationes vlteriores ſuſcipere recuſant, receptio iis in ſocietatem poteſt denegari.

§. 102. Denuntiatione omiſſa, ſocietatis antiſtites, quorum culpa omiſſa eſt denuntiatio, membrorum talium collationes praeſtant.

§. 103. Si membra ſingula ſocietatem relinquunt, ab obligatione collationes vlteriores praeſtandi in regula liberantur.

§. 104. Defunctorum membrorum quoque heredes, qua tales, ad collationes vlteriores non ſunt obligati.

§. 105. A quibus tamen regulis (§. 103. 104.) eſt exceptio, ſi membrum ſocietatis debitum, totum aut ex parte, non ſolum qua membrum, ſed tanquam debitum ſuum priuatum, expreſſe ſuſcepit.

§. 106. Si fundi priuati aut iura pro ſocietatis debito ſunt oppignorati, debitum ad quemlibet eorum poſſeſſorem tranſit.

§. 107. Si corporationis membra contraxerunt debita, per concluſum quidem in ſe legitimum, ſed in finem, non commodum corporatorum perpetuum promouentem, ſed ad praeſentia tantum membra pertinentem; ad ea exſoluenda obligantur non niſi haec membra, eorumque heredes.

§. 108. A quo officio, ſocietatem relinquendo, tunc demum ſe poſſunt liberare, ſi membrum, de cuius ſecuritate conſtat, ſiſtunt aliud, ad collationes vlteriores eorum loco ſuſcipiendas ſe offerens.

§. 109. At contra noui membri recuſatio, collationes ad eius generis debita ſuſcipiendi, ſola non-

Source : BIU Cujas

dum praebet cauſam ſufficientem, receptionem ei denegandi.

§. 110. Communia ſocietatis bona obligantur creditori, qui cum ea, obſeruatis ſolennitatibus legalibus validum celebrauit contractum, licet in ſocietatis vtilitatem non fuerint verſa, quae data ſunt aut praeſtita.

§. 111. Regno autem, vti ſocietati ipſi, in tali caſu ius competit curandi, vt bona communia ab obligatione iis impoſita liberentur per eos, qui vtilitatem inde perceperunt, aut quorum culpa verſio in ſocietatis vtilitatem non eſt facta.

§. 112. Eadem praecepta (§. 110. 111.) locum quoque habent, ſi ob eius generis debita, quae §. 107. deſcripta ſunt, ſocietatis bona ſunt deminuta.

§. 113. Et licet nullum exiſtat pactum, aut pacto deſint requiſita legalia, corporati per verſionem in vtilitatem communem factam aeque obligantur, ac perſona priuata. (Part. I. Tit. XIII. Sect. III.)

IV. Repraeſentantes. §. 114. Iurium ſocietatis exercitium perſonis ſingulis, tanquam ſocietatis repraeſentantibus aut vicariis, poteſt committi.

§. 115. Si conſtitutio repraeſentantium in pactis aut legibus fundationis non eſt ordinata; deciſio quaeſtionis: an repraeſentantes debeant conſtitui, ad ea pertinet negotia, quae in conuentibus extraordinariis, conuocatis membris omnibus, ſunt expedienda.

§. 116. Ad affirmatiuam huius quaeſtionis deciſionem requiritur ea votorum pluralitas, vt membrorum, quae conuocatione rite facta comparuerunt, conſentiant tertiae partes duae; ſed ad perſonarum electionem pluralitas tantum votorum generatim.

§. 117. Corporis repraeſentantibus tantum competit iurium ſocietatis externorum exercitium, et illius negotiorum geſtio cum extraneis non corporatis.

§. 118.

Source : BIU Cujas

§. 118. Repraeſentantibus in regula ius competit, negotia talia expediendi absque vlla deliberatione cum ſocietate.

§. 119. At contra cum ſocietate iis deliberandum eſt de iis negotiis, quibus res eius immobiles debent alienari, aut obaerari, aut membra ad collationes nouas ſiue auctas obligari.

§. 120. Si repraeſentantibus conſtitutae ſunt limitationes plures per inſtructionem tantum, aut vi conſuetudinis ſingularis, a corporatis ſeruatae; non corporatus cum iis agens eiusmodi limitationibus eatenus tantum eſt adſtrictus, quatenus noſſe eas potuiſſet et debuiſſet.

§. 121. Repraeſentantes veri non praeſumuntur magis limitati per inſtructiones ſpeciales, ac ſecum fert ſocietatis conſtitutio, omnibus nota, aut regni leges permittunt.

§. 122. Corporatos igitur, limitationes tales conſtituere cupientes, curare oportet, vt inſtructio repraeſentantibus data tam publice promulgetur, ne latere poſſit vllum cum repraeſentantibus aliquid agentem, absque culpa ſua lata aut leui.

§. 123. At contra, oportet contrahentem extraneum ſolitam adhibere attentionem et diligentiam, ne agat contra tales repraeſentantium limitationes, quae conſuetudine nituntur ſocietatis haud interrupta.

§. 124. Vtrum repraeſentantes, cum extraneo ſuis nominibus tractatus agentes, huic ſe tantum ipſos, an vniuerſitatem obligent, diiudicandum eſt ex iisdem regulis, quae datae ſunt de mandatariis. (Part. I. Tit. XIII. §. 153-156.).

§. 125. Interna ſocietatis iura repraeſentantibus eatenus tantum competunt, quatenus iis eiusmodi iura commiſſa ſunt fundationis legibus, inſtructione, aut conſuetudine non interrupta.



Source : BIU Cujas

§. 126. De repraesentantium conclusis in regula valent omnia, quae de societatis conclusis sunt praecepta.

§. 127. Si numero repraesentantium definito, repraesentantis locus per mortem aut modo alio fit vacuus; res omnes et negotia, quibus nullum periculum est in mora, differendae sunt, vsque donec alius in locum vacuum successit.

§. 128. Si repraesentantium mandatum per constitutionem corporationis ad certum tempus est restrictum; actus eorum, post tempus hoc elapsum suscepti omnes, societatem non obligant.

§. 129. Nullo tempore definito, mandatum tamdiu durat, quamdiu per societatis conclusum non est reuocatum, aut ab ipsis renuntiatum.

§. 130. Si repraesentantes qua tempus mandati per suam tantum instructionem, aut per societatis conclusa singularia debeant restringi; de publica eiusmodi limitationum promulgatione valent eadem, quae §. 122. praecepta sunt.

§. 131. Repraesentantes corporatis tenentur, ad rationem de actibus suis reddendam.

§. 132. In qua reddenda, vti in genere, qua iura et obligationes omnes, repraesentantibus in corporationem competentes, de quibus in fundationis legibus (*Stiftungs-Gesetzen*), instructione, aut legum praeceptis specialibus non extant determinationes contrariae, repraesentantes habentur et iudicantur mandatarii, et si societatis bona simul administrant, administratores bonorum alienorum. (Part. I. Tit. XIII. Sect. I. Tit. XIV. Sect. II.).

§. 133. Corpori ius est eorum conclusa concepta abolendi, et ordinationes ab iis factas reuocandi.

§. 134. At improbatio corporationis huic nondum ius tribuit, recedendi a tractatibus, quos repraesentantes cum aliis non corporatis semel valide egerunt, et ex quibus hi ius habent quaesitum.

Source : BIU Cujas

§. 135. Qui a ſocietate ad certum tantum negotium definitum ſunt conſtituti, licet nomen repraeſentantium gerant, nihilo minus habendi tantum ſunt ſocietatis mandatarii.

§. 136. Datio mandati ſocietatis nomine ad ea pertinet negotia, quae in conuentibus extraordinariis, conuocatis membris omnibus, ſunt agenda, et per plurima vota expedienda.

§. 137. Corporationem omnem vnum ſaltem antiſtitem habere oportet. V. Antiſtites.

§. 138. Quorum an plures et quot debeant eſſe, a corporatorum concluſo dependet, niſi in conſtitutione ſemel in perpetuum id fuerit determinatum.

§. 139. Antiſtitum electio in regula corporationi competit.

§. 140. Quae electio ad negotia pertinet extraordinaria, quae conuocatis membris omnibus per plurima vota ſunt decidenda.

§. 141. Societatis antiſtitibus ius eſt et officium faciendi omnia, quae requiruntur ad bonum ordinem negotiorum et tractatuum, et ad communia negotia ſolita vtiliter expedienda.

§. 142. Eorum eſt, conuentus conuocare; eos dirigere; deliberandi obiecta proponere; vota colligere; et ſecundum ea concluſum concipere.

§. 143. Praecipue eorum eſt attendere, ne quid contra leges fundationis et regni iura agatur aut decernatur.

§. 144. Inferiores ſocietatis officiales eorum directioni et curae ſunt ſubiecti.

§. 145. Ius adigendi antiſtites, vt de munere geſto reddant rationem, pro tempore futuro non poteſt eripi corpori per concluſum, licet membra praeſentia ad vnum omnia conſenſerint.

§. 146. Munus antiſtitis mortui, donec muneri alius praefectus ſit, eum explere oportet, qui mor-



Source : BIU Cujas

tuo ſecundum ordinem in ſocietate introductum eſt proximus.

VI. Praefecti (*Beamte.*)

§. 147. Adminiſtratio quoque bonorum corporationis communium committi certis praefectis poteſt.

§. 148. Ad cauſas expediendas corpus ſyndicum poteſt conſtituere.

§. 149. Ad conſtituendum ſyndicum corporatio nulla poteſt cogi; at omnino, ſi ex pluribus conſtat quam tribus perſonis, a iudice compelli, vt cauſas ſuas expediat per deputatos duos aut tres, ex membris ſuis eligendos.

§. 150. Ad ſuſcipiendum mandatum deputati in caſibus ſingulis, membra poſſunt compelli, vel contra ſuam voluntatem, ſi ipſis praeſtetur indemnitas ſufficiens.

§. 151. Iura et officia corporationis praefecti et ſyndici diiudicanda ſunt ex inſtallationibus et inſtructionibus de officio, caeterum autem ex doctrina de mandatis.

§. 152. Neque ſyndicus verus ius habet, ſine deliberatione cum corpore, actiones eius nomine inſtituendi, aut reſpondendi ad eas, quae contra corporationem ſunt inſtitutae.

§. 153. Societatis bonorum adminiſtratoribus ius non eſt, fundos, iura, et ſortes ſocietatis alienandi, aut vllo modo onerandi.

§. 154. Ex pactis, ab iis ſolis celebratis, ſocietas non obligatur.

§. 155. At vero, ſi exinde quid in vtilitatem communem fuerit verſum, ſocietas contrahentem alterum, ſecundum generalia legum praecepta, indemnem debet praeſtare.

§. 156. Atque etiam facta et pacta praefectorum (*Beamten*) eatenus praeſtare, quatenus hi mandatum pro eius natura expedire non poſſent, his actibus non ſuſceptis.

Source : BIU Cujas

§. 157. Licet vniuerſitas antiſtites aut praefectos ſuos generatim, ad alienanda et oppignoranda vniuerſitatis bona (*Communvermögen*) pro arbitrio, in anteceſſum mandato inſtruxerit; id tamen intelligendum tantum eſt de eo caſu, ſi talis alienatio aut oppignoratio neceſſaria eſt ad ſuſtinendos ſumtus communes, quos exigit neceſſitas.

§. 158. Quae tamen limitatio antiſtites tantum aut praefectos obligat; at non obſtat tertio, qui cum iis egit eiusmodi mandati illimitati fundamento.

§. 159. In regula corporatis ius eſt, praefectos ſuos ſibi eligendi.

§. 160. Electio tamen nuntianda eſt magiſtratui, qui eam approbet.

§. 161. Corporationis membrum obligatur ad conſentiendum in electionem, qua ipſe praefectus eſt denominatus, niſi ipſi ſint eaedem excuſationis cauſae, ex quibus cura aut tutela commiſſa poteſt recuſari.

§. 162. Cauſarum excuſationis adductarum diiudicatio competit magiſtratui.

§. 163. Qui tamen magiſtratus electionem a corporatione factam et ab electo acceptam poteſt reiicere, ſi electus non praeditus eſt iis qualitatibus, quae ſecundum leges generales aut leges ſocietatis ad hoc munus requiruntur.

§. 164. Electione reiecta, corporationem de nouo oportet eligere.

§. 165. Si hac quoque electione denominetur inidoneus, corporatio pro hoc caſu ſuffragii ſ. legendi iure ſuo excidit, et magiſtratus muneri aliquem praeficit.

§. 166. Exceptiones a regulis antecedentibus nituntur legibus et conſtitutionibus ſpecialibus.

§. 167. Antiſtitum et praefectorum electio pertinet ad iura ſocietatis interna.



Source : BIU Cujas

§. 168. Et obiectum eſt conuentuum extraordinariorum (§. 53. ſeqq.).

§. 169. Si tempus, per quod antiſtites et praefecti munere debeant fungi, neque in conſtitutione, neque mandati ipſius natura eſt determinatum; concluſum ſocietatis in eligendo tempus determinat.

§. 170. Si neque in concluſo tempus certum eſt definitum; antiſtites et praefecti ad dies vitae conſtituti praeſumuntur.

§. 171. Munere priuari a corporatione mero arbitrio non poſſunt antiſtites et praefecti; ſiue ſint ad dies vitae, ſiue ad tempus breuius definitum conſtituti.

§. 172. Regnum vero remouere eos poteſt aut dimittere ex iisdem cauſis, ex quibus praefecti generatim declarari poſſunt munere ſuo priuati.

§. 173. Corporationi tantum ius eſt, cauſas eius generis cognitas denuntiandi regno, quod eas cognoſcat.

§. 174. At vero, vſque donec magiſtratus diſpoſitio fuerit ſubſecuta, in adminiſtrando munere limitibus coërcere praefectum accuſatum eatenus poteſt, quatenus eſt neceſſarium ad auertendum damnum metuendum vlterius.

§. 175. Neque praefecti ſe abdicare vnquam poſſunt munere, ſine vlla reſtrictione in tempus certum ſuſcepto, neque, ſi tempus fuerit determinatum, ante tempus elapſum, niſi iam ante fuerint diſpoſita, quae ad munus alii deferendum ſunt neceſſaria.

§. 176. Si tamen perſonis, quae munere fungantur idoneis, non deficientibus, corporatio nihilo minus electionem nouam morando differat; praefectus munus deponens a regno poteſt petere, vt corporationi iniungat electionem intra terminum definitum inſtituendam, et eo termino fruſtra elapſo, pro hoc caſu aliquem muneri immediate praeficiat.

Source : BIU Cujas

§. 177. Corporationes et vniuerſitates, (*Communen*) manent, licet vnum tantum membrum adhuc exiſtat. VII. Tempus, ad quod corporatio et vniuerſitas durat.

§. 178. Quod membrum omnia ſocietatis iura eius nomine poteſt exercere; at vero omnibus quoque ſocietatis officiis oportet ſatisfacere.

§. 179. Quod poſterius ſi pro ſocietatis natura et fine fieri nequit; aut ſi ſocietas per membri vltimi mortem eo ipſo extinguitur; praecepta §. 192. ſeqq. locum inueniunt.

§. 180. Neque membrorum omnium conſenſu ſocietas publica poteſt diſſolui, niſi approbante regno.

§. 181. Neque regno approbante ſocietas poteſt diſſolui in praeiudicium tertii, qui probare poteſt ius quaeſitum petendi, vt corporatio maneat.

§. 182. In regula corporationis membrum quodlibet eam relinquere pro arbitrio poteſt. VIII. Si membra ſingula vniuerſitatem relinquunt.

§. 183. At membrum corporationem relinquens animum ſuum corporationis antiſtiti rite denuntiet neceſſe eſt.

§. 184. Tempus, quo vniuerſitatem relinquat, vſque ad illud temporis ſpatium differendum eſt, quo compenſari optime poſſunt commoda et onera, quae ex nexu ſociali membris cadunt ſingulis.

§. 185. Hinc, e. g., membrum, quod vnius anni commoda ex ſocietate promanantia omnia, aut partem eorum, iam percepit, ante hunc annum elapſum vniuerſitatem relinquere non aliter poteſt, niſi etiam ſuſtinuerit eiusdem anni onera omnia, aut corporationem de iis indemnem praeſtiterit.

§. 186. In iis quoque caſibus, vbi alias membrorum nouorum receptio corporationi tantum competit, regno ius eſt, noua membra recipiendi, ſi metuendum eſt, ne corporatio extinguatur membris praeſentibus decedentibus.



Source : BIU Cujas

§. 187. Idem ius regno eſt in caſibus omnibus, vbi ex eo, quod plura membra vniuerſitatem relinquunt, aut ex circumſtantiis in genere mutatis, iuſta metuendi cauſa exoritur, vt numerus adhuc praeſens ſufficiat ad obtinendum finem, ad quem corporatio a regno eſt fundata aut priuilegiata.

§. 188. At in augendis tamen membris (§. 187.) ſemper etiam ratio habenda eſt conſeruationis membrorum iam exiſtentium.

IX. Diſſolutio corporationum et vniuerſitatum.

§. 189. Si corporationis aut vniuerſitatis finis pacto fundamentali praeſcriptus obtineri non amplius poteſt, aut prorſus ceſſat; regno competit ius eam diſſoluendi.

§. 190. Idem iuris eſt, ſi hic finis, ob circumſtantias mutatas, manifeſto cedit in ſalutis publicae detrimentum.

§. 191. Si abuſus tantum aut conſtitutionis internae defectus impediunt, quo minus finis obtineatur, aut ſi ex iisdem detrimentum ſaluti publicae oriatur; regno tantum ius eſt, iuſta adhibendi media, quibus abuſus abrogentur, et ordo rectus reſtituatur.

§. 192. Si publica ſocietate plane diſſoluta, pro hoc caſu de communibus eius bonis determinationes aliae in fundationis legibus non ſunt praeſcriptae; haec bona cedunt regno, quod de iis in commodum publicum diſponat vlterius.

§. 193. At vero, ſi in iis ſunt pecuniae aut res, quae ad certum quendam finem et verſionem corporationis ſublatae adminiſtationi fuerunt commiſſae, regni eſt, curare, vt fundatoris finis ſecundum determinationes ab eo praeſcriptas, quantum fieri poteſt, in poſterum obtineatur.

§. 194. Quod ſi regnum facere non poteſt, aut recuſat; fundatori aut eius heredibus ius competit, bona aut ſortes fundationi deſtinatas repetendi.

§. 195. Si fundator non amplius exiſtit, et eius heredes nequeunt cognoſci; ea, quae fundationi pri-

Source : BIU Cujas

ſtinae erant deſtinata, tanquam bona vacantia, ſecundum §. 192. regno cedunt.

§. 196. Ex his bonis membris adhuc praeſentibus reſtituenda ſunt, quae praeſtiterunt, cum ad ſocietatem accederent, aut alias, extraordinariis collationibus aut delationibus, ad augenda ſocietatis bona, aut exſoluendas ſortes debitas.

§. 197. Quo praecepto non comprehenduntur collationes praeſtitae ordinariae, ad ſuſtinendas impenſas ſocietatis perpetuas ſolitas, quas exigit neceſſitas.

§. 198. De iis ſocietatis bonis, quorum fructus ſingulis membris fuerunt deſtinati, membris tempore, quo ſocietas diſſoluitur, adhuc exiſtentibus ad vitae dies concedenda eſt ea fructuum pars, quam huc vſque perceperunt.

§. 199. Sic etiam regnum ex iis ſocietatis bonis, quae membris alendis in genere fuerunt deſtinata, membris tempore, quo ſocietas eſt diſſoluta, exiſtentibus ad vitae dies aſſignare oportet alimenta, qualia eo vſque acceperunt.

§. 200. At regno tamen ius competit, de praeſtationibus, ipſi ſecundum §. 199. incumbentibus, deducendi vſuras publico vſu receptas eorum, quae membris ſecundum §. 196. reſtituuntur.

§. 201. Intuitu eorum, quibus ſocietate extincta nomina ſunt ſoluenda, regnum in ſocietatis locum ſuccedit.

§. 202. Iis quoque perſonis aut familiis, quae diſſolutionis tempore relatione ad ſocietatem ſunt in iurium certorum honorificorum poſſeſſione rite quaeſita, ea poſſeſſio eſt ſeruanda, aut, ſi hoc fieri non poſſit, indemnitas praeſtanda.

Source : BIU Cujas

# TITVLVS SEPTIMVS.

## De ordine ruſtico.

### Sectio Prima.

### *De ordine ruſtico generatim.*

Quis ruſticus ſit?

§. 1. Ordine ruſtico continentur omnes ruri degentes, immediate agris colendis et re ruſtica occupati; niſi origine nobili, munere, aut iuribus ſpecialibus ab hoc ordine ſint excepti.

§. 2. Qui ad ordinem ruſticum pertinet, huic absque regni venia neque ipſi licet quaeſtum ciuilem facere, neque liberos ſuos ei deſtinare. (§. 173.)

§. 3. Quae quaeſtuum genera, praeter agriculturam et rem ruſticam, vel absque venia ſingulari, ruri exerceri poſſint, in titulo ſubſequente eſt definitum.

§. 4. Per conceſſionem, quaeſtum ciuilem faciendi, ruſticus nondum mutat ſtatum ſuum et rationes perſonales.

§. 5. Fundi ruſtici acquiſitione et poſſeſſione ſola nihil detrahitur ciuis, ad alium regni ordinem pertinentis, iuribus perſonalibus.

§. 6. Ad ordinem ruſticum autem tranſit, ſi ordinem, quo adhuc vixit, prorſus derelinquens ſe tantum alit in ruſtici modum.

Source : BIU Cujas

§. 7. In caſu vtroque (§. 5. 6.) cum praedio ruſtico (*Bauergut*) ſimul ſuſcipit officia ei inhaerentia omnia.

§. 8. Ruſticus omnis ad fundum ſuum ad oeconomiae leges colendum obligatus quoque eſt in ſuſtentationem neceſſitatis communis. Generalia iura et officia ordinis ruſtici.

§. 9. Hinc ad eum colendum a regno mediis coactiuis poteſt adigi, et compelli, vt fundum ſuum, quem praefracte et pertinaciter negligit, concedat alii.

§. 10. Modum agri colendi mutare et meliorem conſtituere cuique eatenus licet, quatenus inde ius tertii non laeditur.

§. 11. Simulac grauis et magna regni neceſſitas exigit, agricola quoque poteſt compelli, vt prouentuum et fructuum ſuorum reſiduum venditet. (Part. I. Tit. XI. §. 7.)

§. 12. Ruſtico nulli eſt permiſſum, vt vendat fruges nondum meſſas.

§. 13. Ordo ruſticus regno ad operas manu (manuarias) et iumentis praeſtandas in primis eſt obligatus.

§. 14. Curiarum ſ. poſſeſſionum ruſticarum numerus ruri non deminuatur, neque eas incultas relinquendo cum realitatibus ad eas pertinentibus, neque eas coniungendo cum curiis aliis.

§. 15. Quin potius praediorum dominos oportet curare, niſi moleſtiam damni reſarciendi ſibi velint creare, ne curiae cultae exiſtentes (*Stellen und Nahrungen*) ſint vacuae.

§. 16. Neque mutare licet eas curias ruſticas, quibus iumenta ſunt alenda, in alias, quibus iumenta non aluntur, absque ſingulari regni approbatione.

§. 17. In caſibus omnibus non ſeparatim exceptis ordo ruſticus diiudicatur ex iuribus communibus, in regno valentibus.

Source : BIU Cujas

## Sectio Secunda.

### *De pagorum vniuerſitatibus (Dorfgemeinen).*

Iura et officia vniuerſitatum pagorum.

§. 18. Poſſeſſores fundorum ruſticorum in pago aut eius agro ſitorum omnes coniunctim pagi vniuerſitatem conſtituunt.

§. 19. Vniuerſitates paganae iuribus gaudent corporationum publicarum. (Tit. VI.)

§. 20. Patresfamilias tantum, fundos poſſidentes, tanquam membra vniuerſitatis, deliberationibus interſunt.

§. 21. Vniuerſitas autem, in praeiudicium iurium reliquorum pagi incolarum, nihil poteſt decernere.

§. 22. Vota in regula numerantur pro patribus familias, poſſeſſiones habentibus.

§. 23. At vero, vbi agitur de iuribus aut praeſtationibus, ad diuerſas vniuerſitatis membrorum claſſes pertinentibus, ibi membra claſſis vnius, licet in ſe votorum pluralitatem maiorem efficiant, in detrimentum claſſium reliquarum conſtituere nihil poſſunt.

§. 27. Claſſium ſingularum membra in ſe nullam conſtituunt corporationem ſeparatam.

§. 25. Quae quatenus, omnes coniunctim, res communes expediunt, ſocietates mere priuatae ſunt habenda. (Tit. VI.)

§. 26. Si negotium expediendum ad eiusmodi claſſem ſeparatam ſolam tantum pertinet; membra quoque huius claſſis ſola gaudent vota ferendi facultate.

§. 27. In quibus caſibus concluſum, in modum corporationum verarum, per plurima huius claſſis vota definitur.

Iura ſingulorum membrorum.

§. 28. Membris vniuerſitatis paganae omnibus ius competit, emolumenta ex fundis communibus paſcendo, lignando etc. percipiendi; niſi ipſis leges expreſſae aut pacta obſtent.

Source : BIU Cujas

§. 29. Emolumenta communia eodem modo participant, quo ad ferenda onera communia obligantur.

§. 30. Ad communia paſcua cuilibet pagi incolae tot pecora agere licet, quot ad curandam oeconomiam ſuam ab ipſo ſunt alenda.

§. 31. Vbi inter patres familias, poſſeſſiones habentes, et reliquos pagi incolas, vel etiam inter diuerſas priorum claſſes, rationes certae, intuitu emolumentorum et fructuum atque onerum communium, pactis aut conſuetudine introducta determinatae ſunt; eae quoque in poſterum obſeruentur.

§. 32. In diuidendis fundis communibus eadem, quae in diuidendis fructibus et emolumentis, proportio obſeruanda eſt. (Part. I. Tit. XVII. Sect. IV.)

§. 33. Vniuerſitates paganae, domino iurisdictionis inſcio et non permittente, bona immobilia pacto oneroſo acquirere non poſſunt. Limitationes vniuerſitatum paganarum.

§. 34. Atque etiam ſi vniuerſitas conductionem extra agrorum ſuorum fines velit contrahere, conſenſus domini iurisdictionis requiritur.

§. 35. Ad alienandum fundos communes et iura, vti ad contrahenda debita, quae vniuerſitatem obligent, domini iurisdictionis conſenſus quoque eſt neceſſarius.

§. 36. Si iurisdictionis dominus conceſſionem aut conſenſum abſque cauſa iuſta denegat; vniuerſitas poteſt petere, vt ſuppleantur ab inſtantia.

§. 37. Ad vniuerſitatis operas, et alia officia vicinalia, ad quae quodlibet vniuerſitatis membrum operas et collationes praeſtare oportet, in regula referuntur: Operae communes.

1) Refectio viarum et pontium communium;

2) Expurgatio foſſarum pagi et foſſarum communium campeſtrium;

Source : BIU Cujas

3) Septio pascui nocturni communis et agri pascui;

4) Aedificatio et refectio communium pagi aedificiorum, officinarum ferrariarum, casarum pastoritiarum, puteorum etc.

5) Sustentatio pagi pastorum aliarumque personarum, quae sunt in vniuersitatis ministerio;

6) Functio excubiarum nocturnarum, aut sustentatio vigilis pagi;

7) Comprehensio et custodia delinquentium;

8) Transportatio et comitatus delinquentium et vagabundorum, secundum leges politiae de loco ad locum ducendorum;

9) Excubiae sic dictae desertorum causa (*Deserteur-Wachen*);

10) Aduectio et reductio iurisdictionem administrantis, et personarum aliarum, ad iudicium legitime componendum atque in inquisitionibus criminalibus necessariarum;

11) Sustentatio tauri et verris, qui ad foeturam aluntur;

12) Conseruatio siphonum paganorum aliorumque instrumentorum communium, ad restinguenda incendia destinatorum.

13) Operae ad restinguenda incendia in pago et siluis ad pagum pertinentibus.

§. 38. Quatenus operae sub adductis comprehensae iumentis sunt praestandae, vniuersitatis membra, quae iumenta alunt, eas curare sola oportet.

§. 39. In quantum operae manuariae, quae adductis continentur, ab iis tantum vniuersitatis membris, quae iumenta nulla alunt, aut a patribus familias possessiones habentibus omnibus sine discrimine sint praestandae, in primis definiendum est secundum loci cuiusque pacta aut consuetudines introductas.

Source : BIU Cujas

§. 40. In caſu dubio agrorum poſſeſſores, iumenta habentes, ab operis manuariis tantum immunes praeſumuntur in iis operis, vbi ſimul operae exiguntur, iumentis praeſtandae.

§. 41. Operae communes cum iumentis ſecundum rationem claſſium praeſtantur, in quas quolibet loco diuiduntur agrorum poſſeſſores iumenta habentes, e. g. quatuor, tria, duo iumenta etc. habentes.

§. 42. At contra, operae manuariae diſtribuuntur pro numero patrum familiarum, ad eas praeſtandas obligatorum.

§. 43. Numeratae pecuniae expenſae in regula colliguntur ſecundum modum cenſuum (*Steuern*), principi ſoluendorum.

§. 44. Pagi incolis, nihil poſſidentibus, nulla eſt obligatio conferendi ad talia vniuerſitatis onera, ex quibus commoda tantum percipiunt familiarum patres, poſſeſſiones habentes.

§. 45. Si in eodem pago plures ſunt iurisdictiones; ad onera §. 37. No. 7. 8. 10. recenſita ii tantum conferunt, qui ſunt ſubiecti iurisdictioni, in qua caſus exſtitit.

§. 46. Scultetus aut vici iudex eſt vniuerſitatis antiſtes. Deſcultetis aut vici iudicibus.

§. 47. A domino praedii deſignatur, quem tamen oportet conſtituere membrum vniuerſitatis, poſſeſſiones habens, quamdiu in vniuerſitate non deeſt perſona, qualitatibus neceſſariis praedita.

§. 48. Quod munus ſi cum poſſeſſione praedii certi eſt coniunctum; talis praedii nouus poſſeſſor, priusquam ad munus accedit, proponendus eſt iurisdictionis magiſtratui, qui eum examinet et confirmet.

§. 49. Cui ſi neceſſariae qualitates et facultates deſunt; domino iurisdictionis ius competit, vicarium denominandi.

Source : BIU Cujas

§. 50. Cui pro ſuſcipiendo munere aequum conſtituendum eſt praemium, a ſculteto feudali aut hereditario ſoluendum.

§. 51. Sculteti muneri praeficiendus legendi ſcribendique ſatis peritus et vita inculpata ſit neceſſe eſt.

§. 52. Sculteti eſt, ad deliberationes neceſſarias vniuerſitatem conuocare, conuentum dirigere, et concluſum ſecundum vota plurima concipere.

§. 53. Oportet eum vniuerſitati publicare, quae princeps et magiſtratus conſtituit, et curare, vt iis obtemperent.

§. 54. Vectigalia et tributa publica alia, vniuerſitate petente, a ſculteto ſunt colligenda, et loco ſuo tradenda.

§. 55. Scultetus curam gerit laborum publicorum et operarum, ad quas praeſtandas communitas ſ. vniuerſitas regno eſt obligata, et diſtributionis militum in pago collocandorum.

§. 56. Scultetus, adhibitis ſcabinis aut iudicio pagano, communitatis bona adminiſtrat, et ad rationem de iis reddendam tenetur.

§. 57. Vbi communium bonorum adminiſtratores ſeparati ſunt conſtituti, ſcultetus eorum curam habet, et eius eſt, ad rationem reddendam eos compellere.

§. 58. Atque etiam curare, ne pagi et vniuerſitatis agrorum fines moueantur aut obſcurentur.

§. 59. In primis cura ei incumbit, vt accurate obſeruentur ordinationes de diſciplina publica (*Polizeyordnungen*) paganae et prouinciae.

§. 60. In ſpecie lue pecudum ſerpente aut aliis eiusmodi calamitatibus populi exortis, malum ſtatim conſiliario prouinciae denuntiare eum oportet.

§. 61. Deſidioſos, mendicos, Iudaeos ſine protectionis ſchedula, cingaros (*Zigeuner*) et perſonas igno-

Source : BIU Cujas

ignotas aut ſuſpectas alias, magiſtratus literis iter tutum praeſtantibus (*Päſſe*) et teſtimoniis fide dignis ſe legitimare non valentes, in pago non toleret, ſed eos ſtatim vagabundorum inſtar comprehendat et inſtantiae tradat.

§. 62. Iurgiis motis et pugnis exortis, ſculteţus ſtatim debet intercedere, et vim omnem praecauere.

§. 63. Si viſitationes in pago debeant inſtitui, requirente magiſtratu, aut requirentibus perſonis aliis, ab inſtantia politiae, acciſae, aut alia legitimatis; auxilium neceſſarium praeſtare absque recuſatione debet.

§. 64. Qui in caſibus (§. 61 - 63.) ordinationi ſculteti, aut iudicii pagani repugnat, vel adeo eos violat, ſecundum praeceptum legum criminalium aeque puniatur, ac ille, qui regni officiali inferiori in officio ſe opponit.

§. 65. Sculteti eſt cauere, ne famuli peregrini, aut homines alii, a pagi incolis ſine teſtimonio ſcripto (*Kundſchaft*) recipiantur.

§. 66. Sine mora magiſtratui denuntiare eum oportet furta in agris et hortis facta, aeque ac legum diſciplinae publicae et criminalium violationes reliquas omnes, quae ipſi innotuerunt.

§. 67. Atque ad id attendere, vt pagi liberi orbi et perſonae inſanae aut mente captae omnes, denuntientur iurisdictionis adminiſtratori, qui iis tutores vel curatores conſtituat.

§. 68. Vigiles nocturnos, paſtores, cuſtodes agrorum, et alios, qui ſunt in vniuerſitatis miniſterio, ad officia, quae ipſis incumbunt, praeſtanda ſeueritate compellere.

§. 69. Pagi incolas, oeconomiam aut aedificia negligentes, aut igne et lumine incaute vtentes, magiſtratui confeſtim denuntiare eum oportet.

§. 70. Proſpicere debet, vt conſeruentur in ſtatu idoneo inſtrumenta, reſtinguendis incendiis inſer-



Source : BIU Cujas

uientia, et ab vniuerſitate, et a patribus familiarum ſingulis omnibus.

§. 71. Curae ei eſſe debet, vt aedium dominus omnis in ſtatu idoneo ſeruet fumaria, et iuſto tempore expurganda curet.

§. 72. Emolumenta aut immunitates, ſculteto pro ſtudio et labore forſan competentes, ex loci cuiusque conſtitutione determinantur.

De ſcabinis et iudicii aſſeſſoribus.

§. 73. Sculteto a iurisdictionis magiſtratu duo minimum ſcabini vel aſſeſſores iudicii ſunt adiungendi, qui aeque ac ille, regno, domino, vti vniuerſitati, huius membris praeſentibus, iureiurando ſunt adſtringendi, vt muneris ſui officiis fide fungantur.

§. 74. Dominus ſcabinos aut iudicii aſſeſſores conſtituat, quantum fieri poteſt, patresfamilias poſſeſſiones habentes, et bene audientes, et vita inculpata conſpicuos.

§. 75. Vniuerſitatis membrum ſculteti et ſcabini munus, ab inſtantia ſibi delatum, ex iis tantum cauſis poteſt repudiare, quae eum excuſarent tutela vel curatela non ſuſcepta.

§. 76. Scabinorum eſt, ſculteto in munere fungendo aſſiſtere.

§. 77. Sculteti abſentis aut impediti vicem explent.

§. 78. In caſibus, vbi ſcultetus officia ſua negligit, ſcabini obligantur, niſi ſubire velint eandem ſe defendendi moleſtiam et periculum, vt officio ſuo fungantur, aut denuntient magiſtratui neceſſaria.

De iudiciis paganis.

§. 79. Scultetus et ſcabini iuncti conſtituunt iudicia pagana.

§. 80. Iudicia pagana cauſis litigioſis iudicialibus decidendis ſe non immiſceant.

§. 81. At vero, in ordinationis diſciplinae paganae internae violationes, in quas conſtitutae ſunt poenae minores, thalerum non attingentes et in com-

Source : BIU Cujas

munitatis aerarium fluentes, poſſunt inquirere, atque eas decidere, ſalua prouocatione ad iurisdictionis magiſtratum.

§. 82. Iudicia pagana, adhibito actuario iurato, valide poſſunt ſuſcipere actus iudiciales, iuris peritiam non deſiderantes, ſed ad fidem probandam tantum ſpectantes.

§. 83. At vero, tales quoque actus ſine mora proponant neceſſe eſt adminiſtratori iurisdictionis ordinario, qui de eorum cum legibus conuenientia iudicet, aut eos emendet.

§. 84. Quo neglecto, iudicia pagana praeſtare oportet damnum inde ortum omne, et pro damni ratione carceris poena afficiantur.

§. 85. Dirigente iurisdictionis adminiſtratore iudicia pagana vicem explent deficientis ſcribae iudicialis, aut eius, qui protocollum conſcribit.

§. 86. Iurisdictionem adminiſtrans iudiciis paganis committere poteſt inuentaria et taxas ſub cura ſua conficiendas, iisque vti ad exequendam executionem.

## Sectio Tertia.

### *De ruſticis ſubiectis, eorumque ratione erga dominos.*

§. 87. Rationes praedii ſubditorum ruri erga praedii dominos, pro diuerſitate prouinciarum, in legum prouincialium codicibus rite definientur, et in iis definiendis leges prouinciales, quae huc vſque valuerunt, et conſtitutiones receptae, iis legibus fundatae, vnice pro fundamento ponentur. Introductio.

§. 88. Vbi huc vſque praedii ſubditis haec qualitas non vi ordinis fuit, ſed tantum vi poſſeſſionis fundi, praedii domino ſubiecti, aut vi domicilii, quod ſub domini directi iurisdictione collo-



Source : BIU Cujas

carunt; ibi quoque in posterum nihil omnino debet mutari.

§. 89. Quidquid igitur in sequentibus praecipitur de rationibus personalibus talium subditorum, qui pro sua persona, et vi ordinis sui praedii domino sunt subiecti, ad eiusmodi pagi incolas personaliter liberos (§. 88.) trahi nequit.

§. 90. At vero legum codicis praecepta, quae spectant ad operas et vectigalia, praedii domino a curiis subiectis praestanda, ad omnium prouinciarum subditos eatenus referuntur, quatenus leges speciales et constitutiones nullas definiunt exceptiones.

Quis subditos possit habere.

§. 91. Non nisi praediorum equestrium possessores in regula subditos possunt habere; et in eos iura dominica exercere.

§. 92. Praediorum rusticorum aliorum possessores, hoc ius praerogatiuum sibi afferentes, eius fundamentum speciatim oportet docere legibus prouincialibus, priuilegiis, aut praescriptione.

Quomodo subiectio oriatur.

§. 93. Liberi parentum, qui sunt subiecti, subiiciuntur domino illi, cui parentes tempore, quo editi sunt liberi, fuerunt subiecti.

§. 94. Si parentes fuerunt status inaequalis, intuitu subiectionis quoque liberi legitimi sequuntur patris conditionem, illegitimi vero matris.

§. 95. Filius aut filia ab homine libero, ex femina domini potestati subiecta, extra matrimonium procreati, si per subsequens parentum matrimonium ad manum dextram legitimantur, ex subiectione sunt dimittendi.

§. 96. Feminae viro subiecto nubentes subiiciuntur domino, cui ille est subiectus.

§. 97. Si durante matrimonio maritus liber se dat in subiectionem, vxor ad eum sequendum in regula cogi non potest.

Source : BIU Cujas

§. 98. Quin potius vxori ius competit agendi, vt matrimonium diſſoluatur, et maritus declaretur pars nocens.

§. 99. At vero, ſi iudex cognoſcit, ſtatus mutationem a marito apud ſe conſtitutam vtriusque coniugis vtilitati communi inſeruire; vxorem debet compellere, vt maritum ſubiectum quoque ſequatur.

§. 100. Quod ſi pertinaciter recuſat, matrimonium quidem poteſt diſſolui, at maritus non declarari pars nocens.

§. 101. Vxor maritum ſponte ſequens contra praedii dominum, cui maritus ſe ſubiicit, de libertate perſonali ſua intra dies octo, poſtquam mariti conſilium ipſi innotuit, nihil ſibi reſeruans, fit quoque ſubiecta.

§. 102. In iis prouinciis, vbi hominis alii ſe ſubiicientis liberi, a parentibus adhuc aliti et educati, patris conditionem ſecundum leges, quae huc vſque valuerunt, ſunt ſecuti, leges iſtae in poſterum quoque valeant.

§. 103. Vbi vero prouinciae leges tale quid adhuc non praeceperunt, ibi neque in poſterum patri ius concedatur, liberos impuberes, qui adhuc in ſua ſunt poteſtate, ad ſe ſubiiciendum obligandi.

§. 104. At eiusmodi tamen liberi, dum apud patrem commorantur, praedii domino eadem debent praeſtare, ad quae ſubiectorum liberi ſunt obligati.

§. 105. Vidua liberos, quos marito libero peperit, absque ſpeciali iudicii de rebus tutelaribus conſenſu, ſecum in ſubiectionem ducere nequit.

§. 106. Ordinis ruſtici perſonae, praedium ſubiectioni obnoxium absque perſonalis libertatis reſeruatione ſcripta ſuſcipientes, eo ipſo praedii domino ſe ſubiiciunt.

§. 107. At contra, homo ordinis ciuici, eo ſolo, quod curiam ſubiectione oneratam ſuſcipit, nondum



Source : BIU Cujas

fit ſubiectus, niſi libertate perſonali ſua expreſſe et in ſcriptis ſe abdicauerit.

§. 108. At vero, et talis homo, dum curiam poſſidet, ad omnes operas domino de ea praeſtandas et ad tributa omnia aeque obligatur, ac ſubiectus.

§. 109. Ordinis nobilis perſonae neque ſe poſſunt ſubiectioni perſonali addicere, neque in eam recipi.

§. 110. Quid iuris ſit, ſi eiusmodi perſona, celato aut abnegato ordine ſuo, ſubiectioni ſe addicit, ſuo loco eſt definitum. (Tit. IX.)

§. 111. Perſonae tantum ordinis vulgaris ciuici et ruſtici, ſi non ſuſcipiunt fundum, cui inhaeret ſubiectio, per pactum dare ſe poſſunt in ſubiectionem perſonalem domino praedii.

§. 112. Tale pactum, ſi validum eſſe debeat, ſemper ſcriptum ſit neceſſe eſt.

De ſubditis tutelae.

§. 113. Si eiusmodi homines liberi (§. 111.) in pago quodam domicilium collocant, neque curiam ſubiectioni obnoxiam ſuſcipientes, neque perſonali ſubiectioni ſe addicentes; ſubditi tutelae aut inquilini vocantur. (*Schutzunterthanen oder Einlieger.*)

§. 114. Tales inquilinos recipere nulli licet pagi incolae, praedii domino inſcio et non approbante.

§. 115. Praedii dominus non obligatus eſt, vt in tutelam recipiat et in pago toleret homines, qui vitae ante actae et morum ſuorum teſtimonia fide digna non poſſunt producere.

§. 116. Ratio talium inquilinorum, a praedii domino aut cum eius conſenſu receptorum, in primis diiudicanda eſt ex pactis in receptione celebratis, et, iis deficientibus, ex cuiusque prouinciae legibus et conſtitutionibus.

§. 117. Eiusmodi pactis aut legibus prouincialibus deficientibus tales homines non ſubiecti ſunt, niſi iurisdictioni domini.

Source : BIU Cujas

§. 118. Si mercenariorum operis ſe alunt, ad operas iſtas praeſtandas in primis tenentur praedii domino, pro operis ſoluenti mercedem diurnam legibus determinatam, aut determinatione legum deficiente, mercedem diurnam in prouincia vſitatam.

§. 119. Si artem manuariam exercent ruri licitam, ea quoque, pro operis mercede, ſecundum §. antecedentem determinanda, domino praecipue prae aliis operas praeſtare eos oportet.

§. 120. Eorum quoque liberi, niſi arti manuariae ediſcendae ſint dediti, praedii domino, in primis prae aliis tanquam famuli pro mercede legitima, quae alienis ſoluitur, praeſtare debent operas.

§. 121. At contra, eiusmodi inquilinis licet, cum liberis ſuis ex pago migrare, et ſedem alio collocare; dimiſſione a praedii domino nulla quaeſita.

§. 122. Quilibet praedii dominus eſt obſtrictus, ad ſubditos ſuos, ſi caſus exiſtant neceſſitatis, re adiuuandos. Officia generalia praedii domini.

§. 123. Quorum quidem iis, qui poſſeſſiones nondum habent, quantum in ipſo eſt, ſuppeditare debet occaſionem, acquirendi alimenta neceſſaria.

§. 124. Quod ſi nequit, iis legitime petentibus debet permittere, vt alimenta alio loco ſibi parent, et iis dare teſtimonium ſcriptum, in eum finem neceſſarium.

§. 125. Praedii domini in primis eſt curare, vt educatione bona et Chriſtianis digna gaudeant ſubditorum liberi.

§. 126. Hinc omni diligentia et vigilantia parentes obſeruet, et hos ad obſeruanda ſua officia ſeuere compellat neceſſe eſt, ſi in educandis liberis quidquam negligant, ſi liberos in templum aut ſcholam non iuſto ordine mittant, aut eos laboris ſiue vtilis quaeſtus vllius exercitio non aſſuefaciant.



Source : BIU Cujas

§. 127. Praedii dominus, qui liberorum orborum aut alias a parentibus derelictorum curam habere recusat, iuribus suis de iis excidit.

§. 128. Quae iura contra is praedii dominus sibi acquirit, qui eiusmodi liberos alendos et educandos curauit vsque ad eos annos, quibus exhibere semetipsos possunt.

§. 129. Parentibus orbi, praedii domino non concurrente in institutis publicis alendis pauperibus inseruientibus educati, liberantur a subiectione, in qua sunt nati.

§. 130. Si subditi possessiones habentes, graues calamitates perpessi, aliorum indigent auxilio; in primis praedii dominus est obligatus, ad eos pro viribus re adiuuandos.

§. 131. Et adhibere debet operam, vt subditos a feneratione iniqua et fraudibus tueatur.

§. 132. Ad restituendam pecuniam, quam ipse subditis suppeditauit, his termini sunt aequi praefigendi, neque iis praeterlapsis nimium est properandum.

Officia generalia subditorum.

§. 133. Subditi domino fidem, pietatem et obedientiam debent.

§. 134. Ad operas et tributa praestanda, domino obligati sunt secundum determinationes infra propius expositas.

§. 135. Dominus ab iis iure potest exigere fidei et subiectionis promissionem iureiurando firmatam.

Fontes iurium et officiorum inter praedii dominum et subditos.

§. 136. At officia tamen subditorum erga praedii dominum cedunt officiis erga regnum, si vtraque simul nequeunt consistere.

§. 137. Subditorum officia erga praedii dominum in primis diiudicantur ex libellis emtionis et receptionis; deinde ex legitimis operarum indicibus aut vrbariis, et denique ex prouinciae legibus.

Source : BIU Cujas

§. 138. Curiarum ſubiectioni obnoxiarum poſſeſſoribus onera et tributa, curiis ante inhaerentia, pro lubitu non augeantur.

§. 139. At eiusmodi mutatio ſi eſt neceſſaria; in emtionis aut receptionis libello expreſſe debet exponi mutationis cauſa, et in quo conſiſtant noua emolumenta, curiae pro nouis aut maioribus oneribus ſuscipiendis collata.

§. 140. Eiusmodi receptionis aut emtionis libelli (§. 139.), vti in genere pacta omnia, quibus ſubditorum obligationes, huc vſque domino debitae, mutari debent, ſumma cautione et in iudicio celebrentur neceſſe eſt.

§. 141. Noui operarum indices et vrbaria inter dominos et ſubditos a prouinciae collegio ſunt cognoſcenda, et pro re nata confirmanda.

§. 142. Quorum vrbariorum et operarum indicum exemplar vnum ſemper in pagi et ſcabinorum arca eſt cuſtodiendum.

§. 143. Contra claram et perſpicuam eiusmodi vrbariorum, a prouinciae collegiis confirmatorum, ſententiam neque vni parti neque alteri praeſcriptio currit.

§. 144. Vbi adhuc vrbarium aut operarum index perfectus defuit, ibi legitima praeſcriptione operae et vectigalia a domino poſſunt acquiri, et ſubditi quoque per praeſcriptionem ab obligationibus et vectigalibus liberari.

§. 145. Immutatio aut conuerſio quorundam generum operarum et cenſuum domino eatenus tantum eſt permiſſa, quatenus inde ſubditorum onera non aggrauantur.

§. 146. Huius legum codicis praecepta tum tantum locum inueniunt, ſi pacta, vrbaria, leges prouinciales, aut praeſcriptio lites inter dominum et ſubditos non decidunt.



Source : BIU Cujas

## Sectio Quarta.

### *De ſubditorum officiis et iuribus perſonalibus.*

Subditorum libertas perſonalis.

§. 147. Subditi, praeter relationem ad praedium, cui ſunt adſcripti, in negotiis et actionibus ſuis habentur regni ciues liberi.

§. 148. Hinc ſeruitus perennis, quae olim obtinuit, qua ſubditi ſunt homines proprii, tanquam ſpecies ſeruitutis perſonarum, locum non habet, ne intuitu quidem incolarum ruris ſubiectorum.

§. 149. Facultate gaudent, dominium et iura ſibi acquirendi, et ea contra quemcunque, in iudicio quoque, defendendi.

Iura realia, quae praedii domino de ſubditis competunt.

§. 150. Praedium, cui ſunt adſcripti, ſine domini directi conſenſu deferere iis non licet.

§. 151. At neque a domino, ſine praedio, cui ſunt adſcripti, poſſunt vendi, neque permutari, neque modo alio alteri cedi inuiti.

§. 152. Vbi huc vſque fuit permiſſum, vt ſubditi, ſimul cum curiis ſuis, ab alio praedii domino alii fuerint ceſſi, ibi id quidem in poſterum quoque ſit permiſſum;

§. 153. At vero tali mutatione ſubditorum ſtatus et conditio nullo modo reddatur deterior, aut difficilior.

§. 154. In prouinciis, vbi talis alienatio (§. 152.) hactenus non obtinuit, ea quoque in tempus poſterum prorſus eſt interdicta.

§. 155. Subditos profugos dominus in locis omnibus et omni tempore poteſt quaerere, atque ad reuertendum cogere.

§. 156. Subditos profugos domino detinere, aut apud ſe celare nemini licet.

§. 157. Quod qui fecerit, poenam commiſit in politiae prouincialis legibus determinatam, aut ea determinatione deficiente multam thalerorum quinque ad viginti vſque.

Source : BIU Cujas

§. 158. Qui ſubditum alienum ſine teſtimonio (*Kundſchaft*) ſumit in miniſterium, pari modo eſt puniendus, et compellendus ad reſarciendum damnum, inde datum omne, et ad reſtituendos ſumtus.

§. 159. Subditorum profugorum liberos, aliis locis natos, dominus quoque iure poteſt vindicare.

§. 160. Quo ſuo iure dominus tum tantum excidit, ſi locum, quo tales liberi degunt, ſciens eos intra decem annos poſt patris mortem non vindicauit.

§. 161. Subditi, qui matrimonium iungere in- Nuptiae.
tendunt, domini conſenſum debent quaerere.

§. 162. Quem vero dominus, ſine cauſa iuſta et legitima, denegare iis nequit.

§. 163. Legitimae denegandi cauſae ſunt, ſi perſona, quam ſubditus cupit in matrimonium ducere, grauia commiſit delicta;

§. 164. Et ſi iſta perſona ob vitam diſſolutam, pigritiam, aut contumaciam male audit, et horum vitiorum teſtimoniis certis poteſt conuinci;

§. 165. Et ſi eadem ob vitia corporis rite praeeſſe nequit operis oeconomicis, ab ea praeſtandis.

§. 166. Iis quoque, qui ipſi, ob vitia corporis, ſe et familiam alere nequeunt, dominus denegare poteſt veniam ineundi matrimonii, quo ſtatus eorum et fortuna non melioratur.

§. 167. Subditum maſculum, veniam matrimonii contrahendi petentem, in regula, poſcente domino, eo loco, quo ſubditus eſt, domicilium oportet conſtituere. (§. 114. 516. 517.)

§. 168. Matrimonia ſine domini venia iuncta ſunt quidem valida; at violatores poena aequa carceris, aut operarum praeſtandarum, per tres dies ad quatuor hebdomadas vſque afficiantur.

§. 169. Si ſubditus poſſeſſiones habens perſonam, cui vitia §. 163. 164. expoſita obſtant, ſine domini conſenſu in matrimonium duxit; dominus iure poteſt petere, vt expellatur ex curia.

Source : BIU Cujas

§. 170. Conſenſus in ſubditi matrimonium contrahendum, ſine cauſa iuſta a domino rite implorato denegatus, ſubdito prouocante, a prouinciae iudicio ſupremo eſt ſupplendus.

Educatio et deſtinatio liberorum.

§. 171. Subditorum liberos in regula ordini ruſtico et vitae generi parentum deſtinare ſe oportet.

§. 172. Sine conſenſu domini expreſſo admitti non poſſunt ad diſcendum quaeſtum ciuilem neque ad operam dandam ſtudiis.

§. 173. At contra neque dominus ſubditorum liberos poteſt cogere, ad eligendum aliud vitae genus, inuitis parentibus aut tutoribus.

§. 174. Parentes artem opificiariam licitam ruri exercentes, filiorum vnum, electione libera, deſtinare huic arti poſſunt.

§. 175. Liberis, qui ob corporis affectionem ad operas manuarias moleſtas non ſunt idonei, veniam diſcendi artem minus moleſtam denegare domino non licet.

§. 176. Neque filio, ex rei peritorum ſententia, facultatibus artis aut ſcientiae ediſcendae praecipuis praedito, et neceſſariis auxiliis ad eam ediſcendam non deſtituto, eam ediſcendi venia a domino poteſt denegari.

§. 177. Subditus, qui artem ingenuam aut manuariam, qua domini perſonae, aut oeconomiae operas poteſt praeſtare, domini ſumtibus edidicit, arte ea, honorario et mercede ſolitis praeſtitis, tamdiu domino debet praeſtare operas, donec aequa (proportionata) deductione, de hoc honorario aut mercede facta, reſtitutae ſunt pecuniae pro eo expenſae.

§. 178. Si dominus de honorario vel mercede, alienis praeſtandis, tali ſubdito nihil velit detrahere, hic illi debet tamdiu praeſtare operas, quamdiu exercet artem ingenuam aut manuariam (profeſſionem), quam domini ſumtibus edidicit.

Source : BIU Cujas

§. 179. Si dominus ipſe talem ſubditum, qui ipſius ſumtibus artem ingenuam aut manuariam edidicit, eo modo in miniſterium ſuum recipere non poteſt, aut recuſat; aut ſi ſubditi ars ingenua ſiue manuaria (profeſſio) eius eſt generis, vt dominus ea pro ſua perſona aut in oeconomia more ſolito non vtatur: dominus tali ſubdito non poteſt denegare veniam, alio loco victum ſibi arte ſua parandi.

§. 180. At vero, talis quoque ſubditus, ſi deinde hanc ſuam artem ingenuam aut manuariam (profeſſionem) velit exercere, domino quam primum debet indemnitatem praeſtare ſumtuum in eum erogatorum

§. 181. Subditorum filii ad oeconomiam ruſticam educati, annum viceſimum quartum egreſſi, poſſunt cogi, vt praediorum, ad quae pertinent, curias vacuas ſuscipiant.

§. 182. Praedii incolas, mercenariorum operis ſe alentes, licet ad operas certas non obligatos, domino prae aliis omnibus praeſtare oportet operas pro mercede diurna legitima.

§. 183. Si paterfamilias, poſſeſſiones habens, tales mercenarios domino conſentiente recepit; hic, vel adeo prae domino, praecipue poteſt petere mercenarii auxilium.

§. 184. Si mercenarius commoda percipit, ex paſcuis, ſiluis aliisue rebus, quae ſunt communitatis, huic praecipue prae extraneis praeſtare operas eum oportet.

Miniſteria famularia liberorum ſubditorum.

§. 185. Subditorum omnium liberi, qui operas ſuas locare aliis cupiunt, operas ſuas domino ante debent offerre.

§. 186. Et offerre quidem operas ſaltem tres menſes ante feſtum natiuitatis Chriſti, aut alium, quo famuli ruſtici famulatum ingrediuntur, terminum, legibus prouincialibus definitum.

Source : BIU Cujas

§. 187. Dominus in diebus quatuordecim huius trimeſtris primis mentem debet declarare, an iis vti velit famulis.

§. 188. Vbi dies ſiſtendi (*Geſtellungstage*) certi ſunt conſtituti, quibus ex ſubditorum liberis ad operas praeſtandas idoneis comparentibus dominum oportet eligere eos, quorum operis anno ſubſequente velit vti, ibi in poſterum etiam dies iſti obſeruentur.

§. 189. Si dominus operis ſubditi talis filii non vult vti, huic denegare non poteſt literas veniae (*Erlaubniſsſchein*), operas ſuas loco alio locandi.

§. 190. Quae veniae literae, niſi expreſſe in tempus longius fuerint datae, in annum vnum tantum valent; at neque poſſunt reuocari ante hunc annum elapſum.

§. 191. Si ſubditus, loco alio ſeruiens, veniae petit prolongationem, tempeſtiue compareat, et domini declarationem expectet neceſſe eſt.

§. 192. De terminis, quibus indicatio debeat fieri, et dominus mentem ſuam declarare, locum obtinent praecepta §. 186-188.

§. 193. Dominus ſubditorum liberis veniam tempeſtiue petitam denegans, aut declarationem differendo eos impediens, quo minus locis aliis locare operas poſſint, iis tenetur ad praeſtandum alio modo victum atque mercedem vſque ad terminum, quo operae locantur, proximum.

§. 194. At nunquam dominus eos poteſt cogere, vt operas ſuas locent extraneis.

§. 195. Dominus ſubditorum liberos ad operas ipſi praeſtandas non poteſt cogere, antequam aetatem et corporis vires ſunt aſſecuti, quae requiruntur ad genus operarum, ab iis praeſtandarum.

§. 196. Parentibus concedendi ſunt liberi, quorum famulitii operis in oeconomia ſua propria carere non poſſunt.

Source : BIU Cujas

§. 197. In quo quidem caſu curiae poſſeſſori ſubdito eſt electio, cuius liberorum operis vti ipſe velit.

§. 198. Filii milites, impetrato tantum commeatu apud parentes commorantes, non poſſunt referri ad liberos, parentibus operas praeſtantes.

§. 199. Neque vni parti neque alteri, obtrudi poſſunt filiae pro famulis maſculinis, vti nec filii pro femininis.

§. 200. Filius vnicus vel filia vnica parentibus non poteſt eripi, licet eius operis carere in oeconomia poſſint.

§. 201. Si ſubiectus auxilio filii ad oeconomiam ſuam curandam relicti priuatur, filium, domino famulantem, ſub finem currentis famulitii anni poteſt repetere.

§. 202. Idem obtinet, ſi parentum alter caſu, qui eius perſonae accidit, ad laborandum ſit inidoneus.

§. 203. Tutores et alii, liberorum orborum curiam adminiſtrantes, cum parentibus iura habent eadem, in oeconomiae curiae adminiſtrandae commodum.

§. 204. Merces in famulitii ordinationibus determinata, et victus quolibet loco adhuc ſolitus, a domino proprio auſu non poteſt deminui.

§. 205. Ciborum adhuc ſolitorum mutatio ſola poteſt fieri, conſentientibus patribusfamilias plurimis, poſſeſſiones in pago habentibus.

§. 206. Vbi famulatus liberorum ſubditorum in certos annos non eſt definitus, ibi poſcente domino famulatum continuare tamdiu debent, donec iis oblata eſt occaſio, curiam colendam accipiendi, aut matrimonium ineundi, quocum famulatus nequit conſiſtere.

§. 207. At contra, dominus ſubditis ad talia ſeruitia non determinata obligatis non poteſt denegare veniam, eiusmodi occaſione oblata vtendi, ex ea

Source : BIU Cujas

cauſa ſola, quod famuli operas nondum praeſtiterunt; neque ſatisfactionem exigere de operis nondum praeſtitis.

§. 208. Liberorum ſubditorum miniſterio ad certos annos reſtricto, a domino pendet, quo tempore eius praeſtationem velit exigere.

§. 209. At neque in hoc caſu dominus talibus liberis, ob miniſterium per eos annos nondum praeſtitum, eripere poteſt occaſionem, curiam ſuſcipiendo aut matrimonio iungendo rebus ſuis conſulendi, neque poteſt de eo ſatisfactionem exigere.

§. 210. At vero tales liberi, ſi ex ſubiectione cupiunt dimitti, pro electione domini, vel alias perſonas idoneas, quae per annos adhuc reliquos ſeruiant, in locum ſuum debent ſubſtituere, vel reſarcire ea, quibus merces famuli coacti et merces famuli liberi inter ſe ex ordinatione famulitii differunt.

§. 211. In iis quoque locis, vbi immunitas ab operis per annos famulitii definitos pretio (*Dienſtgelde*) ſolet redimi, domino competit ius, operas in natura exigendi, neque cogi poteſt ad acceptandum immunitatis ab operis pretium.

§. 212. At contra neque dominus cogere poteſt, ad ſoluendum immunitatis ab operis pretium, ſubditum ad operas praeſtandas paratum.

§. 213. At vero, ſi dominus et ſubditus conuenerunt de praeſtando immunitatis ab operis pretio; in iis locis, quibus immunitas pretio ſolet redimi, tertio ius contradicendi competit nullum.

§. 214. Si eiusmodi filius aut filia a ſubiectionis nexu cupit liberari, pro annis famulitii adhuc reliquis immunitatis ab operis pretium debet ſoluere.

§. 215. Caeterum quoque in hoc caſu (§. 211.) locum obtinet praeceptum §. 209.

§. 216. Inchoatum famulitii annum famulum in caſibus omnibus vſque ad eius finem continuare oportet, neque domino poteſt alium ſui loco obtrudere.

§. 217.

Source : BIU Cujas

§. 217. Famulitii tempore culpa famuli, aut cauſa, quae in eius perſona accidit, interrupto, famulus tempus amiſſum poſtea ſeruiendo ſuppleat.

§. 218. Interruptione vero per famuli morbum aut alio modo poteſtate ſuperiore exorta, deficiens tempus anni ſeruitii currentis famulo in praeiudicium non poteſt imputari.

§. 219. Idem valet, ſi interruptio orta eſt ex culpa domini, aut caſu, qui in eius perſona aut oeconomia accidit.

§. 220. Filio, qui ſecundum praeceptum §. 174-176. veniam opificii, artis, aut ſcientiae ediſcendae iure poteſt petere, non poteſt denegari ea venia ob famuli operas nondum praeſtitas.

§. 221. Dominus autem tunc pretium immunitatis ab operis, iis locis, vbi ſolet ſolui, poteſt exigere; aut, vbi mos iſte non obtinet, dum veniam dat, eam conditionem conſtituere, vt in filii locum ſubſtituatur perſona alia, ad ſeruiendum idonea.

§. 222. At in caſu §. 175. dominus neque immunitatis ab operis pretium poteſt exigere, neque poſcere, vt alius ſubſtituatur famulus.

§. 223. Si in caſibus reliquis venia ſemel ſine reſeruatione eſt data, dominus a tali filio ob operas nondum praeſtitas poſcere nihil amplius poteſt.

§. 224. Lite inter dominum et ſubditos de liberorum ſeruitio exorta, iurisdictionis adminiſtratorem (iuſtitiarium) ſine mora cauſam oportet cognoſcere et decidere.

§. 225. Cuius decreto ſi vna pars aut altera nolit acquieſcere, iurisdictionis adminiſtratorem acta oportet ſine mora ad iudicem ſuperiorem mittere, qui diiudicet: an et quo effectu contra decretum admitti poſſit appellatio.

§. 226. Caeterum, de ratione inter dominum et ſubditorum liberos, famulorum operas illi praeſtantes, praecepta legum de domino et famulitio in ge-



BIBLIOTHÈQUE CUJAS PARIS

Source : BIU Cujas

nere locum habent, quatenus fectione praefente non funt fundata contraria.

Ius caſtigandi domino competens.

§. 227. Famulos pigros, diſſolutos, aut contumaces dominus ad praeſtandas operas debitas caſtigatione modica poteſt compellere, atque idem ius in conductores et villicos ſuos quoque transferre.

§. 228. Idem ius competit domino de ſubditorum famulis, qui ad operas praeſtandas a ſubditis miſſi, in iis praeſtandis pigros, diſſolutos, aut contumaces ſe gerunt.

§. 229. Quibus tamen caſtigationibus ne famulorum valetudini, multo minus vitae, afferatur periculum.

§. 230. Dominus quoque abſtineat iis caſtigandi modis, quibus laeditur pudicitia, praeſertim reſpectu ancillarum.

§. 231. Dominus ſubditos tam male habens (§. 229. 230.), praeter indemnitatem plenam iis praeſtandam, ſecundum praecepta iuris criminalis ſeuere puniatur.

§. 232. Patres familias, poſſeſſiones habentes, eorumque vxores dominus quoque ad officia poteſt compellere poena carceris, aut operis poenalibus, ſi in praeſtandis operis haud litigioſis contumaces et pigros, et de induſtria negligentes ſe gerunt, aut delictum ſimile aliud committunt.

§. 233. Si delictum eius eſt generis, vt domino ad illud puniendum ordinaria carceris poena quadraginta octo horarum, ad ſummum, ſufficere videatur; dominus in cognoſcendo delicto iudicia tantum pagana adhibere obligatur.

§. 234. At vero, ſi poſtea in cognitione, ſubdito tali poena affecto petente, a prouinciali iuſtitiae collegio inſtituta, apparet, poenam ſine iure eſſe irrogatam: dominus ſubditum plene indemnem debet praeſtare, et praeter ea ob poteſtatis abuſum, ſecundum leges iuris criminalis eſt puniendus.

Source : BIU Cujas

§. 235. Si domino carceris poena per tempus longius, aut aliud poenae genus videtur neceſſarium; cognitionem et ſententiam iurisdictionis adminiſtratori debet relinquere.

§. 236. Contra iurisdictionis adminiſtratoris ſententiam, quae carceris poenam octo dierum aut breuiorem ordinariam vel operas poenales iniungit, remedium iuris admittitur nullum.

§. 237. At omnino in caſu §. 234. tunc iurisdictionis adminiſtrator, aeque ac dominus, ſubditis ſine iure poena affectis praeſtat indemnitatem, et regno poena tenetur.

§. 238. Si iurisdictionis adminiſtrator poenam decernit, poena §. 236. determinata longiorem aut duriorem; prouocatio ad iudicium ſuperius cum pleno effectu admittitur.

§. 239. Quid faciendum ſit, ſi ſubditi domino aut eius praefectis factis repugnant, in iure criminali eſt praeſcriptum.

## Sectio Quinta.

### *De ſubditorum iuribus et officiis intuitu bonorum ſ. rei familiaris.*

§. 240. Subditi, aeque ac alii regni ciues, bona libera poſſunt acquirere et poſſidere. Principium.

§. 241. Obligationes intuitu perſonae, quibus ſeruiendi officiis ſuis ſubducuntur, ſuſcipere absque domini conſenſu non poſſunt. Obligationes perſonales.

§. 242. Hinc neque ob debita ſine domini conſenſu contracta perſonaliter comprehendi.

§. 243. Si dominus expreſſe aut tacite permittit, vt ſubditus, praeter rem ruſticam, adhuc faciat quaeſtum alium, in quo fides ſolet haberi; ob eiusmodi debita ſubditi contradicere nequit executioni per arreſtum perſonale.



Source : BIU Cujas

§. 244. Caupones et hoſpites publici famulis ruri potulenta et eſculenta, ſine expreſſo heri conſenſu, ſub iuris ſui iactura, non exhibeant, niſi pro pecunia numerata.

§. 245. Neque ab eiusmodi hominibus in ſolutum accipiant naturalia et veſtimenta, ſub carceris poena, aut opera poenali, pro rei pretio determinanda.

Iura ſubditorum in fundis ſuis: 1) ſi domini (proprietarii) ſunt.

§. 246. In regula, et vbi contrarium ex prouinciae legibus et conſtitutionibus, aut ratione alia non patet, ſubditi poſſeſſiones habentes veri domini curiarum et praediorum ſuarum ſunt habendi, et eo modo in caſibus obuenientibus diiudicandi.

a) Intuitu diſpoſitionis inter viuos;

§. 247. Quas vero ſine domini conſenſu neque poſſunt alienare, neque minuere permutando, aut modo alio ſeparando pertinentias immobiles ſingulas.

§. 248. Neque, ſine domini conſenſu, ſeruitii aut alia onera perpetua praediis ſuis imponere.

§. 249. Ad oppignorationes quoque domini conſenſus eſt neceſſarius.

§. 250. Quem conſenſum dominus denegare eatenus non poteſt, quatenus ſumma, cuius ſecuritati oppignoratione debet proſpici, non excedit pretii in libris hypothecariis conſignati dimidium.

§. 251. Ad conſentiendum in oppignorationes vltra dimidium tunc tantum dominus eſt obligatus, ſi pecunia ſuppeditanda requiritur ad conſeruandum et reficiendum praedium, absque poſſeſſoris culpa lata deterioratum.

§. 252. Quo tamen in caſu domino quoque ius eſt, demonſtrationem exigendi verſionis mutui ſumti rite factae, et pro re nata conſtituendi aequos terminos ad exſoluendum debitum.

§. 253. Si hypotheca vltra pretium dimidium, in ſecuritatem aut ſatisfactionem heredum poſſeſſoris, neceſſario eſt conſtituenda; dominus conſenſum in eam conſtituendam non poteſt denegare.

Source : BIU Cujas

§. 254. In debitis, quorum intabulationem exigendi ius leges ipſae fundant, conſenſus domini ad intabulandum non deſideratur. (Part. I. Tit. XX. §. 3. 4.)

§. 255. Domini conſenſus creditori tribuit ius reale in praedio, quod vniuerſum conſtituit indiuiduum, licet ille conſenſus directus tantum fuit ad fundos certos ſingulos, ad praedium pertinentes.

§. 256. In caſibus omnibus, vbi ſecundum praecepta antecedentia domini conſenſus eſt neceſſarius, et neque datus, neque a iudice ſuppletus; inuito domino, creditor petere neque praedii ſubſtantiam poteſt, neque inuentarium ad iuſtam praedii adminiſtrationem neceſſarium.

§. 257. At ſatisfactionem tamen poteſt petere ex pecoribus et inſtrumentis, quae oeconomiae neceſſitas non exigit; et ex frugum copia, quae ſupereſt deductis frugibus, quas poſcit oeconomiae neceſſitas, et ſolutis tributis publicis et cenſibus, domino debitis; et ex reliquis debitoris bonis, ad praedium non pertinentibus.

§. 258. Neque in alienandum, atque ſeruitii aut alia onera perpetua imponenda dominus conſenſum absque cauſa iuſta deneget.

§. 259. Ad praedium in nouum poſſeſſorem alienando transferendum ex cauſa iuſta conſenſum denegat, ſi huic facultates deſunt et habilitas, oeconomiam adminiſtrandi et operas rite praeſtandi.

§. 260. Et, ſi nouus poſſeſſor ob malam rei familiaris adminiſtrationem, pigritiam, mores diſſolutos, aut contumaciam iam male audit.

§. 261. In pertinentias ſeparandas, aut imponenda onera alia dominus conſentire non obligatur, ſi praedii reditus, in vniuerſum, iis deminuerentur in perpetuum.

§. 262. Quae ad ſeparandas pertinentias immobiles a praediis ruſticis, praeter domini conſenſum,



Source : BIU Cujas

adhuc sint necessaria, prouincialis politiae publicae leges determinant.

§. 263. Iurisdictionis dominus, si alius est, ac praedii dominus, in casibus, quibus huius consensus ad disponendum de fundo est necessarius, debet exigere, vt hic consensus producatur, antequam actus ab ipso confirmatur, aut intabulatur.

§. 264. Neque in subhastationibus necessariis praedium plurimum licitanti prius adiudicare illi licet, quam domini consensus est probatus.

§. 265. Quae praecepta si iurisdictionis dominus neglexerit; confirmatio aut intabulatio fit nulla, et iurisdictionis dominus iis, quorum interest, praestat damnum omne inde oriundum.

§. 266. Domini praedii nomine consensum dare tantum potest ille, cui commissa est vniuersitas iurium, domino praedii competentium omnium, at non oeconomiae praefectus aut conductor merus.

b) mortis causa.

§. 267. De propriis bonis subditus non minus, ac alii regni ciues, per modum vltimae voluntatis potest disponere;

§. 268. Et determinare, quis ex liberis pluribus praedium accipiat.

§. 269. Pretium quoque, quo liberorum vnus praedium accipiat, testator subiectus aeque potest definire, ac pater alius omnis.

§. 270. At vero, si paterna aestumatio excedit pretium, quo secundum principia infra sequentia, in hereditatis diuisione sine testamento praedium foret aestumandum; dominus potest aequam aestumationis paternae deminutionem petere.

§. 271. Deficiente vltimae voluntatis dispositione, intuitu subditorum quoque regulae successionis communis ex lege obtinent.

§. 272. In regula dominus praedium potest conferre coheredum plurium illi, quem iudicat maxime idoneum.

Source : BIU Cujas

§. 273. Si vero coheredes conueniunt de praedio coheredum vni, vel tertio etiam concedendo; dominus conſenſum ſuum eatenus tantum poteſt denegare, quatenus ei in genere ius competit, poſſeſſorem nouum deſignatum reiiciendi.

§. 274. Heredem, vi vltimae voluntatis diſpoſitionis aut ſucceſſionis ex lege ad praedii poſſeſſionem vocatum, dominus poteſt ex iisdem cauſis arcere, ex quibus in genere ei ius competit contradicendi, ne praedium in poſſeſſorem nouum alienando transferatur. (§. 259. 260.)

§. 275. Defectus aetatis, ad praedium rite adminiſtrandum neceſſariae, in regula reiiciendi cauſam legitimam praebet nullam.

§. 276. Quin potius dominus etiam impuberem praedii heredem eatenus debet admittere, quatenus poteſt proſpici, vt praedium rite adminiſtretur, et domino rite praeſtentur operae et tributa de eo praeſtanda, vſque donec praedium ſuſcipere heres ipſe poſſit.

§. 277. Si heres, teſtamento aut lege ad praedii poſſeſſionem vocatus, domini ſubditus non eſt, et ſe ſubiectionis nexui addicere non poteſt, aut recuſat, domino ius competit eum excludendi.

§. 278. In caſibus omnibus, vbi ſecundum praecepta antecedentia (§. 274. ſeqq.) domino ius eſt, heredem a praedii poſſeſſione excludendi, huic terminus ſex hebdomadarum ad tres menſes vſque, inde a morte teſtatoris concedatur neceſſe eſt, ad transferendum praedium in poſſeſſorem idoneum alium.

§. 279. Quo termino praeterlapſo dominus poteſt poſcere, vt praedium publice vendatur in iudicio.

§. 280. In caſibus omnibus, vbi a poſſeſſore nouo coheredibus eſt ſatisfaciendum, praedii et inuentarii, ad oeconomiam neceſſarii, pretium taxatione moderata eſt aeſtumandum.



Source : BIU Cujas

§. 281. In qua taxatione conficienda ratio habenda eſt non ſolum onerum et tributorum omnium, ſed etiam victus neceſſarii poſſeſſoris noui eiusque vxoris.

§. 282. Propiores principiorum aeſtumandi determinationes legibus prouincialibus reſeruantur.

§. 283. Pretium eiusmodi taxatione determinatum admittere oportet, ſine contradictione omnes, quorum intereſt.

§. 284. Ad exſoluenda ea, quibus a poſſeſſore nouo reliquis, quorum intereſt, ſatisfaciendum eſt, praefigendi ſunt, pro poſſeſſoris noui facultatibus, termini aequi.

§. 285. Vbi de nihilo conuentum, eiusmodi emtionis pretii penſionum, quibus termini ſunt praefiniti, vſurae non praeſtantur, morae caſu excepto.

§. 286. De probanda dimiſſione a regimento impetrata, quam producere oportet, antequam curiam ſuſcipit, praedii heredem quemque, militiae ex adſcriptione obligatum, obſeruandae ſunt conſtitutiones de adſcriptione militari (*Cantonverfaſſungen*).

De expulſione talium dominorum (proprietariorum) ex curiis ſuis.

§. 287. Domino ſubditum, praedium iure dominii poſſidentem, ex eo non licet expellere ſine cauſa graui et absque iudicis ſententia.

§. 288. Subditus vero ad praedium vendendum poteſt compelli, ſi praedium aut inuentarium ad illud pertinens adminiſtratione mala peſſundat.

§. 289. Idem iuris eſt, ſi reum ſe fecit contumaciae malitioſae, ſeditionis in pago concitandae, aut delictorum conſulto in dominum perpetratorum, quibus grauiter violatur pietas in dominum.

§. 290. Atque etiam, ſi propenſionem permagnam prodit ad furta, et delicta alia, quibus violatur ſecuritas proprietatis; aut ſi ob delicta turpia communitati eſt offenſioni publicae; et ſi poenis, quas luit, leuioribus emendari non potuit.

Source : BIU Cujas

§. 291. Non obligatur dominus, ad tolerandum in curiae ſuae poſſeſſione ſubditum, plus anno poena carceris affectum, aut ad munitiones damnatum.

§. 292. Si ſubditus mutuum, ſecundum §. 251. cum domini conſenſu vltra dimidium praedii pretium ſumtum, nequiter profundit; dominus iure eum poteſt compellere ad vendendum praedium.

§. 293. Si ſubditus ob ſenectutem, aut morbum inſanabilem curiae adminiſtrandae vlterius rite praeeſſe nequit; dominus eum poteſt compellere, ad praedium cedendum alii poſſeſſori habili.

§. 294. At tunc tamen patris familias decedentis victui pro neceſſitate debet proſpici, et, ſi liberos habeat, his praedium, quantum fieri poteſt, conſeruari.

§. 295. Quatenus excepto caſu §. 291. ſubditus per tempus tantum aliquod impeditur, quo minus oeconomiae ſuae rite praeſit, domino curae eſſe debet, vt eum iuuet adminiſtratione bene inſtituta.

§. 296. Venditio, ſi per ſententiam eſt decreta, per ſubhaſtationem iudicialem fiat neceſſe eſt; ſubditus autem vsque ad veram adiudicationem, praedium poteſt ſponte alienando transferre in poſſeſſorem alium haud ſpernendum.

§. 297. Eo, quod ſubditus ad praedium vendendum ob cauſas antecedentes eſt compulſus, ipſe a ſubiectione perſonali nondum liberatur.

§. 298. Si praedia, quae ſubditi poſſederunt, domini ſunt propria, poſſeſſoribus autem non in locationem conductionem temporariam aut perpetuam, ſed absque temporis determinatione ad colendum et vtendum conceſſa; ſubditorum iura, qua ea praedia, diiudicantur ex praeceptis ſectionis quartae, tituli viceſimi primi, partis primae. Iura ſubditorum in ſuis praediis: 2) ſi domini (proprietarii) non ſunt.

§. 299. Praeter cauſas ibi expoſitas, eiusmodi praedii poſſeſſor, ſi ſubditus ſimul eſt, ex iisdem cauſis ex curia poteſt expelli, ex quibus do-



Source : BIU Cujas

minus (proprietarius), ad praedium vendendum poteſt compelli. (§. 288. ſeqq.)

§. 300. Praedii poſſeſſor ſubiectus huius generis ius non habet derelinquendi curiam ſuam, absque ſpeciali domini conſenſu.

§. 301. Qui tamen conſenſus denegari ei nequit, ſi domino ſiſtere poteſt patrem familias alium non ſpernendum, praedium ſuſcipientem.

§. 302. Si dominus eiusmodi curias alio modo vacuefactas concedit ſubditis, ſecundum §. 181. ad eas ſuſcipiendas obligatis; ius non habet grauiores reddendi conditiones, ſub quibus praedium olim conceſſum fuit atque poſſeſſum.

§. 303. Si tamen eiusmodi curiae reditus, adiectis nouis pertinentiis vtilibus, aut modo alio, perpetuo meliorantur; nouus poſſeſſor conſtituendus admittere debet augmentum operarum et cenſuum aequum, iudicis ſententia, ſi opus fuerit, determinandum. (§. 138-140.)

§. 304. Praediorum mere locatorum poſſeſſores, tanquam conductores perpetui vel temporarii, ex pactorum ſuorum ſententia diiudicantur.

§. 305. In caſu dubio praeſumtio ſtat pro locatione conductione perpetua.

§. 306. Ex eo, quod cenſus, quem poſſeſſor ſubiectus domino pro praedii vſu praeſtat, canon emphyteuticus (*Erbzins*) vocatur, nondum ſequitur, praedio ipſi qualitatem emphyteuticam in ſenſu iuris ineſſe.

§. 307. Poſſeſſores ex conductione aut emphyteuſi ſubiecti quoque ex iisdem cauſis, quibus domini (proprietarii), a iudice poſſunt compelli ad derelinquendas et vendendas curias ſuas, aut iura, quae in eas habent.

Source : BIU Cujas

## Sectio Sexta.

### *De ſubditorum operis.*

§. 308. Operae, a ſubditis domino praeſtandae, proprie eum in finem ſunt deſtinatae, vt domini fundi colantur, et fructus inde percipiantur. Finis, in quem praeſtandae ſunt operae.

§. 309. Ad operas praeſtandas in praediis aliis, quibus adhuc non fuerunt addicti, ſubditi cogi non poſſunt.

§. 310. Si cognoſci nequit, cui domini praedio aut villae ſubditi, qui huc vsque immunitatis ab operis pretium (*Dienſtgeld*) ſoluerunt, operas naturales praeſtare obligentur; ad operas praeſtandas compelli tantum poſſunt in pago aut villa, huic proxime adiacente, vbi operarum vſus fieri poteſt.

§. 311. In regula ſubditi ſeruitiis obnoxii praeſtare debent omnis generis vecturas et manuum operas, quas oeconomicus praedii dominici vſus exigit.

§. 312. At contra, operae aliae, in primis eae, quae ſpectant ad fabricationem aut mercaturam ruri inſolitam, ab iis peti non poſſunt, tanquam operae, praedii domino praeſtandae.

§. 313. Vbi vero tempore publicationis huius legum codicis ſubditos praeſtare iam oportuit eiusmodi quoque operas, vi pactorum exiſtentium, aut conſuetudinis ex praeſcriptione bene partae; ibi in poſterum quoque nihil mutatur.

§. 314. Omnia operarum genera in poſterum, quantum fieri poteſt, ad tempus, locum, menſuram aut pondus ſunt determinanda. Operae, quantum poteſt fieri, determinatae ſint.

§. 315. In determinandis operis indeterminatis reſpiciendum eſt et ad neceſſitatem praedii, cuius culturae ſubditi ſunt adſcripti, et ad horum propriam neceſſitatem.

Source : BIU Cujas

§. 316. In casibus, vbi dominus suis iumentis aut operariis ad colendum suum praedium simul operas praestitit, in computanda praedii huius necessitate, eiusmodi subsidium in subditorum fauorem omnino est computandum.

§. 317. In operarum generibus, huc vsque non determinatis, quae non ad solitam praedii administrationem pertinent, sed tantum in occasionibus extraordinariis, aut casibus singularibus debentur, dominus non obligatur, ad admittendam earum determinationem.

§. 318. Hinc operae in exstruendis aedificiis praestandae non determinatae, domino inuito, in determinatas transmutari nunquam possunt.

§. 319. In definiendis et distribuendis operis ad id est attendendum, vt subditis superfit tempus necessarium ad curandam oeconomiam propriam, et ad comparandas necessitates.

§. 320. Si determinatio operarum indeterminatarum est litigiosa, ab vtraque parte rei periti sunt designandi; quorum arbitrium a iudice est audiendum; ad quod in ferenda sententia praecipue quoque est respiciendum.

§. 321. Intuitu praediorum, a subditis, sine domini subsidio, huc vsque cultorum, nihil mutatur.

§. 322. Sed tunc domino sine consensu eorum, qui ad operas praestandas obligati sunt, neque oeconomiae modum ampliare licet, neque mutare quidquam, quo operae redduntur difficiliores.

Operae iumentis praestandae.

§. 323. Quae subditorum classis ad operas iumentis praestandas sit obligata, quo iumentorum genere, et quot corporibus eorum quisque ad operas praestandas comparere debeat; loci cuiusque constitutione est definitum.

§. 324. A quibus constitutionibus recedendi ius parti nulli competit sine alterius consensu.

Source : BIU Cujas

§. 325. In caſu dubio valet praeſumtio, ruſticos ad operas equis praeſtandas eſſe obligatos.

§. 326. Subditi, qui ad colenda et adminiſtranda praedia propria iumentis non indigent, neque compelli poſſunt ad operas domino iumentis praeſtandas.

§. 327. Subditorum eſt, operas pro earum fine, ex domini praeceptione, praeſtare diligentia, et cura, et fide.

De determinatis operarum diebus.

§. 328. Vbi operae ad certum numerum dierum hebdomadis aut anni ſunt determinatae, ab arbitrio domini pendet, quos dies profeſtos velit eligere.

§. 329. Dies feſti imperantis legibus approbati cum diebus dominicis iura habent aequalia.

§. 330. Diebus feſtis, legibus abrogatis, ſubditi operarum indictarum praeſtationem recuſare non poſſunt.

§. 331. Vbi vero ſubditi quotidie ad operas praeſtandas obligantur, ibi non poſſunt compelli, vt feſtorum ſic dictorum ſanctiorum feriis tertiis, die viridium (*grünen Donnerſtage*), et diebus ſupplicationis abrogatis tribus (*Buſstagen*) operas praeſtent, excepto meſſis tempore.

§. 332. More vſitato operae die ſequente ſuſcipiendae ſubditis pridie veſperi ſunt indicendae.

§. 333. At caſibus tamen inopinatis obuenientibus domino licet, poſtero mane perficiendas operas alio modo ordinare, vel prorſus renuntiare.

§. 334. At vero, ſi ſubditus eo, quod cum iumentis ſuis iam domo exiit, aut modo alio, operas iam re vera inchoauit; ei, hac opera non continuata, opera alia eſt aſſignanda, aut opera inchoata de ſeruiendi tempore determinato proportione aequa detrahenda.

§. 335. Si ſubditus eodem tempore antemeridiano domum rurſus dimittitur, ipſi imputatur dies dimidius; at totus, ſi labor pomeridianus iam fuit inchoatus.

Source : BIU Cujas

§. 336. Vbi mos obtinet, operas ſecundum iuga diuidendi et computandi, ibi in hoc caſu cenſendum eſt, quodlibet iugum operam inchoatam praeſtitiſſe.

§. 337. Excepto hoc caſu, quo ob mutatas circumſtantias operarum inchoatarum deductio facta eſt neceſſaria, domino ius non competit, pro lubitu commutandi dies, quibus ſubditi ad operas praeſtandas ſunt obligati, in dies dimidios, aut iuga ſingula.

§. 338. Si opera inchoata ſubditi culpa eſt interrupta; ſubditum horas reſiduas poſt addere oportet.

§. 339. Operae iumentis praeſtandae, per hebdomadas ſingulas determinatae, at definito temporis ſpatio non exactae, peti poſtea tantum poſſunt in vnam, at operae manuariae in hebdomadas duas.

§. 340. Si operis ordinariis per hebdomadam dies tribus plures ſunt definiti, per ſingulas hebdomadas vnus tantum dies poſtea poteſt peti.

§. 341. Neque operae iumentis praeſtandae poſtea poſſunt peti, ſi ſubditus in iisdem anguſtiis et rerum diſcrimine verſatur, ac dominus.

§. 342. Hinc tempore meſſis, ſi ſubditus ſuas fruges nondum collegit, dominus non poteſt poſtea petere operas praeſtandas iumentis, quibus ſubditus ipſe ad inuehendas fruges ſuas proprias indiget.

§. 343. Ante tempus operae praeſtandae exigi ſubditis inuitis nunquam poſſunt.

Operae determinatae ad agrorum menſuram;

§. 344. Operae a ſubditis iumentis praeſtandae, ſi ad certum agrorum aut pratorum menſuram ſunt determinatae, iuſto tempore et bonae oeconomiae regulis conuenienter praeſtentur neceſſe eſt.

§. 345. Idem obtinet, ſi a ſubditis, operis determinatis, certa et determinata agrorum vel pratorum ſpatia ſunt excolenda.

§. 346. In his quoque caſibus ſubditorum eſt, in praeſtandis operis domini iuſſa ſequi; ad quod quo-

Source : BIU Cujas

que a domino poſſunt compelli vi iuris operas ſeruitii poſtulandi (*des Dienſtzwanges*).

§. 347. Cultura, quae neglecta aut mala cognoſcitur, ſtatim, et ſine contradictione eſt emendanda, vel adeo ſine deductione de operis ordinariis.

§. 348. Si ſubditorum operae partim ad dies, partim vero ad agrorum vel pratorum menſuram, aut certas vecturas ſunt determinatae; in operarum genere quolibet obſeruanda ſunt praecepta ſupra de iis ſeparatim data. ad temporis ſpatium et agrorum menſuram ſimul.

§. 349. Ad exhibendas operas, iumentis praeſtandas, praeter iumenta iſti quoque debent perſonae ad ducendum currum, aratrum, et occam neceſſariae. Operae manuariae ſubditorum ad operas iumentis praeſtandas obligatorum.

§. 350. Quae perſonae obligantur ad adiuuandum et in agris colendis, et in onerandis atque exonerandis curribus.

§. 351. In caſu nullo is, qui ad exonerandos currus eſt miſſus, adhiberi poteſt in tempus longius, aut ad operas grauiores, ac ei ſecundum §. 350. incumbunt.

§. 352. Si ſubditus ad operas iumentis praeſtandas obligatus vnam quoque aut plures perſonas ad operam manuariam ſingularem debet mittere; in regula operarum genus vtrumque vno eodemque tempore non poteſt exigi.

§. 353. Subdito liberum eſt, vtrum operas ipſe velit perficere, an praeſtare per famulos habiles vel liberos, ad operas idoneos.

§. 354. Dies, quibus a maſculis operae ſunt praeſtandae, non mulierum aut ancillarum operis, at omnino ſic dicti dies feminarum maſculorum operis penſantur.

§. 355. At vero, ſi mulierum diebus perficiendae ſunt certae operae, quae a maſculis rite praeſtari

Source : BIU Cujas

nequeunt; non obligatus eſt dominus, ad admittendum maſculos pro mulieribus vel ancillis.

§. 356. Subditos ab ordinariis operis domino praeſtandis immunes, at contra in annum integrum ad certum dierum ſeruitii (*Hofetagen*) numerum tantum obligatos, dierum iſtorum operas, tempore eo, quo domino iis maxime opus eſt, ſine recuſatione oportet praeſtare.

§. 357. Idem iuris eſt de diebus ſic dictis ſubſeciuis (*Beytagen*) quibus ſubditorum quidam praeſtare operas praeter operas ordinarias debent.

Inſtrumenta.

§. 358. Subditos ad operas praeſtandas afferre oportet inſtrumenta ea idonea, quae ad agrum colendum tanquam pertinentias (*Hofwehre*) acceperunt, aut quibus ad perficiendas eiusdem generis operas in oeconomia ſua vtuntur.

§. 359. Si ſubditus ad ea operarum genera eſt obligatus, quae ipſius oeconomia non exigit, inſtrumenta ad ea praeſtanda peculiariter neceſſaria a domino ſunt ſubminiſtranda.

§. 360. In eo tantum caſu, ſi eiusmodi inſtrumenta conſulto aut culpa lata vitiauerit, damnum inde datum ab eo eſt reſarciendum.

Initium et finis operarum diurnarum (penſorum).

§. 361. Vbi ſecundum prouinciae conſuetudinem aliae determinationes nullae obtinent, ibi ſubditus inde a die decimo quinto Aprilis ad finem menſis Auguſti vsque, ab hora quinta matutina; at reliquo anni tempore ſolis ortu ad operas debet accedere, et in caſibus omnibus non ante ſolis occaſum ceſſare.

§. 362. In quibus tamen temporis determinationibus aequa habenda eſt ratio diſtantiae loci, quo operae ſunt praeſtandae, a ſubditi loco domicilii.

Horae requietis.

§. 363. In operis, et iumentis et manu praeſtandis, ſubditis concedendae ſunt horae requietis, loco quoque ſolitae, ad ientaculum, ad prandium et ad merendam ſumendam.

§. 364.

Source : BIU Cujas

§. 364. Vbi loci conſuetudo nihil certi determinat, ibi ſubditis, iumentis operas praeſtantibus, concedendae ſunt horae quietis ante meridiem vna, meridiei tempore duae, et poſt meridiem iterum vna; ſubditis vero operas manu praeſtantibus trium diei temporum quolibet vna.

§. 365. Tempore hiemis, inde a die Septembris viceſimo primo ad Martii diem viceſimum primum vsque, horae ad ientaculum et merendam ſumendam ceſſant; et in locis, vbi operae pluribus quam vno iugo breuibus quoque diebus praeſtantur, computari tantum poſſunt horae, ad pabulum iumentis praebendum neceſſariae.

Aliae operarum determinationes.

§. 366. Vbi penſum (opus diurnum) non eſt ad menſuram, pondus, numerum, aut diſtantiam definitum; ibi ſubditum iugo ſuo oportet easdem, quas medium aut debilius domini iugum, operas abſoluere.

§. 367. Subditi operas manuarias praeſtantes ſequi debent operando reliquis praeeuntem (*Vorarbeiter*), quem elegit dominus.

§. 368. Quem quidem operando reliquis praeeuntem, vti in caſu §. 366, domini iugum, eodem die permutare, aut pro illis ſubſtituere alios non licet.

Operae in exſtruendis aedificiis praeſtandae.

§. 369. Operae in exſtruendis aedificiis a ſubditis in regula, praeter operas ordinarias, ſunt praeſtandae.

§. 370. Ad eas praeſtandas obligantur ſubditi et in exſtruendis aedificiis nouis, et in reſtituendis et reficiendis veteribus.

§. 371. Et determinantur neceſſitate ſola aedificiorum ad oeconomiam et habitationem neceſſariorum eius praedii, cui ſubditi ſeruitiis obnoxii ſunt adſcripti.

§. 372. Vtrum ea aedificia intra domus equeſtris moenia an extra ea iaceant; et vtrum loco priſtino an alio reaedificentur, nihil mutat.



Source : BIU Cujas

§. 373. In aedificiis, magnificentiae tantum aut oblectationi inſeruientibus, ſubditi non niſi diebus feruitii determinatis ad operas praeſtandas poſſunt compelli.

§. 374. Eadem ratio eſt aedificiorum, quae exſtructa ſunt ad quaeſtum ſeparatum, ad rem ruſticam non ſpectantem.

§. 375. In caſibus, vbi ſubditi obligati ſunt ad praeſtandas operas indeterminatas in exſtruendis aedificiis, aduehere eos oportet materiam et inſtrumenta omnia, ad aedificandum neceſſaria.

§. 376. Si domino videatur, in inſtantis aedificationis commodum fornacem ad coquendum lateres ſeu calcem exſtruere; ſubditi operas ad aedificationem praeſtando recuſare non poſſunt aduectionem lignorum ad lateres aut calcem coquendos neceſſariorum, quatenus lateres et calx ad proprium vſum praeparantur.

§. 377. At contra, non obligantur, praeter dies feruitii ordinarios, praeſtare operas ad exſtruendam fornacem ipſam, lateribus aut calci coquendis deſtinatam.

§. 378. Ad operas in aedificando praeſtandas pertinet aduectio lapidum, ſtraturae inſeruientium, et arenae ad ſternenda ſtabula et ſterquilinia, atque etiam lignorum ad cingendum puteum et loca, quibus conſeruantur ſtercora.

§. 379. At contra, ad operas in aedificando praeſtandas in regula non refertur aduectio lignorum et lapidum ad maceriam et plancas hortorum.

§. 380. Ligna ad aedificandum, licet ſint rudia (*unbeſchlagen*), ex ſilua aduehere debent ſubditi; at cacumina et rami deciſi ſint neceſſe eſt.

§. 381. Truncos aedificationis cauſa in tabulas ſerra diſſecandos (*Sägeblöcke*), ſubditos nomine operarum in aedificatione praeſtandarum ad molam ſer-

Source : BIU Cujas

rariam oportet aduehere, et tabulas ſeu aſſes inde quoque reportare.

§. 382. Locum, in quo aedificium eſt exſtruendum (*Bauplatz*), ſubditi quidem debent eruderare; at ruderum, aſſium, tignorum, tabularum fractarum, et alius veteris materiae deportatio non pertinet ad operas, a ſubditis in exſtruendis domini aedificiis praeſtandas.

§. 383. Materiam ſubditi ex locis iis, quae dominus ipſis aſſignauit, debent apportare.

§. 384. At vero, nunquam obligantur ad apportandum ligna et generis omnis lapides ex loco ſex milliaribus plus diſtante.

§. 385. Res alias, aedificio exſtruendo neceſſarias, vel ex loco longius diſtante debent apportare, ſi locus propior nullus eas ſuppeditat.

§. 386. At vero, ſi domino materiam huius generis vtilem ſuppeditant loca, ſex milliaria nondum diſtantia, vecturas longiores, ſub melioris bonitatis aut pretii vilioris praetextu, a ſubditis exigendi dominus ius non habet.

§. 387. Ac contra, ſi loci, a domino aſſignati, ex quo ſubditi materiam ad aedificationem neceſſariam aduehant, diſtantia ſex tantum ſit milliarium, ſubditi operas recuſare non poſſunt, licet eadem materia ſit in loco propiori, ſed qualitatis deterioris, aut pretii nimii.

§. 388. Nimium eſt pretium, ſi materia, in locis propinquioribus, quadrante pluris, aut plus eo venditur, quam in locis longius diſtantibus.

§. 389. Praecipua et eximia bonitas, quae forſan eſt materiae, e longinquo petitae, domino non tribuit ius, vecturas longiores a ſubditis exigendi, ſimulac modo materia, quae eſt in loco propiori, in et per ſe ad vſum eſt apta.

§. 390. Subminiſtrantis operas (*Handlangerdienſte*) et generis reliqui omnis operas, quibus ſubditus in



Source : BIU Cujas

exſtruendis et reficiendis ſuis aedificiis more conſueto ſolet fungi, idem quoque debet ſuſcipere in operis, domino in aedificando praeſtandis.

§. 391. Ad operas, artis opificiariae ſcientiam deſiderantes, eo modo perficiendas, non eſt obligatus.

§. 392. In contignationibus eleuandis (*Heben*), et ponendis (*Legen*) aut erigendis (*Richten*) domini aedificiis, ad oeconomiam pertinentibus, ſubditum quemque, domino exigente, operas praeſtare tempore quouis oportet.

§. 393. Dominus in exigendis operis in aedificando praeſtandis, quas iure a ſubditis poteſt petere, ſic ſibi temperet neceſſe eſt, vt ſubditorum oeconomia conſiſtere cum iis ſimul poſſit.

§. 394. Quatenus a domino de fundis ruſticis, quos ipſe colit, praeſtationes ruſticae ſunt praeſtandae; eatenus quoque obligatur, vt proportione aequa operas ſuas conferat ad operas, a ſubditis in exſtruendis aedificiis praeſtandas.

§. 395. Obligati ſunt ſubditi ad praeſtandas has operas in exſtruendis et reficiendis curiarum ſubiectarum aedificiis, ad quae conferuanda, ſecundum communem loci conſtitutionem, dominus obligatur.

Operae ſaltuariae. §. 396. Operae ſaltuariae (*Forſtdienſte*) in regula referuntur ad operas ordinarias, diebus determinatis praeſtandas.

§. 397. Hinc ſubditi, operas indeterminatas adhuc praeſtantes, in regula ad praeſtandas operas ſaltuarias non tenentur.

§. 398. Quatenus ſubditi in venationibus quoque ad operas praeſtandas obligentur, ſecundum conſtitutiones cuiusque prouinciae ſpeciales referuatur determinationi propiori in legum codicibus prouincialibus.

Vecturae mercatus (*Marktfuhren*). §. 399. Ad ſubditorum, iumentis operas praeſtantium, operas ordinarias pertinet quoque exportatio omnis generis prouentuum praedii, cui ſunt

Source : BIU Cujas

adſcripti, frugum et fructuum, atque etiam pecorum; vti apportatio omnis generis rerum, ad oeconomiam praedii adminiſtrandam neceſſariarum.

§. 400. Si ſubditi, praeter operas ordinarias, ad indeterminatas itineris vecturas adhuc ſunt obligati; eas domini perſonae, vxori eius, et liberis, in domini aedibus commorantibus, praeſtare eos oportet. Vecturae itineris.

§. 401. Neque denegare vecturas eas poſſunt, ſi medicus, chirurgus, partus adiutor, et obſtetrix aduehendi ſunt aut reuehendi.

§. 402. Ad aduehendos, non autem ad auehendos officiales oeconomicos, ſubditi in regula ſunt obligati.

§. 403. Idem iuris eſt de vtriusque generis perſonis, domini liberos apud dominum commorantes educantibus.

§. 404. Et in vecturis his extraordinariis, et in iis, quae operarum ordinariarum nomine ſunt praeſtandae, extra praedii fines et terminos, determinatio: quam longae ſint praeſtandae; quot milliaria in operarum diem imputanda; quantum onus ſubdito ſit imponendum, etc., pendet a loci cuiusque conſtitutionibus et ſtatutis, et propiora de iis determinanda ſunt in legibus prouincialibus. Longitudo vecturarum.

§. 405. Lite de eiusmodi quaeſtionibus exorta, vſque ad cauſam deciſam obſeruantur ea, quae huc vſque ſunt praeſtita, aut alias in iis locis (regione) vſitata.

§. 406. In vecturis extra praedii fines praeſtandis ſubditi, ad operas iumentis praeſtandas obſtricti, obligati ſunt ad onera in reditu in domini commodum imponenda. Onera in reditu imponenda. (*Rückladungen*).

§. 407. Si onus in reditu impoſitum dimidium tantum ſit oneris pleni, aut dimidio minus, ſubdito ideo nihil imputatur.

§. 408. At vero, ſi onus in reditu impoſitum dimidio maius ſit, aut ſi ſubditus dimidio die diutius



Source : BIU Cujas

illud expectare debeat; in dies, quibus operae sunt praestandae, pro reditus vectura idem ipsi est imputandum, quod pro itineris vectura.

§. 409. Subditus nunquam est obligatus, ad expectandum vltra horas viginti quatuor onus in reditu imponendum.

Nuntius pedes.

§. 410. Obligatio, in domini negotiis nuntii peditis operis fungendi, solet tantum esse subditorum, ad operas iumentis praestandas non obligatorum.

§. 411. Nuntii peditis officium regulariter pertinet ad operas extraordinarias; at vero postea repeti nunquam possunt dies seruitii ordinarii a subdito, qui ob eiusmodi ablegationem his diebus absens fuit.

§. 412. Tempus, per quod subditus dimidio die plus loco, quo est missus, dimissionem expectare debet, ipsi imputandum est in dies seruiendi debitos, quatenus hi peti postea possunt.

§. 413. Nuntius pedes, dum domino operam praestat, secum portare debet libras quindecim ad octodecim vsque, et si locus, ad quem est missus, tam longe distat, vt domum reuerti eodem die non possit, decem libras ad duodecim vsque.

§. 414. Ad onera, quae transportari non possunt, nisi feretro trusatili aut pabone, secum ferenda subditus, nuntium agens, in regula non obligatur.

§. 415. At vbi huic obligationi sunt obnoxii, ibi onus nunquam excedat pondus librarum quinquaginta ad sexaginta vsque.

§. 416. Qua determinationem longitudinis praecepta §. 404. 405. sunt obseruanda.

De sementis et messis tempore.

§. 417. Operae extraordinariae, a subditis praeter operas ordinarias praestandae, in primis autem operae in aedificando, sementis et messis tempore, a subditis exigi non possunt, necessitatis extremae casu excepto.

§. 418. In tempus sementis quodque hebdomades quatuor, et in messis sex reputantur.

Source : BIU Cujas

§. 419. Determinationes: quid ſubditis pro operis mercede, victu, aut pabulo competat, ſtatutis et conſtitutionibus loci cuiusque, et prouinciae legibus reſeruantur. Quid ſubditis in operis praeſtandis reſtituatur.

§. 420. At iis ſemper tamen et vbique reſtituenda ſunt vectigal, viae, pontis, et pontonis portorium (*Fährgeld*); atque etiam, ſi domino operas praeſtantes alio loco pernoctant, operas iumentis praeſtantibus locarium ſtabuli, et nuntio pediti pecunia pro pernoctatione, vti alia omnia huius generis expenſa extraordinaria.

§. 421. Accedente ſubditorum conſenſu dominus transmutare poteſt operas naturales in immunitatis ab operis pretium (*Dienſtgeld*), et, iis adhibitis, indeterminatas omnis generis operas in determinatas. Transmutatio operarum in immunitatis ab operis pretium.

§. 422. Quatenus autem eiusmodi mutatione, in ſubditorum ſingulorum operis inſtituenda, indeterminata reliquorum onera poſſunt aggrauari, eatenus omnium, quorum intereſt, conſenſus requiritur.

§. 423. Vbi ſubditorum quisque operas praeſtat determinatas, ibi ad eas in pecuniam aut alios cenſus transmutandas, etiam intuitu ſubditorum ſingulorum, conſenſus reliquorum non requiritur.

§. 424. Quodſi ſubditus ad operarum naturalium ſiue immunitatis pretii praeſtationem eſt obligatus; domino eſt electio, quam velit praeſtationem exigere.

§. 425. At vero, dominum, ſi ab iis, quae adhuc ſunt facta, velit recedere, anni oeconomici noui initium oportet expectare, et ſubditos ſaltem menſibus tribus primis anni oeconomici proxime antecedentis de ea re certiores reddere.

§. 426. Idem a ſubditis eſt obſeruandum, ſi ipſis expreſſe reſeruata eſt electio: vtrum immunitatis pretium velint ſoluere, an operas in natura praeſtare.

§. 427. Si dominus et ſubditi pactis ſcriptis de immunitatis ab operis pretio conuenerunt; verborum ſententia horum pactorum eſt obſeruanda.



Source : BIU Cujas

§. 428. At pacto ſcripto non exiſtente, domino non poteſt denegari ius operas in natura praeſtandas exigendi, licet hic inde ex tempore, vel longiſſimo, immunitatis tantum pretium operarum loco exegerit et acceperit.

§. 429. In quo caſu praeſcriptio ex eo tantum tempore locum habet, quo dominus operas in natura exigens, a ſubdito, eas praeſtare recuſante, immunitatis pretium operarum loco vlterius accepit.

§. 430. Si a ſubditis intra annos quinquaginta operae in natura non ſunt exactae, ſed loco operarum pretium tantum immunitatis ſolutum, in regula quoque in poſterum nihil eſt in eo mutandum.

§. 431. At vero, ſi liquide poteſt probari, temporibus adhuc antiquioribus ſubditos re vera praeſtitiſſe operas in natura; praecepta obtinent §. 428 et 429. expoſita.

Operarum dilatio. (*Ausſetzung der Dienſte.*)

§. 432. Si ſubditus regno ſeruiens eodem tempore operas, domino praeſtandas, nequit praeſtare; ei quidem operae hoc temporis ſpatio ſunt remittendae, at eum poſtea tamen praeſtare oportet in diebus vel ſeptimanis proxime ſequentibus, operas domino debitas, ea de cauſa non praeſtitas. (§. 339. ſeqq.)

§. 433. Idem iuris eſt, ſi ſubditus operis, vniuerſitati, cuius membrum eſt, praeſtandis, ad tempus fuerit impeditus, quo minus operas domino debitas praeſtiterit.

§. 434. Ne tamen iſtis operis, a ſubditis poſtea praeſtandis, his fiat impoſſibilis ipſorum oeconomiae propriae adminiſtratio neceſſaria.

Operarum remiſſio.

§. 435. Damno ex incendio aedificiis, habitationi aut oeconomiae deſtinatis, graui exorto, ſubditus aequam operarum remiſſionem poteſt petere; quatenus dominus non ipſe curat aedificia reaedificanda.

§. 436. Tempus, ad quod extenditur remiſſio, determinandum eſt in dimidium temporis, quo ſubditis,

Source : BIU Cujas

damnum paſſis, praeſtationum circularium remiſſio conceditur.

§. 437. Subdito, qui incendio aut lue iumenta ad operas praeſtandas neceſſaria perdidit, operae iumentis praeſtandae quoque remittendae ſunt per dimidium temporis, quo circulus concedit remiſſionem.

§. 438. In quo tamen caſu, domino poſcente, loco operarum iumentis praeſtandarum, totidem dies manu ſeruire eum oportet.

§. 439. Si ſubditus caſibus aduerſis aliis iumentorum iacturam fecit, remiſſionem operarum iumentis praeſtandarum per id tantum tempus poteſt petere, quod ad paranda iumenta noua eſt neceſſarium.

§. 440. Si ſubditus ſuo proprio aut ſuorum morbo facultate priuatur operas praeſtandi, dominus eas poſtea petere nequit.

§. 441. Quo tamen in caſu ſubditus, operis iumentis praeſtandis obnoxius, non poteſt denegare iumenta ſua ad operas domino praeſtandas.

§. 442. Subditi operis praeſtandis obnoxii vxor, quae eſt enixa, immunis eſt per ſex hebdomadas ab operis muliebribus, alias ei incumbentibus.

§. 443. Patre aut matrefamilias demortuo, de curia per dies octo operae exigi nullae poſſunt.

§. 444. Remiſſionem operarum debitarum perpetuam, ſub impoſſibilitatis praetextu, ſubditi tunc tantum poſſunt petere, ſi caſu, poteſtate ſuperiore, aut tertii petitione perdiderunt fundorum ſuorum partem haud mediocrem, aut ius vtile, ad fundum pertinens. Operarum impoſſibilitas.

§. 445. Atque etiam, ſi tali caſu aduerſo fundi ad culturam huc vsque ſolitam prorſus aut ex parte facti ſunt inutiles.

§. 446. Si probatis circumſtantiis talibus impoſſibilitatis actio fundatur; a rei peritis eſt eruendum, quanti curiae reditus caſu aduerſo, qui accidit, ſint deminuti.



Source : BIU Cujas

§. 447. Quo facto dominum vel fupplere oportet reditus olim perceptos affignandis aliis realitatibus, vel pro deteriorationis exortae ratione operarum deminutionem concedere.

§. 448. Si dominus afferat, fubditos, licet damnum fenferint, nihilo minus operas debitas poffe praeftare, eam poffibilitatem probare ei licet fiue eruendo accuratius praefentem praediorum conditionem, fiue ea comparando cum curiis aliis, easdem operas eodem modo re vera praeftantibus.

§. 449. Si dominus primam viam eligit, eruendum eft: an ex curia, folito colendi modo adminiftrata, prouenire tantum poffit, quantum requiritur ad alendum poffeffores, eius familiam, atque iumenta et famulos, ad oeconomiam curandam et ad operas domino praeftandas neceffarios.

§. 450. Atque etiam: vtrum, fi operae debitae eodem, quo huc vsque, modo et ambitu vlterius fint praeftandae, poffeffori relinquatur tempus neceffarium, ad oeconomiam rite colendam, atque ad praeftandum et operas publicas, et eas, quae vniuerfitati debentur.

§. 451. In quo tempore determinando ad id quoque eft attendendum: an, et quantum temporis fpatium fubdito fit neceffarium, vt curiae reditus infufficientes forfan cognitos lucris fuppleat fubfeciuis; et in quantum lucri eiusmodi fecundarii occafionem loca (regio) ifta fuppeditent.

§. 452. Ex eo, quod eo modo eft cognitum, et ex rei peritorum iuratorum arbitrio officio conuenienter ferendo, iudex determinet: an, et qua quantitate obligetur dominus ad remittendam partem quandam operarum, ipfi debitarum.

§. 453. Domino, viam comparationis eligenti (§. 448.) proponere licet eas curias, quibuscum fiat comparatio.

Source : BIU Cujas

§. 454. Quo facto inquirendum eſt, vtrum curiarum iſtarum propoſitarum re vera eadem ſit ratio, ac earum, quibus remiſſio quaeritur, et qua operas atque onera reliqua, et qua realitatum vtilium, ad curias pertinentium, quantitatem atque qualitatem.

§. 455. In quo etiam reſpiciendum eſt ad ſitum magis aut minus commodum, et lucri ſecundarii occaſionem.

§. 456. Si iudex ex arbitrio rei peritorum cognoſcit, curiam ad comparationem idoneam easdem operas praeſtantem eiusdem eſſe vel deterioris qualitatis; impoſſibilitatis actio tanquam fundamento carens eſt reiicienda.

§. 457. Si vero apparet, curias easdem operas praeſtantes melioris eſſe qualitatis; dominum vel eas, quibus remiſſio petitur, curias in tantum oportet meliorare, vt illis fiant aequales; vel pro qualitatis deterioris ratione operarum deminutionem concedere.

§. 458. Si aucta aut meliorata domini oeconomia ſubditorum operae indeterminatae eum in modum ſunt auctae, vt iis tempus ad ipſorum neceſſitates neceſſarium relictum non ſit; dominus obligatur, ad ſubditos in operis indeterminatis cum iugis propriis aut operariis mercenariis pro amplificationis ratione adiuuandos.

§. 459. Praecepta antecedentia (§. 448 - 458.) tunc quoque valent, ſi ſubditi curias non iure dominii poſſident, ſed curiae ſunt domini propriae.

§. 460. At vero, ſi dominus cum eiusmodi ſubdito in litem de operarum impoſſibilitate obtenta prorſus non vult deſcendere, curiam ipſi repetere licet.

§. 461. Tunc vero dominum oportet ſubditum, eius vxorem, ac liberos, ſecundum ſectionem octauam eum ſequentes, ſi in terrarum noſtrarum locis aliis curiam poteſt adipiſci, ex ſubiectione gratis dimittere, ſi petat; et curiae vacuae patrem familias

Source : BIU Cujas

idoneum alium ſub defenſionis propriae periculo praeficere.

§. 462. Si ſubditus eſt conductor mere temporarius, ius eius operarum remiſſionem exigendi diiudicandum eſt ex contractus ſententia, deinde vero ex principiis de locationibus conductionibus in genere praeſcriptis.

Controuerſiae de operis exortae.

§. 463. Controuerſiis de operis motis, ſubditos vsque ad rei deciſionem, vires rei iudicatae nactam, continuare oportet eas operas, quas vltimo anno ante contradictionem interpoſitam, domini iuſſu ſine referuatione ſcripta praeſtiterunt.

§. 464. Operae in aedificando, et aliae non quotannis redeuntes, ſi poſſeſſio eſt controuerſa, lite pendente praeſtandae et accipiendae ſunt ſecundum leges prouinciales, et vbi hae nihil definiunt, ſecundum legum codicem communem.

§. 465. Contra quam operarum controuerſarum praeſtationem per tempus interiectum ſubditi tueri ſe nullo modo poſſunt exceptione, eas in pactis et vrbariis extantibus ſilentio eſſe praeteritas.

§. 466. At de vrbariis tamen, ad praeceptum §. 141. confectis, praeceptum obtinet §. 143.

§. 467. Si lite (proceſſu) finita cognoſcitur, dominum operas controuerſas ſine iure exegiſſe; dominus ſubditis ad ſatisfaciendum tenetur, inde a tempore contradictionis primae, ad duplum pretium aeſtimationis cameralis, in iis locis (ea regione) receptae.

§. 468. Impoſſibilitatis actione inſtituta ſubditi debitas operas vsque ad latam inſtantiae primae ſententiam nihilo minus debent praeſtare.

§. 469. Sententia vero ab hac inſtantia lata interim valet, vsque donec contrarium ſententia, vires rei iudicatae nacta, eſt definitum.

§. 470. Si in ſententia, vires rei iudicatae nacta, remiſſio decernitur; dominus ſubditis ad ea reſar-

Source : BIU Cujas

cienda tenetur, quae ab iis lite pendente, vt operas nihilo minus poſſent praeſtare, fuerunt impendenda, aut in oeconomia ſua negligenda.

§. 471. Praediorum ruſticorum ſeruitiis obnoxiorum poſſeſſores, licet pro ſua perſona ſubditi non ſint, nihilo minus intuitu operarum et cenſuum, de curia domino praeſtandorum, diiudicandi ſunt ex iisdem principiis, quibus poſſeſſores ſubditi.

## Sectio Septima.

### *De ſubditorum cenſibus et praeſtationibus.*

Principia generalia.

§. 472. Cenſus et praeſtationes aliae, a ſubditis domino de curiis ſuis praeſtandi, in poſterum, vti operae, quantum fieri poteſt, accurate definiendi ſunt in vrbariis aut emtionis et acceptionis libellis.

§. 473. A ſubditis praeter tributa vno aut altero modo determinata, adhuc alia aut plura domino eſſe praeſtanda, non praeſumitur.

Tributa naturalia.

§. 474. Si domino pars quota certorum fructuum competit, ſiue decimarum, ſiue alio nomine; locum habent praecepta de iure decimarum. (Tit. XI. Sect. XI.)

§. 475. Tributa, quae in certa determinata fructuum menſura, aut aliis naturalibus conſiſtunt, pura et immiſta praeſtanda ſunt et accipienda, qualia ex praedio cenſuali ſunt percepta.

§. 476. Si ſubdito eiusmodi naturalia vno anno aut altero non prouenerunt; eorum loco praeſtare eum oportet medium pretium, quo praeſtationis tempore in vrbe, quae mercatus ius habet, proxima fuerunt venalia.

§. 477. At ſubdito tamen licet, naturalia, quae ipſi male prouenerunt, emere et emta domino in natura tradere.

Source : BIU Cujas

§. 478. Eiusmodi tributa praeſtanda ſunt die praefinito, aut ſaltem intra ſeptimanas quatuor a die iſto praeterlapſo.

§. 479. Si ſubdito imputari poteſt mora, quae probari poteſt; domino eſt electio, vtrum die praefinito praeterlapſo exigere velit praeſtationem naturalem, an pecuniam numeratam pro pretio forenſi medio, die praefinito conſtituto.

§. 480. a) Poſterius ſi eligit, ſubditum pecuniae debitae ſummae vſuras morae ex die praeſtituto oportet pendere.

§. 480. b) Hebdomadis quatuor praeterlapſis (§. 478.) contra ſubditum ſtat morae praeſumtio.

Cenſus, qui in parata pecunia praeſtantur.

§. 481. Ad morae vſuras pendendas ſubditus obligatus eſt intuitu tributorum omnium, in parata pecunia conſiſtentium, termino praefinito non praeſtitorum.

§. 482. Cenſus in parata pecunia conſiſtentes in ea monetarum ſpecie ſunt praeſtandi et accipiendi, qua ſubditus debet tributa publica ſoluere.

§. 483. Si tempore poſtero modus numarius (*Münzfuſs*) leuior introducatur; in determinandis cenſibus, a ſubditis praeſtandis, tunc iam exiſtentibus, modus numarius praeſens pro norma habetur.

Exactio cenſuum.

§. 484. Cenſus non litigioſos dominus, licet ipſe iurisdictionem non habeat, per iudicia loci pagana immediate poteſt exigere.

§. 485. In quibus tamen exigendis obſeruanda ſunt praecepta ordinationis executionis, et ſi venditio iudicialis publica ſequitur, venditionis directio iudici competenti eſt relinquenda.

§. 486. At vero, ſi ſubditus obligationem cenſuum aut tributorum petitorum oppugnat, ideo legitime eſt audiendus, et de re cognoſcendum.

Source : BIU Cujas

§. 487. At ſi dominus adhuc fuit in poſſeſſione cenſuum, de quibus lis eſt orta; ſubditum eos, lite pendente, ſaluo ſuo iure oportet ſoluere, aut de iis ſecuritatem praeſtare.

§. 488. Ob caſus aduerſos, quos ſunt perpeſſi, ſubditi tunc tantum remiſſionem poſſunt petere de cenſibus et tributis domino praeſtandis, ſi ipſis remiſſio conceditur de contributione principi (territorii domino) praeſtanda. Remiſſio de cenſibus.

§. 489. Quantum, ſubditis remittendum, reputandum eſt ad dimidium temporis, per quod regni princeps onera publica et vectigalia remittit.

§. 490. Quod ſi igitur e. g. princeps ſubdito ob caſus aduerſos, quos eſt perpeſſus, onera et vectigalia publica per ſex menſes remittit; ſubdito de cenſibus domino quotannis praeſtandis remiſſio competit trimeſtris.

§. 491. Subditi, qui praedia ſua iure locationis conductionis temporariae aut perpetuae poſſident; etiam intuitu remiſſionum in caſibus aduerſis diiudicandi ſunt ex legibus, de locatione conductione temporaria aut perpetua datis.

§. 492. Poſſeſſores alii ad cenſum praeſtandum obligati, at non ſubditi, prouocare non poſſunt ad remiſſiones, ſecundum §. 488. ſeqq. ſubditis competentes.

§. 493. De cenſibus et tributis reſiduis domino, in concurſu de debitoris bonis moto, competit ius praelationis claſſis ſecundae, ſecundum propiorem ordinationis concurſus determinationem.

§. 494. De praeſcriptione eiusmodi cenſuum valent omnia, quae leges de praeſtationibus annuis in genere praecipiunt. (Part. I. Tit. IX. §. 509. 510.)

Source : BIU Cujas

## Sectio Octaua.

### *De dimiſſione ex ſubiectione.*

Principia generalia.

§. 495. Dimiſſionem ex ſubiectione petens, dominum in eo negotio imploret neceſſe eſt.

§. 496. Subiectos non poteſt dimittere, niſi dominus praedii verus, non vero pignoris detentor, aut qui tantum habet ius merum vtendi.

§. 497. Tutor vel curator concurſus dimiſſionem concedere tantum poteſt ex cauſis, in legibus expreſſe approbatis.

§. 498. Ne dominus ſubditum vllum dimittat, qui non antea ratione fide digna docuerit, quo quaeſtu in poſterum in regno ſe velit exhibere.

§. 499. Quod praeceptum ſi dominus non obſeruarit; dominus, ſi dimiſſus regno deinde mendicus vel vagabundus moleſtiam creat, hoc reſpectu tenetur obligationibus omnibus, ac ſi adhuc re vera eſſet ipſi ſubiectus.

§. 500. Dimiſſionis cauſa in dimiſſionis libello (*Losbrief*) aut in teſtimonio ſcripto (*Kundſchaft*) exprimatur neceſſe eſt.

§. 501. Si cauſa a ſubdito obtenta et in dimiſſionis libello expreſſa falſa eſt et ficta; dimiſſio non eſt valida, et dominus ſubiectum intra praeſcriptionis legitimae tempus poteſt ſibi vindicare.

§. 502. Pecunia pro dimiſſione ſoluta eſt quidem reſtituenda; ſed in ſubditi decipientis poenam cedit pagi aerario, alendis pauperibus deſtinato.

Caſus, quibus dimiſſio denegari nequit.

§. 503. Dimiſſio petita denegari nequit ſubdito poſſeſſiones nondum habenti (nondum poſſeſſionato), qui impetrata aut ſuppleta domini venia, aliis ac domini ſumtibus, edidicit ſcientiam, artem aut opificium, quo ruri ſe alere nequit.

§. 504. Quid iuris ſit intuitu ſubditorum, qui artem aut opificium domini ſumtibus edidicerunt, ſupra eſt praeceptum. (§. 178. ſeqq.)

§. 505.

Source : BIU Cujas

§. 505. Subiectus poſſeſſiones nondum habens (nondum poſſeſſionatus) dimiſſionem poteſt exigere, ſi occaſio ipſi oblata eſt, ſuſcipiendo munere ciuili, eccleſiaſtico, aut ſcholae, aut alio modo licito, res ſuas augendi.

§. 506. Si ſubditus poſſeſſiones nondum habens (nondum poſſeſſionatus), at maiorennis tamen, alibi poteſt poſſeſſiones acquirere, dominus ad eum dimittendum obligatur.

§. 507. At vero, ſi dominus tali ſubdito in praediis, quibus ſeruitio eſt obnoxius, curiam poteſt aſſignare; eam vel debet accipere, vel domino loco ſui, dimiſſione impetrata, ſiſtere patrem familias idoneum et non ſpernendum alium, qui eam curiam ſuſcipiat.

§. 508. Et nullum inde diſcrimen, an curia ſubdito a domino aſſignanda eiusdem ſit qualitatis, ambitus, vel pretii, ac ea, quam ſubditus cupit alio loco ſuſcipere.

§. 509. At vero, ſi ſubditus hanc curiam debeat ſuſcipere pro ſoluto pretio, facultates eius excedente; non poteſt curia ipſi obtrudi, neque ipſe impediri, quo minus ſuſcipiat curiam exteram, quam gratis poteſt acquirere, aut ſub conditionibus commodioribus, ipſius rei familiari magis conuenientibus.

§. 510. Si ſubditus, ob curiam exteram ſuſcipiendam dimiſſionem petens, eſt vnicus ad oeconomiam idoneus filius patris, in praedio eiusdem domini poſſeſſionem habentis (poſſeſſionati), iam ſenis aut debilitate vel corporis imbecillitate laborantis; domino ius eſt, dimiſſionem denegandi, et iubendi, vt curiae paternae aperturam expectet.

§. 511. Si dominus ſubdito, alio loco, curiam ſeruitiis obnoxiam acquiſituro, non quidem in eodem praedio, cui ſubiectus eſt, at in alio tamen ipſius praedio, in eodem circulo, curiam poteſt aſſignare; ſubditus ad hanc ſuſcipiendam praecipue tenetur.



Source : BIU Cujas

§. 512. At tum tamen curia a domino assignanda eiusdem saltem bonitatis sit, ac extera, necesse est, neque eius susceptio coniuncta sit cum conditionibus onerosioribus.

§. 513. Neque deterior sit subditi status in domini praedio, vbi ipsi curia assignatur, ac in praedio extero, vbi curiam voluit suscipere, respectu operarum et rationum personalium aliarum, ex subiectione promanantium.

§. 514. In praediis, in circulo alio sitis, dominus subdito nunquam potest curiam obtrudere.

§. 515. Neque compellere eum potest ad accipiendam curiam praedii alius, cui non est subiectus, si curia extera matrimonio est acquirenda, et sponsa recusat eum in praedium domini aliud sequi.

§. 516. Si subditus potest matrimonio acquirere curiam, a subiectione personali immunem, ex qua se potest et familiam alere, aut si quaestum ciuicum instituendo fortunam potest solide amplificare; ipsi dimissio est concedenda, et ne in pago quidem, ad quem huc vsque pertinuit, obtrudi ei potest curia subiectioni obnoxia.

§. 517. Idem obtinet, si curia, quam subditus nuptiis potest acquirere, domino cuidam quidem est subiecta, at sponsa eum sequi recusat in eam curiam, quam dominus, cui adhuc fuit subiectus, ei vult assignare.

§. 518. Quibus casibus exceptis, subiecti masculi nuptiae nulla sunt causa, dimissionem petendi.

§. 519. Dimissionem dominus non deneget feminae subiectae, quae matrimonio alio loco iungendo prospicere rebus et victui potest.

§. 520. Subditus, quem dominus sine sententia et iure male tractauit, iure dimissionem gratis petendi gaudet.

§. 521. Pater quoque familias, possessionem iam habens (possessionatus), poscere potest suam atque

Source : BIU Cujas

vxoris dimiſſionem, ſi poteſt docere ea, quae §. 498. praeſcripta ſunt, et in locum ſuum ſubſtituere patrem familias alium aeque idoneum.

§. 522. Liberis, ad operas praeſtandas iam idoneis, emigrationem cum parentibus eatenus tantum concedere dominum oportet, quatenus ipſi iactura per patris familias nouiter immigrantis familiam reſarcitur.

§. 523. Si dominus liberos retinet nondum maiorennes; vel ipſe debet eorum vti miniſterio, vel alio modo victum iis procurare, eorumque rebus proſpicere.

§. 524. Liberos annum quartum decimum nondum egreſſos dominus, parentibus emigrantibus inuitis, retinere nunquam poteſt.

§. 525. Si ſubditus ex cauſa §. 520. expoſita dimiſſionem iure poteſt petere; ei gratis quoque ſunt concedendi liberi, quos adhuc alit.

§. 526. Ad viduae demigrantis liberos cum matre ſimul ex ſubiectione dimittendos dominus non obligatur.

§. 527. In quantum praeſcriptione ſubiectio finiatur, §. 155.-160 eſt definitum.

§. 528. Iure dimiſſionem petendi in caſibus omnibus excidit ſubditus, ſi delictorum grauium in dominum aut eius familiam reus cognoſcitur. *Caſus, quibus ſubditus iure dimiſſionem petendi excidit.*

§. 529. Sub quibus circumſtantiis famuli ad operas domino praeſtandas obligati, ſi per debitos ſeruiendi annos operas nondum praeſtiterunt, dimiſſionem poſſint petere, diiudicandum eſt ex praeceptis §. 206-216.

§. 530. Si ſubditus demigrans in iurisdictione, cui huc vsque fuit ſubiectus, lite (proceſſu) eſt implicitus; compelli poteſt ad cautionem praeſtandam ſufficientem non ſolum de ſumtibus ſed etiam de eo, quod in cauſa principali re cognita poſſet iudicari.

§. 531. An ſubditus demigrans pro ſe, et ſua familia, et facultatibus, dimiſſionis pecuniam et demi- *Dimiſſionis pecunia et*



Source : BIU Cujas

demigrationis census.

grationis censum soluere, et quantum debeat soluere, in legibus prouincialibus propius determinatur.

§. 532. Quas determinationes excedendi ius domino non est in iis casibus, in quibus pro subdito stat causa dimissionis legitima.

§. 533. Si in accipiendo subdito de pecunia, in dimissionis casu soluenda, in antecessum aliquid est pactum; eiusmodi pactum diiudicandum est ex praecepto §. 139. 140.

Interruptio subiectionis per militiam.

§. 534. Receptione subditi in militum regis numerum eius subiectio tantum interrumpitur, at non tollitur.

§. 535. Qui si possidet curiam seruitiis obnoxiam; obligatus est, aeque ac subditus alius, ad operas et praestationes omnes, cum hac possessione coniunctas.

§. 536. Vxorem eius dominus non potest impedire, quo minus maritum sequatur in statiua.

§. 537. Liberos quoque, annum decimum quartum nondum egressos, secum ducendi patri ius competit.

§. 538. At non obligatur dominus, vt permittat liberis, eos annos iam egressis, in statiua sequi patrem.

§. 539. At vero dominum oportet vel horum liberorum ministerio vti, vel victum iis curare, et rebus eorum alio modo prospicere.

§. 540. Si subditus militiae sacramento obstrictus dimittitur; in regula iterum ei incumbunt obligationes in dominum omnes, quibus obstrictus fuit, antequam ad militiam iret.

§. 541. At vero, si pro soluto dimissionis pretio legali dimitti ex subiectione cupit; dominus ei dimissionem denegare non potest.

§. 542. Si illi exauctorato demandatur munus ciuile, quod cum subiectione nequit consistere, gratis est ex subiectione dimittendus.

Source : BIU Cujas

§. 543. Quatenus maritus exauctoratus in ſubiectionem redit, eatenus quoque eius vxorem et liberos, durante militia ſuſceptos, eum ſequi in ſtatum iſtum oportet.

§. 544. At contra, immunes a ſubiectione ſunt liberi omnes, quos pater, dum militia fungebatur, in ſtatiuis educauit, et quorum rebus ſic proſpexit, vt poſtea ipſi victum parare ſibi poſſint.

§. 545. Mortuo quoque marito exauctorato, in ſubiectionem regreſſo, in ſubiectione manet vxor eius, cum liberis, quibus nondum eſt proſpectum.

§. 546. Si miles exauctoratus, dum militiae munere fungebatur, perſonam liberam in matrimonium duxit; haec marito mortuo ex ſubiectione, ſi petat, gratis eſt dimittenda.

§. 547. Militiae ex adſcriptione obligatus (*Canoniſt*), qui ſua in militia virtute ad dignitatem praefecti militum aſcendit, immunis eſt ipſe cum ſua familia ab obligatione perſonali omni erga praedii dominum, cui olim fuit ſubiectus, neque dimiſſione indiget.

§. 548. Qui in regni militia praefecti optionis (*Feldwebel oder Wachtmeiſter*) munere eſt functus, gratis eſt dimittendus.



Source : BIU Cujas

# TITVLVS OCTAVVS.

## De ordine ciuico.

### Sectio Prima.

### *De ordine ciuico generatim.*

Definitiones et principia.

§. 1. Ordinis ciuici sunt omnes regni incolae, qui natiuitate sua neque ad nobilium neque ad rusticorum ordinem possunt referri; atque postea horum ordinum neutri sunt additi.

§. 2. Ciuis in sensu proprio dicitur is, qui in vrbe quadam sedem fixam collocauit, et ibi ius ciuitatis acquisiuit.

§. 3. Exemti vocantur ordinis ciuici personae, in vrbibus et extra eas degentes, quae ob munera, dignitates, aut priuilegia singularia sua non subsunt iurisdictioni loci domicilii.

§. 4. Licet loci domicilii iudicio iurisdictio de personis, per se ad exemtos referendis, priuilegiis specialibus sit concessa; inde tamen nihil mutatur in aliis talium personarum iuribus.

§. 5. Vrbium inhabitatores, qui neque ciues sunt, in sensu proprio, neque exemti, vocantur incolae vrbis, tutela fruentes (*Schutzverwandte*).

§. 6. Ciues et incolae vrbis, tutela magistratus fruentes (*Schutzverwandte*), diiudicantur ex loci domi-

Source : BIU Cujas

cilii ſtatutis; exemti contra ex legibus prouincialibus, et his deficientibus, ex legum codice communi.

§. 7. Ordinis ciuici perſonae, praedia nobilia poſſidentes, ob hanc poſſeſſionem non ſunt pro exemtis habendae, niſi ſimul perpetuum domicilium in ſuis praediis collocarunt.

§. 8. At tamen, praeter hunc quoque caſum, tales praedii poſſeſſores ordinis ciuici intuitu actuum et negotiorum, ad poſſeſſionem praedii nobilis immediate pertinentium, foro rei ſitae ſunt ſubiecti, et huius fori legibus.

§. 9. At contra, praediorum nobilium poſſeſſores ordinis ciuici, quaeſtum ciuilem facientes, ſubſunt vrbis iurisdictioni atque ſtatutis, licet modo in vrbe, modo in praediis ſuis degant, atque adeo duplex habeant domicilium.

§. 10. Leges et priuilegia ordini nobili tantum proprie datae, neque locum habent intuitu praediorum nobilium poſſeſſorum ciuici ordinis, neque exemtorum in genere.

§. 11. Ordinis ciuici perſonae omnes reliquae non exemtae, extra vrbem degentes, ex legibus domicilii iudicantur, etiam ſi quaeſtus ſui cauſa in opificum collegium (*Zunft*) oppidanum ſint receptae.

§. 12. Quatenus eiusmodi perſonae ruri habitantes ad vrbium vicinarum leges, aut ad ius municipale (*Weichbildicum*) iure prouocare poſſint, in legibus prouincialibus eſt determinatum.

§. 13. Ius ciuitatis conſiſtit in complexu praerogatiuarum et iurium omnium, membris vniuerſitatis in vrbe a regno conceſſarum. Ius ciuitatis.

§. 14. Ius conferendi ciuitatem in regula eſt penes loci magiſtratum. Eius acquiſitio.

§. 15. Non poſſunt in ciuitatem recipi praedii ſubditi, niſi fuerint dimiſſi a domino; neque milites et militiae ex adſcriptione obligati, niſi fuerint a regimento dimiſſi, aut niſi fuerit impetratus conſenſus



Source : BIU Cujas

regimento praefecti (*des Chefs*) aut primi regimenti praefecti (*des Commandeurs*).

§. 16. Neque minorennis in ciuium album potest referri, nisi antea fuerit maiorennis declaratus.

§. 17. Vbi loci statuta non praescribunt singularia adhuc requisita ad consequendam ciuitatem, ibi ius ciuitatis denegari nemini debet, cui est capacitas ad exercendum quaestum vrbanum sufficiens, et cuius mores sunt inculpati.

§. 18. Quaestum ciuicum in vrbe quadam facturus omnis obligatur, vt petat ciuitatem ipsi impertiendam.

§. 19. Quatenus ciuitatis concessio in se ius continet, quaestus ciuicos in vrbe exercendi, ciuitatem petere nequit extraneus, qui ibi sedem fixam collocare non intendit.

§. 20. Si magistratui ex re esse videatur, eiusmodi extraneo ciuitatem impertiri; curandum est, vt loco ipso constituatur repraesentans idoneus, qui de oneribus et officiis ciuicis omnibus possit conueniri.

§. 21. Qui in ciuitatem vult recipi, in regula quoque iusiurandum ciuium debet praestare.

§. 22. Liberi, tempore, quo parentes ciuitatem sunt consecuti, sub patria adhuc potestate constituti, cum patre simul in ordinem transeunt ciuicum, exceptis casibus, in tituli antecedentis §. 522. seqq. expositis, in quibus subditorum dimissorum liberi domino in posterum manent subiecti.

§. 23. Consequuntur, aeque ac postea nati, iura omnia, quae ex statutis, constitutionibus, aut priuilegiis et voluntatis declarationibus specialibus concessa sunt veris ciuium liberis.

§. 24. At vero ciuium quoque liberos, qui in ciuitatem cupiunt recipi, ciuitatem separatim oportet consequi.

Generalia ciuium iu- §. 25. Vrbium ciues in rebus, ad politiam et quaestum pertinentibus, magistratui sunt subiecti.

Source : BIU Cujas

§. 26. Magiſtratus ciuibus ſuis ad tutelam et, ſi opus fuerit, ad auxilium praeſtandum obligatur. ra et offi-cia.

§. 27. Iura et emolumenta, ciuibus tantum conceſſa, reliquis loci incolis non profunt.

§. 28. Ex qua proportione ciues et fundorum ciuicorum poſſeſſores participent emolumenta communia, et ad communia onera conferant, a loci cuiusque conſtitutionibus ſpecialibus pendet.

§. 29. Ciuis omnis obligatur ad ſubeunda publica ciuitatis munera, quibus rite fungi poteſt.

§. 30. Si pro fungendis eiusmodi muneribus praemium ſeparatum nullum eſt conſtitutum: ciuem ad ea vocatum ea quidem gratis ſubire oportet;

§. 31. Sed ſumtus muneris cauſa erogandi ab vniuerſitatate ei ſunt reſtituendi.

§. 32. Neque in regula, vbi ſtatuta non expreſſe definiunt tempus longius aut perpetuum, poteſt cogi, vt eiusmodi muneri, gratis explendo, plus anno praeſit.

§. 33. Ad alias quoque operas perſonales, in quolibet neceſſitatis caſu, vrbi communi praeſtandas ciues ſunt obligati.

§. 34. Quas operas perſonales praeſtare quoque poſſunt per alias perſonas idoneas, in ipſorum locum ſubſtitutas; niſi propter periculum extraordinarium, aut circumſtantias ſingulares alias, ipſorum ciuium praeſentia expreſſe requiritur.

§. 35. Ad artis et opificii operas gratis praeſtandas ciues non tenentur.

§. 36. Operas nouas adhuc inſolitas magiſtratus, ciuium vniuerſitate non adhibita et non conſentiente, excepto ſummae neceſſitatis caſu, exigere nequit, neque diſtribuendi modum poteſt mutare.

§. 37. Idem valet de conferendis nouis pecuniis aut praeſtationibus aliis adhuc inſolitis.



Source : BIU Cujas

§. 38. At contra, neque ciuium corpus inter se determinare potest atque colligere collationes vllas, absque magistratus consensu.

§. 39. Immuniatem ab oneribus personalibus generalibus consequi membra singula non possunt, absque consensu reliquorum, in horum praeiudicium.

§. 40. At contra, vrbis vniuersitatis societates separatae, per praescriptionem quoque, liberari possunt a ciuium reliquorum oneribus.

§. 41. Vbi cum possessione fundorum certorum, aut cum negotiis vel dignitatibus certis, immunitas personalis ab oneribus ciuilibus communibus, adhuc fuit coniuncta, ex constitutione per tempus praescriptionis legitimum bene parta; ibi ea in posterum quoque valet.

Ciuitatis amissio.

§. 42. Domicilium suum in loco alio collocans, eo ipso ciuitatem vrbis, ex qua migrauit, amittit.

§. 43. Quam si conseruare sibi cupit, veniam ciuitatis retinendae ad summum intra annum et diem, post emigrationem, a magistratu debet petere.

§. 44. In qua venia concedenda aut deneganda decidendum est ex rationibus, vtilitati communi et saluti vrbis atque ciuium promouendae inseruientibus.

§. 45. Eiusmodi ciuis non praesens immunis quidem est, dum est absens, ab officiis personalibus ciuicis; at neque vti potest iuribus ciuis personae inhaerentibus.

§. 46. Si ciuis absens, veniae specialis impetratae fundamento, quaestum in domicilio priori per alios velit continuare; praeceptum valet §. 20.

§. 47. Qui ex vrbe discessit, alio loco domicilium non constituens, ciuitatem tantum amittit per praescriptionem solitam.

§. 48. Ciuis, qui in exemtorum classem transit, eo solo ciuitatis iure nondum excidit.

§. 49. At vero, si quaestui ciuico, quem adhuc exercuit, renuntiat, vlteriori ciuicorum onerum et

Source : BIU Cujas

obligationum praeſtationi ſe ſubtrahens, neque ad ciuitatem prouocare amplius poteſt.

§. 50. Si pater, domicilium ſuum mutando, aut in claſſem exemtorum transeundo, ciuitatem amittit; liberi quoque in eius poteſtate adhuc conſtituti excidunt praerogatiuis filiorum ciuium.

§. 51. Si pater ciuitatem tantum conceſſione expreſſa eſt conſecutus (§. 43. ſeqq.); eius liberis omnibus liberorum ciuium praerogatiuae tamdiu ſunt ſaluae et integrae, donec ipſi conſtituunt proprium domicilium extra locum, cuius ciuis pater fuit.

§. 52. Si pater ciuitatem diſceſſu ſolo amiſit, (§. 47.) eius liberis diſceſſus tempore iam exiſtentibus liberorum ciuium praerogatiuae tamdiu manent integrae, quamdiu ipſis nulla accidit mutatio, qua, ſi ciues ipſi iam eſſent, ciuitate priuarentur.

§. 53. Liberi contra, poſt diſceſſum demum ſuſcepti, filiorum ciuium praerogatiuas amittunt, ſimulac pater ipſe ciuitate priuatur.

§. 54. Qui infamis eſt declaratus, relegatus, aut poſtquam fuga ſalutem petiit, mortis reus iudicatus, ciuitate priuatur.

§. 55. Delicta alia tunc demum ciuitatis priuationem producunt, ſi huius priuationis ſecundum legum criminalium praecepta expreſſe in ſententia facta eſt mentio.

§. 56. Si pater ob delicta perpetrata ciuitate priuatur; crimine laeſae maieſtatis excepto, liberi antea ſuſcepti praerogatiuis liberorum ciuium ob delicta paterna non priuantur.

§. 57. Viduae quoque, et vxores per diuortium ſeparatae, at non expreſſe nocentes declaratae, iura ciuica eorum, qui ipſarum mariti fuerunt, quatenus ea iura maritorum perſonis non inhaeſerunt, tamdiu participant, quamdiu ipſae ſtatum ſuum non mutant.

Source : BIU Cujas

§. 58. Quatenus vero maritorum fuorum quaeſtum poſſint continuare, infra eſt determinatum.

De exemtis. §. 59. Nobiles et exemti, in vrbibus habitantes, aeque ac ciues in ſenſu proprio, obſeruare oportet leges politiae oppidanae generales; et in caſibus obuenientibus politiae poenis ſunt ſubiecti.

§. 60. Mercaturam aut alium quaeſtum ciuicum exercere non poſſunt, niſi ciuitatem fuerint conſecuti.

§. 61. Jure ciuitatis impetrato, ſi talem quaeſtum re vera faciunt, in cauſis et rebus omnibus, ad eum quaeſtum pertinentibus, ciuitatis iurisdictionem et politiae ordinationes agnoſcere eos oportet.

§. 62. At contra, in rebus et negotiis ſuis perſonalibus reliquis omnibus iura et forum exemtorum retinent.

§ 63. Sed communia ciuica onera et operas, ciuium aliorum inſtar, vrbi debent praeſtare.

§. 64. At nunquam tamen poſſunt cogi ad operas perſonales in perſona praeſtandas.

§. 65. Si exemti fundos ciuicos poſſidere cupiunt; onera ciuica iis inhaerentia omnia ſimul in ſe debent ſuſcipere.

§. 66. Praeſtationes quoque perſonales, cum fundorum ciuicorum poſſeſſione coniunctas, vel ipſi debent exequi, vel per ſubſtitutos idoneos.

§. 67. At cogi nunquam poſſunt, vt eas in perſona praeſtent.

§. 68. In omnibus, perſonalibus etiam, rebus et negotiis, ad eorum tanquam fundorum poſſeſſorum qualitatem pertinentibus, iurisdictionem et leges oppidanas debent agnoſcere.

§. 69. Ad quas obligationes, poſcente magiſtratu, literis reuerſalibus ſe debent obligare.

§. 70. Exemtorum liberi, dum ſub patria ſunt poteſtate, exemtione parentum fruuntur.

Source : BIU Cujas

§. 71. Exemti, per ſententiam et ius honoribus et dignitatibus ſuis priuati, recidunt in claſſem, ad quam natiuitate ſua pertinuerunt.

§. 72. Incolae tutela vrbis fruentes, etiam pro ſua perſona, iurisdictioni magiſtratus vrbis in regula ſunt ſubiecti. Incolae tutela vrbis fruentes (*Schutzverwandte*).

§. 73. Dum ciuitatis ius non ſunt conſecuti, neque quaeſtum ciuicum facere, neque alia iura ciuium, in ſenſu ſtrictiori, exercere iis licet.

§. 74. Quatenus ad onera ciuica conferre, et ſoluere debeant vrbi communi tributa, ab loci cuiusque conſtitutione ſpeciali pendet.

§. 75. Determinationibus propioribus deficientibus, ad operas perſonales obligati tantum ſunt in ſummae neceſſitatis caſibus, vbi ciuium proprie ſic dictorum cooperatio ſola non ſufficeret, ad auertendum periculum vrbi imminens.

§. 76. At contra, ad inſtituta publica, ſi commodum ex iis vna percipiunt, ex aequo debent conferre.

§. 77. Neque tamen et in hoc caſu, plura poſſunt ab iis exigi, ac ab vltimae claſſis ciuibus.

§. 78. Aedium ciuicarum numerus eſt conſeruandus, neque plures, absque ſpeciali magiſtratus venia coniungantur. Aedes ciuicae.

§. 79. Quam veniam dare magiſtratui tantum licet ex grauibus rationibus, communis ſalutis vrbis cauſa, et eatenus tantum, quatenus iſta venia incolae non priuantur locis, ad habitandum et quaeſtum faciendum neceſſariis.

§. 80. Qui in vrbe feuda burgenſia ſ. caſtrenſia poſſidet, aut aedes alias, ab oneribus ciuicis communibus exemtas, huic non licet ſibi acquirere aedes ciuicas iis confines.

§. 81. Si eiusmodi aedes ciuicae communes et exemtae ſucceſſione legitima in vna perſona coniunguntur; magiſtratum oportet ſeparatim, poſſeſſoris

Source : BIU Cujas

sumtibus, ea constituere, quae ad praecauendas finium et iurium confusiones omnes sunt necessaria.

§. 82. Agri et prata, ad aedes ciuicas pertinentes, in regula ab aedibus, quibus adhuc fuerunt adiuncti, non sunt inseparabiles; sed ab alio aedium possessore ad alium possunt transferri, vel adeo ab aliis vrbis incolis possideri, tanquam fundi per se subsistentes.

§. 83. Extranei in vrbe non habitantes eiusmodi fundos in regula neque acquirere possunt, neque possidere.

§. 84. In specie praediorum rusticorum (*Landgütern*) possessores, quorum agri eiusmodi agris aut pratis adiacent, aut cum iis commixti siti sunt, eos acquirere sibi non possunt.

§. 85. Si talis facta est coniunctio successione legitima, locum habet praeceptum (§. 81.).

## Sectio Secunda.

### *De vrbibus et vrbium corporibus.*

Vrbium iura.

§. 86. Vrbes praecipue destinatae sunt ad domicilium eorum regni incolarum, qui elaborandis aut expoliendis naturae prouentibus et commercio operam nauant.

§. 87. Ius oppidi (municipale) a nemine potest concedi, nisi a principe regni.

§. 88. Quod ius in regula non extenditur ad suburbia.

§. 89. Quorum tamen incolae, quatenus magistratus iurisdictioni immediate sunt subiecti, in causis suis et litibus, ex vrbis statutis dijudicantur.

Milliare bannarium.

§. 90. Ius milliaris bannarii (*Bannmeile*) non sequitur ex iure oppidi (municipali), et separatim debet probari.

§. 91. Si vrbi cuidam ius milliaris bannarii re vera competit, intra milliare ne exercere quidem licet quaestus oppidanos, alias in pagis admissos.

Source : BIU Cujas

§. 92. Qui intra hoc milliare eiusmodi quaeſtum vult facere, eum rite probare oportet ius ſuum, quaeſtum iſtum exercendi, priuilegiis legitimis ſpecialibus aut praeſcriptione quaeſitum.

§. 93. Quod tamen ius milliaris regulariter non extenditur ad eiusmodi opifices, quibus carere non poſſunt oeconomiam ruſticam exercentes.

§. 94. Determinationes propiores, qui opifices in pagis generatim, et intra milliare vrbis bannarium, ſpeciatim poſſint recipi, aut non recipi, legibus prouincialibus reſeruantur.

§. 95. Vrbibus, quibus ius milliaris eſt conceſſum, excluſis caeteris ius competit, pagis intra milliare ſitis omnibus ſuggerendi cereuiſiam in vrbe coctam, et ſpiritum vini, in eadem extractum. (Part. I. Tit. XXIII. §. 53. ſeqq.)

§. 96. Milliare bannarium eſt determinandum ex milliaris menſura cuiusque prouinciae ſolita.

§. 97. Vbi in prouincia modus milliaris dimetiendi ſpecialis non eſt introductus, ibi ſub milliari bannario intelligendum eſt milliare geographicum, perticarum (decempedarum) rhenanarum mille, nouies centum, ſexaginta et nouem.

§. 98. Lis exorta: vtrum pagus intra an extra milliare iaceat, dimetiendo eſt decidenda.

§. 99. Dimenſio ab vrbis porta coepta ad pagi ſepimenta vſque continuatur.

§. 100. Si poteſt probari, ex iuris bannarii conceſſi tempore vrbis aut pagi fines et terminos eſſe ampliatos, aut alio modo mutatos; dimenſionis puncta determinanda ſunt ex ſitu, qui temporibus antiquioribus poſt conceſſionem fuit.

§. 101. Dimenſio per vias publicas ſolitas, at non per ſemitas aut agrarias et diuerticula, fiat neceſſe eſt.

§. 102. Si via publica temporibus recentioribus fuerit mutata, aut ducta linea rectiori abbreuiata;

Source : BIU Cujas

priſtina viae publicae linea, quantum poteſt fieri, eſt eruenda, et ad eam dimenſio inſtituenda.

Ius nundinarum.

§. 103. Nundinae maiores (*Meſſen*), anniuerſariae, et hebdomadales, et lanae, pecorum, armentorumque mercatus, in regula tantum in vrbibus debent celebrari.

§. 104. Nundinas hebdomadales inſtituere poteſt vrbis magiſtratus approbante inſtantia, cuius curae politia prouinciae eſt demandata.

§. 105. Nundinarum maiorum aut anniuerſariarum ius regni princeps ſolus poteſt concedere.

§. 106. Nundinarum maiorum et anniuerſariarum tempore peregrinis quoque merces ſuas publice vendere licet.

§. 107. Cuius libertatis emendi et vendendi limitatio non praeſumitur, ſed per regni principis conſtitutiones ſpeciales eſt probanda.

Vniuerſitates vrbium (oppidanae). (*Stadtgemeinen.*)

§. 108. Vniuerſitates vrbium iuribus corporationum priuilegiatarum gaudent. (Tit. VI. §. 23. ſqq.)

§. 109. Omnes in ciuium albo conſignati, habendi ſunt vniuerſitatis eiusmodi membra.

§. 110. Res et cauſae communes regulantur et deciduntur vniuerſitatum oppidanarum deliberationibus et concluſis, ſecundum tituli ſexti praecepta.

§. 111. In regula eiusmodi res et cauſae non in generalibus totius ciuitatis conuentibus aguntur, ſed tantum cum ciuium repraeſentantibus.

§. 112. Qui vero repraeſentantes de iis deliberare debent cum collegiorum opificum et reliquorum ſingulorum, quae in vrbis vniuerſitate ſunt, corporum antiſtibus, vti horum antiſtitum quisque iterum cum collegii aut corporis ſui membris.

§. 113. De conuentibus et concluſis harum claſſium et corporum, in quas vrbis vniuerſitas eſt diuiſa, deficientibus determinationibus ſpecialibus, quoque valent tituli ſexti praecepta.

§. 114.

Source : BIU Cujas

§. 114. Vniuerſitatis oppidanae vicem repraeſentantes quoque diiudicandi ſunt ex praeceptis, loco dicto de repraeſentantibus in genere datis.

§. 115. Vniuerſitatibus oppidanis ius competit, concluſis ordini conuenienter factis condendi ſtatuta, quae ad internam vniuerſitatis, aut certarum eius claſſium, conſtitutionem et politiam ſpectant. Statuta.

§. 116. At eiusmodi tamen concluſa, priusquam tanquam ſtatuta obligare poſſunt vniuerſitatem eiusque membra ſingula, ſemper antea proponenda ſunt inſtantiae, cuius curae politia prouinciae eſt demandata, quae ea examinet.

§. 117. In condendis ſtatutis nouis, quibus vniuerſitatis iura externa, aut ſingulorum vniuerſitatis membrorum iura priuata debent determinari, obſeruanda ſunt omnia, quae de ferendis legibus nouis ſunt praecepta. (Introd. §. 7-9.)

§. 118. Praecepta generalia eadem locum quoque habent, ſi de immutandis aut abrogandis eiusmodi ſtatutis agitur. (ibid. §. 59-62.)

§. 119. Magiſtratus eſt vniuerſitatis oppidanae caput (antiſtes). Magiſtratus.

§. 120. Vtrum magiſtratus eligatur, an a regni principe conſtituatur, diiudicandum eſt ex loci cuiusque priuilegiis et ſtatutis, et, his deficientibus, ex legibus prouincialibus.

§. 121. In caſu dubio praeſumitur, ius magiſtratum eligendi vniuerſitati competere.

§. 122. Vbi vniuerſitas ius eligendi habet, ibi hoc ius in regula magiſtratus exercet.

§. 123. In quo caſu magiſtratum oportet ſubiecta eligere idonea, muneribus vacuis praeficienda, et ea praeſentare collegio prouinciae praepoſito, quod ea examinet.

§. 124. Qui cum magiſtratus membro gradu quarto aut propiori eſt cognatus, aut eodem affinitatis gradu



Source : BIU Cujas

iunctus (Part. I. Tit. I. §. 43.), in locum vacuum non eſt commendandus.

§. 125. Ius, officiales eligendi inferiores, in regula magiſtratui competit.

§. 126. De eligendis ciuitatis ſecretariis valent omnia, quae de magiſtratus membris, proprie ſic dictis, ſunt praecepta.

§. 127. Quid ratione officialium inferiorum aliorum obtineat, vnice determinandum eſt ex loci cuiusque conſtitutione et more conſueto.

Magiſtratus iura et officia.

§. 128. Magiſtratui, tanquam ciuitatis antiſtiti, vi officii competit rei politicae oppidanae exercitium.

§. 129. Et quod ad hoc exercitium attinet, incolae vrbis omnes, vel exemti, magiſtratus directioni et curae ſunt ſubiecti.

§. 130. Vi politiae oppidanae magiſtratui ius competit, exigendi tributa vrbis incolis impoſita non controuerſa, et alia, quae ſunt conferenda ad onera vrbis communia; et curam habendi legum ſeruandarum politicarum, et exigendi multas pecuniarias, ſecundum eas leges haud dubie commiſſas.

§. 131. Simulac vero lis oritur de obligatione ad conferendum ea, quae ſunt exacta, aut de politiae poena commiſſa, litis cognitio et deciſio iudici competenti eſt relinquenda.

§. 132. Iurisdictionis oppidanae politicae et ciuilis fines loco quolibet determinati ſunt ordinationibus ſpecialibus, vti infra in titulo decimo ſeptimo iurisdictionis politicae et criminalis fines.

§. 133. Collegia, corpora et inſtituta publica, vrbis vniuerſitati ſubordinata, omnia magiſtratus curae ſunt ſubiecta.

§. 134. Magiſtratus et obligatione tenetur et iure gaudet, vrbis vniuerſitatis iura in iudicio et extra illud obſeruandi et defendendi.

Source : BIU Cujas

§. 135. Magiſtratus eſt, cuſtodire documenta ad vrbem pertinentia, quae ad eius iura et conſtitutiones ſpectant.

§. 136. Tabularium (archiuum) magiſtratus oppidani, licet iurisdictio ei non competat, nihilo minus eadem habet iura, quae tabularium (archiuum) iudiciale.

§. 137. At magiſtratum tamen, hoc ius tabulario (archiuo) ſuo conſeruare cupientem, illud oportet cuſtodiendum curare a perſonis, ad illud cuſtodiendum iureiurando ſeparatim adſtrictis.

§. 138. Aerarii ciuitatis adminiſtratio magiſtratui competit. Ciuitatis aerarium.

§. 139. Ad ciuitatis aerarium pertinent omnia, quae deſtinata ſunt ad praeſtanda vrbis vniuerſitatis onera et expenſa communia.

§. 140. Atque ad aerarium ciuitatis pertinent ea quoque bona, ex quorum reditibus ſalarium magiſtratus membrorum in totum aut ex parte eſt ſoluendum.

§. 141. Si camerarius ſeparatus eſt conſtitutus; magiſtratus accuratam et diligentem curam habeat neceſſe eſt, quo modo munere fungatur.

§. 142. Falſa a camerario admiſſa magiſtratum eatenus praeſtare oportet, quatenus in eo conſtituendo iuſtam cautionem non adhibuit, aut curam de eo adhibendam poſtea neglexit.

§. 143. Si lis exoritur, in quantum magiſtratus in conſtituendo camerario, aut cura eius neglecta, moleſtiam ſibi creauerit, camerarii facta praeſtandi; haec lis deficientibus praeceptis ſpecialibus decidenda eſt ex iisdem principiis, quae praeſcripta ſunt de tutoris ſ. curatoris falſorum praeſtatione, iudicio tutelari incumbente.

§. 144. Camerarius omnibus adminiſtratoris bonorum alienorum iuribus gaudet, et eiusdem obligationibus tenetur. (Part. I. Tit. XIV. Sect. II.)



Source : BIU Cujas

§. 145. Vrbis vniuerſitati in camerarii bonis ius praelationis competit in ordinatione concurſus propius determinatum.

§. 146. In locis, vbi ea, quae ciuitatis aerarii reditibus deficiunt, ferenda et ſupplenda ſunt collationibus ciuium, ex eorum propriis, ciuium vniuerſitas per eam repraeſentantes adhibeatur neceſſe eſt in camerarii ratione reddenda.

§. 147. Qui repraeſentantes ius habent, a magiſtratu poſcendi probationem et explicationem omnium, quae ſpectant ad bonorum ciuitatis adminiſtrationem, atque ad modum, quo reditus ſunt exacti et impenſi.

§. 148. Falſa cognita, aut alia, quae ſunt dubia, quibus in continenti non eſt ſatisfactum, ab his denuntianda ſunt inſtantiae ſuperiori, quae de iis cognoſcat et decidat.

§. 149. Aerarium ciuitatum ſupremae regni curae ſubeſt.

§. 150. Regno ius eſt, attendendi, vt aerarii bona recte adminiſtrentur, eorumque reditus iuſte impendantur.

§. 151. Praeter caſus, vbi ſecundum leges de corporibus et vniuerſitatibus generatim, ad actus vniuerſitatis vrbis, reſpectu eius bonorum, conſenſus requiritur inſtantiae, a regno praepoſitae, conſenſus iſte neceſſarius eſt in caſibus omnibus, vbi vrbis aerarium aere alieno debet onerari.

§. 152. In quantum, in locandis quoque aerarii praediis et iuribus, in lignorum venditionibus extraordinariis, et in diſpoſitionibus de vrbis aerarii ſortibus actiuis, inſtantiae ſeu collegii praepoſiti conſenſus ſit neceſſarius, deficientibus praeceptis ſpecialibus relinquitur legibus prouincialibus.

§. 153. Ciuium vniuerſitas neceſſario adhiberi debet et conſentire, ſi ciuitatis aerarii bona aut iura

Source : BIU Cujas

debeant alienari, in locationem conductionem perpetuam concedi, oppignorari, aut seruitutibus onerari, aut aerarii nomine contrahi noua debita, quae ex aerarii reditibus nequeunt extingui, nisi deminuantur expensa necessaria reliqua.

§. 154. Repraesentantium consensus solus in eiusmodi casibus non sufficit; sed hi cum diuersis ciuitatis classibus, secundum praeceptum §. 112. deliberent, et declarationibus scriptis ab iis instruantur necesse est.

§. 155. Propter debita aerarii ciuitatis valida possunt quidem aerarii bona quoque immobilia peti, et via executionis alienari; sine consensu vniuersitatis aut regni speciali, in ea alienanda non necessario;

§. 156. At vendi tamen propter aerarii debita non possunt aedificia, quae destinata sunt ad gerenda negotia publica, et ad alias necessitates communes, non solum in vsum vniuersitatis vrbis, sed simul omnium incolarum et peregrinorum, negotia eo loco agentium.

§. 157. Caeterum vrbium vniuersitates, intuitu aerarii ciuitatis, iuribus fruuntur minorennium.

§. 158. Atque etiam aerario ciuitatis in bonis debitorum ius praelationis competit, in ordinatione concursus creditorum propius determinatum.

§. 159. Administrationem bonorum communium, quorum fructus et emolumenta membris ciuitatis singulis competunt, magistratus, vi sui muneris, petere nequit. Bona ciuica.

§. 160. Quin potius, quatenus de eorum administratione in constitutione nihil est determinatum, horum bonorum ciuicorum administratio a ciuitatis conclusis dependet, et in genere eiusmodi bona diiudicantur ex regulis de bonis, quae sunt in communi dominio.



Source : BIU Cujas

§. 161. At bona tamen ciuica sunt sub cura magistratus.

§. 162. In casibus, vbi ad disponendum de ciuitatis aerario consensus regni requiritur, praesumitur, ad tales dispositiones de bonis ciuicis consensum magistratus esse impetrandum. (§. 151. 151.)

§. 163. Regni consensus in dispositiones de bonis ciuicis in regula in iis tantum casibus est necessarius, vbi iste consensus intuitu bonorum communium corporationis in genere requiritur.

§. 164. Bona ciuica aerarii ciuitatis debita valida eatenus tantum praestant, quatenus ciuitatis aerarium ad ea extinguenda non sufficit.

§. 165. Et praeter casum quoque venditionis necessariae, ad alienanda ciuitatis aerarii aut ciuium vniuersitatis bona immobilia et iura, auctio publica est necessaria.

De vrbibus mediatis.

§. 166. Inter vrbes mediatas et immediatas in regula obtinet tantum discrimen, inde oriundum, quod illae ab alio adhuc domino dependent praeter regni principem.

§. 167. Si dominus generatim iurisdictione est inuestitus, praesumitur, eam huic competere etiam de vrbe sua mediata.

§. 168. In regula domino ius competit, praefectos (*Beamten*) vrbanos eligendi et constituendi.

§. 169. Atque etiam, si magistratui aut ciuibus vrbium mediatarum ius eos eligendi est concessum, domino ius competit, eos confirmandi et iureiurando adstringendi.

§. 170. Si regno videtur necessarium, in vrbe mediata separatos politiae praefectos constituere, eorum constitutio competit instantiae, cui politiae prouincialis cura est demandata.

§. 171. Domino inscio et inuito ius ciuitatis in vrbe mediata concedi nemini potest.

Source : BIU Cujas

§. 172. Quae iura domino mediato in adminiſtrandis, alienandis et obaerandis bonis ciuitatis aerarii et ciuium competant, propioribus reſeruatur legum prouincialium determinationibus.

§. 173. At quoque intuitu horum iurium, re vera ei competentium, dominus mediatus ſubiectus eſt ſupremae regni curae, et legibus a regno ideo datis.

§. 174. Atque etiam in caſu quolibet regno competunt, intuitu talium negotiorum vrbium mediatarum, iura eadem, quae ipſi in titulo ſexto ratione bonorum corporum et vniuerſitatum in genere ſunt conceſſa.

§. 175. Domini mediati iura de ciuibus ſingulis dependent a diſcrimine rationis, qua ciues domino mediato vel ſubiectione vel iurisdictione tantum ſunt obnoxii.

§. 176. Vici a pagis tantum differunt iure, vrbanos quosdam quaeſtus faciendi, incolis eorum competente. Vici.

§. 177. At in vicis tamen, in regula, ad eiusmodi quaeſtum faciendum corporationes et collegia non poſſunt inſtitui.

§. 178. Magiſtratibus in vicis inſtitutis in regula tantum competunt iura eadem, quae iudiciis paganis.

## Sectio Tertia.

### *De opificibus et opificum collegiis.*

§. 179. Vbi adhuc certus quaeſtus non proprius fuit collegio cuidam aut corporationi adſcriptorum, ibi quoque in poſterum eum quaeſtum libere exercere liceat cuique, qui exhibere ſe eo confidit. Principia generalia.

§. 180. At quemlibet tamen, qui eiusmodi quaeſtum intendit inſtituere, loci magiſtratui rem indicare antea oportet.



Source : BIU Cujas

§. 181. Vbi collegia opificum sunt constituta, ibi omnis, qui in vrbe facere cupit opificis quaestum, se in opificum collegium recipiendum curet necesse est.

§. 182. Noua opificum collegia condere solius est regni principis.

§. 183. Regni principi soli ius competit, collegium opificum hactenus numero non definitum definiendi, i. e. determinandi numerum membrorum, ex quibus collegium loco quodam debeat consistere.

§. 184. Atque etiam, vbi collegii membrorum numerus est definitus, regno nunc vt ante ius est, pro rebus circumstantibus magistros exemtos (gratiae *Freymeister*) constituendi.

Opifices in pagis.

§. 185. Opifices in pagis in regula obligantur, vt cuidam opificum collegio oppidano se adiungant, si opificii, quod exercent, collegium in et per se existit.

§. 186. Atque etiam opifices, intra ciuitatis milliare bannarium in pagis tolerati, in regula obligantur, vt fiant sodales collegii sui opificii.

§. 187. Vbi opifices in pagis secundum leges prouinciales, collegii statuta (*Innungs-Artikeln*), pacta, aut obseruantiam, ex praescriptione legitima bene partam, non obligantur, vt sui collegii in vrbe fiant sodales, ibi in posterum quoque eadem valent, vti et ea, quae ratione collationum ab ipsis collegio praestandarum obtinuerunt.

§. 188. Quatenus opifices in pagis, atque magistri, in vrbibus minoribus et vicis degentes, tirones recipere, et boëthos (socios mercenarios *Gesellen*) possint habere, propiori legum prouincialium determinationi reseruatur.

§. 189. Fabri lignarii, caementarii et fabri ferrarii, licet collegio opificii sui nomen non dederint, iure possunt boëthos et tirones habere.

Source : BIU Cujas

§. 190. Ad conſtituendum ſeparatum collegium opificum in vrbe tres ſaltem requiruntur magiſtri in ea habitantes. Conſtitutio collegiorum opificum.

§. 191. Collegiis opificum aeque ac toti vrbis vniuerſitati, ad quam pertinent, iura competunt corporum priuilegiatorum.

§. 192. Interna eorum conſtitutio, et iura atque officia collegiatorum in primis diiudicanda ſunt ex collegii libellis, priuilegiis et ſtatutis a regno datis aut confirmatis.

§. 193. Sunt ſub cura magiſtratus et aſſeſſorum ex eo delegatorum.

§. 194. Conuentus extraordinarii cogi non poſſunt, niſi aſſeſſore ſciente et approbante.

§. 195. Aſſeſſorem intereſſe collegii opificum conuentibus ſolitis et extraordinariis omnibus oportet.

§. 196. Concluſa et expeditiones confirmantur eius ſubſcriptione, et appoſitione collegii ſigilli, ipſi commiſſi.

§. 197. Collegii concluſis ordinari non poſſunt, niſi res et cauſae collegii propriae.

§. 198. Collegia in conuentibus ſuis decernere nihil poſſunt, quod generalibus politiae legibus eſt contrarium, aut communi ſaluti eſſe poſſit detrimento.

§. 199. Pretium operum a ſodalibus conficiendorum ſtatuere iis non licet.

§. 200. Soli magiſtratui debent relinquere: vtrum taxae determinatio ſit neceſſaria et conſilii.

§. 201. Si tamen eiusmodi taxa eſt determinanda; magiſtratum oportet collegii ſeniores (*Zunftälteſten*) adhibere, et eorum audire arbitrium.

§. 202. Collegio opificum nulli ius competit, collegiatis ſuis interdicendi, ne opus ab altero iam inchoatum perficiant.



Source : BIU Cujas

§. 203. Neque vlli opificum collegio licet, concluſis ſuis imponere membris nouiter recipiendis onera noua adhuc inſolita.

§. 204. Collationes et poenas collegium opificium eatenus tantum a membris ſuis poteſt exigere, quatenus expreſſe permittunt collegii opificii ſtatuta a regno data aut confirmata, adiecta determinatione caſuum, et ſummae collationis, aut poenae.

§. 205. Quatenus caeterum collegii opificum concluſa muniri debeant magiſtratus aut principis auctoritate et confirmatione, definiendum eſt ex principiis generalibus de corporibus in genere, et de vniuerſitatibus oppidanis in ſpecie.

§. 206. Noua collegii opificii ſtatuta praeſcribendi ius regni principi ſoli competit.

§. 207. Regno quoque ius eſt, collegii opificii ſtatuta, quae hucusque obtinuerunt, prout ſalus publica exigit, determinandi et immutandi.

§. 208. At in vtroque tamen caſu (§. 206. 207.) ſemper antea audiantur collegiorum opificiorum neceſſitates et rationes contrariae, ſi quae proferri poſſint.

§. 209. Quatenus ſtatutorum derogatione aut abrogatione membra collegii opificii ſingula verum damnum ſentiunt, de damni reparatione, quam iure poſſunt petere, locum habent principia de priuilegiis. (Introd. §. 70. 71. 72.)

§. 210. De bonis communibus collegiorum opificum in regula valent eadem, quae de bonis corporum et vniuerſitatum generatim, vti vniuerſitatum ciuitatum ſpeciatim ſunt praeſcripta.

§. 211. In caſibus, vbi ad diſponendum de ciuitatis aerario conſenſus regni eſt impetrandus, ad diſponendum de collegii opificum bonis communibus magiſtratus approbatio eſt neceſſaria.

Source : BIU Cujas

§. 212. Regni ipſius approbatio in regula tantum in iis caſibus eſt neceſſaria, vbi ea generatim requiritur ratione corporum et vniuerſitatum.

§. 213. Collegii ſeniores bona collegii communia adminiſtrant.

§. 214. In quibus adminiſtrandis ſunt ſub aſſeſſoris cura (inſpectione) immediate, et mediate ſub cura magiſtratus ſuperiore.

§. 215. Collegio ad ponendam adminiſtrationis ſuae rationem ſingulis annis tenentur ſeniores.

§. 216. Determinationes propiores, quomodo bona collegii ſint adminiſtranda, et quatenus a ſenioribus adminiſtrationis cauſa cautio ſit praeſtanda, ſtatutis (articulis) collegii opificii referuantur.

§. 217. In caſibus, vbi collegii bona in communi ſeniorum plurium et aſſeſſoris cuſtodia detinentur, in regula non poteſt exigi cautionis praeſtatio.

§. 218. Collegiis opificum in adminiſtratorum ſuorum bonis non quidem competit ius praelationis, vniuerſitati oppidanae in bonis camerarii conceſſum;

§. 219. At prae aliis tamen eiusmodi adminiſtratoris creditoribus priuatis gaudent praelationis claſſis quintae iure, in ordinatione concurſus creditorum propius determinato.

Collegii opificum obligationes generales erga collegiatorum liberos.

§. 220. Collegia opificum eorumque ſeniores obligati ſunt, iisque ius competit, curandi, vt tutores ſeu curatores conſtituantur liberis impuberibus et minorennibus, relictis a collegiatis defunctis, atque vt iidem educentur.

§. 221. Hinc collegiati talis mortem denuntiare ſeniores oportet iudicio, cui minorum cura eſt demandata, quod diſponat neceſſaria.

§. 222. Collegiati praecipue prae aliis ſunt obligati ad ſuſcipiendam tutelam liberorum impuberum et minorum, a collegiatis ſuis relictorum.

Source : BIU Cujas

§. 223. Si de pupillis et minoribus educandis et ad futurum vitae genus praeparandis agitur, seniorum est, iudicio, cui minorum cura demandata est, si fuerint rogati, consilium et arbitrium subministrare.

Collegii opificii ius prohibendi.

§. 224. Ius prohibendi, quod collegium habet opificium, consistit in iure, omnibus, qui neque ad collegium opificium pertinent, neque a regno in specie priuilegio sunt donati, interdicendi, ne quaestum faciant opificii.

§. 225. Opifices, qui magistrorum exemtorum (gratiae *Freymeister*) nomine, aut modo alio priuilegium speciale a regno acceperunt, terminos ipsis in priuilegio praescriptos, sub iuris iactura, accurate obseruent necesse est.

§. 226. Collegii opificii iura absque iure laedenti instrumenta opificis debent auferri, et in vsum aerarii collegii opificii vendi plus licitanti.

§. 227. Si collegii opificii iura laedens in laesione pertinaciter perseuerat, collegio opificum ius competit petendi, vt opifex clancularius ex huius collegii districtu remoueatur.

§. 228. At vero, collegia opificum non gaudent iure, ius prohibendi (bannum opificium *Zunftzwang*) suum propio ausu exercendi.

§. 229. Quin potius laesiones collegio illatas ad magistratum debent deferre, qui haud cunctanter et seuere disponat necessaria.

§. 230. Si persona, quae iura collegii opificum laesit, sub alia iurisdictione domicilium habet; magistratum oportet iudicem competentem rogare, vt disponat, quae sunt necessaria, ad tuendum prohibendi ius, opificum collegio competens, et ad puniendum opificem clancularium.

§. 231. Quaelibet autem iurisdictio sub damni reparatione ab ipsa praestanda obligatur, ad satisfa-

Source : BIU Cujas

ciendum eiusmodi magiſtratus requiſitionibus ſine mora et recuſatione.

§. 232. Neque recuſare poteſt, quo minus in viſitatione inſtituenda admittat deputatos opificum collegii, cuius iura ſunt laeſa.

§. 233. Si accuſatus ſibi competere aſſerit ius ſpeciale quaeſtus opificii faciendi, licet collegii opificii membrum non ſit; ideo a iudice ſuo competente legitime eſt audiendus.

§. 234. Qui ſi ius ſuum fundat qualitate, perſonae ſuae inhaerente, aut priuilegio ſpeciali; eum exceptiones iſtas ſtatim, ſaltem quodam modo, oportet demonſtrare; quod vero ſi nequeat, ab exercendo quaeſtu, vsque ad litis deciſionem abſtinere.

§. 235. Si vero accuſati ius fundatur iure magiſtratus, iurisdictionem habentis, ſub quo domicilium habet, aut exceptione huius loci a diſtrictu opificio; de ſtatu poſſeſſionis, lite pendente, locum obtinent praeſcripta legum generalia.

§. 236. Perſonae priuatae ſcire non obligantur, an opificium exercens membrum ſit collegii opificum, an non ſit; atque adeo neque poena poſſunt affici, ſi ei, qui ius non habet, opus perficiendum tradunt.

§. 237. In eo tantum caſu, ſi magiſtratus publice et nominatim proclamauit, homini cuidam non eſſe ius, opera eiusmodi perficiendi, politiae poenam ad quinque thaleros vsque commiſit ille, qui poſtea nihilo minus opera ipſi tradit perficienda.

§. 238. Collegiati vidua, niſi collegii ſtatuta (articuli) aliud ſtatuant, mariti opificium per boëthos poteſt continuare.

§. 239. Sed conferre eam oportet ad collegii opificii onera, aeque ac magiſtri alii.

§. 240. Quod ius tantum amittit ad alia vota transeundo.

Source : BIU Cujas

§. 241. In vſum ſuum proprium et familiae, in domo ſua degentis, quilibet quoque ea opera poteſt perficere, quae alias collegiati tantum iure perficere poſſunt.

§. 242. Non niſi ea ipſe poteſt perficere, quae famulis ſuis conducticiis tanquam mercedis partem dare eum oportet.

§. 243. At nemini licet, vel in vſum ſuum proprium ſuſcipere, non adhibito magiſtro operis perficiendi perito, opera, ex quibus minus recte aut regulis non conuenienter perfectis, tertio aut rei publicae oriri detrimentum poſſet. (Part. I. Tit. VIII. §. 69. 70.)

§. 244. Opifices, tanquam famuli operam ſuam locantes, non gaudent iure, aliis praeter dominum eiusque familiam, ſecundum propiorem §. 241. 242. determinationem, opera perficiendi.

§. 245. Opificum collegio nulli licet, collegii opificii alius iura laedere, perficiendis operibus, quae huius ſunt collegii.

§. 246. Collegiato nulli licet, opus, quod ex conſtitutione ad aliud collegium opificium pertinet, perficere, neque per adiutores, collegio iſti non adſcriptos.

Magiſterium (ius magiſtri), quomodo acquiratur.

§. 247. Quid praeter acquiſitionem ciuitatis eum in finem ſit neceſſarium, vt quis in collegium magiſter recipiatur, collegiorum ſtatuta (articuli) et ſocietatis ſ. vnionis libelli (*Gildebrieje*) definiunt.

§. 248. Nemini deneganda eſt receptio in collegium magiſtrorum opificum, ex ea tantum cauſa, quod matrimonium iam iniit.

§. 249. Qui ſemel tiro, aut poſtea boëthus in collegium opificum rite eſt receptus, huic receptionem in collegium magiſtrorum denegare, ſub nullo praetextu, collegio opificum licet, ſi ſatisfacit reliquis ſtatutorum (articulorum) collegii requſitis.

Source : BIU Cujas

§. 250. Magiſterium conſecuturus collegio opificum exhibeat neceſſe eſt diſciplinae peractae teſtimonium (*Lehrbrief*), et teſtimonium peregrinationis et vitae honeſtae (*Kundſchaft*), quibus probos ſuos mores et vitam adhuc integre actam probet.

§. 251. Ante receptionem oportet eum ſpecimen (*Meiſterſtück*) dare, opere perfecto praeſentibus magiſtris collegii ſenioribus, absque alieno auxilio.

§. 252. Iniungendis ſpeciminibus nimium pretioſis aut iis, quorum non eſt vendendi copia, nemini introitus in collegium reddatur difficilior.

§. 253. Specimen exhibendum eſt collegiatis congregatis, qui illud examinent.

§. 254. Si plurium votis ſpecimen reprobatur, collegium a capeſſendo magiſterio arcere debet recipiendum, vſque donec ſpecimine meliori probauerit, maiorem peritiam ſe eſſe adeptum.

§. 255. Qui tertium perfecit ſpecimen reprobandum, in tempus omne eſt repellendus.

§. 256. Si collegium ſpecimen reprobat, aſſeſſori indicet neceſſe eſt reprobationis cauſas, quae protocollo inſerantur.

§. 257. Aſſeſſoris eſt attendere, ne admittatur reprobatio, contumacia aut pecuniae extorſione ſola fundata.

§. 258. Reiectus poteſt petere, vt de repulſae cauſis cognoscatur in iudicio.

§. 259. Quae ſi magiſtratui videantur dubiae; hic arbitrium petat collegii eiusdem opificii loci alius vicini, exhibito ſpecimine, et protocollo de eo confecto.

§. 260. Si collegiatus iam receptus domicilium mutat; in collegium loci domicilii noui recipiatur neceſſe eſt, ſimulac ibi opificium cupit continuare.

§. 261. At ſpecimen nouum ab eo edendum in regula tum nequit exigi.

Source : BIU Cujas

§. 262. Si tamen opifex paganus, qua talis ad facilius tantum ſpecimen edendum obligatus, ſedem velit figere in vrbe, vbi maius et difficilius exigitur ſpecimen, collegium opificium adhuc ab eo poteſt poſcere, vt edat ſpecimen poſterius.

Ius venditationis.

§. 263. Magiſtro collegiato omni ius competit, opera ab ipſo confecta in collegii ſui diſtrictu, vel adeo extra domum venditandi.

§. 264. At vero per domos ea circumferre et venum exponere ipſi non licet, ſed venundationem eorum, extra domum, in taberna tantum ſua poteſt exercere.

§. 265. Si certorum operum venditatio publica legibus ſpecialibus expreſſe eſt prohibita, magiſtri quoque collegiorum ſunt his legibus prohibitiuis ſubiecti.

§. 266. Quamdiu et ſub quibus reſtrictionibus opificibus extraneis in nundinis anniuerſariis, aut maioribus ſuas merces venditare liceat, ſecundum cuiusque loci conſtitutiones eſt determinatum.

§. 267. Collegiatus perficere quoque poteſt opera aliis locis degentium, ſi deſiderent.

Ius boëthos (*Geſellen*) et tirones habendi.

§. 268. Magiſtris tantum collegiorum ius competit, tirones recipiendi et boëthos habendi.

§. 269. De quo tamen iure neque magiſtris exemtis (gratiae), a regno conſtitutis, lis poteſt moueri.

§. 270. At eiusmodi tironum receptio et miſſio coram collegio opificum loci fiat neceſſe eſt.

§. 271. Qui, poſtquam opificium edidicit, miles eſt factus, honeſte exauctoratus opificio deinde ſe exhibeat, ad magiſterium impetrandum non obligatus.

§. 272. At vero, ſi tirones velit recipere aut habere boëthos, aeque, ac alius omnis, magiſter recipiatur neceſſe eſt.

Magiſterii iactura.

§. 273. Magiſter, materiam ipſi commiſſam interuertens, primo ſecundum generalia iuris criminalis prae-

Source : BIU Cujas

praecepta multa pecuniaria eſt afficiendus; at in iterationis caſu, praeter multam alias commiſſam, ex collegio eiiciendus.

§. 274. Qui ſententia et iure fama bona eſt priuatus, magiſterium quoque amittit.

§. 275. Praeterea delicta alia tum demum magiſterii iactura ſequitur, ſi eius in ſententia expreſſa facta eſt mentio.

§. 276. Priuatio magiſterii in ſententia decernenda eſt in iis tantum caſibus, vbi leges expreſſe ſanciunt, aut vbi clare ex actis apparet propenſio ſingularis haud mediocris et periculoſa ad delicta, quibus aliorum proprietas et res familiaris laeditur.

§. 277. Dum magiſter in carcere detinetur, magiſterio nondum amiſſo, vxor eius opificium per boëthos continuet.

§. 278. Qui tiro cupit fieri; nomen ſuum in album collegii inſcribendum curet neceſſe eſt. De tironibus. Eorum receptio.

§. 279. Ob natales illegitimos legitimato nulli (Tit. II. §. 592-608.) receptio ad ediſcendum opificium denegetur.

§. 280. Eos tantum, qui hactenus excoriatoris publici negotia actu exercuerunt, opificum collegium aut corpus recipere non obligatur.

§. 281. Praeter ea collegium opificum receptionem eiusmodi tantum tironum poteſt negare, qui ob corporis vitium, aut defectum animi facultatum manifeſtum, ad ediſcendum opificium, cui operam cupiunt nauare, ſunt inidonei.

§. 282. Quatenus perſonae, ſubiectionis nexu obnoxiae, in collegium ſeu corpus opificum tirones poſſint recipi, titulo antecedente eſt ſancitum. (P. VII. §. 172. ſeqq.)

§. 283. Electio magiſtri, cui tiro tradatur in diſciplinam, competit eius parentibus, tutoribus aut antiſtitibus publicorum inſtitutorum, in quibus educatur tiro futurus.



Source : BIU Cujas

§. 284. Tironi, qui magiſtrum inuenire nequit, collegii ſeniores, quantum fieri poteſt, magiſtrum quaerere obligantur.

§. 285. Magiſtri, qui nondum tirones habent, operibus perficiendis non deficientibus, decreto collegii ſeu corporis ad recipiendum eiusmodi tironem, vel inuiti, poſſunt compelli.

§. 286. Tunc tantum, ſi collegii magiſtri eius loci omnes ſufficientem tironum numerum iam habent, collegium receptionem petentem in praeſenti poteſt reiicere, donec tironum praeſentium cuiusdam locus ſit vacuus.

§. 287. Securitatis praeſtatio a tirone tunc tantum poteſt exigi, ſi pro natura artis aut opificii tironi res et materia pretii maioris, ſiue parata pecunia ſunt committendae.

§. 288. Et, ſi tiro iam antea perfidiae, aut alio modo, morum malorum ſuſpectum ſe reddidit.

§. 289. Et, ſi tiro iam apud alium fuit magiſtrum, cui negligentia aut leuitate damnum graue dedit.

§. 290. Vbi didactrum et diſciplinae anni in ſtatutis (articulis) collegii non ſunt determinati, ibi et didactrum, et diſciplinae anni determinentur neceſſe eſt vel pacto ſcripto, vel in protocollo, in recipiendo tirone conficiendo.

§. 291. Quorum ſi neutrum eſt factum, et magiſtro et tironi acquieſcendum eſt determinatione collegii, intuitu diſciplinae annorum et didactri, ſecundum collegii conſuetudinem.

Obligationes magiſtri.

§. 292. Magiſtri eſt, tironem iis rebus recte inſtruere, quarum cognitio ad opificium rite exercendum eſt neceſſaria.

§. 293. Eum quoque monere, vt bonis moribus det operam, et ſacra publica diligenter frequentet; et, quantum poteſt, prouidere, ne diſſolute agat, aut

Source : BIU Cujas

vitiorum occaſionem nanciſcatur; et eum aſſuefacere, aſſidue dare operam rebus vtilibus.

§. 294. Qui tironem recipit legendi et ſcribendi arte atque religionis ſcientia nondum ſatis inſtructum, eum in ſcholam debet mittere, vſque donec harum rerum ſcientiam fuerit conſecutus.

§. 295. Tiro non ſolum in rebus opificiis ſed etiam domeſticis ordinationibus magiſtri morem gerat neceſſe eſt. Obligationes tironis.

§. 296. In negotiis ad opificii exercitium pertinentibus, magiſtro abſente aut impedito, praeceptionibus quoque boëthi primi obediat.

§. 297. Ad operas, a famulis conducticiis praeſtandas, tirone vti eatenus tantum licet magiſtro, quatenus iis opificium ediſcendum non negligitur.

§. 298. Magiſtro ius competit tironem pro re nata modice caſtigandi. Ius caſtigationis.

§. 299. Ne tamen in eo caſtigando excedat fines patri praeſcriptos. (Tit. II. §. 86. ſeqq.)

§. 300. Magiſtro abſente aut impedito, boëthus tantum primus aut vicem magiſtri gerens (*Meiſtergeſell*), et hic quidem quoque non niſi in rebus opificiis, ius poteſt exercere tironem modice caſtigandi.

§. 301. Tiro a magiſtro male tractatus a collegii ſenioribus, vsque dum diſciplinae anni ſunt peracti, magiſtro alii eſt committendus.

§. 302. Sumtus ea occaſione neceſſarios magiſter prior debet ferre; cui tamen in eos imputatur didactrum, in recipiendo tirone pactum, et nondum ſolutum.

§. 303. Magiſtro mortuo, tironi, aut eius parentibus, tutori, aut curatori, competit electio, vtrum eum viduae opificium continuanti concedere, an alii magiſtro velint tradere. Modi, quibus pactum inter magiſtrum et tironem diſſoluitur; a) morte magiſtri;

§. 304. In caſu poſteriori de didactro forſan in anteceſſum ſoluto tantum eſt reſtituendum, quantum ex collegii ſeniorum arbitrio proportioni conuenien-



Source : BIU Cujas

ter computandum eſt in diſciplinae annos nondum peractos.

§. 305. Idem obtinet, ſi vidua opificium non continuat, aut magiſter ipſe vlterius illud exercere prorſus nequit.

§. 306. In quaerendo magiſtro alio eiusmodi tironi ſubſidium praeſtare oportet collegii ſeniores, ſi opus fuerit, ſecundum praeceptum §. 284. ſeqq.

§. 307. Exiſtente colliſionis caſu tiro iam receptus, magiſtro alii tradendus, ſemper praeferendus eſt adhuc recipiendo.

b) ſi tiro aufugit;

§. 308. Si tiro absque cauſa data aufugit; magiſtro ſoluendum eſt totius anni currentis didactrum, et praeterea indemnitas praeſtanda damni, quod ortum eſt aufugiendo aut ſumtibus in tirone recipiendo alio erogandis.

§. 309. Eiusmodi quoque tironem, ſi poſtea alii traditur magiſtro, annos diſciplinae, magiſtro petente, de nouo oportet inchoare.

c) ſi ad alium quaeſtum animum appellit.

§. 310. Si tiro ad alium quaeſtum animum appellit; magiſter poteſt exigere non ſolum annorum peractorum, ſed etiam anni totius adhuc currentis didactrum.

Iura magiſtri intuitu didactri.

§. 311. Dum didactrum non eſt ſolutum integrum, magiſter non poteſt compelli, vt mittat tironem.

§. 312. Si tiro didactrum reſiduum ob paupertatem nequit ſoluere, eum magiſtro in certum tempus, vltra diſciplinae annos ſolitos aut pactos, operas gratis oportet praeſtare.

§. 313. Si in ſtatutis (articulis) collegii, nullum tempus eſt determinatum, hoc tempus determinandum eſt ex arbitrio collegii ſeniorum aequo, et ſi opus fuerit, collegii decreto.

§. 314. Didactro reſiduo in ordinatione concurſus creditorum eſt ius praelationis determinatum.

Source : BIU Cujas

§. 315. Magiſter remittere poteſt tironem, grauis perfidiae reum ſe facientem; aut magiſtri praeceptis pertinaciter repugnantem; aut magiſtrum eiusue familiam factis, aliisue contumeliis grauibus data opera laedentem; aut omnibus admonitionibus et caſtigationibus fruſtra adhibitis, vitae diſſolutae ſe dantem; aut ex ſententia ſeniorum ad ediſcendum opificium nullas omnino animi facultates exhibentem.

§. 316. In his, vti in aliis quoque caſibus omnibus, in antecedentibus non determinatis, in quibus anni disciplinae ſine magiſtri culpa non peraguntur, magiſter poteſt exigere didactrum reſiduum pro ratione temporis peracti, et anni totius currentis.

§. 317. A magiſtro, qui eam obligationem pacto expreſſe in ſe non ſuscepit, non poteſt peti, vt tironem morbo laborantem ex propriis alat. Tironum morbi.

§. 318. Si tiro morbo trimeſtri breuiori impeditur, quo minus disciplinam continuet, hoc temporis interuallum de disciplinae annis legitimis aut pactis ipſi non deducitur.

§. 319. At vero, ſi morbo laborauit per tempus longius, iudicium magiſtri et collegii ſeniorum decidit, quatenus tiro tempus amiſſum debeat implere.

§. 320. Magiſtro licet, tironi in diligentiae praemium disciplinae temporis partem remittere. Anni diſciplinae.

§. 321. Si disciplinae tempus legibus eſt determinatum, ad ſummum tertia tantum pars poteſt remitti.

§. 322. Ad eiusmodi autem remiſſionem conſenſus ſeniorum, tentamine facto, ſemper eſt neceſſarius.

§. 323. Finito disciplinae tempore magiſter debet tironem praeſentare collegio congregato, quod eum tentet, et in boëthorum numerum recipiat. Miſſio (*Losſprechen*).

§. 324. In qua receptione neque compotationes boëthi ſumtibus admittuntur, neque praeſtationes aliae vi extortae, neque ritus inhoneſti et valetudini nocituri.



Source : BIU Cujas

De boëthis. §. 325. Boëtho recepto expediendum eſt diſciplinae peractae teſtimonium, a collegii ſenioribus et aſſeſſore confirmatum, appoſito collegii ſigillo.

Peregrinatio, et quomodo in ea ſe gerere debeant. §. 326. Tempus per quod boëthi nouiter recepti peregrinatio durare debeat, collegii cuiusque ſtatuta (articuli) determinant.

§. 327. Boëthus quidem, absque ſui ordinis praeiudicio domino tanquam famulus operas ſuas poteſt locare;

§. 328. At tempus tamen, in famulitio peractum, de peregrinationis annis ipſi non deducitur.

§. 329. Inſtantia, cui cura politiae prouinciae eſt demandata, ſola poteſt pro re nata et rebus circumſtantibus peregrinationis annos abbreuiare, vel plenam adeo immunitatem a peregrinatione concedere.

§. 330. Peregrinatio in regula nunquam extra regnum permittitur.

§. 331. In caſibus tantum ſpecialibus inſtantia, cui cura politiae prouinciae eſt demandata, impertire poteſt veniam, extra regnum peregrinandi.

§. 332. Boëthi peregrinantes parentes, tutores ſeu curatores, aut agnatos cognatosue de loco, quo commorantur, per tempora certiores debent reddere.

§. 333. Quodſi per tempus in legibus determinatum negligunt; contra eos locum habet modus procedendi, praeſcriptus contra eos, de quorum vita et domicilio nihil innotuit. (Tit. XVIII.)

§. 334. Viaticum mendicare boëthis peregrinantibus non licet.

§. 335. Statim poſt aduentum coram loci magiſtris collegii ſenioribus eos comparere oportet.

§. 336. Qui ſeniores boëthos peregrinationis et vitae honeſtae teſtimonium ſtatim poſcant neceſſe eſt.

Source : BIU Cujas

§. 337. Adueniens, qui teſtimonium peregrinationis et vitae honeſtae producere nequit, ad locum, quo antea eſt commoratus, eſt ablegandus.

§. 338. Cui praecepto ſi morem non gerit, magiſtratum facta ſeniorum denuntiatione oportet eum remouendum curare.

§. 339. Boëtho vero, qui idoneo peregrinationis vitaeque honeſtae teſtimonio ſe probat legitimum, teſtimonium eſt demendum, et vſque donec peregrinationem vult continuare, in collegii arca (*Gewerkslade*) cuſtodiendum.

§. 340. Eiusmodi boëtho magiſtri ſeniores quaerere debent magiſtrum, cui operas praeſtet, et per tempus interiectum praebere victum eum, quem collegii conſuetudo ſtatuit.

§. 341. Si ſeniores boëthi operas magiſtro nulli locare poſſunt, ei diebus tribus praeterlapſis indicanda eſt peregrinationis ad locum alium continuatio.

§. 342. Si absque ſpeciali magiſtratus venia eo loco adhuc commoratur diutius, contra eum locum habet praeceptum §. 338.

§. 343. Quatenus boëthus magiſtrum, cui operas velit praeſtare, ipſe poſſit eligere, aut praeceptum magiſtrorum ſeniorum debeat expectare, in ſtatutis (articulis) collegii eſt determinatum.

§. 344. Magiſtri collegii ſeniores oportet magiſtros, boëthos poſtulantes, accurate conſignare, et boëthum, qui primus aduenit, et ſibi ipſe magiſtrum eligere non poteſt aut recuſat, ad magiſtrum ablegare, qui boëtho adhuc indigens primus comparuit.

§. 345. At viduis tamen, opificium continuantibus, atque magiſtris, qui ob morbos diuturnos, aliosue caſus aduerſos, non culpa ſua exortos, opifi-



Source : BIU Cujas

cio ipſi praeeſſe nequeunt, idonei boëthi prae aliis locentur, neceſſe eſt.

§. 346. Quo tamen iure vidua ter ſaepius non poteſt vti.

§. 347. Si magiſter boëthum ſuis ſumtibus peregre literis acciuit, re magiſtro ſeniori adhuc ante boëthi aduentum denuntiata; huic boëthus in caſibus omnibus eſt concedendus.

§. 348. In metropolibus, emporiis et vrbibus maritimis magiſtro nulli, qua numerum tironum et boëthorum habendorum, legibus praeſcribantur limites.

§. 349. In locis aliis haec determinatio reſeruatur inſtantiae, cui cura politiae prouinciae eſt demandata.

Merces et victus boëthorum.

§. 350. Merces et conuictus pretium, aut victus boëthorum, a collegio opificum, magiſtratu dirigente, determinentur neceſſe eſt.

§. 351. Quam determinationem magiſtro nulli licet excedere.

§. 352. Boëthorum merces et conuictus pretium reſiduum, in concurſu creditorum quoque, eadem habet iura, ac famulorum conducticiorum merces.

Alimenta boëthis aegrotis praeſtanda.

§. 353. Sumtus curationis et alimenta boëthi aduenientis et morbo correpti, ſiue operas ſuas iam locauerit, ſiue non locauerit, ſi ipſe pauper eſt, ex boëthorum arca, et ea deficiente ex collegii opificum aerario ſunt ſoluendi.

§. 354. Quod ſi non ſufficit, aerarium alendis pauperibus loci inſeruiens, et, ſi hoc quoque non ſufficit, vrbis aut ciuitatis aerarium debet contribuere.

§. 355. Magiſtratui itaque ſub propria defenſione de eo eſt curandum, ne boëthus pauper morbo correptus omni ope deſtituatur, aut transportetur alio, antequam ſatis reconualuerit.

Source : BIU Cujas

§. 356. Magiſtro ius eſt et obligatio, morum boëthorum curam gerendi, eosque admonendi, vt ſacra publica diligenter frequentent, et vitam agant tranquillam et honeſtam; eosque, quantum in ipſo eſt, a vitiis et vita diſſoluta arcendi. Iura et obligationes inter magiſtros et boëthos.

§. 357. Boëthus obligatus eſt, ad opus mandatum lubenter ſuſcipiendum, et fide atque diligenter perficiendum.

§. 358. Opus tantum intermittat diebus ſolis et iis diebus feſtis, quorum celebratio regni legibus eſt praecepta.

§. 359. Boëthi diebus, regni legibus ad laborandum deſtinatis, operis ſe ſubtrahentes carceris poena, et pane et aqua tantum pro victu ſuppeditatis, primo per tres dies, et in iterationis caſu per dies quatuordecim coërceantur.

§. 360. Si boëthus eiusmodi abuſum pertinaciter continuat, in quatuor hebdomadas ad ergaſtulum deducitur, et ei aufertur diſciplinae peractae teſtimonium.

§. 361. Quod quidem non recipit, antequam poenam perpeſſus promittit, ſe ad meliorem frugem eſſe rediturum, et magiſtratus hanc promiſſionem ſinceram atque certam eſſe exiſtimet.

§. 362. Magiſter omnis, cuius boëthi diebus ad laborandum deſtinatis operis ſe ſubtrahunt, obligatur ſub vnius ad tres thaleros vsque poena, aerario collegii opificum ſoluenda, ad rem denuntiandam magiſtratui.

§. 363. Caupo nullus, aut diuerſorii collegii opificum hoſpes (*Krugvater in einer Gewerksherberge*) diebus operis deſtinatis, in primis vero diebus lunae, apud ſe toleret boëthum, qui operas ſuas locauit, horis operarum ſolitis nondum praeterlapſis, et multo minus cibum et potum ei exhibeat.



Source : BIU Cujas

§. 364. Contra quod interdictum qui egerit, politiae poena duorum ad quinque thaleros vsque afficiatur.

§. 365. Boëthus omnis obligatur, vt morem gerat domesticis magistri institutionibus, dum ipsi operas praestat.

§. 366. Operas domesticas magister a boëtho suo exigere nequit.

§. 367. Nulli boëtho perficere licet opus aliud, atque a magistro ipsi demandatum.

§. 368. Nullus magister abalienet boëthos ab alio, cui operas locarunt.

§. 369. Quod si fiat, magister multa pecuniaria, duorum ad quinque thaleros vsque, aerario collegii opificum soluenda est puniendus, et boëthus compellendus ad peregrinandum.

§. 370. Magistrorum tantum viduis, opificium continuantibus, exhibendus est quem eligunt boëthus peritissimus.

§. 371. Magistro vero, qui vnum tantum habet boëthum, quem viduae cedere debet, ius competit petendi, vt magistrorum collegii boëthos plures habentium aliquis eorum vnum ipsi cedat.

§. 372. Si viduae plures comparent petentes, vt ipsis cedatur boëthus idoneus; inter eas decidit tempus, quo coram collegio opificio comparuerunt.

§. 373. Atque hoc quoque ius praerogatiuum a quaque magistri vidua ter tantum potest exerceri. (§. 346.)

§. 374. Magister in morbum diuturnum incidens a collegiatis potest petere, vt boëthum ipsi cedant.

§. 375. Ad quam cessionem ipsi in primis obligatus est magister ille, cui boëthi plurimi operas praestant.

§. 376. Si magistris pluribus idem est boëthorum numerus, eorum iunior ad cedendum boëthum est obligatus.

Source : BIU Cujas

§. 377. Sanitate reddita magiſtrum, qui morbo laborauit, boëthum eo modo acquiſitum magiſtro priori, ſi petat, oportet reddere.

§. 378. Magiſter boëthum dimiſſurus, huic dimiſſionem quatuordecim ante diebus debet nuntiare. Dimiſſio boëthorum.

§. 379. Absque eiusmodi renuntiatione magiſter boëthum in continenti poteſt dimittere; 1) ſi boëthus magiſtrum aut eius familiam factis, conuiciis, aut contumeliis laedit;

§. 380. 2) ſi inobedientiae et contumaciae pertinacis erga magiſtri praecepta ſe reum facit;

§. 381. 3) ſi magiſtri vxorem aut liberos ad mala ſeducit, aut cum iis habet familiaritatem ſuſpectam;

§. 382. 4) ſi furtum aut perfidiam in magiſtrum committit;

§. 383. 5) ſi magiſtro neſcio et non permittente abnoctare inſueſcit;

§. 384. 6) ſi igne et lumine incaute vtitur, atque ideo admonitus non obtemperat.

§. 385. Boëthus quoque magiſtrum relinquere poteſt, at ei quatuordecim ante diebus renuntiare debet operas. Boëthi diſceſſus.

§. 386. At magiſter tamen ad accipiendam renuntiationem non obligatur, ſi diſceſſus tempus caderet in nundinas maiores, aut anniuerſarias, aut intra quatuordecim dies ante nundinas maiores aut anniuerſarias, aut ante dies feſtos ſolemniores (*hohen Feſten.*)

§. 387. Quin potius boëtho tunc demum diſcedere licet feſto peracto, aut nundinis maioribus aut anniuerſariis finitis.

§. 388. Si magiſter boëtho, absque graui cauſa, manum iniecit, boëtho opere relicto ſtatim diſcedendi ius competit.

§. 389. Boëtho, peregrinationem continuaturo, teſtimonium vitae honeſtae, non poteſt tradi abs-

Source : BIU Cujas

que conſenſu magiſtri, cui poſtremo operas opificias praeſtitit.

§. 390. Magiſtro in tradendum teſtimonium vitae honeſtae, ſub propria defenſione et damni reparatione, conſentire non licet, ſi ſcit, debita a boëtho eſſe contracta, aut delicta commiſſa.

§. 391. Quin potius notitiam ſuam ad collegii aſſeſſorem deferat neceſſe eſt.

§. 392. Si magiſtro de boëthi diſceſſu nulla eſt dubitatio, aut ſi dubitationis cauſa, quae extitit, ſufficienter eſt ſublata; teſtimonium vitae honeſtae boëtho eſt reddendum, et in eo notandum, quamdiu boëthus eo loco ſit commoratus, et qualem ſecundum magiſtrorum ſuorum teſtimonium ſe geſſerit.

§. 393. Teſtimonio vitae honeſtae recepto boëthum ſtatim oportet iter ſuum ingredi.

§. 394. Si ab itinere ingrediendo caſu impeditur, vitae honeſtae teſtimonium iterum apud collegium opificum eum oportet deponere.

§. 395. Si vtrumque negligit: a magiſtratu, facta collegii opificum denuntiatione, vagabundus eſt habendus, et vagabundi inſtar tractandus.

Iura boëthorum generatim.

§. 396. Boëthi inter ſe vniuerſitatem aut ſocietatem priuilegiatam non conſtituunt.

§. 397. Ius iis non competit, proprio auſu conuentus inſtituendi.

§. 398. In caſibus, vbi eiusmodi conuentus collegii ſtatutis (articulis) aut politiae legibus ſunt permiſſi, conuentus iſti non niſi ſcientibus magiſtris collegii ſenioribus ſunt inſtituendi.

§. 399. Caeterum in poſterum quoque adhuc valent leges politiae et ſtatuta (articuli) collegii opificum, ſecundum quae boëthis licet, boëthum ſeniorem eligere, et eo accepti et expenſi rationem conficiente aerarium proprium inſtituere ex ſuis collectis, ad neceſſitates communes, in primis ad curan-

Source : BIU Cujas

dos et alendos boëthos aegrotos aut alia calamitate affectos.

§. 400. At boëthi tamen, in his quoque rebus, magiſtrorum collegii ſeniorum et aſſeſſoris curae (inſpectioni) ſunt ſubiecti.

## Sectio Quarta.

### *De artificibus et fabricatoribus.*

§. 401. De artificibus, in collegium aut corpus congregatis, valent omnia, quae de collegiis opificum eorumque membris in ſectione antecedente ſunt praecepta. Artifices.

§. 402. Vbi eiusmodi collegium artificum non exiſtit, ibi ars exerceri in regula poteſt a quolibet, qui arte iſta ſe exhibere confidit. (§. 179. 180.)

§. 403. Eiusmodi artifici cuilibet quoque ius competit, venditandi opera ab ipſo perfecta et in domo ſua et extra eam, vti magiſtro collegio adſcripto.

§. 404. Artifex, qui ab academia artium eſt receptus, et cuius nomen academiae albo eſt inſertum, artem ſuam exercere in terrarum regiarum locis omnibus poteſt; et collegio aut corpori nulli ius competit contradicendi. Artificum academicorum iura praerogatiua.

§. 405. Qui artis opus, ab eiusmodi artifice academico ipſo inuentum et ab academia approbatum, ipſo non approbante, imitando perficit, et in eius praeiudicium vendit, multa pecuniaria afficiatur thalerorum quinquaginta.

§. 406. Artificis heredes, ad quos priuilegium ſpecialiter et expreſſe non fuit extenſum, hoc iure praerogatiuo tantum gaudent intuitu vendendae copiae, a defuncto adhuc perfectae et relictae.

§. 407. Inſtituta, quibus prouentuum certorum naturalium quantitas maior elaboratur, aut expolitur, vocantur fabricae. Fabricae.

Source : BIU Cujas

Fabricam instituens et fabricatores.

§. 408. Eiusmodi institutum suo nomine exercens, vocatur fabricae institutor (*Fabrikunternehmer*), et in eiusmodi instituto operas praestantes vocantur fabricatores.

§. 409. Qui opificium, collegii statutis obnoxium, aut aliud suo nomine singulatim exercent, licet vulgo fabricatores vocentur, nihilo minus tantum diiudicandi sunt ex praeceptis sectionis antecedentis, prout quaestus statutis collegii seu corporis est obnoxius, vel non obnoxius.

Qui fabricas instituere possit.

§. 410. Fabricam instituendi veniam concedere regnum tantum potest.

§. 411. Eiusmodi venia pro priuilegio est habenda et explicanda.

§. 412. Si fabricam nouam instituendi venia quaeritur quaestui, in se opificum collegio obnoxio, loco aut prope a loco, quo eiusmodi collegium iam exstitit; antequam concedatur, inprimis semper audiendum est collegium aut corpus, cuius interest.

Iura eorum, qui fabricas instituunt.

§. 413. Fabricas instituentibus, intuitu earum exercitii et venditionis mercium in iis elaboratarum, mercatorum iura competunt.

§. 414. Ad quae iura exercenda iis necesse non est, in collegium mercatorum (*Kaufmannsgilde*) recipi, ne in iis quidem locis, vbi eiusmodi collegium exstitit.

§. 415. Ius merces in fabricis factas singulatim vendendi in regula iis non competit.

§. 416. In bonis operariorum et emtorum, exorto concursu creditorum, praelationis gaudent iure, in concursus ordinatione propius determinato.

Iura fabricatorum.

§. 417. Fabricatores proprie sic dicti (§. 408.) banno opificiario et collegiorum statutis non sunt subiecti.

§. 418. At neque participant praerogatiuas et priuilegia collegiorum seu corporum opificum.

§. 419. Operarii artem ab ipsis edocti tironum et boëthorum collegiatorum iuribus non gaudent.

Source : BIU Cujas

§. 420. At vero collegiatus, absque praeiudicio iurium collegii, fabricae poteſt operas ſuas locare tanquam operarius.

§. 421. Fabricatoribus proprie ſic dictis non competit ius, merces ab ipſis elaboratas nomine proprio venditandi; ſed opera facere tantum debent fabricam inſtituenti, et ad eius diſpoſitionem.

§. 422. Ne quis fabricas inſtituentium in inſtitutum ſuum recipiat eos, qui in inſtituto ſimili operas adhuc praeſtiterunt, antequam dimiſſionem probarunt teſtimonio ſcripto.

§. 423. Caeterum rationes inter fabricam inſtituentem et fabricatores diiudicandae ſunt ex eorum contractus ſententia, et ex legibus de eiusmodi contractibus. (Part. I. Tit. XI. Sect. VIII.)

## Sectio Quinta.

### *De braxatoribus, cauponibus, popinariis et aliis, vendendis cibis aut potibus praeparatis quaeſtum facientibus.*

§. 424. Quicunque in vrbe vendendis cibis aut potibus praeparatis quaeſtum ciuicum facit, obligatur, vt accurate obſeruet limites, huic quaeſtui loci ſtatutis et politiae ordinationibus praeſcriptos. Principia generalia.

§. 425. Magiſtratui oppidano nulli absque expreſſo conſenſu inſtantiae, cui cura politiae prouinciae eſt demandata, ius competit, conſtituendi reſtrictiones nouas adhuc non praeſcriptas.

§. 426. Vtrum braxandi ius in vrbe ad aerarium ciuitatis pertineat, an ſingulis ciuibus ſit conceſſum, determinandum eſt ex loci cuiusque conſuetudine et conſtitutione. Ius braxandi.

§. 427. Ex iisdem conſtitutionibus diiudicandum eſt, an ius braxandi ciuibus ſingulis conceſſum aedi-

Source : BIU Cujas

bus quibusdam inhaereat, an certis competat perſonis excluſis reliquis.

§. 428. Atque: an eorum, quibus hoc ius competit, quisque tempore quolibet, an ordine tantum certo, et an ſine reſtrictione vel non ſine reſtrictione ad certam menſuram braxare iure poſſit.

§. 429. Vbi braxandi ius ciuibus ſingulis aut aedium poſſeſſoribus competit; ibi in regula hi debent vti perſonis, publica auctoritate ad braxandum conſtitutis et iureiurando adſtrictis, et domo communi cereuiſiae coquendae, et polentae parandae et arefaciendae.

§. 430. Jus braxandi, aedibus inhaerens, in regula absque iis alienari nequit.

§. 431. At is tamen, cui braxandi ius competit, iuris ſui exercitium per tempora, aut per caſus, in tertium quoque poteſt transferre.

§. 432. Vbi mos ex ordine braxandi (*Reihebrauen*) inter ciues aut aedium poſſeſſores obtinet, ibi in regula cuilibet ius eſt, cereuiſiam ex ordine coctam quoque in domo ſua vendendi, licet alias ius vendendi cereuiſiam ipſi non competat.

§. 433. Vbi res cereuiſiaria certo collegio aut corpori competit, ibi quoque praecepta obtinent ſectionis tertiae intuitu banni opificii.

Popinae et diuerſoria.

§. 434. Popinariis ius competit, cibos a ſe paratos etiam extra domum vendendi.

§. 435. Cauponibus in ſuis tantum domibus licet, hoſpitibus pro parata pecunia cibos coctos apponere.

§. 436. Et iis competit ius, peregrinantes pro pecunia hoſpitio recipiendi, excluſis popinariis, et vendentibus cereuiſiam, vinum et potum, ex fabis caffeis confectum.

§. 437. In locis iis, quibus ſunt diuerſoria, neque alii incolae hoſpitio excipiant pro pecunia peregrinantes, diuerſoriis nondum repletis.

§. 438.

Source : BIU Cujas

§. 438. Homines ſuſpectos, teſtimoniis non inſtructos, cauponibus neque excipere licet, neque tolerare.

§. 439. Eorum eſt, perſonas ad ipſos diuertentes indicare in vrbibus magiſtratui, in pagis vero ſculteto.

§. 440. In genere caupones politiae curae et inſpectioni accuratiſſimae ſunt ſubiecti, et absque contradictione morem gerere eos oportet diſpoſitionibus omnibus, quae ad conſeruandum publicum ordinem et ſecuritatem ſunt viſae neceſſariae.

§. 441. Neque ſub vllo praetextu excedant aeſtimationem ſeu taxam, a politia praeſcriptam.

§. 442. Caupones, qui reos ſe faciunt violationis iteratae legum politiae ipſis praeſcriptarum, aut politiae inſtitutis pertinaciter reſiſtunt, cauponis iure iudicis ſententia ſunt priuandi.

§. 443. Quomodo caupones, ſcienter fures aut furum receptatores hoſpitio excipientes et tolerantes, ſint puniendi, leges criminales ſanciunt.

§. 444. Caupones obligantur, ad praeſtanda omnia, quae peregrinantes ab ipſis, aut iis, quorum opera vtuntur, excepti in cauponam intulerunt. Iura inter caupones et peregrinantes.

§. 445. Plures communiter cauponae ius exercentes peregrinantibus tenentur in ſolidum.

§. 446. Perſonae iſtae, quarum opera caupo vtitur, ad aſſignandum locum peregrinantibus, eorumque curribus et rebus, habendae ſunt pro iis, quos ad eos recipiendos conſtituit.

§. 447. Ab obligatione reſarciendi damnum aut detrimentum, rebus in cauponam receptis illatum, caupo tunc tantum liberatur, ſi poteſt erui, hoc damnum eſſe exortum ipſius peregrinantis culpa lata aut leui, aut vi externa et caſibus, quos caupo, vel exactiſſima attentione adhibita, neque praeuidere potuit, neque cauere.



Source : BIU Cujas

§. 448. Si caupo ſtatim in recipiendo declarat, ſe nolle de rebus illatis teneri; eiusmodi tantum damnum praeſtat, quod ab ipſo aut iis, quorum opera in recipiendo hoſpites vtitur, culpa lata aut leui eſt datum.

§. 449. Ad perſonas, de quibus caupo tenetur, referuntur quoque aurigae conductícii et famuli conductícii, peregrinanti ab eo commendati.

§. 450. Eo, quod caupo peregrinanti aſſignat rerum receptaculum, quod poteſt obſerari, et eius claues ei tradit, ab obligatione res praeſtandi illatas non liberatur.

§. 451. At vero, ſi peregrinans in obſerando negligens fuit, aut in cuſtodiendis clauibus incautus; ab ipſo ferendum eſt damnum, quod a caupone aut eius adminiſtris datum fuiſſe, non poteſt probari.

§. 452. Si peregrinans cauponi res, in arcis, ciſtis aut receptaculis obſeratis aliis incluſas, nominatim non indicauit; probare debet, ſi damnum ſe eſſe paſſum aſſerit, rerum amiſſarum qualitatem et quantitatem.

§. 453. At vero, ſi peregrinans eſt perſona haud ſuſpecta, quae pro conditione (ſtatu) et quaeſtu ſuo eiusmodi res, quas aſſerit eſſe amiſſas, ducere ſecum ſolet; probatione alia deficiente, admittendus eſt ad iuramentum, quo confirmet rerum amiſſarum qualitatem atque pretium, ab ipſo aſſertum.

§. 454. Si peregrinans rerum illatarum quasdam cauponi commiſit, qui ipſe immediate eas cuſtodiat; cauponi incumbunt obligationes, et praeſtationes depoſitarii omnes. (P. I. Tit. XIV. Sect. I.)

§. 455. Cauponi intuitu ſolutionis diuerſorii et receptionis, in rebus illatis eadem competunt iura, quae locatori intuitu mercedis locationis exigendae. (P. I. Tit. XXI. §. 395.)

Source : BIU Cujas

## Sectio Sexta.

### *De pharmacopolis.*

§. 456. Pharmacopolis competit ius, excluſis caeteris medicamenta praeparandi, atque ea et venena vendendi. Pharmacopolarum iura.

§. 457. Prouentus naturales, qui praeter medicamenta quoque ad alias fabricae, aedium aut culinae neceſſitates adhibentur, pharmacopolae etiam habeant et vendant, at vendant tantum in quantitatibus minoribus.

§. 458. Pharmacopolis, qua talibus, non competit ius, aromatum aut mercium aliarum aromatopolarum mercaturam faciendi.

§. 459. In locis tamen, vbi negotiator aromatarius (materialiſta) ſeparatus non eſt conſtitutus, pro pharmacopola ſtat praeſumtio, ei quoque caeteris excluſis competere ius, aromatum et mercium aromatopolarum mercaturam faciendi.

§. 460. In locis, vbi ſunt pharmacopolae, medici et chirurgi in regula abſtineant a praeparatione medicamentorum aegrotis exhibendorum.

§. 461. Arcana quoque ſic dicta venditionis cauſa praeparare licet nemini, absque ſpeciali collegii medici prouincialis conceſſione.

§. 462. Ius concedendi veniam, noua pharmacopolia inſtituendi, regno ſoli competit.

§. 463. Eiusmodi conceſſiones nouae diiudicandae ſunt ex praeceptis de priuilegiis.

§. 464. Pharmacopolae ſubiecti ſunt immediatae regni curae (inſpectioni), et collegiis medicis ab hoc conſtitutis. Eorum obligationes.

§. 465. Pharmacopolio praeeſſe tantum poſſunt, qui artem pharmaceuticam rite ſunt edocti; ad eam exercendam tentamine inſtituto a collegio medico idonei iudicati; et ad obſeruandas obligationes ſuas ab eodem collegio iureiurando adſtricti.



Source : BIU Cujas

§. 466. Cui ista requisita desunt, ad administrandum pharmacopolium, successione legitima aut alio modo ipsi delatum, constituat necesse est prouisorem idoneum secundum praeceptum antecedens.

§. 467. Eiusmodi prouisori sunt institoris mercaturae iura et obligationes.

§. 468. Medicorum nullus in regula pharmacopolium proprium possideat, neque illud ipse administret, neque per alios administrandum curet.

§. 469. Pharmacopola sub iuris iactura curare obligatur, vt quouis tempore ipsi sit copia medicamentorum necessariorum praestantiae iustae.

§. 470. Et eum quoque oportet disponere necessaria, ne publico et aegrotis moram faciat iis praeparandis, siue die sit, siue nocte.

§. 471. Pharmacopolarum officia medicamentis et venenis praeparandis, vendendis, et custodiendis, et de curandis aegrotis, in iure criminali sunt determinata.

Pharmacopolarum priuilegia specialia.

§. 472. Pharmacopolae de medicamentis debitori communi creditis, gaudent praelationis iure, in concursus creditorum ordinatione propius determinato.

§. 473. Libri ab ipsis mercatorum more conscripti, eadem habent iura et fidem eandem, ac mercatorum libri.

§. 474. Et intuitu facultatis cambii dandi mercatorum quoque gaudent iuribus.

## Sectio Septima.

### *De mercatoribus.*

I. Cui iura mercatorum competant.

§. 475. Qui mercium aut cambiorum negotiationem tanquam negotium suum praecipuum exercet, mercator appellatur.

Source : BIU Cujas

§. 476. Sub regni tutela et patrocinio negotia mercatoria exerciturus, veniam ea exercendi a magiſtratu petat neceſſe eſt.

§. 477. Minorennis ad exercenda negotia mercatoria demum admittatur, poſt aetatis veniam ipſi conceſſam.

§. 478. Maiorennis, patre adhuc viuo haud inſcio, et absque eius contradictione expreſſe declarata, negotia mercatoria exercere incipiens, eo ipſo ex patria exit poteſtate. (Tit. II. §. 212. 218.)

§. 479. Vbi mercatorum collegia exiſtunt, ibi membrum in illud recipiendum ſatisfaciat neceſſe eſt collegii ſtatutorum (articulorum) requiſitis, et intuitu diſciplinae annorum, et reliquorum.

§. 480. In locis, vbi eiusmodi mercatorum collegia exiſtunt, mercatoris iura non competunt, niſi recepto.

§. 481. At regno tamen in iis quoque locis ius reſeruatur, perſonis ſingulis, collegio non adſcriptis, conceſſionibus ſpecialibus tribuendi ius, mercaturam exercendi. (§. 184.)

§. 482. Vbi plane nulla mercatorum collegia exiſtunt, aut vbi ea tantum intuitu certorum generum mercatorum ſunt conſtituta, mercatorum iura competunt omnibus, mercium mercaturam aut cambiorum negotiationem perpetuam exercentibus.

§. 483. Fabricas inſtituentes mercatorum iura habent, intuitu mercium fabricandarum, et venditionis mercium in iis confectarum.

§. 484. Idem valet de dominis nauium, eas inſtruentibus (*Schiffsrhedern*), intuitu negotiorum, ad nauium inſtructionem (*Rhederey*) immediate ſpectantium.

§. 485. Pro mercatoribus habendi non ſunt ruris incolae, prouentibus tantum ab ipſis productis, aut mediis oeconomiae ruſticae excultis, negotiantes; atque opifices et fabricantes, operum ab ipſis confectorum commercium facientes.



Source : BIU Cujas

§. 486. Pagorum et vicorum tabernarii, negotiatores per domos merces circumferentes (*Hauſirer*), mangones (*Trödler*), et cibariorum negotiatores vulgares (*Victualienhändler*) mercatorum iuribus non fruuntur.

§. 487. Qui ſingulas tantum exhibitiones (*Lieferungen*) curandas in ſe ſuſcipit, inde nondum fit mercator.

II. De feminis mercaturam facientibus.

§. 488. Femina mercaturam ſuo nomine exercens in negotiis et connexionibus, ad mercaturam ſpectantibus, prouocare nequit ad iura praerogatiua et priuilegia, feminis conceſſa.

§. 489. In reliquis autem rebus et negotiis ei haec iura reſeruantur.

§. 490. In caſibus dubiis praeſumitur, eiusmodi perſonam (§. 488.) obligationes contractas tanquam feminam mercaturam facientem in ſe ſuſcepiſſe.

§. 491. Femina quoque, quae eſt mercaturae domina, huic mercaturae ipſa praeeſſe praeſumitur, vsque donec ab ea diſponens eſt conſtitutus, et mandatum, procura dictum, ſecundum §. 500. rite manifeſtatum.

§. 492. Tunc ipſi pro ipſius perſona neque mercatoris iura competunt, neque obligationes incumbunt.

§. 493. At vero obligatur, vt praeſtet et mercaturae bonis et bonis ſuis reliquis facta diſponentis (ſ. inſtitoris) omnia, mandato (procura dicto) manifeſtato conuenienter ſuſcepta.

§. 494. Si femina, mercaturae domina, viro nubit, inde eius iura et obligationes, reſpectu mercaturae eiusque exercitii in et per ſe non mutantur.

§. 495. Feminae, quae cum marito aut tertio ſocietatem mercatoriam iniit, tunc tantum feminae mercaturam exercentis iura competunt, et obligationes incumbunt, ſi ſimul conuentum eſt et manifeſtatum, eam mercaturae ſimul praeeſſe debere.

Source : BIU Cujas

§. 496. Mercatoris vxor, maritum tantum in negotiis adiuuans, pro femina mercaturam faciente nondum eſt habenda, ne in locis quidem, vbi communio bonorum inter coniuges obtinet.

III. De inſtitoribus (*Factoren*) et diſponentibus.

§. 497. Qui a mercaturae domino, qui ei praeeſſe non poteſt, aut recuſat, mandatum accepit, vt eius vice fungatur, inſtitor (*Factor*), diſponens, aut mercaturae exercitor vocatur.

a) Procuratio datio,

§. 498. Si mercaturae dominus ſub patria poteſtate aut tutela eſt conſtitutus, procura danda eſt ab eo, cui bonorum eius adminiſtratio competit.

§. 499. Qui ſi tutor eſt aut curator, aut ſi mercatura pertinet ad peculium liberum minorennis, ſub patria poteſtate adhuc conſtituti; collegii ſuperioris, cui cura minorum eſt demandata, approbatio accedat neceſſe eſt.

§. 500. Procura literis ſcriptis detur et rite manifeſtetur neceſſe eſt.

b) ambitus.

§. 501. Si diſponens mercaturae generatim eſt praepoſitus, mandatum extenditur ad omnia negotiorum genera, quae in mercatura ei commiſſa obueniunt.

§. 502. Si diſponentis poteſtas in caſibus ſingularibus limitari debeat, haec limitatio in procura determinata et vna cum ea loco debito manifeſtata ſit neceſſe eſt.

c) manifeſtatio.

§. 503. Pro manifeſtatione rite facta eſt habendum, ſi mercatores loci, quo mercatura iſta exiſtit, in mercatorum curia (*Buſa*, *Boerſe*), ſiue per mercaturae exercitores; atque ſi correſpondentes extranei, quibuscum mercaturae intercedit commercium, literis de procura certiores redduntur.

§. 504. Firma aut ſubſcriptio, qua diſponens debeat vti, ipſius manu ſcripta cum correſpondentibus eſt communicanda, et deponenda in mercatorum curia (*Börſe*), vbi cuſtodiatur.



Source : BIU Cujas

§. 505. In locis, vbi mercatorum curiae (*Börſen*) rite conſtitutae aut mercatorum collegia non exiſtunt, praeter manifeſtationem, literis cum correſpondentibus communicandam, iudicio competenti denuntiandum eſt, datum eſſe mandatum (procuram); firma in eo iudicio eſt deponenda; et loci mercatores a iudice de dato mandato ſunt certiores reddendi.

§. 506. Procurae limitationes, non rite manifeſtatae, domino contra tertium, qui cum diſponente egit, eatenus tantum ſunt vſui, quatenus poteſt erui, has limitationes ſatis tempeſtiue alio modo in notitiam tertii peruenisſe.

§. 507. Si mercaturae dominus aliquem, cui nullam procuram dedit, nihilo minus inſtitorem ſuum literis aut ore declarauit; tenetur iis, qui iſta declaratione inducti cum eo egerunt.

§. 508. Quatenus manifeſtatio eſt rite facta, a libero domini arbitrio pendet, vtrum negotia, ab inſtitore vltra procurae fines ſuſcepta, rata habere velit, an minus.

§. 509. De conſenſu expreſſo aut tacito accedente praecepta obtinent partis primae Tit. V. §. 185-191. et Tit. XIII. §. 143. 144.

§. 510. Atque etiam mercaturae dominum, ſimulac ab inſtitore aut a tertio, quocum negotium eſt actum, certior eſt factus, in negotio gerendo procurae fines exceſſiſſe inſtitorem, intra terminos Tit V. §. 90. ſqq. partis primae determinatos, oportet de approbatione aut improbatione ſe declarare, aut praeſtare damnum omne ex hac omiſſione ortum. (Part. I. Tit. XIII. §. 145. 146.)

§. 511. Atque etiam, ſi inſtitor ad certum tantum negotiorum genus fuerit conſtitutus, manifeſtatio nihilo minus eo loco, quo negotia debet expedire, et extraneis quoque mercaturae correſpondentibus ſecundum praecepta antecedentia fiat neceſſe eſt.

Source : BIU Cujas

§. 512. Limitationes ex mandati ipſius natura ſequentes expreſſa manifeſtatione non indigent.

§. 513. Inſtitor ad emendas tantum et vendendas merces nundinis maioribus et aliis (*Meſſen und Märkten*) conſtitutus, principalem eiusmodi tantum factis obligat, ſine quibus mandatum exſequi non poſſet.

§. 514. Si eiusmodi inſtitori facultas eſſe debeat, obligationes cambiales principalis nomine ſuſcipiendi, procura ad eam facultatem expreſſe ſit extenſa neceſſe eſt.

§. 515. Si inſtitor, in expediendo mandato, factum illicitum vel adeo delictum commiſit; principalis laeſo ad damnum reſarciendum eatenus tantum tenetur, quatenus in genere tertius ad damnum reſarciendum obligatus poteſt haberi. (Part. I. Tit. VI. §. 50. ſeqq.) d) Quatenus facta inſtitoris illicita principalem obligent.

§. 516. Confiſcatio ab inſtitore in negotiis mercatoriis expediendis commiſſa principalem afficit, ſaluo regreſſu ad inſtitorem.

§. 517. At vero, ſi principalis iam antea ſimilia inſtitoris facta approbauit, regreſſus locum non habet.

§. 518. Atque etiam principalis, ſi inſtitor ob paupertatem ſoluere nequit, de multis tenetur pecuniariis, ab inſtitore ſoluendis, ob delicta contra acciſae et vectigalium leges, licet principali neſcio, in negotiis mercatoriis commiſſa.

§. 519. At contra in aliis inſtitoris delictis, dominus de multa pecuniaria, in inſtitorem conſtituta, in et per ſe non tenetur.

§. 520. Absque expreſſo principalis conſenſu inſtitori ius non competit, mandatum acceptum (procuram) alii demandandi. e) Inſtitor an ſubſtituere poſſit.

§. 521. At vero ad ſingula tamen negotia mandatarios poteſt conſtituere, et ad expedienda eiusmodi negotia, quae mercator per mercaturae miniſtros et tirones ſolet gerere, hoc adiumento vti.



Source : BIU Cujas

f) Rationes inter principalem et inſtitorem.

§. 522. Iura et officia inter principalem et inſtitorem in primis diiudicanda ſunt ex verbis conuentionis inter eos celebratae, et vbi haec nihil determinat, ex generalibus legum praeceptis de mandatis. (P. I. Tit. XIII. §. 49. ſeqq.)

§. 523. Absque expreſſa principalis venia inſtitorum nulli licet, negotia mercatoria nomine agere proprio.

§. 524. Quod ſi nihilo minus fecerit; lucrum omne inde perceptum cedit principali.

§. 525. Si eiusmodi mercaturae negotium ab inſtitore inſtitutum, ex pluribus conſtat negotiis, inter ſe coniunctis; principalis negotii vnius lucrum percepturus damnum quoque negotiorum reliquorum in ſe ſimul ſuſcipiat neceſſe eſt.

§. 526. Inſtitori, ſublato mandato (procura) ius competit, principalis res et merces, quas adhuc detinet, retinendi, vsque donec ei ſatisfactum eſt de poſtulatis (praetenſionibus), procurae occaſione exortis.

§. 527. Quod tamen retentionis ius non poteſt extendi vltra eam ſummam, quam inſtitor poteſt petere ex cauſis et rationibus probabilibus. (Part. I. Tit. XX. §. 536. ſeqq.)

§. 528. Vel ſine promiſſione expreſſa petere poteſt inſtitor ſatisfactionem de operis praeſtitis aequam, niſi iam antea pro mercede definita operas ſuas locauerit principali.

§. 529. Quae ſatisfactio, ſi partes de ea conuenire nequeunt, definienda eſt, pro negotiorum ambitu et lucro inde effecto, a rei peritis iureiurando adſtrictis.

g) Procurae reuocatio.

§. 530. Mercaturae dominus mandatum datum reuocaturus, procuram retrahat, et eam reuocationem rite manifeſtet neceſſe eſt.

§. 531. Quae manifeſtatio ſecundum praeceptum §. 503. ſeqq. fiat neceſſe eſt.

Source : BIU Cujas

§. 532. Qui eo modo de procurae reuocatione certiores ſunt facti, iis mercaturae dominus ex pactis et negotiis cum eo, qui inſtitor fuit, poſtea contractis non amplius tenetur.

§. 533. Contra alios autem mercaturae dominus ſe tantum eo poteſt munire, ſi procurae reuocationem quater, diebus octo ſemper praeterlapſis, euulgat nouellis publicis et ephemeridibus prouinciae, vbi eſt mercaturae ſedes; praeter ea vero ſcriptam procurae reuocatae manifeſtationem ad mercatorum curiam (burſam, *Boerſe*), atque ad ianuam domus, in qua fuit rationis conclaue (*Comtoir*), affixam per quatuor hebdomadas ſuſpendit.

§. 534. Quibus modis neglectis, principalis eiusmodi perſonis quoque obligatur ex eius, qui inſtitor fuit, negotiis, procurae ante acceptae conuenienter poſtea geſtis; quatenus erui nequit, reuocationem alio modo in notitiam iis veniſſe.

§. 535. Si inſtitor tantum ad tempus certum determinatum eſt conſtitutus; hoc tempore elapſo neceſſaria non eſt expreſſa reuocatio reſpectu eorum, qui de hac limitatione rite certiores ſunt facti, aut quibus alio modo hanc limitationem veniſſe in notitiam poteſt probari.

§. 536. Intuitu reliquorum omnium in principalis ſecuritatem neceſſaria eſt procurae ſublatae manifeſtatio, modo §. 533. praeſcripto facta.

§. 537. Mercaturae dominus, ſi de negotiis, ab inſtitore durante eius adminiſtratione ſuſceptis, contra poſtulata (praetenſiones) ignota munire ſe velit, citationem iudicialem poteſt petere.

§. 538. Cuius citationis terminus in menſes octodecim eſt producendus, et manifeſtatio, in ordinatione proceſſus praeſcripta, praeter inſertionem, in nouellis publicis et ephemeridibus prouinciae factam, fieri quoque debet in nouellis publicis eorum

Source : BIU Cujas

locorum, ad quae mercaturae commercium inprimis pertinuit.

§. 539. Si lata praeclusionis sententia adhuc actiones (postulata, praetensiones) deferuntur, quae ex libris aliisque documentis extantibus, non fuerunt cognitae; principalis de iis tantum tenetur, quae ex negotio ad mercaturam re vera peruenerunt.

§. 540. Si mercaturae dominus moritur; procura ab eo data, ad certum tempus aut ad eius vitae dies expresse non restricta, vires retinet, vsque donec ea ab heredibus aut a iudicio reuocatur.

h) Rationes inter institorem et eos, quibuscum negotia egit.

§. 541. Dum institoris procura durat, iis, quibuscum negotia mercatoria egit, est electio: vtrum ipsum, an principalem conuenire malint.

§. 542. At institor tamen eiusmodi mercaturae creditoribus non tenetur ad satisfaciendum vltra summam mercaturae fontis, quem tenet.

§. 543. Nomina quoque mercaturae actiua, dum procura durat, vel ab ipso principali, vel ab institore possunt exigi.

§. 544. Procura sublata principalis tantum potest conueniri, et ipse quoque tantum nomina actiua exigere.

§. 545. At institor tamen tam procura nondum reuocata, quam ea sublata, tenetur ex propriis, si se expresse simul pro sua persona obligauit, aut mandati fines et terminos excessit.

IV. De mercaturae ministris et tironibus.

§. 546. Mercaturae ministri aut tirones, qui in cameris aut tabernis apertis (*Gewölben oder Laden*) sunt constituti, ad expedienda in iis negotia mercatoria ordinaria, mandato instructi habentur.

§. 547. In taberna aut camera merces ibi prostantes possunt vendere, mercium venditarum pretium accipere, et apocham dare de accepto.

§. 548. Mercium quoque, pecunia non praesente emtarum, rationes in taberna aut camera solui secure possunt, acceptis apochis ab iis datis.

Source : BIU Cujas

§. 549. Ad contrahenda mutua, ad cambia danda, acceptanda aut indoſſanda, ad merces emendas, atque ad eas vendendas, fide de earum pretio habita, aut in magnis quantitatibus, mercaturae miniſtri aut tirones meri mandato inſtructi non ſunt habendi.

§. 550. Extra tabernam aut cameram iis tantum eatenus ſolui ſecure poteſt, quatenus ipſi merces, pro quibus ſolutio praeſtatur, aut cambia apochis additis, aſſignationes, rationes, et alia chirographa tradiderunt.

§. 551. Adminiſtratores pecuniae (*Caſſirer*) menſariorum aliorumque mercatorum, atque mercaturae miniſtri, ad nundinas maiores aut mercatus miſſi, vel adeo ſine manifeſtatione ſpeciali inſtitores habendi ſunt ratione negotiorum, cum fine eorum deſtinato coniunctorum, aut ex eo ſequentium.

§. 552. Quatenus, his caſibus exceptis, mercaturae dominus obligetur ex negotiis, a mercaturae miniſtris aut tironibus geſtis; diiudicandum eſt ex principiis de mandatis. (Part. I. Tit. XIII. §. 98. ſeqq.)

§. 553. De illicitis eorum factis eatenus tantum tenetur, quatenus illicita inſtitoris facta eum obligant. (§. 515. ſeqq.)

§. 554. Mercator, qui alicuius nomine et fide eius domeſticis, famulis, aut opificibus merces tradit, ſuo periculo ſolo eas tradit. V. Si mercator fidem dedit de pretio famulis merces petentibus.

§. 555. Si eum, cuius nomine merces ſunt ſumtae, de ſolutione velit conuenire; eius conſenſum ſcriptum habeat neceſſe eſt.

§. 556. Qui conſenſus, ſi in vnam tantum exhibitionem (*Lieferung*) eſt datus, mercatori non tribuit ius exhibitionum plurium (*Lieferungen*) ſequentium.

§. 557. At vero, ſi quis alteri mandatum, ſuo nomine merces petendi, ſine reſtrictione dedit; mercator merces huic mandatario poteſt exhibere,

Source : BIU Cujas

vsque donec ipsi mandati reuocatio expresse denuntiatur.

§. 558. Si emtor cum mercatore habet librum, in quem merces exhibitae et pretium pactum referuntur; merces petens omnis, qui mercatori hunc librum edit, ad merces accipiendas mandato instructus est censendus.

§. 559. Si quis domestico, famulo, aut opifici mandatum dedit, vt suo nomine merces pecunia non praesente emat ab vno aut pluribus mercatoribus expresse denominatis; hoc mandatum aliis mercatoribus non tribuit ius, eidem modo eodem merces exhibendi.

§. 560. Vel ipsa acceptio mercium, alterius nomine alteri absque idonea legitimatione traditarum, ad earum pretium soluendum nondum obligat accipientem, quatenus hic tantum alias pro bonae fidei possessore est habendus.

§. 561. Quin potius, merces eo modo accipiens, de mercium pretio eatenus tantum tenetur, quatenus alias cum venditoris damno fieret locupletior.

VI. De libris mercatoriis.

§. 562. Mercator libris suis mercatoriis, rite conscriptis, ad probanda nomina litigiosa potest vti.

§. 563. Quae tamen probandi vis tantum extenditur ad mercium et cambiorum commercium, ad mercaturam pertinens.

§. 564. In mutuis, fideiussionibus, bonis vxorum illatis et negotiis aliis, notae in libris mercatoriis scriptae, maiorem fidem non habent, ac consignationes aliae priuatae.

§. 565. Et licet eiusmodi postulata (praetensiones §. 564.) ad mercaturae commercium referantur, aut cum eo sint nexu coniuncta; libri tamen mercatorii tanquam probandi media adhiberi in iis non possunt, nisi postulata (praetensiones) ex mercium aut cambiorum commercio sint exorta.

Source : BIU Cujas

§. 566. Si libri mercatorii probandi vim debeant habere; mercatorum more conſcripti ſint neceſſe eſt.

§. 567. Cum libro principali ſimul, petente parte aduerſa, reliqui quoque libri, ad quos ille refertur, ſunt edendi.

§. 568. Qui libri et inter ſe, et cum libro principali in examinibus, a rei peritis inſtituendis, concordent neceſſe eſt.

§. 569. Inter mercatores eiusmodi libri mercatorii vim plenam habent probandi.

§. 570. Si notae, in libris mercatorum lite contendentium ſcriptae, inter ſe discrepant; vtroque libro rite conſcripto neutrum eorum tanquam probandi medium in caſu praeſenti poteſt adhiberi.

§. 571. At vero, ſi aduerſus librum alterutrum monita grauia proferuntur, liber alter fide et accurate conſcriptus, contra quem monita nequeunt formari, tamdiu vim habet probandi, donec contrarium alio modo eſt cognitum.

§. 572. Contra alios, non mercatores, ex libris mercatoriis probatio tantum poteſt depromi, lite de mercium exhibitionibus orta; ſi confeſſione aut alias iam eſt cognitum, merces fuiſſe exhibitas.

§. 573. Tunc poteſt ex libris mercatoriis probari exhibitionis factae tempus; mercium exhibitarum quantitas et qualitas; pretium rerum emtarum aut exhibitarum pactum; et tempus, intra quod ſoluendum.

§. 574. Atque etiam de eo, vtrum mercium exhibitio reo ipſi immediate an eius domeſticis, famulis, opifici etc. facta ſit, admittitur probatio ex libris mercatoriis.

§. 575. At libri tamen mercatoris aduerſus eum, qui mercator non eſt, in caſu omni non efficiunt, niſi probationem ſemiplenam.

§. 576. Quae probatio ſemiplena ſi non infirmatur aut tollitur probatione aduerſa; mercator ad-

Source : BIU Cujas

mittendus eſt ad confirmandam iureiurando librorum ſuorum probationem.

§. 577. Ad confirmationem iuratam obligantur, ſi ſocietates ſunt mercatoriae, harum ſocii omnes, qui exhibitionis factae tempore mercaturae eo loco praefuerunt.

§. 578. Si ſocii praepoſuerunt ſuorum vnum, aut alienum, toti mercaturae, aut ſaltem ei generi negotiorum, ex quibus debitum eſt exortum; hic tantum obligatus eſt ad confirmationem iuratam.

§. 579. Si logographus (*Buchhalter*) libros conſcripſit; petente parte aduerſa, praeter mercaturae dominum aut inſtitorem, logographus quoque obligatur ad praeſtandum iusiurandum.

§. 580. Qui poſterior ſi eſt mortuus, aut eius domicilium ignotum; domini aut disponentis iusiurandum ſufficit ſolum.

§. 581. Qui procedendi modus ſit obſeruandus, ſi logographus dubitat iusiurandum praeſtare, in ordinatione proceſſus eſt praeſcriptum.

§. 582. Librorum veritatem iureiurando confirmare in regula oportet mercatoris heredes omnes, at tamen eo tantum modo, quo heredes in genere obligati ſunt ad facta teſtatoris confirmanda.

§. 583. At vero, ſi heredum vnus mercaturam in ſe ſuscepit dirigendam, eamque iam plus anno direxit, huius confirmatio iurata ſufficit ſola.

§. 584. Confirmatio iurata non deſideratur intuitu librorum, qui conſcripti ſunt a logographis iuratis menſae feneraticiae publicae regiae (*Bank*), et ſocietatis commercii nautici (*Seehandlungsgeſellſchaft*), et tabernae *Lagerhaus* vocatae, et fabricae, qua aurum et argentum in fila ducitur (*Gold- und Silbermanufactur*), et inſtitutorum publicorum reliquorum, hoc priuilegio expreſſe munitorum.

§. 585. Libris mercatoriis Iudaeorum, quibus mercatorum chriſtianorum iura ſunt conceſſa, eadem

vis

Source : BIU Cujas

vis probandi tribuitur, ac mercatorum chriſtianorum libris.

§. 586. Quae tamen probandi vis tantum reſtringitur ad negotia mercatoria, poſt illud tempus acta, quo Iudaeus mercatorum chriſtianorum iura eſt conſecutus.

§. 587. Si Iudaeus, cui haec iura non ſunt conceſſa, ad Chriſtianorum ſacra tranſiit; eius libri probandi vim tantum habent intuitu negotiorum mercatoriorum poſtea peractorum.

§. 588. Libri mercatorii Iudaeorum, quibus mercatorum chriſtianorum iura non competunt, vim tantum habent probandi contra ipſorum fidei ſocios.

§. 589. At vero, ſi eiusmodi Iudaeus fabricam inſtituit, aut eſt menſarius; eius libri vim quoque habent probandi aduerſus mercatores chriſtianos, qui cum eo cambiorum aut fabricae negotia egerunt.

§. 590. In caſibus autem omnibus libri mercatorii, lingua iudaica ſcripti, adhiberi nequeunt tanquam probandi media.

§. 591. Libri braxatorum, piſtorum, aut aliarum perſonarum, quaeſtum publicum facientium, atque tabernariorum in pagis et vicis, nullam probandi vim habent, licet in ſe more mercatorio fuerint conſcripti.

§. 592. At vero, ſi cum emtore liber habetur antigraphus, in quem relatae ſunt merces, pecunia non praeſente emtae, aut ſolutiones praeſtitae; hic liber antigraphus, in emtoris manibus, contra eum, abſque diſcrimine ordinis, plenam probationem efficit, ſi octo dies poſt exhibitionem (*Lieferung*) acceptam praeterlabi finit, nulla proteſtatione iudiciali facta contra veritatem notae in libro antigrapho ſcriptae.

§. 593. Si eiusmodi liber antigraphus abſque exhibentis culpa (*Lieferanten*) amittitur, hic aeque ac mercator poteſt admitti ad confirmationem iuratam exemplaris, quod eſt in ipſius manibus.



Source : BIU Cujas

§. 594. Intuitu negotiorum a mercatoribus inter se inuicem peractorum, librorum mercatoriorum vis probandi ad tempus determinatum non est restricta.

§. 595. Contra mercatoris heredes libri mercatorii vis probandi durat tantum per quinque annos, inde a die mortis hereditatem relinquentis.

§. 596. Contra alium non mercatorem liber mercatorius vim probationis semiplenae habet tantum intra annum, inde a cuiusque exhibitionis die.

§. 597. Quo anno peracto probandi vis quidem extinguitur, at non ius mercatoris, ex nota in librum relata, tanquam ex contractu scripto agendi.

§. 598. Vis probandi conseruari quoque potest libro mercatorio protestatione (protesto) interponenda, si mercium emtor reliquit terras regias, aut si eius domicilium mercatori est ignotum.

§. 599. Quae tamen protestatio anno isto nondum elapso (§. 596.) coram iudice, aut iustitiae commissario et notario est interponenda.

§. 600. In qua vero protestatione interponenda mercatorem oportet vel docere, eum, qui merces emit pecunia non praesente, extra terras regias degere, vel in iuramenti vim affirmare, se praesens eius domicilium, licet omnem adhibuerit operam, inuestigare non potuisse.

§. 601. Atque etiam librum principalem suum eum oportet edere, et illius loca, quae nomen (postulatum) continent, protestationi curare inferenda.

§. 602. Protestatione eo modo confecta probandi vis libro mercatorio conseruatur ad quinque annos vsque inde a die protestationis factae; quae etiam postea, per tempora, prolongari potest protestatione reiteranda.

§. 603. Eiusmodi protestatione mercator vim libri sui mercatorii probandi prolongare potest, contra alius mercatoris quoque heredes, vltra terminum §. 595. definitum.

Source : BIU Cujas

§. 604. Caeterum mercator eo, quod vis probandi librorum mercatoriorum ſuorum extincta eſt, nomine (poſtulato) ipſo nondum priuatur.

§. 605. Probandi vis nulla eſt libro mercatorio, cui folia ſunt glutinando vel infuendo inſerta, aut euulſa; aut ſi loca in eo deprehenduntur, mutando ita deprauata, vt nequeant legi.

§. 606. Quod idem locum habet, ſi mercator in conſcribendis libris falſitates commiſit, in commodum ſuum proprium.

§. 607. Si generis alius falſitates deprehenduntur, et ſi earum ſunt plures; ex arbitrio rei peritorum iuratorum eſt diiudicandum, an eae ſint eiusmodi, vt iis librorum fides prorſus infirmetur.

§. 608. Fide plane nulla ſunt digni libri mercatorii mercatoris, periurii aut falſi teſtimonii conuicti; aut delicti alius bonam famam infamantis, ſententia et iure lata, rei; aut declarati inhabilis ad praeſtandum iusiurandum.

§. 609. Idem obtinet, ſi mercator malitia aut petulantia foro ceſſerit. (Tit. XX. Sect. XIV.)

§. 610. At vero, ſi eſt cognitum, eum ex negligentia tantum aut temeritate oneri aeris alieni ſuccubuiſſe; libri eius adhiberi poſſunt ad adiuuanda alia, quae adſunt, probandi media.

§. 611. Si mercator actione ex librorum ſuorum fundamento inſtituta exegit nomen, cuius ſolutio iam facta eruitur; eius libri probandi vi deſtituuntur in perpetuum.

§. 612. At vero, ſi probatur, eum ob ſolam officialium mercatoriorum ſuorum cuiusdam perfidiam aut confuſionem ſolutionis factae nullam conſecutum eſſe notitiam; librorum vis probandi tantum infirmatur intuitu temporis ſpatii, quo eiusmodi officialis mercatorii opera vſus eſt ad conſcribendos libros, aut exigendas pecunias.



Source : BIU Cujas

§. 613. Sed per hoc quoque temporis ſpatium adhiberi libri poſſunt ad adiuuanda alia, quae adſunt, probandi media.

VII. De ſocietatibus mercatoriis.

§. 614. De ſocietatibus mercatoriis obtinent praecepta generalia de ſocietatis pactis generatim, quatenus ea hic non ſunt mutata. (Part. I. Tit. XVII.

A. Generatim.

§. 186. ſeqq.)

§. 615. Si ſocietas mercatoria negotia tantum ſingula certa gerit et ſuſcipit; manifeſtatio publica non eſt neceſſaria.

§. 616. Neque inter mercatores eum in finem contractu ſcripto opus eſt, quatenus eius locus ſuppletur ſocii vnius aut alterius libris mercatoriis, rite conſcriptis.

B. De ſocietatibus mercatoriis ſpeciatim.

§. 617. At vero, ſi ſocietas mercatoria perpetua ſub communi ſubſcriptione (firma) debeat componi: notae in libris mercatoriis ad eam probandam

a) Forma.

non ſufficiunt ſolae; ſed ſocios oportet contractum de ſocietate compoſita ſcriptum conficere. (Part. I. Tit. V. §. 155. ſeqq.)

§. 618. Socios quoque oportet ſocietatem inter ſe conflatam mercatoribus loci, quo pacta eſt, in mercatorum curia (*Börſe*), aut per eius praefidem manifeſtare.

§. 619. Si eo loco mercatorum collegium nullum exiſtit; de ſocietate facta magiſtratus loci certior eſt reddendus.

§. 620. In vtroque caſu ſimul ſocietatis ſubſcriptio communis (firma), ſub qua ſocietas exercere negotia ſua intendit, eſt indicanda, et autographa eorum, quibus negotia gerendi ius debeat competere, in mercatorum curia, aut in iudicio ſunt deponenda.

§. 621. In determinanda ſocietatis ſubſcriptione communi (firma) ad id attendendum eſt, vt ab omnibus iam publice manifeſtatis ſatis diſtinguatur.

§. 622. Si poſtea apparet, negotiationem aliam, iam inſtitutam, eiusmodi ſubſcriptione communi (firma)

Source : BIU Cujas

vti; ſocietas recenter conflata obligatur ad ſubſcriptionem communem (firmam) mutandam.

§. 623. Si ſociorum vnus vel alter a negotiis expediendis in totum vel ex parte debeat excludi; id in manifeſtatione expreſſe notetur neceſſe eſt.

§. 624. Idem debet fieri, ſi membrorum ſingulorum iura et obligationes determinari alio modo debeant, ac leges ſtatuunt.

§. 625. Manifeſtatione nondum rite facta, ſocietas contra tertium vti nequit ſocietatis mercatoriae iuribus.

§. 626. At ſocietas ipſa negotiis interea geſtis tertio omnino obligatur.

§. 627. Eadem manifeſtatio (§. 618. 619.) ſemper debet fieri, ſi pacti ſumma, antea iam manifeſtata, debeat mutari intuitu firmae, aut perſonarum, quae mercaturae praeſunt.

§. 628. Atque eiusmodi mutatio in ſpecie quoque notificanda eſt iis negotiationibus exteris, cum quibus ſocietati adhuc iam nexus fuit.

§. 629. Obligatio inter contrahentes ipſos a pacti initi die capit initium. b) Sociorum iura et obligationes

§. 630. De iis, quae ad fontem communem conferenda ſunt, locum obtinent principia partis primae Tit. XVII. §. 189. ſeqq. 1) intuitu collationum;

§. 631. At vero, ſi ſocietatis mercatoriae negotia nouis collationibus debeant ampliari; hoc fieri tantum poteſt conſentientibus membris omnibus.

§. 632. Si ſociorum vnus aut alter absque eiusmodi conuentione plura conferendo ſocietatis negotia ampliauit; habendus eſt pro negotiorum alienorum ſine mandato geſtore. (P. I. Tit. XIII. §. 228. ſqq.)

§. 633. Si notificatus ſocietatis contractus non aliud determinat, ſocius quisque ratione negotiorum communium pro inſtitore eſt habendus. 2) in negotiis gerendis;

§. 634. At vero, ſi ſocietatis mercatoriae negotia inter ſocios diuerſos ſunt diſtributa, atque id rite eſt



Source : BIU Cujas

notificatum; eorum quisque in suis tantum negotiis pro institore habetur.

§. 635. At tamen tum quoque valide possunt geri a socio quocunque, a negotiis gerendis non expresse excluso, ea negotia, quae mercaturae ministris aut tironibus expedienda competunt.

§. 636. Membro, a gerendis societatis mercatoriae negotiis non prorsus excluso, non licet, absque reliquorum consensu instituere mercaturam propriam eiusdem generis, cuius est societas mercatoria, neque socii instar participare eiusmodi negotiationem.

§. 637. At vero, si socius iam eo tempore, quo in societatem est receptus, mercaturam habuit separatam; eam continuare potest, nisi eius continuatio expresse fuerit pacto interdicta.

§. 638. Si socius, absque expresso reliquorum consensu, suam societatis ratam extraneo cedit; hic poscere non potest a sociis reliquis, vt ipsi libri mercatorii inspiciendi edantur, rationes reddantur, aut aliae de negotiis gestis demonstrationes exhibeantur, sed postulare tantum potest, vt cum ipso communicetur cuiusque anni ratio finalis. (Part. I. Tit. XVII. §. 217. seqq.)

3) qua rationes reddendas;

§. 639. Socius omnis ad id debet attendere, vt de negotiis ab ipso gestis conscribantur libri ex more mercatorum.

§. 640. Quod qui negligit, in rationibus ponendis, intuitu negotiorum a se gestorum et non rite in libros relatorum, amittit ius ad confirmationem iuratam. (Part. I. Tit. XVII. §. 220.)

§. 641. Reliquis quoque sociis tenetur de damno omni, inde oriundo.

§. 642. Si in contractu nihil singulare est pactum; socius quisque potest poscere, vt anno finito inuentarium de omnibus societatis bonis conficiatur, eo-

Source : BIU Cujas

que confecto ex libris mercatoriis ratio ponatur finalis, ad quam lucrum aut damnum diſtribuatur.

§. 643. Deficientibus determinationibus aliis id debet fieri ſub finem menſis Decembris anni cuiusque.

§. 644. Si in contractu nihil ſingulare eſt pactum; in conficiendo inuentario materiarum et mercium copiis, ad ſocietatem mercatoriam pertinentibus, id tantum ſtatuitur pretium, quo emtae ſunt, et vilius, ſi vilius eſt pretium, quo inuentarii conficiendi tempore ſunt venales.

§. 645. Praeterea aequa adhuc deductio facienda eſt de materiis et mercibus, quarum pretium iacendo in ſuſceptaculo deminuitur, atque de vtenſilibus, quae vſu deteruntur.

§. 646. Nomina mercaturae actiua, quae nequeunt exigi, deſcribuntur tota, dubia vero, facta deductione aequa.

§. 647. Societas mercatoria obligatur et pactis communiter contractis atque ſubſcriptis, et ſociorum ſingulorum negotiis, quatenus hi pro inſtitoribus ſunt habendi. (§. 633-635.) 4) qua rationes erga alios;

§. 648. De obligationibus cambialibus ſuſceptis quae ſunt neceſſaria, praeſcripta ſunt in ſectione ſequente.

§. 649. Si ſocius non ſocietatis nomine, neque ſub eius communi ſubſcriptione (firma) pacta init; locum obtinent praecepta partis primae Tit. XVII. §. 225. 226. et 228.

§. 650. Si ſocietatis membrum mandati fines exceſſit, aut facta commiſit illicita; obligatio membrorum reliquorum diiudicanda eſt ſecundum principia de inſtitoribus. (§. 516. ſeqq.)

§. 651. Qui ſocietati ſortem certam ſub ea conditione commiſit, vt vſurarum loco, lucri aut damni pro ſortis huius ratione ſit particeps, vocatur ſocius tacitus (*aſſocié en commendite*).



Source : BIU Cujas

§. 652. Cuius nomen si firma non continetur, nec ipse alias tanquam socius expresse est notificatus; hic societatis mercatoriae creditoribus non tenetur, nisi forte sua, societati tradita; neque compelli potest, vt plura conferat ad extinguenda societatis debita.

5) qua lucrum et damnum.

§. 653. Socio cuique competit ius, sortis collatae vsuras legitimas exigendi, nisi contrarium in contractu fuerit pactum.

§. 654. Ratione annua finali nondum posita, et distributione lucri ad eam nondum facta, sociorum nullus, caeteris non consentientibus, ex mercatura capere potest plura, ac sortis illatae vsuras legitimas.

§. 655. Quod si nihilo minus fiat, summae maioris, ex mercatura sumtae, vsurarum modus summus licitus est soluendus, et summa quoque ipsa, socio vno aut altero poscente, statim restituenda.

§. 656. At contra, posita ratione finali, et distributione facta, cuique competit ius poscendi, vt ipsi numeretur sua lucri pars, quatenus potest solui absque negotiorum continuandorum detrimento.

§. 657. Si socius lucri partem sibi attributam societati mercatoriae concedit, cum consensu reliquorum expresso aut tacito; huius partis, elapso societatis anno secundum §. 643. determinando, vsurae aeque soluendae sunt, ac sortis illatae.

e) De modis, quibus societas mercatoria dissoluitur.

§. 658. Si socius quidam se a societate seiungit, seiunctio facta semper, secundum praeceptum §. 627. 628. rite est notificanda.

1) Si membra singula eam relinquunt.

§. 659. Vsque dum hoc non est factum, membrum a societate seiunctum tenetur iis societatis creditoribus, quibus seiunctio non innotuit, etiam in negotiis, post seiunctionem gestis.

§. 660. Idem quoque tunc obtinet, si membrum a societate est exclusum. (Part. I. Tit. XVII. §. 262. et 263.)

Source : BIU Cujas

§. 661. Heredibus ſocii mortui, qui mercaturae communi, aut eius parti, ſimul praefuit, deficientibus conuentionibus contrariis validis, ius competit, ſe a ſocietate ſeiungendi elapſo ſocietatis anno, ſecundum §. 643. determinando, quo mortuus eſt ſocius.

§. 662. Eodem modo reliquis membris competit ius, heredibus ſocietatem renuntiandi.

§. 663. Vſque ad annum elapſum heredes lucrum aut damnum ſocietatis aeque participant, ac ſocius defunctus.

§. 664. Reliqua membra, aut eorum inſtitores, negotia ſub communi ſubſcriptione (firma) tamdiu nomine communi expediunt; et defuncti heredibus tantum licet, ad obſeruanda ſua iura rei peritum, iureiurando adſtrictum, tanquam inſpectorem, conſtituere.

§. 665. Heredes, qui a ſocietate ſeiunguntur, curare oportet, vt ante annum elapſum mors defuncti, et ipſorum a ſocietate ſeiunctio inſtans, ſecundum praeceptum §. 658. rite notificetur.

§. 666. Quos effectus, excepto caſu §. 661. determinato, ſocii mors producat, diiudicandum eſt ex praeceptis generalibus partis primae Tit. XVII. §. 280.

§. 667. Concurſu creditorum de propriis ſocii bonis formato, intuitu eius ſocietas ceſſat inde a die, quo concurſus creditorum eſt motus; et membris reliquis competit ius, ſecundum propius ordinationis proceſſus praeceptum cum creditoribus concurſus ſeparationem inſtituendi.

§. 668. Si praeterea ſocius ex ſocietate velit diſcedere, conſilium ſuum nuntiare reliquis eum oportet ſex menſes ante ſocietatis annum elapſum.

§. 669. Intuitu ſocietatis negotiorum, in fine anni, absque expreſſa contradictione ſocii ſocietatem



Source : BIU Cujas

relinquentis, actu iam contractorum, hic simul tenetur, donec plene sunt expedita.

§. 670. In separatione ipsa locum habent praecepta partis primae Tit. XVII. §. 295. seqq.

§. 671. Ex iisdem quoque determinandum est, quatenus socius societatem relinquens sortem illatam statim possit repetere, vel diutius debeat concedere societati pro vsuris mercatoriis.

§. 672. Omnibus societatis creditoribus, quibus socii seiunctio rite est denuntiata, socius seiunctus non nisi in annum vnum tenetur, ex elapso societatis anno.

§. 673. Si nominis cuiusdam dies hoc anno elapso demum venit, annus a die, quo nominis dies venit, est computandus.

§. 674. Quo spatio elapso, (§. 672. 673.) eiusmodi societatis creditores conuenire tantum possunt membra reliqua, in societate permanentia.

§. 675. Si vniuersae societatis negotiorum gestio, aut quaedam eius pars membro, quod societatem reliquit, soli fuit commissa; membra in societate permanentia, contra postulata (praetensiones) ignota ex negotiis ab eo gestis, aeque sibi cauere publica citatione (§. 540.) possunt, ac principalis contra facta eius, qui fuit institor. (§. 538. seqq.)

§. 676. Societatis tamen creditoribus, qui hac citatione non comparuerunt, reseruatur ipsorum ius contra eum, qui socius fuit, et seiunctionem a societate non rite notificauit.

2) Si societas plane dissoluitur et tollitur.

§. 677. Si societas mercatoria plane debeat dissolui; publica dissolutionis manifestatio secundum praeceptum §. 618. seqq. fiat, necesse est.

§. 678. Qua manifestatione neglecta, membrum quodque iis, quibus societatis dissolutio facta neque alio modo in notitiam venit, intuitu pactorum, ab vno aut ab altero eorum, qui socii fuerunt,

Source : BIU Cujas

nomine ſocietatis aut ſub eius firma initorum, aeque tenetur, ac ſi ſocietas non fuiſſet diſſoluta.

§. 679. Lite exorta, quis eorum, qui ſocii fuerunt, ſubſcriptione ſocietatis communi (firma) hactenus adhibita debeat vti; haec ei attribuenda eſt, cui ius competit, gerendi nomen praecipuum, in ea contentum.

§. 680. Ex quo principio ſi lis dirimi nequit; is, qui ab initio membrum ſocietatis fuit, aut eius heredes, ſocio ſerius recepto ſunt praeferendi.

§. 681. Quod ſi neque ex eo lis poſſit definiri; ſorte eſt decidendum.

§. 682. De obligatione eorum, qui ſocii fuerunt, erga ſocietatis creditores, facta manifeſtatione, eadem obtinent, quae in partis primae Tit. XVII. §. 307. ſeqq. ſunt ſancita.

§. 683. At vero, peti tamen poteſt ſub determinationibus §. 534. ſeqq. praeſcriptis, publica creditorum ignotorum citatio.

VIII. De vſuris mercatoriis.

§. 684. Mercator, qui alteri non mercatori merces dedit fide habita; nullo termino ſolutioni praefixo, elapſis diebus quatuordecim, inde a die interpellationis factae computatis, legitimas petere poteſt vſuras.

§. 685. Expreſſae interpellationi eſt aequiparandum, ſi mercator emtori mittit rationem.

§. 686. Ad probandum, interpellationem fuiſſe factam, et quando facta ſit, aut vsque ad quem diem fides fuerit habita, ſufficiat mercatoris nota in libris ſcripta iureiurando affirmata.

§. 687. Si interpellatio facta, aut dies, ad quem vsque fides habita ſit, probari nequit; vſurarum penſio demum initium capit elapſo anno inde ab exhibitionis factae die.

§. 688. Fide ad diem determinatum vsque habita, ab hoc die currunt vſurae, ob moram ſoluendae.

Source : BIU Cujas

§. 689. Ius vſuras petendi in antecedentibus (§. 684. 687. 688) expoſitum, non tollitur, licet mercator eidem emtori poſtea exhibeat merces plures, fide habita.

§. 690. Legibus regni aut prouincialibus, ad determinandum vſurarum modum latis, mercatores in regula quoque ſunt ſubiecti.

§. 691. De mercatorum mutuis locum habent praecepta partis primae Tit. XI. §. 805.

§. 692. At vero, ſi mercatori mercium magnario mutuo data eſt pecunia, accepto chirographo aut cambio ſolo, et ſine cautione ſingulari, in tempus ſex menſes non excedens; determinatio vſurarum modi prorſus relinquenda eſt conuentioni eorum, quorum intereſt.

§. 693. Sex menſibus autem praeterlapſis non admittuntur, niſi vſurae legitimae.

§. 694. Concurſu creditorum intra ſex menſes adhuc de bonis debitoris moto, creditor vſuras tantum legitimas ex maſſa poteſt petere.

§. 695. Pecuniae a mercatore ſuppeditatae, occaſione mandati ei dati, iure poteſt petere vſuras ſex pro centum annuas, inde a die, quo eam impendit.

§. 696. Mercatores inter ſe in negotiis mercatoriis, vel absque expreſſa conuentione, petere poſſunt vſuras, eo loco inter mercatores vſitatas.

§. 697. Si mercatores inter ſe nominum de ſorte et vſuris mutuorum rationes conferunt; is, cui reſiduum competit, iure poteſt petere totius reſidui ſummae vſuras, inde a die, quo poſuerunt rationem finalem, licet reſidui ſumma in ſe contineat vſuras.

IX. Prouiſio.

§. 698. Mercator, qui gerit negotia mercatoria alius, ſiue mercator ſit, ſiue non ſit, pro iis, vel absque conuentione expreſſa prouiſionem poteſt petere.

§. 699. Quae prouiſio in mercibus emendis aut vendendis ſoluitur de ſumma emtionis venditionis

Source : BIU Cujas

pretii; in pecuniis foluendis aut exigendis de fumma pecuniae foluendae aut exigendae; et in affecurando de quanto affecurationis fcripto.

§. 700. Si merces apud mercatorem funt depofitae; hic pro iis cuftodiendis mercium locarium (*Lagergeld*) poteft petere, vel nulla ante conuentione expreffa facta.

§. 701. Prouifionis et mercium locarii (*Lagergeldes*) modus determinandus eft ex iis, quae folent inter eius loci aut prouinciae mercatores folui.

§. 702. Mercatores oportet attendere, ne mercatores alii commendationibus fuis inducantur, vt cum perfonis incertis negotia agant mercatoria. IX. De commendationibus mercatoriis.

§. 703. Mercator, qui eum, cuius bona vacillant, aut qui dubiis eft moribus, meliora fciens mercatori alteri commendauit viri certi et boni inftar, refarcire debet damnum omne, quod ex commendati bonis non fufficientibus aut moribus incertis oritur in negotiis, quibus falfa haec commendatio immediate caufam praebuit.

§. 704. Si commendans ignorauit, commendati bona non fufficere, aut mores eius effe incertos; ad damnum refarciendum tunc tantum tenetur, fi euitare errorem adhibita attentione folita potuiffet.

§. 705. Si ab altero mercatore antea rogatus quendam commendauit; latam tantum culpam praeftat.

§. 706. In cafibus omnibus commendans ab obligatione damni refarciendi liberatur, fi poteft erui, lacfum commendatione non fuiffe commotum, ad negotia agenda cum commendato.

§. 707. Atque tum, fi commendatus, commendatione, iam facta non fecurus aut incertus factus eft.

§. 708. Damni quoque reparatio femper ad ea tantum negotia extenditur, quae immediate poft commendationem cum commendato funt acta.

Source : BIU Cujas

§. 709. Si laeſo per tempus interiectum occaſio fuerit oblata, de commendati facultatibus et moribus vera inueſtigandi; damni reſarciendi obligatio ceſſat.

§. 710. Mercator, qui mercatori alteri literis aut ore declarat, eum ſuo periculo fidem habere tertio poſſe, pro fideiuſſore eſt habendus.

§. 711. Et intuitu eiusmodi fideiuſſionis in genere, et quousque ea duret, et quam late pateat, locum habent praecepta Part. I. Tit. XIV. §. 258. ſqq.

§. 712. At vero, ſi mercator ad aliquem dedit literas, vt fides habeatur (*Creditbrief*), et correſpondenti ſuo praecepit, vt ferenti literas nomine ſuo ſoluat; illi tanquam debitor principalis tenetur.

## Sectio Octaua.

### *De cambiis.*

A. de cambiis in genere.

§. 713. Cambia vocantur chirographi, forma certa ſolenni ſeu legali ſcripti, quibus quis obligatur, ad ſoluendam pecuniae ſummam ſub rigore arreſti perſonalis, ſtatim ſubſequentis.

§. 714. Si chirographum dans promiſit, ſe ipſum eſſe ſoluturum, cambium eſt ſiccum aut proprium; at traſſatum eſt, ſi ſolutio tertio eſt iniuncta.

I. Qui cambio obligari poſſint.

§. 715. Qui in genere ad pacta ineunda eſt incapax, cambio ſe obligare nequit. (Part. I. Tit. V. §. 9.-31.)

§. 716. Cuius facultas, mutui contractum celebrandi, eſt limitata, is obligationem cambialem in ſe non poteſt ſuscipere. (P. I. Tit. XI. §. 675. ſeqq.)

§. 717. Vel in iis caſibus, in quibus pacta ab eiusmodi perſonis celebrata, aut mutua contracta ſub certis cauſis et circumſtantiis fiunt valida, contra easdem neque locum habet proceſſus, neque executio cambialis. (P. I. Tit. XI. §. 707. ſeqq.)

§. 718. In regula ille tantum cambialiter poteſt obligari, qui mercatoris iura habet.

Source : BIU Cujas

§. 719. Quae facultas, obligationem cambialem in ſe ſuſcipiendi, licet non amplius mercaturam exerceat, non ceſſat, priusquam ordinem ſuum mutauit. (P. I. Tit. I. §. 6.)

§. 720. Fabricarum poſſeſſores, atque pharmacopolae, qua negotia cambialia mercatoribus ſunt aequiparandi.

§. 721. Quod idem quoque obtinet ratione eorum, qui ſecundum ſingulares loci cuiusque conſtitutiones ius ſunt conſecuti, nomine (computo) ſuo proprio mari aut fluuiis nauigationem exercendi.

§. 722. His, intuitu nauium maritimarum aequiparatur praefectus nauis, aut ille, cui nauis totius commiſſa eſt directio.

§. 723. Iudaei quoque ſine discrimine iuri cambiali ſunt ſubiecti.

§. 724. Feminae, mercaturam exercentes, in negotiis cambialibus, in hac qualitate contractis, creditoribus ſuis rigore cambiali tenentur, etiam ſi a mercatura ſe abdicarunt.

§. 725. Feminae reliquae omnes indiſtincte literis cambialibus obligari non poſſunt.

§. 726. Praediorum nobilium poſſeſſores veri, et conductores principales aut generales praefecturarum regis aut principum, ad dandum cambium habiles ſunt habendi.

§. 727. Si poſſeſſionis titulus poſſeſſoris praedii nobilis in libro hypothecario eſt deletus, aut conductio ſublata; extinguitur facultas cambio ſe obligandi iis fundata.

§. 728. Omnes reliqui prouinciarum incolae, praeter perſonas ſupra denominatas §. 718 724. 726. in regula nequeunt cambiis obligari. (§. 931. 932.)

§. 729. Neque ius cambiale creditor conſequitur eo, quod aliquis ad dandum cambium ſe habilem aſſeruit, et aſſertum vel iureiurando confirmauit. (P. I. Tit. V. §. 35. 36.)

Source : BIU Cujas

§. 730. Cambia propria seu sicca data ab eiusmodi personis, quae ad dandas literas cambiales sunt inhabiles, habentur meri chirographi; et obligationes cambiales aliae, ab iis susceptae, diiudicantur ex natura negotii, quod eorum est fundamentum proprium.

§. 730. b) Si tamen eiusmodi personae per se ad dandum cambium inhabiles aerario aut instituto publico dant cambia, ex iis contra eos, quatenus in genere mutua possunt contrahere, oritur quoque obligatio cambialis.

§. 731. Si quis secundum leges ad dandas literas cambiales inhabilis, ad commercium vel quaestum suum adiuuandum aut ampliandum, facultatem cambia dandi cupit acquirere; eum oportet personae suae iudicem competentem adire, et ab eo impetrare concessionem iuris, obligationes cambiales contrahendi.

§. 732. Quem in finem vel ipse in persona debet comparere, vel dari mandatum iudiciale speciale.

§. 733. In qua re iudex diligenter inquirat, an facultatem obligationes cambiales contrahendi petens iis sit praeditus qualitatibus, mentis facultatibus et requisitis, quibus carere omnino non potest, cui ius esse debet, pacta celebrandi et mutua contrahendi.

§. 734. Praeter ea, at generaliter tantum, certus fiat necesse est, eum facere quaestum vtilem, ad quem promouendum facultas obligationes cambiales suscipiendi possit conferre.

§. 735. Ad instituendam quaestionem specialem de eo, quam late pateat quaestus petentis, et de eius bonis, iudici neque ius est neque obligatio.

§. 736. Si concessionem iuris obligationes cambiales contrahendi petens iurisdictioni patrimoniali est subiectus; iurisdictionis administrator curare debet, vt producetur consensus domini fundi, aut eius vicarii.

§. 737. Feminis, atque personis masculis ordinis rustici, aut ordinis ciuici plebeii, iudicem oportet, sub poena

Source : BIU Cujas

poena grauis vindictae, exponere et docere iuris cambialis praecepta et effectus.

§. 738. Si iudex petitum, facta eius cognitione in antecedentibus expoſita, concedere non dubitat; petenti atteſtationem (certificatum) his verbis debet exhibere: „eum ius, negotia cambialia agendi, rite petiiſſe, et ad ea agenda hac atteſtatione declarari habilem.“

§. 739. Quae atteſtatio (certificatum) eam accipienti, non ſolum in caſu, qui petendi occaſionem dedit, ſed in futuris caſibus omnibus ius tribuit, obligationes cambiales contrahendi.

§. 740. In negotiis cambialibus feminae, cui eiusmodi atteſtatio eſt data, neque praeſentia aſſiſtentis ſeu curatoris ſexus eſt neceſſaria, neque repetita rigoris iuris cambialis expoſitio.

§. 741. Si quis, qui vel ad pacta ineunda generatim, vel ad mutua contrahenda eſt inhabilis, eiusmodi atteſtationem impetrauit: ſubſiſtunt quidem obligationes cambiales, cum ipſo huius atteſtationis fundamento contractae;

§. 742. At vero iudex, qui eam dedit, praeſtat ſecundum generalia de damni reparatione principia, damnum incapaci inde datum omne; et praeter ea ſecundum leges criminales afficiendus eſt poena officiorum muneris doloſe violatorum, aut culpa lata neglectorum.

§. 743. Atteſtatio (certificatum) ipſa incapaci ſtatim auferenda eſt, et delenda.

§. 744. Quae ſi produci nequit, fiat iudicialis eius mortificatio publica proclamatione, et manifeſtatione nouellis et ephemeridibus prouincialibus inſerenda. (P. I. Tit. XVI. §. 130. 132.)

§. 745. Si quis, qui obligationes cambiales contrahendi facultatem atteſtatione iudiciali impetrauit, poſtea ius amittit, pacta ineundi, aut mutua libere contrahendi; de atteſtationis abolitione aut mortificatione



Source : BIU Cujas

obſeruanda quoque ſunt praecepta, in antecedentibus (§. 743. 744.) expoſita.

§. 746. Iudicium omne talium atteſtationum ab ipſo petitarum et datarum indicem habeat accuratum et abſolutum, vt in caſibus omnibus ſine impedimentis et difficultatibus erui poſſit: an quis eorum, qui ad perſonas §. 718. 720-724 et 726. denominatas non pertinet, acquiſiuerit facultatem ſpecialem, cambiis ſe obligandi.

§. 747. In quo indice ſtatim delendae ſunt atteſtationes, ſecundum §. 743-745. retractae aut mortificatae.

II. Requiſita cambii generalia a) verbum: cambium;

§. 748. Inſtrumentum, quod cambii vim habere debet, in contextu expreſſe cambium (*Wechſel*) aut litterae cambiales (*Wechſelbrief*) denominatum ſit neceſſe eſt.

§. 749. Quo facto, non attenditur, an praeter ea formula loquendi „ex iure cambiali (*nach Wechſelrecht*)," fuerit adhibita.

b) certa pecuniae ſumma;

§. 750. Et propria cambia, et traſſata dari tantum poſſunt de pecuniae ſolutionibus definitis, non de mercibus exhibitis aut operarum praeſtationibus.

§. 751. Literae, quibus debitori relinquitur electio, vtrum pecuniam ſoluere malit, an merces exhibere, vim cambii non habeant.

§. 752. Pecuniae ſumma tranſcribenda in cambio omni definite exprimatur neceſſe eſt.

§. 753. Deſignatio ſummae literis aut numeris (cifris) fieri poteſt, aut vtrisque ſimul.

§. 754. Si ſumma numeris (cifris) ſolis, in quibus correctio apparet, eſt expreſſa; vim cambii non habet inſtrumentum.

§. 755. Idem obtinet, ſi ſumma fuerit expreſſa literis ſolis, in quibus correctio cognoſcitur.

§. 756. Si ſumma ſupra aut infra cambium notata ab ea differt, quae eſt in contextu expreſſa, huius poſterioris tantum habetur ratio.

Source : BIU Cujas

§. 757. Si in cambio ipſo ſumma numeris (cifris) deſignata a ſumma literis expreſſa differt, haec eſt vera habenda.

§. 758. Aſſerenti, in ſummis, ſecundum §. 756. 757. ſtatuendis, errorem eſſe admiſſum, integra manet et ſalua huius erroris probatio, at tamen extra proceſſum cambialem. c) monetae genus;

§. 759. Monetae genus, quo ſolutio eſt praeſtanda, determinari poteſt libris menſae feneraticiae publicae (*Bancopfunden*) et monetis in rationibus adhibitis (*Rechnungsmünzen*) notis aliis, aut pecunia praeſente ſ. parata.

§. 760. At vero cambii vim non habet cambium, in noſtris terris ſoluendum, in quo ſunt expreſſi numi pretii minoris (*Scheidemünze*), aut aliud genus monetae, cambii dati tempore iam reprobatae.

§. 761. Neque eſt in regula praetermittendum in literis cambialibus nomen eius, cui aut cuius iuſſu (*auf deſſen Ordre*) eſt ſoluendum. d) nomen accipientis;

§. 762. At cambia tamen eorum, qui mercatorum iuribus gaudent (§. 718-724.), ſic quoque poſſunt dari, vt ſoluenda ſint literarum detentori (*Briefinhaber*) cuique.

§. 763. At vero, qui eiusmodi cambium ſibi ſcribendum curat, ſibi ipſi ſoli imputet, ſi cambium hoc exigitur a malae fidei poſſeſſore, a quo damni reparatio praeſtari nulla poteſt.

§. 764. At vero, ſi eiusmodi cambium in quemuis detentorem ſonans tertio nominatim eſt indoſſatum, ſolui non poteſt, niſi detentori illi, cui ex tali indoſſamento ius eſt, ſolutionem exigendi.

§. 765. Cambium omne in ſe contineat neceſſe eſt profeſſionem cambium dantis (campſoris), ſe valutam aut pretium accepiſſe. e) valuta;

§. 766. Si modo formula loquendi „valuta aut pretium“ eſt adhibita; non reſpicitur ad verba ipſa, quibus accepti profeſſio eſt expreſſa.



Source : BIU Cujas

§. 767. Determinatio, in quo aut a quo valuta ſit data, ad cambii validitatem non eſt neceſſaria.

§. 768. Sufficit quoque loquendi formula: „valuta in rationibus, aut pretium in rationibus (*in Rechnung*).“

§. 769. At cambia tamen perſonarum §. 726. denominatarum eatenus tantum tanquam cambia valent, ſi in cambiis ipſis ſcripta eſt cambium dantis (campſoris) profeſſio, ſe valutam accepiſſe numeratam.

f) dies; §. 770. Cambium omne locum quoque, quo datum eſt, et tempus, qua diem, menſem et annum determinatum, in ſe contineat neceſſe eſt.

§. 771. Nihil differt, an locus et tempus ſtatim in limine literarum cambialium an alio cambii loco ſint expreſſi.

g) tempus ſolutionis; §. 772. In literis cambialibus praeter ea tempus ſolutionis accurate determinetur neceſſe eſt.

§. 773. Quae determinatio fieri poteſt deſignando certum diem, menſem et annum; aut certum mercatum, aut nundinas maiores; aut exprimendo temporis ſpatium, diebus, hebdomadis, menſibus, aut annis determinatum.

§. 774. Sufficit quoque relatio ad certum actum, aut euentum, ex cuius adimplemento aut exiſtentia ſoluendi obligatio debet dependere.

§. 775. Statui quoque poteſt dies ſolutionis certus, a viſis literis (ſ. a viſta *auf Sicht*), vel ſecundum conſuetudinem (ſ. a vſo) computandus. §. 849. ſeqq.

h) ſubſcriptio. §. 776. Denique cambium omne a dante ſubſcriptum ſit neceſſe eſt.

§. 777. Mercatores, qui tanquam negotiationis domini, ſocii, aut diſponentes firma vtuntur publice manifeſtata, cambia, quibus negotiatio obligari debet, ſub hac firma dare oportet.

§. 778. In caſibus reliquis omnibus addendum eſt vel praenomen et nomen gentilitium, vel nomen

Source : BIU Cujas

gentilitium et dignitas datoris, aut ſignum aliud perſpicuum, quo dans ab aliis perſonis eiusdem nominis certo diſtinguatur.

§. 779. Si quis caſu in eum peruenit ſtatum, vt ipſe ſcribere nequeat, alii dare mandatum (procuram) poteſt, vt loco ſui ſubſcribat.

§. 780. Eiusmodi procura eodem modo danda eſt, quo aliud mandatum ſpeciale omne. (Part. I. Tit. XIII. §. 111. ſeqq.)

§. 781. Cambia, crucibus aut aliis ſignis ſolis ſubſcripta, valorem habent nullum.

§. 782. Non eſt neceſſe, vt dans literas cambiales cambii contextum ipſe ſcribat.

§. 783. Cambium dans ſubſcriptione agnita in proceſſu cambiali tueri ſe non poteſt exceptione, literas cambiales ipſas absque ſuo conſenſu eſſe ſcriptas.

§. 784. Exceptio dantis, ſe linguae, in qua cambium eſt conceptum, non eſſe peritum, inſtrumenti vim cambialem non infringit.

§. 785. Si literae cambiales in ſingulari datae a pluribus ſunt ſubſcriptae; is, qui primus nomen ſubſcripſit, debitor principalis habetur, et reliqui tantum tanquam fideiuſſores tenentur. II. Si plures ſimul literis cambialibus datis ſe obligarunt.

§. 786. At vero, ſi literarum cambialium, a pluribus ſubſcriptarum, ſententia numero collectiuo eſt expreſſa; ſtatuendum eſt, vnum pro omnibus et omnes pro vno ſ. in ſolidum eſſe obligatos. (Part. I. Tit. V. §. 430. ſeqq.)

§. 787. Hinc, qui in eiusmodi literis cambialibus, quas ſimul ſubſcripſit, fideiuſſor tantum, aſſiſtens aut teſtis vult haberi, eam qualitatem ſubſcriptioni ſuae expreſſe adiiciat neceſſe eſt.

§. 788. Inſtitor aut diſponens, qui non ſimul eſt negotiationis condominus, de obligationibus ab ipſo ſub negotiationis firma contractis, pro ſua per-



Source : BIU Cujas

ſona ex legibus cambialibus (cambialiter) non poteſt conueniri.

§. 789. At actio cambialis contra eum poteſt inſtitui, ſi ſe expreſſe pro ſua perſona obligauit, aut fines mandati exceſſit.

§. 790. Si factor aut diſponens negotium cambiale non ſub firma, ſed ſuo nomine ſolo contraxit; ipſe tantum cambialiter tenetur, at non negotiatio ſ. mercatura.

§. 791. Implementum obligationis cambialis, a firma ſuſceptae, ab eo eſt exigenda, qui negotiationi eſt praefectus.

§. 792. Qui ſi obligationi non ſatisfaciat, creditor cambialis dominum mercaturae ex legibus cambialibus conuenit.

§. 793. Si eſt negotiationis ſocietas; creditor cambialis conuenire poteſt ſocios omnes, vel eorum quoque vnum, ſiue plures.

§. 794. Nemini opponere licet exceptionem, ſummam ſoluendam ſuperare negotiationis communis portionem ſuam ratam.

§. 795. Socius tacitus ſic dictus (*Aſſocié en commendite* (§. 651. 652.) obligatione cambiali, ſub mercaturae firma ſuſcepta, nunquam cambialiter tenetur.

§. 796. Si negotiationis dominus, aut ſociorum vnus, pro ſua perſona, cambialiter obligari non poteſt, eo id tantum efficitur, vt arreſto cambiali perſonali proprio contra eum non ſit locus.

§. 797. Si praeterea perſonae plures, ad negotia cambialia habiles, ex negotio cambiali ſunt debitores principales; creditori eſt electio, a quo eorum ſolutionem velit exigere.

§. 798. Quem plenam ſolutionem praeſtare oportet, licet pecunia, in totum aut ex parte, in debendi correorum vtilitatem fuerit verſa.

Source : BIU Cujas

§. 799. In quantum, ſolutione a ſe praeſtita conuenire debendi correum ſuum poſſit, diiudicandum eſt ex praeceptis partis primae tituli V. §. 443. ſqq.

§. 800. Ipſi in tantum competunt iura fideiuſſoris omnia.

§. 801. Quatenus cambialiter poſſit conueniri, qui ex cambio tanquam fideiuſſor tenetur, in partis primae Tit. XIV. §. 296. ſeqq. eſt definitum.

§. 802. Fideiuſſor, qui debitoris principalis loco debitum cambiale ſoluit, absque ceſſione ſuccedit in iura creditoris cambialis omnia.

§. 803. Fideiuſſor cambialis ad negotia cambialia non habilis, non tenetur rigore cambiali, ſed fideiuſſoris vulgaris inſtar.

§. 804. Idem obtinet, ſi fideiuſſio non in cambio ipſo, ſed extra cambium, in inſtrumento alio eſt ſuſcepta.

§. 805. Si cambii detentor, in literis cambialibus, aut in earum dorſo denominatus, cambium ad alterum transfert; hic actus vocatur indoſſamentum. IV. De indoſſamento.

§. 806. Si translatio eo fit animo, vt alter fiat literarum cambialium proprietarius ſeu dominus: indoſſamentum eſt proprium; at ſi alteri tantum datur mandatum, debitum tranſcriptum exigendi, indoſſamentum vocatur pro cura.

§. 807. In indoſſamento pro cura inter indoſſantem et indoſſatarium valent principia de mandatis. (P. I. Tit. XIII. §. 49. ſqq.)

§. 808. In caſu dubio aſſumitur, factum eſſe indoſſamentum proprium, vi cuius in indoſſatarium literarum cambialium dominium debuit transferri.

§. 809. Sola literarum cambialium poſſeſſio ei, qui in literis cambialibus aut in earum dorſo non eſt denominatus, non tribuit ius, ſummam tranſcriptam exigendi.

§. 810. At vero, ſi in literis cambialibus, in quemuis poſſeſſorem ſonantibus, indoſſamentum re-



Source : BIU Cujas

peritur nullum; poſſeſſor omnis ad exigendam ſummam tranſcriptam eſt legitimatus. (§. 763.)

Indoſſamenti requiſita.

§. 811. Indoſſamentum in literis cambialibus ipſis conſignetur neceſſe eſt.

§. 812. At vero, ſi in literis cambialibus longis, locis remotis traſſatis, deficiente ſpatio, indoſſamenti continuatio in cambio ipſo fieri nequit, indoſſamentum in ſchedula agglutinando affixa valide poteſt fieri.

§. 813. Quo caſu excepto indoſſamentum, in literis cambialibus ipſis non inſcriptum, effectus ceſſionis tantum producit. (P. I. Tit. XI. §. 402. ſqq.)

§. 814. Si indoſſamento in literis cambialibus ipſis non conſignato, literae cambiales non traditae ſunt ceſſionario, ſed tertio rite indoſſatae; hic ceſſionario praefertur, ſi ipſi ceſſio prior fuit incognita. (P. I. Tit. X. §. 23. 25.)

§. 815. In regula indoſſamentum in ſe continere debet nomen eius, ad quem translatum eſt cambium, (ſeu indoſſatarii).

§. 816. Quod tamen expreſſe ad quemlibet literarum cambialium detentorem poteſt dirigi; at tum locum habet praeceptum §. 763. et 810.

§. 817. Detentoris prioris nomen ſubſcriptum ſolum non ſufficit, vt praeſens detentor acquirat ius, de literis cambialibus diſponendi.

§. 818. At vero, producto indoſſamento legitime extenſo, detentor prior, quem nomen ſubſcriptum agnoſcere oportet, in proceſſu cambiali tueri ſe non poteſt exceptione, cambium ab ipſo in blanco tantum fuiſſe indoſſatum, et extenſum inſcio ipſo.

§. 819. Praeter ea indoſſamentum in ſe continet, quemadmodum in cambiis ipſis (§. 765-769.) praeſcriptum eſt, profeſſionem, valutam aut pretium eſſe acceptum.

§. 820. Si eiusmodi profeſſio ex indoſſamento non poteſt cognoſci; ille, in quem indoſſamentum

Source : BIU Cujas

ſonat, habetur tantum ſpecialis indoſſantis mandatarius. (§. 807.)

§. 821. Atque etiam in indoſſamento tempus, quo factum eſt, qua diem, menſem et annum exprimatur neceſſe eſt.

§. 822. Quo requiſito deficiente ſtatuitur, indoſſamentum pro cura tantum exiſtere.

§. 823. Loci, quo indoſſamentum datum eſt, determinatio non eſt neceſſaria.

§. 824. At contra, ab indoſſante indoſſamentum eodem modo ſubſcriptum ſit neceſſe eſt, qui de cambiis eſt praeceptus. (§. 777. ſqq.)

§. 825. Cambii indoſſamentum fieri tamdiu potQuamdiu indoſſamentum fieri poſſit.
eſt, quam diu vis cambialis non eſt extincta.

§. 826. Indoſſamentum, vi cambiali iam extincta factum, eosdem tantum habet effectus, quos habet chirographi ceſſio. (P. I. Tit. XI. §. 402. ſqq.)

§. 827. Idem obtinet, ſi inſtrumentum indoſſatum ob vitia ei inhaerentia, valere pro cambio nequit.

§. 828. Indoſſatarius ſuccedit in iura indoſſantis Effectus indoſſamenti.
omnia contra debitorem cambialem, et reliquos ex literis cambialibus obligatos.

§. 829. Indoſſatarius, cambii dominus, literas cambiales indoſſare vlterius poteſt ſine diſcrimine, ſiue inſerta ſit clauſula: iuſſu *auf Ordre*, ſiue omiſſa.

§. 830. At vero, ſi ſpecialis tantum mandatarius eſt habendus, indoſſare tantum vlterius poteſt, ſi indoſſamento, vi cuius literae cambiales ad eum peruenerunt, inſerta eſt clauſula: iuſſu *auf Ordre*.

§. 831. Indoſſans indoſſatario cambialiter praeſtat et cambii veritatem, et ſummae ſcriptae determinato tempore ſolutionem.

§. 832. At vero, ſi ex indoſſamento patet, eum non eſſe, niſi merum mandatarium; pro ſua perſona in indoſſamenti ſerie eum ſequentibus, ſeu poſterioribus (*Hintermännern*), ad indemnitatem praeſtandam in



Source : BIU Cujas

ordinario tantum proceſſu non aliter tenetur, ac mandatarius alius omnis.

§. 833. Si inſtrumento in legitima literarum cambialium forma concepto, cambium dans ad negotia cambialia eſt inhabilis; indoſſans omnis ad negotia cambialia habilis nihilo minus eum ſequentibus (poſterioribus, *Hintermännern*) cambialiter eſt obligatus.

§. 834. Neque eo, quod literae cambiales in ſe ſunt falſae, mutatur indoſſantium erga eos ſequentes (*Hintermänner*) obligatio, indoſſamento vero exorta.

§. 835. Idem valet, ſi literae cambiales in ſe verae indoſſamento falſo ad detentorem peruenerunt, qui eo tempore nullam indoſſamenti falſi habuit notitiam.

§. 836. Indoſſantes, qui cambialiter obligari nequeunt, ipſi quidem indoſſatariis ſuis in ordinario tantum proceſſu tenentur, pro qualitate negotii, quod in indoſſando literas cambiales fundamenti loco fuit;

§. 837. At ipſi quoque cambialiter conuenire praeceſſores (*Vormänner*) poſſunt.

§. 838. Si quis, qui in genere legitime ſe poteſt obligare, et mutua valide contrahere, at a negotiis tantum cambialibus fuit excluſus, poſtea negotiorum cambialium gerendorum facultatem eſt conſecutus; tenetur quoque cambialiter ex indoſſamentis prioribus nondum praeſcriptis.

§. 839. Si literae cambiales ſaepius ſunt indoſſatae; detentori eſt electio, ad quem praecedentium cambialiter obligatorum velit regredi.

§. 840. Quin etiam electione iam facta, nihilo minus intra terminos, infra (§. 1047. 1211.) determinatos, ab hac electione poteſt recedere, et pro arbitrio aduerſus praecedentium (*Vormänner*) alium agere, non ſeruato ordine.

§. 841. Praecedens conuentus detentori praeſtare debet omnia, ad quae praeſtanda debitor cambialis

Source : BIU Cujas

proprius eſt obligatus; atque reſtituere ſumtus neceſſario erogandos.

§. 842. Simulac antecedens (*Vormann*) conuentus huic obligationi ſatisfacit, in praeceſſores (*Vormänner*) ſuos et proprium debitorem cambialem ei competunt iura detentoris, cui ſatisfecit.

§. 843. Detentor quoque, cui ſatisfecit, exhibere ei debet cambium originale.

§. 844. Detentor tamen, cui ſatisfactum, iure gaudet, delendi ante traditionem cambii ſuam et eum ſequentium (*Hintermänner*) ceſſiones, cambio adſcriptas (*Giro*).

V. De obligationum cambialium implemento.

§. 845. Ante diem ſolutionis praeſtitutum ex literis cambialibus exigi non poteſt ſolutio, at omnino ſecuritas, ſi incidant cauſae legitimae ad decernendum arreſtum.

§. 846. De adimplendis obligationibus cambialibus valent principia generalia de adimplendis obligationibus generatim (Part. I. Tit. XVI. §. 11. ſqq.); quatenus in hac ſectione nihil aliud eſt praeceptum.

a) Solutionis dies ſ. terminus praefixus.

§. 847. Literarum cambialium detentor non obligatur, ad ſolutionem, ante ſoluendi diem praefixum, contra voluntatem ſuam accipiendam

§. 848. Si dies ſolutionis in literis cambialibus eſt praefinitus, terminus ſolutionis eodem adhuc die incidit.

§. 849. Cambiorum a viſta ſ. a literis viſis (*auf Sicht*), ſine determinatione adiecta, traſſatorum terminus ſolutionis venit praeterlapſis viginti quatuor horis, inde a literarum cambialium praeſentatione.

§. 850. Si cambium a viſta ſeu a literis viſis, adiecta determinatione certorum dierum, eſt traſſatum; dies iſti inde ab eo die computantur, quo literae cambiales ſunt praeſentatae.

§. 851. Terminus ſolutionis cambii a vſo determinatur legibus mercatoriis loci, quo ſolutio eſt praeſtanda.

Source : BIU Cujas

§. 852. In regula cambium a vſo aequiparatur cambio, cuius dies venit quatuordecim diebus poſt praeſentationem praeterlapſis.

§. 853. In literis a dato et iis literis a vſo, quarum terminus ſolutionis a praeſentationis die currit, dies praeſentationis non computatur.

§. 854. Termino ſolutionis ad ſeptimanas determinato, terminus venit eodem vltimae ſeptimanae die, quo literae cambiales ſunt datae.

§. 855. Terminus ſolutionis ſi ad menſes eſt definitus, quilibet menſis, nulla numeri dierum menſis ratione habita, abſoluitur menſis die eo, quo literae cambiales ſunt datae.

§. 856. Si, eiusmodi cambio menſis die vltimo dato, menſi, quo ſolutio eſt praeſtanda, pauciores ſunt dies; ſolutionis terminus venit die menſis, quo ſoluendum eſt, vltimo.

§. 857. Si ſolutionis terminus menſis determinati medio eſt definitus; dies decimus quintus ſolutionis dies habetur; licet menſis triginta diebus plures habeat vel pauciores.

§. 858. Si ſolutionis terminus annis eſt determinatus; literarum cambialium dies venit anni, quo ſoluendum eſt, eodem menſis die, quo fuerunt datae.

§. 859. Quo in caſu ſi cambium die viceſimo nono Februarii anni intercalaris fuerit datum; anno ſolutionis, ſi annus non eſt intercalaris, in eius locum ſuccedit Februarii dies viceſimus octauus.

§. 860. Formula loquendi anni dimidii aut quadrantis aequiparatur formulae loquendi temporis ſemeſtris aut trimeſtris.

§. 861. Si in literis cambialibus ratio eſt habita certi cuiusdam actus aut euentus, a cuius implemento aut exiſtentia ſoluendi obligatio debeat pendere; dies praeſtitutus venit, ſimulac determinatus actus aut euentus exiſtit.

Source : BIU Cujas

§. 862. In cambiis regularibus et nundinalibus (*Meſs- und Marktwechſeln*) leges mercatoriae cuiusque loci ſolutionis terminum definiunt.

§. 863. Cambia regiomontana ſoluenda ſunt, pro electione debitoris, quarto aut quinto die hebdomadis, qua eſt ſoluendum (rationariae, *Zahlwoche*), vsque ad horam ſeptimam veſpertinam.

§. 864. Literae cambiales in nundinis Elbingenſibus ſoluendae, die ſexto, ſeptimo et octauo expediendae ſunt, poſt campanarum ſonum, vſque ad horam duodecimam meridianam.

§. 865. Cambia in nundinis maioribus aut mercatibus Vratislauiae a die lunae ſeptimanae ſecundae vsque ad eiusdem ſeptimanae diem Iouis, hora nona antemeridiana ſunt luenda, ſi debitor eſt Chriſtianus; Iudaeos vero ſoluere oportet die, antecedente diem, quo campanarum ſono indicatur finis nundinarum.

§. 866. Magdeburgi et Francofurti ad Oderam literae cambiales ad ſummum quarto die hebdomadis, qua eſt ſoluendum (rationariae), ſunt luendae.

§. 867. Solutionis terminus praeſtitutus in regula quoque eſt dies ſolutionis cambii. b) Solutionis tempus.

§. 868. Exceptio tantum locum eatenus habet, quatenus in cambiis traſſatis adhuc admittuntur dies dilatorii (*Reſpit- oder Diſcretionstage*). (§. 1092.)

§. 869. Solutionis die in regula, poſt horam duodecimam meridianam ad horam ſeptimam vespertinam vsque, ſolutio poteſt exigi. (§. 863. 865.)

§. 870. Si dies ſolutionis venit die ſolis, feſtis ſolennioribus, aut die ſupplicationis, quibus primus noui anni dies et dies mortis Chriſti (*Charfreytag*) accenſentur; creditor proximum diem profeſtum debet expectare.

§. 871. Et quidem ſine diſcrimine, licet debitor coetui religioſo alii, ac Chriſtianorum ſit addictus.

Source : BIU Cujas

§. 872. At vero, si dies solutionis cadit in diem Saturni aut diem Iudaeorum festum; Iudaeum, licet alias Christianorum iura fuerit consecutus, solutionem iam praestare oportet die profesto proxime antecedente.

c) Solutionis locus.

§. 873. Si in literis cambialibus de solutionis loco nihil est determinatum; creditorem oportet, si cambia sunt trassata, pecuniam deportare ex acceptantis aedibus.

§. 874. At contra, si cambia sunt (sicca) propria, locum habent praecepta partis primae Tit. XI. §. 769. seqq.

§. 875. Pecuniam mensae feneratitiae publicae (*Bank*) soluendam debitor in cassibus omnibus deferre debet ad mensae eius loci feneratitiae publicae conclaue rationis. (*Banco-Comtoir.*)

d) Monetae genus.

§. 876. Solutiones cambiales omnes in terris nostris praestandae et acceptandae tantum sunt in numis aureis aut argenteis, legibus regni vsualibus.

§. 877. Si in cambio aliud monetae genus, aut moneta in rationibus adhibita fuerit expressa, ratio huius monetae ad monetam soluendam computatur secundum valorem, quem solutionis die habet loco, quo est soluendum.

§. 878. Si nullo monetae genere in cambio expresso, cambium in terris nostris est soluendum; assumitur, negotium cambiale in numis solidioris argenti Borussicis maioribus esse contractum.

§. 879. Si in eiusmodi cambio scriptum est, solutionem in numis aureis esse praestandam, monetae genere definito non adiecto; intelliguntur numi Borussici aurei, quinque thalerorum pretium habentes.

§. 880. Solidis s. ducatis absque vlteriori determinatione scriptis, intelliguntur solidi iusti ponderis ad legem (modum) Borussicam aut Batauam cusi.

§. 881. Si in cambio certus numorum aureorum Friedericianorum (*Friedrichsd'or*) aut solidorum (*Ducaten*)

Source : BIU Cujas

numerus eſt expreſſus, numerus iſte exacte numeretur neceſſe eſt.

§. 882. Si in cambio certa tantum ſumma in numis aureis Friedericianis aut ſolidis ſoluenda eſt expreſſa, non determinato numorum numero; in computando, quot Friedericiani aut ſolidi ſoluendi ſint, Friedericianus putatur pro imperialibus quinque, ſolidus vero pro duobus et quadrantibus tribus.

§. 883. Cambium ſi extra regiones noſtras fuit ſoluendum, deficiente monetae generis determinatione, intelliguntur argenti ſolidioris numi maiores, ſolutionis loco vſuales.

§. 884. Idem valet de numis auri ſolidioris maioribus (*Gold-Courant*) loci ſolutionis extra terras noſtras ſiti, ſi in cambio expreſſi ſunt numi aurei, determinatione vlteriore non adiecta.

§. 885. Si cambium locis pluribus alternatiue, aut vbique, vbi debitor inuenitur, fuit ſoluendum; monetae genus indeterminatum definiendum eſt loco, quo literae cambiales ſunt datae.

§. 886. Praeter ſummam in cambio expreſſam, ex principiis antecedentibus determinandam, cambii detentor in regula vſuras petere poteſt nullas. e) Quid ſoluendum.

§. 887. Si vſurae in contextu literarum cambialium ſimul ſunt ſcriptae; hae, quatenus poſſunt admitti, vna cum ſorte ſimul ſunt ſoluendae. (§. 684. ſeqq.)

§. 888. Si vſurae in literis cambialibus nullae ſunt ſcriptae; inde a termino ſolutionis tantum legitimae morae vſurae currunt. (P. I. Tit. XI. §. 827. ſqq.)

§. 889. Vbi regreſſus cambialis obtinet, cambii detentori reſtituendi ſunt ſumtus, absque eius culpa exorti.

§. 890. Si creditor ſolutionis die non comparet, debitor ſecundum principia partis primae Tit. XVI. §. 214. ſqq. petere poteſt, vt ipſi permittatur pecuniae depoſitio. f) Modus procedendi in ſoluendo.

Source : BIU Cujas

§. 891. Si de cambii detentoris bonis, priusquam solutionis dies venit, concursus creditorum est ortus, debitorem solutionem praestare oportet depositorio iudiciali.

§. 892. Tum valuta depositа pertinet ad massam detentoris cambii ad concursum creditorum lapsi, nisi eruatur, eum mandatarium tantum fuisse.

§. 893. Cambii detentore ante solutionem defuncto, debitor ab heredibus comparentibus legitimationem poscat necesse est.

§. 894. At petentibus tamen heredibus est obligatus, ad deponendam in iudicio, eorum sumtibus, summam debitam, vsque ad subsecutam legitimationem.

§. 895. Idem faciendi ius ei quoque competit, si non vult descendere in cognitionem legitimationis heredum, in continenti non liquidae.

§. 896. Debitore cambiali ante terminum solutionis mortuo, detentor cambii aduersus illius heredes cambialiter potest agere.

§. 897. At vero cambialiter agi nequit contra heredes, qui ad legitimum deliberandi tempus prouocant, vel adeo petunt, vt liquidationis processus aperiatur.

§. 898. At cambii tamen detentor interea arresto imponendo, aut iudiciali hereditatis relictae obsignatione securitati suae potest prospicere.

§. 899. Quae praeterea in cambiis trassatis ad seruandum sibi regressum obseruare debeat, §. 980. et 1045. sqq. sunt praecepta.

§. 900. Solutione recte praestita debitori extradendum est cambium.

§. 901. Qui postulare quoque potest, vt de solutione facta in cambio reddito detur apocha.

§. 902. Quae obseruanda sint cambio amisso, infra §. 1159. sqq. et 1199. sqq. sunt praescripta.

§. 903.

Source : BIU Cujas

§. 903. Obligatio cambialis extinguitur praeter lapſo anno vno, qui inde a ſolutionis termino computatur. VI. De obligationis cambialis praeſcriptione.

§. 904. Hic tantum attenditur ſolutionis terminus, in literis cambialibus ipſis, aut prolongatione nouiſſima ſcripta praeſtitutus.

§. 905. Annotatione ſolutionis particularis factae, aut interpellatione extraiudiciali, vis cambialis praeſcriptio non interrumpitur.

§. 906. Moratorium debitori conceſſum interrumpit tantum praeſcriptionem obligationis cambialis eorum, qui iuribus mercatoriis non fruuntur. (§. 726.)

§. 907. Horum intuitu terminus praeſcriptionis nouus annuus initium capit a die moratorii ſublati.

§. 908. Actione in iudicio inſtituta cambii vis contra debitorem reum tam diu conſeruatur, donec inſtrumento quoque tanquam chirographo eſt praeſcriptum. (P. I. Tit. XI. §. 752. ſqq.)

§. 909. Quod locum habet, ſimulac debitori iudicialis citatio eſt inſinuata; licet proceſſus deinde non fuerit continuatus.

§. 910. At vero inſinuatio citationis cambialis facta modo, in proceſſus ordinatione praeſcripto, ſufficienter probata ſit neceſſe eſt.

§. 911. Obligationis cambialis praeſcriptio interrumpitur quoque proteſtatione rite facta.

§. 912. Si plures tenentur, tanquam debitores principales; proteſtatione vis cambialis ſeruari tantum poteſt intuitu eorum, contra quos eſt facta.

§. 913. Forma et effectus reliqui proteſtationis interpoſitae in cambiis traſſatis et propriis §. 1035. ſqq. et §. 1204. ſqq. ſunt determinati.

§. 914. Ordo procedendi in actione cambiali obſeruandus in ordinatione proceſſus eſt praeſcriptus. VII. De proceſſu cambiali.

§. 915. Si reus non pertinet ad perſonas, §. 718 vſque 727. ad negotia cambialia in et per ſe habiles;



Source : BIU Cujas

actio cambialis non datur, antequam actor probauit, reo atteſtatione (certificato) negotia cambialia peragendi facultatem eſſe conceſſam.

§. 916. Reus cambialis, praeter ſolutionis actori iam praeſtitae exceptionem, eiusmodi tantum vti poteſt exceptionibus, quae ſunt deductae ex iure cambiali, in hac ſectione ſcripto.

§. 917. Eiusmodi tamen exceptiones ſtatim probentur neceſſe eſt documentis, iuramenti delatione, aut depoſitione teſtium talium, qui ſtatim in iudicio poſſunt ſiſti.

§. 918. Extranei teſtium examinis rotuli, licet in termino ſint producti, eatenus tantum valent, quatenus confecti ſunt parte aduerſa adhibita, aut adhibito mandatario, a parte aduerſa ipſa electo.

§. 919. Ex ſubſcriptione ſola, oblata iurata eius diffeſſione, nulla poteſt inſtitui characterum ſcriptorum collatio.

§. 920. Si reus cambialis, praeter praenomen et nomen gentilitium ſuum, dignitatem quoque aut locum domicilii adiecit; characterum ſcriptorum collatio tantum admittitur contra eius heredes, et quidem non niſi ad adiuuanda alia, quae adſunt, probandi media.

§. 921. At vero, ſi verba aut verſus plures, ad confirmandam ſententiam, aut ſubſcriptionem, propria manu adiecit; ex his characterum ſcriptorum collatio poteſt inſtitui cum effectu pleno legitimo.

§. 922. Quatenus locum habeat exceptio pecuniae non numeratae in cambiis traſſatis et propriis, infra propius eſt determinatum (§. 1078. 1242. ſeqq.)

§. 923. Rationum collationes et poſtulata (praetenſa) contraria eatenus tantum admittuntur, quatenus ex negotiis cambialibus oriuntur, et praeter ea requiſitis legitimis ad compenſandum non carent. (Part. I. Tit. XVI. §. 302. ſeqq.)

Source : BIU Cujas

§. 924. At vero, ſi exceptiones aut poſtulationes (praetenſa) contrariae, quae per ſe in proceſſu cambiali poſſent admitti, at in continenti tantum probari non poſſunt, eius ſunt generis, vt arreſti impoſitionem fundent; reus cambialis tantum eſt obligatus ad ſoluendum in depoſitorium iudiciale.

§. 925. In caſibus omnibus, quibus depoſitio iudicialis admittitur, actori non poteſt denegari exſolutio, cautione idonea praeſtita.

§. 926. Si actor non eſt niſi mandatarius, aut ſecundum §. 820. et 822. pro mandatario habendus; agnoſcere eum oportet exceptiones et poſtulationes contrarias licitas omnes, reo contra cambii dominum competentes.

§. 927. Quo caſu excepto, reus in regula vti tantum poteſt eiusmodi exceptionibus et poſtulationibus contrariis, quae ei contra creditorem cambialem agentem ipſum competunt.

§. 928. Simulac actor eſt cambii dominus, locum habet praeceptum §. 926., licet literis cambialibus clauſula *auf Ordre* non ſit inſerta.

§. 929. Quae de clauſula inſerta: *auf Ordre*, in cambiis propriis locum habeant, infra determinantur. (§. 1244-1247.)

§. 930. Nomina (praetenſa) cambialia, ex cambiis et traſſatis et propriis exorta, ad ſextam claſſem pertinent, exorto creditorum de bonis debitoris concurſu. VIII. Prioritas cambii in concurſu creditorum.

§. 931. Extranei peregrinantes intuitu facultatis, obligationem cambialem ſuſcipiendi, limitationibus iuris cambialis noſtri non ſunt ſubiecti. IX. Retorſio in caſus cambialibus.

§. 932. Caeterum vero negotia cambialia, in terris noſtris ab iis ſuſcepta, diiudicantur ſecundum praeceptum introductionis §. 34. 35.

§. 933. Creditores extranei in caſus cambialibus iisdem fruantur iuribus, quae in hac ordinatione ſubditis noſtris ſunt ſcripta.



Source : BIU Cujas

§. 934. Hic ii tantum casus sunt excepti, vbi ex principiis legalibus retorsio locum habet. (Intr. §. 43.)

§. 935. At iudicia tamen, si iuris retorsionis exercendi casus non est apprime clarus, ante omnia consulere oportet collegium ministrorum status, res iudiciarias dirigens (*Justizdepartement*).

X. De negotiis cambialibus extra terras nostras actis.

§. 936. Negotia cambialia, extra terras nostras acta, diiudicanda sunt ex loci, quo sunt acta, legibus.

§. 937. In primis requisita cambii aut indossamenti validi definienda sunt ex legibus loci, quo cambium aut indossamentum est scriptum.

§. 938. At vero, si regni incola cum alio regni incola, qui negotia cambialia agendi facultate non gaudet, extra terras nostras negotium contraxit cambiale; negotium non aliter est diiudicandum, ac si in terris nostris fuisset actum.

B. De cambiis trassatis.

§. 939. In cambiis trassatis vsus chartae signatae non est necessarius.

I. Eorum requisita.

a) Nomen trassati.

§. 940. Praeter generalia cambii requisita (§. 748. seqq.) nomen trassati (*Bezogenen*), qui soluere debet, in literarum cambialium contextu, aut infra eas distincte expressum sit, necesse est.

§. 941. Adiectio eius praenominis aut dignitatis non est necessaria; at omnino consilii, ad euitandos errores metuendos.

b) Solutionis locus.

§. 942. Si solutio alio loco debeat praestari, quam eo, quo trassatus habitat; locus solutionis in cambio quoque expressus sit necesse est.

§. 943. Deficiente requisitorum praescriptorum vno, eiusmodi cambium trassatum valere tantum potest pro assignatione. (Sect. IX.)

II. De pluribus trassati cambii exemplaribus.

§. 944. Si exemplaria plura, cambium nempe primum, secundum etc. (*Prima-, Secunda- u. s. w. Wechsel*), sunt confecta; in exemplari quolibet exprimendum est, an cambium sit primum, an secundum etc.

Source : BIU Cujas

§. 945. Nulla qualitate in literis cambialibus expreſſa, ſtatuitur, eſſe cambium ſimplex (*Sola-Wechſel*).

§. 946. Traſſans, qui absque hac determinatione plura exemplaria ſcripſit, exemplar quodlibet praeſtat, tanquam cambium ſimplex (Sola), ſaluo regreſſu ad remittentem, et reliquos doli commiſſi ſocios.

III. Officia traſſantis et remittentis in contrahendo negotio.

§. 947. Conuentio de cambio traſſato inter traſſantem et remittentem immediate poteſt fieri, aut per proxenetam.

§. 948. Negotio per proxenetam contracto, huius atteſtum, ex ipſius diario (*Journal*) datum, conditiones probat negotii contracti.

§. 949. Negotio a traſſante et remittente immediate contracto, ratione perſonarum, iura mercatorum habentium, libri mercatorii vicem ſupplent contractus ſcripti.

§. 950. De perſonis, iura mercatoria non habentibus, valent praecepta generalia de pactis ſcriptis. (Part. I. Tit. V. §. 155. ſeqq.)

§. 951. Traſſantem, petente remittente conſcribere oportet vel literas cambiales ſimplices (ſolas, ſ. Sola-Cambium), vel cambii exemplaria plura nempe primum, ſecundum etc.

§. 952. Si exemplar vnum praeſentationis cauſa debeat transmitti, alterum vero indoſſari; in hoc notandum eſt, in cuius manibus ſit exemplar praeſentationis cauſa transmiſſum.

§. 953. Traſſans traſſatum tempeſtiue certiorem facere debet, ne cambii acceptatio negetur.

§. 954. Literas aduiſorias traſſans poteſt immediate transmittere, aut tradere remittenti, ſi petat, qui eas curet.

§. 955. In caſu tamen poſteriori praeſtat detentori tertio damna et ſumtus, ſi literae aduiſoriae traſſato non rite exhibentur, et conuenire tantum remittentem poteſt.



Source : BIU Cujas

§. 956. Si traſſans valuta accepta cambium, plus horis quatuor viginti vltra tempus conuentum, tradere moratur; remittens proceſſu executiuo eum poteſt adigere ad tradendum cambium.

§. 957. Quo modo et quo tempore valuta a remittente debeat ſolui, ab eorum, quorum intereſt, conuentione dependet.

§. 958. Remittens traſſanti de conuenta ſatisfactione valutae cambii accepti in proceſſu executiuo tenetur, vsque ad annum elapſum vnum, inde a die negotii acti computandum.

§. 959. Concurſu creditorum intra huius anni ſpatium de remittentis bonis moto, traſſans propter valutam reſiduam gaudet iure praelationis chirographorum priuilegiatorum.

§. 960. Qui vero, ſi ſpatium determinatum annuum praeterlabi fiuit, actione non rite inſtituta; et proceſſus minus ſolennis atque breuior, et praelationis ius in concurſu creditorum ceſſat, et actio tantum admittitur in proceſſu ordinario.

§. 961. Si traſſans cambium nomine alieno traſſauit, idque, ſine iuſſu expreſſo, valuta nondum ſoluta, tradidit; ei, cuius nomine traſſauit, praeſtat damnum omne, inde oriundum.

§. 962. Acceptationem cambii ſemel traditi traſſans, ob valutam non numeratam, traſſatis interdicere nequit; ne tum quidem, ſi literis cambialibus clauſula *auf Ordre* fuerit inſerta.

IV. De cambii praeſentatione.

§. 963. Cambii detentorem curare oportet, vt cambium traſſato tempore iuſto ad acceptandum praeſentetur.

§. 964. De cambiis regularibus loci cuiusque leges mercatoriae et conſuetudines determinant, quo die fieri praeſentatio debeat.

§. 965. Regiomonti Boruſſorum die nundinarum primo aut ſecundo praeſentatio fiat neceſſe eſt.

Source : BIU Cujas

§. 966. Francofurti ad Oderam et Magdeburgi cambia regularia die tertio aut quarto hebdomadis, qua ſoluendum eſt, ſunt praeſentanda.

§. 967. Vratislauiae praeſentatio poteſt fieri a die lunae primae nundinarum ſeptimanae vſque ad diei Veneris horam antemeridianam decimam eiusdem ſeptimanae.

§. 968. Cambia in mercatibus Elbingenſibus ſoluenda primo, ſecundo aut tertio die ſunt praeſentanda.

§. 969. Cambiorum a dato, et cambiorum ita a vſo datorum, vt eorum ſolutionis terminus a die literarum cambialium datarum computetur, praeſentatio ad minimum debet eo die fieri, quo dies cambii ſoluendi venit.

§. 970. In cambiis a viſta aut ita a vſo datis, vt dies ſolutionis a die praeſentationis computetur, traſſans tempus, intra quod praeſentari debeant, in cambiis ipſis poteſt determinare.

§. 971. Quod ni fuerit factum, detentorem curare oportet praeſentationem intra octodecim menſes a die cambii dati, ſub iuris ſui iactura.

§. 972. Diebus inde determinandis praeſentatio fieri poteſt ab hora octaua vſque ad duodecimam antemeridianam, et ab hora ſecunda vſque ad ſeptimam poſtmeridianam.

§. 973. Quibus praeſentationis terminis, §. 965. ſeqq. determinatis, a detentore neglectis, acceptatione aut ſolutione negata neque ad traſſantem neque ad indoſſantem ei patet regreſſus cambialis.

§. 974. At ei tamen, de valuta numerata, integra ſeruantur ipſius iura in proceſſu ordinario contra traſſantem et indoſſantes, quatenus vnus aut alter alias cum eius damno fieret locupletior.

§. 975. Ad praeſentandum mandato inſtructus habendus eſt quisque, qui eſt in cambii originalis poſſeſſione. a) Quis praeſentare poſſit.



Source : BIU Cujas

b) Cui fieri praesentatio debeat.

§. 976. Cambium traſſato ipſi, aut ei eſt praeſentandum, qui ab eo procura eſt inſtructus.

§. 977. Si traſſatus domicilii ſui loco abiit, procura nulla relicta, aut ſi horis praeſentationis legitimis eo, quo alias ſua negotia agit, loco non inuenitur; detentori ius competit proteſti conficiendi.

§. 978. Idem locum habet ratione cambiorum regularium (nundinalium), ſi traſſatus nundinas neque ipſe, neque procura frequentat, aut abiit ante terminos praeſentandi definitos elapſos.

§. 979. Traſſato mortuo, cambii detentor in eius rationis conclaui aut domo lugubri cum cambio compareat neceſſe eſt.

§ 980. Vbi ſi nemo inueniatur, ad acceptandum ius habens et paratus; ad proteſtum conficiendum eſt procedendum.

§. 981. Quod idem debet fieri, ſi heredes velint vti tempore legitimo deliberandi, an eſſe heredes velint.

§. 982. Concurſu creditorum de traſſati bonis ante praeſentationem formato; proteſtum ſine mora conficiendum eſt, ſimulac concurſus innotuit.

V. De acceptatione,

§. 983. Acceptatione cambii praeſentati traſſatus cambialiter obligatur, ad ſummam ſcriptam tempore determinato ſoluendam.

§. 984. Promiſſio extra cambium facta, nomine tertii certam ſummam acceptandi, vnice diiudicanda eſt ex praeceptis de fideiuſſionibus. (P. I. Tit. XIV. §. 257. ſeqq.)

a) Quando ea poſtulari poſſit.

§. 985. Diebus ſolis, feſtis ſolennioribus et ſupplicationis, atque etiam primo noui anni et paraſceues, acceptatio cambii praeſentati non poteſt poſtulari.

§. 986. Quin potius praeſentantem oportet expectare diem profeſtum proxime ſequentem.

§. 987. Neque ſi traſſatus eſt Iudaeus, et praeſentans Chriſtianus, hic poteſt obligari ad cambium die ſolis, feſto aut ſupplicationis praeſentandum.

Source : BIU Cujas

§. 988. Quin potius absque sui iuris detrimento diem profestum proximum potest expectare.

§. 989. At contra, neque a Iudaeo, die sabbati, aut talis Iudaeorum festi, quo negotia mercatoria facere prohibetur, postulari potest acceptatio cambii, ad eum trassati.

§. 990. At vero eum oportet, petente praesentante, de acceptando cambio se declarare die profesto proxime antecedente.

§. 991. Acceptatio a trassato ipso, aut ab eo, qui ad acceptandum cambium procura idonea est instructus, manu propria in cambio notetur necesse est. b) Quomodo acceptatio fieri debeat.

§. 992. Acceptationes ore tantum factae in terris regiis rigorem cambialem non fundent.

§. 993. At vero, si trassatus cambium ipsi praesentatum et traditum sine monito vllo per noctem apud se retinet; id tacita habetur acceptatio.

§. 994. Acceptationis factae annotatio ad nullam formam est adstricta.

§. 995. Trassato ius non est, contrarium, scilicet, se nolle acceptare, in cambio annotandi.

§. 996. Quod si nihilo minus fecerit, et praesentanti et reliquis, quorum interest, omnibus praestat damnum, inde oriundum.

§. 997. Acceptationem semel factam trassatus neque reuocare, neque delere in cambio potest.

§. 998. Quin etiam, si acceptationem factam in cambio deleuerit, nihilo minus ex acceptatione tenetur.

§. 999. Si ex cambii verbis solutio fieri non debeat loco domicilii trassati (§. 942.); in acceptatione ab hoc notandum est, vbi cambii detentor satisfactionis suae causa debet comparere.

§. 1000. Quod si fuerit omissum; acceptans praestat damnum inde oriundum, et loco domicilii potest ad solutionem cambialem adigi.



Source : BIU Cujas

§. 1001. In literis cambialibus a vista aut eiusmodi a vso, quarum solutionis tempus a praesentatione currit, trassatus tantum est obligatus ad diem acceptationis annotandum.

§. 1002. Dies praesentationis quoque est adiiciendus, si praesentationis et acceptationis tempus est diuersum. (§. 985. 990.)

§. 1003. Neque tamen et in his casibus acceptatio ipsa infirmatur die non adscripto.

§. 1004. At detentor, si lis de proprio solutionis termino praestituto exoriatur, praesentationis tempus alio modo doceat necesse est.

§. 1005. Si ex cambii verbis patet, plura eius exemplaria esse data; trassatus tantum tenetur ad acceptandum exemplar primum, ipsi praesentatum.

VI. De protestatione ob acceptationem negatam.

§. 1006. Si trassatus acceptationem cambii negat; statim procedendum est ad protestationem interponendam.

§. 1007. Protestatio in regula praesentationis die ante solis occasum adhuc est interponenda.

§. 1008. At praesentans tamen, si cambia sunt regularia (nundinalia), protestationem tam diu potest differre, donec elapsi sunt praesentationis termini, quolibet loco determinati.

§. 1009. In cambiis a dato, a vista et a vso quoque protestatio interponenda eo vsque potest differri, vt protestatio cursu publico proximo possit transmitti.

§. 1010. Quo tamen in casu si dominus, dans, aut indossans (*Girant*) eodem loco habitat; praesentans protestationem interponendam differre nequit absque eius consensu.

§. 1011. Si trassatus loco summae totius, in cambio scriptae, partis tantum solutionem acceptat; praesentans non obligatur, vt eam acceptationem admittat, sed statim de summa tota in cambio scripta potest protestationem interponere.

Source : BIU Cujas

§. 1012. At ſi acceptationem partis ſummae velit admittere, nihilo minus de parte reliqua proteſtationem curet neceſſe eſt.

§. 1013. Nihil mutatur, vtrum praeſentans cambii ſit dominus, an tantum mandatarius, ſi in caſu vltimo non eſt mandato expreſſo inſtructus, vt partis tantum ſummae in cambio ſcriptae acceptationem admittat.

§. 1014. Si praeſentans acceptationem cum reſeruatione, ſub conditione, aut ad remotiorem ſolutionis terminum admittit; ius cambiale in praeceſſores ſuos amittit.

§. 1015. At vero, ſi acceptans non praeſtat ſolutionem, in proceſſu ordinario agere poteſt aduerſus eos horum praeceſſorum, qui alias cum eius damno fierent locupletiores.

§. 1016. Si praeſentans non fuit niſi mandatarius; cambii domino tenetur, de damno omni, ex hoc conſenſu ſuo oriundo. (§. 1014.)

§. 1017. Si igitur traſſatus acceptationi reſeruationem aut conditionem adiicit, aut cambium in remotius ſolutionis tempus acceptat; praeſentans quoque, ad obſeruanda iura ſua, proteſtatione interponenda rite procedat neceſſe eſt.

§. 1018. Si in cambio quis eſt denominatus, quem adire debeat detentor in caſu acceptationis negatae; detentorem conuertere ſe oportet ad denominatum (*an die Addreſſe*), ſimulac proteſtatio contra traſſatum eſt interpoſita.

§. 1019. Si acceptatio quoque negatur a denominato (*Addreſſe*); detentor ideo de nouo proteſtationem debet interponere.

§. 1020. Si ad acceptandum ſe quis offert in literis cambialibus non denominatus; literarum cambialium detentor ad acceptationem admittendam tantum obligatur ſolutione numerata facta. VII. De acceptatione in honorem (*per honor*).

Source : BIU Cujas

§. 1021. At vero, si traſſatus ipſe literas cambiales in dantis aut indoſſantium cuiusdam honorem vult acceptare, iſtam acceptationem detentor admittat neceſſe eſt.

§. 1022. Qui cambium in honorem vult acceptare, ante omnia curet neceſſe eſt proteſtationem interponendam, eamque a detentore, facta ſumtuum refuſione, ſibi extradendam.

§. 1023. Acceptatio honoris cauſa neceſſario in ſcriptis et expreſſe debet fieri; et neque reuocari poteſt, neque deleri.

§. 1024. Literae acceptationi adiectae S. P. (*ſopra proteſto*) hic non ſufficiunt; nec vlla inde exceptio, ſi vel adeo indoſſantium vnus aut alter indoſſamentum (*Giro*) ſuum acceptanti commendauerit.

§. 1025. Mandatum ſpeciale hic non eſt neceſſarium.

§. 1026. Acceptans honoris cauſa ſuccedit in obligationes omnes, quas traſſatus acceptatione ſolita iniret.

§. 1027. At contra quoque ſolutione praeſtita ſuccedit in detentoris iura erga eum cambialiter obligatorum, in cuius honorem literas cambiales acceptauit.

§. 1028. Si in acceptando non fuerit expreſſe notatum, in cuius honorem acceptatio facta ſit; aſſumitur, eam tantum in dantis honorem eſſe factam, adeoque acceptans aduerſus hunc tantum agere poteſt.

§. 1029. Quae detentori de proteſtationis remiſſione praeſcripta ſunt, eadem quoque acceptans honoris cauſa (*per honor*) obſeruet neceſſe eſt.

§. 1030. Quorum praeceptorum ſi vllum neglexerit; acceptans honoris cauſa acquirit tantum iura, quae traſſato in dantem competerent ſolutione praeſtita.

Source : BIU Cujas

§. 1031. Si traſſatus ipſe honoris cauſa acceptauit; eadem iura acquirit, quae eiusmodi acceptans alius.

§. 1032. Inde liberatur ab obligatione, admittendi diſpoſitiones in literis aduiſoriis a dante de ſecuritate aut de aliis factas.

§. 1033. Si ille, ad quem literarum cambialium detentor a datore, ſi traſſatus eas non acceptauerit, eſt commendatus (§. 1018.), cambium acceptauit; huic eadem iura competunt, quae honoris cauſa acceptanti.

§. 1034. Inter plures denominatos praefertur ille, qui in traſſantis, aut indoſſantium priorum cuiusdam honorem vult acceptare.

§. 1035. Proteſtationes in terris regiis vel a perſona iudiciali, vel a iuſtitiae commiſſario, vel notario conficiantur. VIII. Proteſtationis forma.

§. 1036. In quibus conficiendis praeter perſonam iudicialem non requiritur alius, protocollum excipiens (protocollarius); neque praeter notarium requiruntur teſtes, in aliis notarii actibus neceſſarii.

§. 1037. Proteſtationem conficientem oportet certitudinem ſufficientem acquirere de circumſtantiis in negotio praecipuis, et iis in primis, quae ad traſſati perſonam pertinent; et protocollo de cauſa omni rite confecto ad eius ſummam (tenorem) deinde proteſtationem expedire.

§. 1038. Proteſtationis validitati nihil quidem detrahitur eo, quod eiusmodi protocollum ſeparatum non fuit confectum;

§. 1039. At vero, perſona iudicialis, iuſtitiae commiſſarius, aut notarius, qui tale vitium admiſerunt, iis, quorum intereſt, tenentur de damno omni inde forte orto, et praeterea fiſci nomine puniantur quadruplo ſportularum, pro confecta proteſtatione acceptarum.

Source : BIU Cujas

§. 1040. Qui semel iam est ob eiusmodi negligentiam punitus, in reiterationis casu declarandus est incapax, ad concipiendam protestationem cambialem, quae declaratio loci mercatoribus est indicanda.

§. 1041. Praeter generalia protocolli, aut instrumenti notarii, requisita protestatio cambialis in se contineat necesse est:

1) exemplar literarum cambialium accurate descriptum (copiam);

2) notationem perfectam causarum connexarum, ob quas solutio vel acceptatio non est secuta.

§. 1042. Trassato praesente, interrogatio ad eum: an, et quo modo cambium acceptare aut exsoluere velit? protestationi inferenda est cum responsione, ab interrogato ad eam data, verbotenus exprimenda.

§. 1043. Si trassatus domicilii loco abiit, aut si non inuenitur eo loco, quo in legitimis praesentationis horis alias expedire sua negotia solet; praemissa percontatione, in protocollo notatur: in rationis conclaui, taberna, camera, et aedibus debitoris inuestigatione facta inuentum fuisse neminem, qui acceptare potuerit et voluerit.

§. 1044. Idem obtinet de cambiis regularibus, si dans nundinas maiores (*Messe*) non frequentauit, aut ante praesentationis vel solutionis tempus iam abiit.

§. 1045. Tum quoque, si protestatio propter trassati mortem, aut creditorum concursum de eius bonis motum, secundum §. 979-983. est interponenda.

IX. Modus procedendi protestatione interposita.

§. 1046. Si praesentans merus est mandatarius, protestationem omnino cursu publico proximo ad mandantem debet transmittere; quod nisi fecerit, huic tenetur de damno omni, inde oriundo.

§. 1047. At vero, si praesentans est cambii dominus; ipsum oportet praecessorum (*Vormännern*) ei,

Source : BIU Cujas

aduerſus quem cambialiter agere inſtituit, curſu publico proximo nuntiare proteſtationem confectam.

§. 1048. Ab eo dependet, an huic indicio proteſtationis exemplar primitiuum (originale) velit adiungere, an hoc transmittere mandatario, qui illud praeſentet praeceſſori, ad quem regreditur.

§. 1049. Poſterius ſi fecerit; culpam a mandatario in praeſentando proteſtationis exemplari primitiuo forte admiſſam aeque praeſtat, ac ſi proteſtationem ipſam non remiſiſſet, et praeceſſori (*Vormann*) nihil nuntiaſſet.

§. 1050 Remiſſionem cambii praeſentans ad alium curſus publici diem adhuc poteſt differre, et expectare, an traſſatus vſque ad illud tempus capiat acceptandi conſilium.

§. 1051. Si literae ſunt cambiales a dato et a vſo; haec remiſſio differri quoque poteſt vſque ad diem dilatorium (*Reſpittage*) vltimum, niſi iuſſum contrarium adſit.

§. 1052. Si traſſatus, proteſtatione iam confecta, cambium adhuc vult acceptare; praeſentantem acceptationem refuſis expenſis oportet admittere.

§. 1053. Tunc quoque, ſi traſſatus reſtitutionem expenſarum in proteſtationem factarum recuſat, praeſentans acceptationem debet admittere; attamen, ad conſeruandum ius ſuum de expenſis curare proteſtationem ſingularem conficiendam.

§. 1054. Si praecepta legalia in conficienda et transmittenda proteſtatione de acceptatione non facta ſunt neglecta; cambii dominus amittit regreſſum cambialem ad praeceſſores, et quae forte poteſt eorum vnum vel alterum poſcere, perſequi tantum poteſt in proceſſu ordinario ſecundum §. 974.

§. 1055. Praeſentans nullam habet excuſationem, licet curſus publici dies cadat in diem ſolis, feſtum, aut ſupplicationis, aut, ſi Iudaeus ſit, in diem ſabbati, aut alium diem Iudaeorum feſtum, ſimul ac tan-

Source : BIU Cujas

tum ipſi fuit poſſibilitas, antea parandi adhuc ea, quae ad literas curſui publico tradendas fuerunt neceſſaria.

X. Iura domini cambii non acceptati.

§. 1056. At vero, praeceptis legalibus in confi. cienda et transmittenda proteſtatione obſeruatis, domino (proprietario) cambii, de cuius acceptatione non facta proteſtatio eſt interpoſita, ius eſt, praeter ſummam in literis cambialibus ſcriptam, atque praeter expenſas, in proteſtationem erogatas, exigendi quoque partem ducenteſimam ($\frac{1}{2}$ p. c.) pro prouiſione, et mercede pro operis praeſtitis (*Courtage*) ac literis miſſis (*Brief-Porto*).

§. 1057. Summa in literis cambialibus ſcripta computanda eſt ſecundum pecuniae valorem (*Cours*) die ſolutionis cambii, ſub proteſtatione non acceptati.

§. 1058. Ab eo tempore vſurae quoque currunt, dierum dilatoriorum ratione non habita.

§. 1059. Cambio ſaepius indoſſato, vltimo detentori eſt electio, an ad datorem ſtatim malit regredi, an ad indoſſantium aliquem pro lubitu.

§. 1060. Si ipſi electione facta, intra horas viginti et quatuor non eſt plene ſatisfactum; contra talem praeceſſorem ſtatim debet eodem modo, quo contra traſſatum, proteſtationem interponere.

§. 1061. Deinde intra terminum, §. 1047. ſqq. determinatum, ab indoſſante alio, aut a datore iterum, pro arbitrio, poteſt ſolutionem exigere, et eo modo continuare, vſque donec ipſi perfecte eſt ſatisfactum, non obſeruato ordine, quo praeceſſores ſe inuicem ſequuntur.

§. 1062. Inde ius acquirit, aduerſus praeceſſorum quemlibet intra anni ſpatium, inde a proteſtationis contra eum interpoſitae tempore, cambialiter agendi de iis, quae ipſius ſatisfactioni plenae deſunt.

§. 1063. At vero, ſi in proteſtatione conficienda aut transmittenda quid neglexerit; ius cambiale amittitur in eum indoſſantem, cuius intuitu culpa eſt com-

Source : BIU Cujas

commiſſa, vti in omnes reliquos, quorum intuitu praecepta legalia non ſunt obſeruata; et admittitur tantum actio in proceſſu ordinario ſecundum §. 974.

§. 1064. At contra, ipſi ius cambiale ex §. 1062. ſeruatur integrum (§. 1067.) in eos indoſſantes, quorum intuitu praecepta legalia de proteſtatione conficienda et transmittenda obſeruauit, quo eos in eum ſtatum perduxit, vt regredi vlterius ad antecedentes ſuos poſſint.

§. 1065. Detentor, qui indoſſantium alicui *Giro* ſuum delere permittit, amittit ius ſuum contra omnes hoc poſteriores (*Hintermänner*); caeterum vero cambium, et proteſtatio, contra omnes deleti praeceſſores (*Vormänner*) valore ſuo non cadit.

§. 1066. Licet cambii detentor a traſſato, aut ab indoſſante prius conuento, acceperit ſolutionem particularem, de ſumma deducendam; nihilo minus ſummam reſiduam ab indoſſantium (*Giranten*) aliquo, aut a datore poteſt exigere, ſi proteſtatio rite eſt confecta et transmiſſa.

§. 1067. Si indoſſans conuentus iterum aduerſus praeceſſorum ſuorum aliquem vult agere; proteſtationem a cambii detentore acceptam rite transmittat neceſſe eſt intra terminum, §. 1047. ſeqq. determinatum inde a die, quo eam accepit.

§. 1068. Eiusmodi indoſſanti, aeque ac praeſentanti ad eum regreſſo, eſt electio, aduerſus quem praeceſſorum ſuorum velit agere.

§. 1069. At contra, aduerſus eos, qui a detentore priori ſemel ſunt praeteriti, et eius ſunt poſteriores (*Hintermänner*) agere nequit.

§. 1070. Si indoſſans tantum praeſtitit ſolutiones particulares, de ſumma deducendas; curare poteſt, vt iſtae in cambio originali notentur, et conficiatur exemplar literarum cambialium fide munitum (copia vidimata).



Source : BIU Cujas

§. 1071. Quo facto ei in praeceſſores ſuos et debitorem cambialem, intuitu ſummae ſolutae, ſunt iura detentoris aſſignationis mercatoriae. (Sect. XI.)

§. 1072. Actio cambialis in caſibus §. 1056-1068. ſtatim poteſt inſtitui, ſi ille, ad quem detentori regrediendum eſt, non ſoluit intra horas viginti et quatuor, proteſtatione et cambio praeſentatis.

§. 1073. Praeſentans neque obligatur, ad expectandum tempus ſolutionis, neque deinde ad proteſtandum de nouo contra traſſatum, ob ſolutionem non praeſtitam.

§. 1074. Tunc demum, ſi ex proteſtatione apparet, acceptationem ob defectum literarum aduiſoriarum, aut remiſſionem (remeſſe) deficientem fuiſſe negatam, atque literarum cambialium ſolutionis diem nondum veniſſe, in primis dies ſolutionis eſt expectandus, et proteſtatio iterata ob ſolutionem non factam legitime conficienda et transmittenda.

§. 1075. At cambii tamen detentor interea, producta proteſtatione ſola, exigere poteſt cautionis idoneae praeſtationem vsque ad diem ſolutionis.

§. 1076. Regreſſus cambialis locum quoque habet ad datorem tractae (trattae) tertii nomine.

§. 1077. Hinc neque eiusmodi dator detentorem ad eum, cuius nomine eſt tractum, poteſt ablegare; ſed eius ſolius eſt, rem cum poſteriore componere.

§. 1078. Exceptione valutae non acceptae in proceſſu cambiali vti ille nequit, contra quem inſtituitur regreſſus cambialis.

§. 1079. Iure cambiali ſuo priuatur literarum cambialium detentor, qui annum, a die ſolutionis cambii computandum, praeterlabi ſinit, actione oblata nulla.

§. 1080. Cui tum tantum de valuta numerata, vſuris, damnis et expenſis reſeruatur iurium deductio in proceſſu ordinario ſecundum §. 974.

Source : BIU Cujas

§. 1081. De indemnitate, ſecundum §. 1056. ſqq. determinanda, detentor praeſens, loco actionis recambium ad praeceſſorum eum poteſt traſſare, ad quem ipſi patet regreſſus.

§. 1082. Tale recambium immediate (*a drittura*) debet dari, ſi inter loca vtraque negotiatio cambialis obtinet.

§. 1083. At vero, ſi a loco domicilii detentoris ad locum traſſantis, ad quem regreſſus cambialis inſtituitur, negotiatio cambialis nulla obtinet; recambium ad illum locum eſt traſſandum, per quem vtriusque loci incolae expedire negotia cambialia ſolent.

XI. Iura et officia detentoris poſt acceptationem.

§. 1084. Cambio acceptato detentorem ſoluendi diem oportet expectare.

§. 1085. Attamen, ſi tempore interiecto cauſae incidunt, ſecundum praecepta legalia arreſti impoſitionem fundantes, detentor ab acceptante poteſt ſecuritatis praeſtationem exigere.

§. 1086. Quam vero ſi exigere neglexerit, praeceſſoribus tunc demum obligatur, ſi culpam admiſit latam.

§. 1087. Si acceptans cautionem praeſtare non poteſt, aut recuſat; detentori ius eſt agendi, vt arreſtum decernatur.

§. 1088. Si arreſto reali impetrato, executionem cambialem, poſtquam ſolutionis dies venit, vult petere; arreſto reali rurſus renuntiare eum oportet.

§. 1089. Concurſu creditorum de acceptantis bonis ante ſolutionis terminum exorto, detentorem, ſimulac concurſus moti notitiam eſt confecutus, ad proteſtationem conficiendam et transmittendam oportet procedere.

XII. Terminus ſolutionis.

§. 1090. De termino ſolutionis computando vbique obtinent praecepta §. 847. ſeqq.

§. 1091. Literarum cambialium a dato et eiusmodi a vſo, quarum terminus ſolutionis a die praeſentationis currit, terminus ſolutionis a praeſentatio-



Source : BIU Cujas

nis die eſt computandus, licet acceptatio, ob diem feſtum interiectum, demum die profeſto ſubſequente fuerit facta. (§. 985. ſeqq.)

§. 1092. In literis cambialibus regularibus et mercatus dies dilatorii (*Reſpit- oder Diſcretionstage*) non admittuntur.

§. 1093. Neque dies dilatorios acceptans poſtulare poteſt in literis cambialibus a viſta, et iis, quae ad vſo dimidium aut tempus breuius ſunt traſſatae.

§. 1094. In cambiis traſſatis aliis acceptanti in terris regiis poſt terminum ſolutionis, tres adhuc conceduntur dies dilatorii, quorum tertio demum ad ſoluendum poteſt compelli.

§. 1095. Quorum dierum tertius ſi eſt dies ſolis, feſtus aut ſupplicationis; ſolutio die dilatorio ſecundo eſt praeſtanda.

§. 1096. Idem valet, ſi cambium acceptans eſt Iudaeus, et tertius dies dilatorius in diem ſabbati cadit, aut alium Iudaeorum feſtum.

§. 1097. Si dies dilatorii tres omnes ſunt dies ſolis aut dies feſti, ſolutio termino ſolutionis ipſo eſt praeſtanda.

§. 1098. Licet cambium acceptatum demum poſt ſolutionis terminum ſolutionis praeſtandae cauſa ſit praeſentatum; nihilo minus dies dilatorii a termino ſolutionis computantur.

§. 1099. Quod ſi igitur inde ab hoc temporis momento iam dies tres ſunt peracti, dies dilatorii alii locum non habent.

§. 1100. Solutionis die, ſecundum haec praecepta definiendo, exigi poteſt ſolutio ab hora duodecima meridiana vsque ad ſeptimam pomeridianam.

§. 1101. De ſolutione ipſa praecepta §. 873. ſqq. vbique obtinent.

§. 1102. Si ex cambio patet, plura eius confecta fuiſſe exemplaria, ad minimum, dum ſoluitur, extra-

Source : BIU Cujas

denda sunt ea, quibus acceptatio et omnis indossamentorum series inscripta est.

§. 1103. Quod si fieri nequit, acceptans tantum obligatur ad depositionem iudicialem.

§. 1104. Solutione trassatus, excepto casu acceptationis in honorem factae (*per honor*) §. 1021 et 1028.), contra trassantem ius cambiale non acquirit. XIII. Effectus solutionis.

§. 1105. Si soluerit sine securitate sufficiente, pecuniam solutam cum vsuris mercatoriis, ex die solutionis, a trassante in processu tantum ordinario potest petere.

§. 1106. Trassatus non ignorans, cambium a trassante nomine tertii esse trassatum; excepto casu acceptationis in honorem (*per honor*), aduersus hunc committentem tertium tantum potest agere.

§. 1107. Acceptante ante solutionem defuncto, praecepta §. 979. sqq. locum inueniunt. XIV. Modus procedendi, solutione non rite praestita.

§. 1108. Si heredes non praestant solutionem iustam legibus cambialibus conuenientem, et detentor intendit ad datorem, aut ad praecessores regredi; in continenti ob solutionem non praestitam protestationem interponat, eamque intra terminum, §. 1047. sqq. praescriptum, transmittat necesse est.

§. 1109. Idem debet fieri, si mercaturae institor nullus existit, atque heredes sunt incerti, aut ignoti, aut alio loco habent domicilium.

§. 1110. In genere detentorem statim oportet protestationem conficiendam curare, si solutione tempore praefixo non rite praestita, aduersus praecessores aut aduersus datorem cambialiter intendit agere.

§. 1111. At solutionis tamen diem, secundum §. 846. sqq. determinandum, potest expectare, licet acceptans antea declararit, se nolle soluere.

§. 1112. Si praesentans in casu §. 999. ad commendatum (*Addresse*) est delegatus, qui non praestat solutionem; protestatio quoque est conficienda.



Source : BIU Cujas

§. 1113. Tum acceptans, qui literarum cambialium detentorem ad commendatum ablegauit, cambialiter tenetur.

§. 1114. At vero, contra eum, cui solutio ab acceptante est commissa, actio cambialis ex detentoris parte locum non habet; sed praecepta tantum obtinent de assignationibus mercatoriis. (Sect. IX.)

§. 1115. Si quis in literis cambialibus est denominatus, quem adire debeat detentor in casu solutionis non praestitae; praecepta §. 1018. et 1019. locum habent.

§. 1116. Ad acceptandam solutionem particularem, de summa scripta deducendam, detentor cambii tum demum obligatur, si merus est mandatarius, et acceptatio solutionum eiusmodi particularium expresse ipsi iniuncta.

§. 1117. Si solutiones particulares, de summa deducendas, acceperit, et de residuo regredi cambialiter intendat; ideo protestationem conficiendam curet necesse est.

§. 1118. Ad accipiendam loco solutionis paratae assignationem, praesentans non obligatur.

§. 1119. Si ea accepta interea protestationis conficiendae tempus est praeterlapsum; regressus cambialis ad praecessores et dantem cessat.

§. 1120. Quo in casu praesentans, si tantum est mandatarius, domino ad plenam indemnitatem tenetur.

XV. Detentoris iura ex cambio, de quo ob solutionem non praestitam protestatio est interposita.

§. 1121. De conficienda et transmittenda protestatione ob solutionem non praestitam, et de regressu cambiali ad praecessores et dantem, locum vbique habent praecepta §. 1056. sqq.

§. 1122. Detentori quoque est electio, vtrum statim a praecessoribus solutionem malit exigere, an acceptantem antea cambialiter conuenire.

Source : BIU Cujas

§. 1123. Detentor primum aduerſus acceptantem acturus non obligatur, ad transmittendum ſimul cum proteſtatione cambium.

§. 1124. Quo tamen in caſu a praeceſſoribus et datore neque ſolutionem neque ſecuritatis praeſtationem poteſt exigere, antequam cambium eſt productum.

§. 1125. At vero, ſi detentor, acceptante non excuſſo, ſtatim contra praeceſſorum aliquem aut datorem vult agere; cambium cum proteſtatione ſimul eſt transmittendum.

§. 1126. Tum praeceſſor aut dator obligatur ad praeſtandam ſolutionem, §. 1056. ſqq. deſcriptam, intra horas viginti et quatuor inde a tempore proteſtationis et cambii praeſentatarum.

§. 1127. De electione mutanda detentor gaudet iuribus §. 1059. ſqq.

§. 1128. Atque etiam poteſt traſſare recambium, ſecundum §. 1081. ſqq.

§. 1129. De iuribus indoſſantis conuenti contra praeceſſores ſuos locum quoque habent praecepta §. 1067-1072.

§. 1130. In quibus caſibus omnibus (§. 1125. 1127. et 1129.) detentor tamen amittit ius ſuum cambiale, ſi intra anni ſpatium, inde a die proteſtationis confectae, non rite inſtituit actionem cambialem contra eum, ad quem regreſſus cauſa proteſtationem transmiſit.

§. 1131. Qua autem actione inſtituta et rite inſinuata, ius cambiale tam diu conſeruatur integrum contra reum, donec literis cambialibus quoque tanquam chirographo eſt praeſcriptum.

§. 1132. Dator ſ. traſſans, cambium acceptatum luens, inde contra acceptantem ius nullum acquirit cambiale. XVI. Iura datoris ſiue traſſantis in acceptantem non ſoluentem.

§. 1133. Neque a detentore, in acceptantis praeiudicium, illius iura contra hunc ipſi poſſunt cedi.



Source : BIU Cujas

§. 1134. At contra, traſſanti in traſſatum, ob ſecuritatem iam acceptam, aut ob alia, ius ſuum reſeruatur in proceſſu ordinario.

§. 1135. In quo ſi probatur, acceptantem a datore ſ. traſſante re vera ſecuritatem accepiſſe; traſſanti ſ. datori, concurſu creditorum de bonis acceptantis exorto, ius praelationis claſſis ſextae competit, vsque ad ſecuritatis ſummam, quae ſolutionis die in acceptantis manibus fuit.

§. 1136. Securitati datae eſt aequiparandum, ſi acceptans ſolutionis die datoris ſ. traſſantis fuit debitor.

XVII. De corruptionibus cambiorum traſſatorum: a) cambia falſa;

§. 1137. Omnis, cui cambium traſſatum acceptationis aut ſolutionis cauſa praeſentatur, obligatur ad illud explorandum, et ad aſſequendam de eius veritate certitudinem.

§. 1138. Qui falſum cambium ſoluit, non poteſt agere, niſi aduerſus doli auctorem et ſocios.

§. 1139. Si cambium praeſentatur, in quo cognoſcuntur indicia, corruptionis ſpeciem prae ſe ferentia: traſſatus illud retinere poteſt; at ſtatim quoque eum oportet iudicem competentem de eo certiorem facere, et in iudicio deponere ſuſpectum inſtrumentum.

§. 1140. Idem obtinet, ſi traſſatus ab eo, qui traſſans eſſe dicitur, de corruptione certior eſt factus, et praeſentans perſona eſt incognita vel ſuſpecta.

§. 1141. In caſu vtroque iudicis arbitrio relinquitur, ex praeceptis ordinationis proceſſus, prout falſitatis ſuſpicio magis aut minus videtur fundata, diiudicare: an et in quantum a traſſato damnorum et ſumtuum cautio ſit praeſtanda. (Part. I. Tit. XIV. §. 186. ſqq.)

§. 1142. Licet cambium vsque ad cognitionem vlteriorem in iudicio deponatur; detentor nihilo minus poteſt procedere ad conficiendam et transmittendam proteſtationem de acceptatione non facta.

Source : BIU Cujas

§. 1143. Quem in finem iudicem oportet ei quam celerrime cambii exemplar deſcriptum fide munitum (copiam vidimatam), et inſtrumentum de cambio depoſito (*Depoſitalſchein*) confectum exhibere.

§. 1144. Quo facto detentor ius acquirit, intra terminum legitimum ad praeceſſores ſuos regrediendi, et ſecuritatis praeſtationem ab iis exigendi, vsque donec res fuerit deciſa.

§. 1145. Acceptatione ſemel facta traſſatus exceptione, cambium eſſe falſum, ſolutionem negare nequit.

§. 1146. Sed ſolutio in depoſitorium iudiciale eſt praeſtanda, ſimulac producere poteſt acceptans literas aduiſorias, de afferta cambii falſitate ipſi miſſas.

§. 1147. Depoſitorio iudiciali quoque exhibendae ſunt literae cambiales, falſae dictae.

§. 1148. Detentor deinde actus iudicialis finem expectet neceſſe eſt, neque ius ei competit, antea ad praeceſſores cambialiter regrediendi.

§. 1149. At negari tamen ei nequit valutae depoſitae exſolutio cautione idonea et ſufficiente praeſtita.

§. 1150. Si ſumma in cambio in ſe vero corrupta, traſſatus ſoluit plura, ac in literis aduiſoriis ſunt ſcripta; de damno inde orto agere tantum poteſt aduerſus corruptionis auctorem. b) ſumma cambialis corrupta;

§. 1151. Si ſumma in cambio numeris tantum expreſſa numeri ſic ſunt corrupti, vt obſeruari corruptio fere non poſſit; dator tenetur detentori tertio, ea corruptione decepto, ad damnum reſarciendum.

§. 1152. Si ſumma literis expreſſa eſt corrupta; detentor quisque aduerſus ipſum antecedentem (praeceſſorem ſuum) tamdiu debet agere, donec reditum eſt ad eum, qui veram ſummam accepit.

§. 1153. Indoſſamenti quoque vltimi veritatem traſſatum diligenter oportet indagare. c) indoſſamentum falſum,



Source : BIU Cujas

§. 1154. Qui culpa lata ex indoſſamento falſo ſoluit, aut cum perſona ſuſpecta (Part. I. Tit. XV. §. 19.), quam malae fidei poſſeſſorem fuiſſe poſtea apparet, de eiusmodi ſolutione agit, cambii domino in proceſſu ordinario manet obligatus, et non poteſt agere, niſi aduerſus doli auctorem et ſocios.

§. 1155. At vero, cambio in blanco indoſſato, locum habent praecepta §. 815. ſqq.

§. 1156. Indoſſamenti antecedentis corruptio forte facta traſſato non nocet, ſi modo detentor vltimus bonae fidei fuit poſſeſſor. (Part. I. Tit. VII. §. 10. ſqq.)

§. 1157. Si contra detentorem vltimum ſuſpicionis indicia adſunt, quae ſpeciem habent; eadem obtinent, quae §. 1139. ſqq. de cambiis falſis ſunt praecepta.

§. 1158. Si corruptionis indicia demum poſt acceptationem factam apparent, acceptans praecepta §. 1146. et 1147. obſeruet neceſſe eſt.

XVIII. De cambiis amiſſis.

§. 1159. Si cambium traſſatum amittitur, detentor praeſens hanc amiſſionem traſſanti et traſſato ſine mora indicet neceſſe eſt.

§. 1160. Si traſſatus de literis cambialibus amiſſis non certior factus eas ſolutionis termino detentori haud ſuſpecto ſoluit; dominus (proprietarius), cambium ſe amiſiſſe afferens, fert damnum, et agere contra eum tantum poteſt, qui mala fide ad poſſeſſionem trattae peruenit.

§. 1161. Si traſſatus autem ante ſolutionis terminum ſoluit, traſſans ei ideo non tenetur.

§. 1162. At contra dominus (proprietarius), qui literas cambiales amiſit, tum a traſſante in proceſſu ordinario indemnitatem poteſt petere; et concurſu creditorum de eius bonis exorto gaudet praelationis iure claſſis ſextae.

§. 1163. Si cambii amiſſio ante acceptationem iam venit in traſſati notitiam; cambio ei praeſen-

Source : BIU Cujas

tato ſecundum praeceptum §. 1139. ſeqq. eſt procedendum.

§. 1164. Detentori comparenti deinde contra praeceſſores proſunt praecepta §. 1142. ſeqq.

§. 1165. At vero, ſi vsque ad ſolutionis diem non praeſentatur cambium; cambium amittens traſſantem tantum poteſt conuenire.

§. 1166. Et hic quoque neque proceſſus cambialis locum habet, neque executio cambialis; at ius tamen praelationis in creditorum concurſu non mutatur.

§. 1167. Traſſatum, qui literarum cambialium amiſſarum notitiam poſt acceptationem, at ante ſolutionem tamen eſt conſecutus, ſolutionem praeſtare oportet in depoſitorium iudiciale.

§. 1168. Tum inter detentorem vltimum et eum, qui literas cambiales ſe amiſiſſe aſſerit, eſt decidendum, cui eorum cedat valuta depoſita.

§. 1169. At vero, ſi vltimus poſſeſſor poteſt probare, ſe eſſe cambii poſſeſſorem bonae fidei: pecunia ipſi traditur; et qui cambium amiſit, agere tantum poteſt aduerſus anteriorem malae fidei poſſeſſorem.

§. 1170. Quo in caſu neque cambii detentori, neque ei, qui ſe cambium amiſiſſe aſſerit, regreſſus cambialis ad antecedentes reliquos atque traſſantem patet; et proteſtatio confecta nullos producit effectus.

§. 1171. Si cambium iam acceptatum, deinde amiſſum, ſolutionis tempore non praeſentatur; traſſatus, qui acceptationem confitetur, aut eius poteſt conuinci, obligatur ad cambialiter ſoluendum.

§. 1172. Quam tamen ſolutionem in iudiciale tantum depoſitorium praeſtare licet; atque eius, qui cambium amiſit, ſumtibus inſtituenda eſt proclamatio publica legitima.

§. 1173. Si proclamatione facta, detentor alius nullus compareat; praeſentanti competit ius exigendi

Source : BIU Cujas

valutam depositam, et cambium amissum declaratur mortificatum.

§. 1174. At contra, comparente detentore alio, locum habet praeceptum § 1168.

§. 1175. Si acceptatio neque est concessa, neque in continenti probata; cambium amittens cum suis sumtibus curare potest publicam proclamationem instituendam.

§. 1176. Qua proclamatione facta si detentor nullus comparet; cambium mortificatur, atque amittens secundum praeceptum §. 1162. conuenire potest trassantem.

§. 1177. Amittenti tamen licet, tempore interiecto contra trassatum probare acceptationem in processu ordinario.

§. 1178. Si obtinet in causa sententiam, vires rei iudicatae nactam: locum habet contra acceptantem executio cambialis; at solutio tamen tamdiu, in depositum iudiciale est praestanda, donec cambium est mortificatum. (§. 1172. 1173.)

§. 1179. Praecepta antecedentia (§. 1167. seqq.) quoque in eum casum sunt applicanda, si cambium amittitur protestatione confecta.

§. 1180. At vidimata tamen protocolli, occasione protestationis confecti, copia detentori legitimo, in eo denominato, ius tribuit, cautionem exigendi ab anteceſſorum eo, aduersus quem intendit agere.

C. De cambiis propriis 1) requisita;

§. 1181. Ad propria quoque cambia requiruntur qualitates §. 748-784. definitae.

§. 1182. Instrumentum cambii validi naturam non induit eo solo, quod in eo solutio ex iure cambiali est promissa.

§. 1183. Quomodo in cambiis propriis valutae acceptio exprimenda sit, §. 765-769. est definitum.

§. 1184. Si in cambiis propriis personarum §. 726. denominatarum valutae acceptio non est in pecunia praesente expressa, aut si in continenti potest probari,

Source : BIU Cujas

datorem valutam non paratam accepiſſe; rigor cambialis contra eum non admittitur.

§. 1185. Quin potius res cognoſcenda eſt in proceſſu ordinario, in quo pro fundamento ponendum eſt illud negotium, ex quo dantis ſoluendi obligatio exorta fuiſſe aſſeritur.

§. 1186. De indoſſamentis talium perſonarum locum quoque habet praeceptum, §. 1184. 1185. datum.

§. 1187. In cambiis propriis ſolutionis dies determinari quoque poteſt elapſus terminus renuntiandi praefinitus.

§. 1188. In quo caſu in actione inſtituenda producatur neceſſe eſt vel debitoris acceptatio in ſcriptis facta, vel atteſtum de renuntiatione, a iudice aut iuſtitiae commiſſario et notario facta.

§. 1189. Nomen eius, cui ſoluendum eſt, in cambiis propriis, ſub vis cambialis iactura, expreſſum ſit neceſſe eſt.

§. 1190. Eae tantum perſonae, quibus qua cambiendi facultatem iura ſunt mercatoria (§. 718-724.), cambia propria quoque dare valide poſſunt ad quemlibet literarum cambialium detentorem.

§. 1191. Cambia propria, quibus vis cambialis deeſt, valent pro chirographis, quatenus iis ſunt qualitates, ſecundum praecepta partis primae Tit. XI. §. 730. ſqq. neceſſariae.

§. 1192. Omiſſus vſus chartae ſignatae, ex legibus adhibendae, cambii viribus nihil detrahit; ſed obligat tantum datorem ad luendam poenam, edicto conſtitutam.

§. 1193. Ante ſolutionis terminum neque ex cambiis propriis exigi poteſt ſolutio, ſed cautio tantum, ſecundum praeceptum §. 1085. ſqq. 2) iura creditoris cambialis.

§. 1194. Concurſu creditorum de datoris bonis ante ſoluendi terminum exorto, detentor nomen (poſtulatum) ſuum liquidare in concurſu poteſt.

Source : BIU Cujas

§. 1195. Attamen quoque, si cambium est indossatum, statim ad indossantes cambialiter potest regredi, protestatione non confecta.

§. 1196. At tunc tamen actioni iudicialis adiicienda est attestatio de concursu creditorum formato.

3) de solutione.

§. 1197. De solutione locum habent praecepta §. 867-924.

§. 1198. Si literae cambiales non amplius sunt in primi detentoris manibus; debitor indossamenti vltimi veritatem diligenter et accurate indaget necesse est secundum praecepta §. 1137. sqq.

§. 1199. Cambio amisso, executio cambialis locum non habet, antequam eius existentia, et pecuniae summa, atque reliqua in eo contenta, in processu ordinario sunt cognita.

§. 1200. Deinde a creditore cambiali de solutione accepta danda est separata apocha, et in ea simul cambium declarandum extinctum.

§. 1201. Quatenus praeter hanc apocham proclamatio iudicialis et cambii amissi mortificatio sit necessaria, diiudicandum est ex praeceptis partis primae Tit. XVI. §. 128. sqq.

§. 1202. Quo in casu debitor, vsque ad secutam mortificationem iudicialem, compelli ad solutionem praestandam tantum potest, praestita idonea indemnitatis cautione, si cambium postea iterum appareat.

§. 1203. De casu, si debitor cambialis est mortuus, in cambiis propriis valent omnia, quae de trassatis §. 1107. sqq. sunt praecepta.

4) De protestationibus.

§. 1204. In cambiis propriis quoque, regressus ad indossantes instituendi causa, in casibus §. 1043-1045. protestatio est necessaria.

§. 1205. Si in literis cambialibus locus solutionis nullus est expressus; protestatio confici potest eo loco,

Source : BIU Cujas

quo debitor vltimo tempore habitauit, aut quo dedit literas cambiales.

§. 1206. Talis proteſtatio (§. 1203-1205.) confici tantum poteſt coram iudicio, aut a perſona iudiciali, ad eum actum expediendum deputata, et ad protocollum ſacramento obſtricta.

§. 1207. De proteſtationis confectione ipſa, eiusque transmiſſione locum habent praecepta §. 1047. ſeqq.

§. 1208. Tali proteſtatione conſeruatur ius regreſſus cambialis per annum vnum, inde a tempore proteſtationis confectae.

§. 1209. Quem anni terminum ſi detentor praeterlabi ſinit, actione in iudicio nulla inſtituta; regreſſum cambialem amittit, et non retinet, niſi ius agendi in proceſſu ordinario. (§. 974.)

§. 1210. Quibus caſibus exceptis (§. 1194. 1195. 1204. 1205.) in cambiis propriis regreſſus ad indoſſantes locum non habet, antequam debitor cambialis ſolutionis termino incidente eſt excuſſus, et in cuſtodiam datus (ad arreſtum perſonale redactus).

§. 1211. Quod ſi fuerit factum: ſolutione intra tres dies, poſtquam debitor in cuſtodiam eſt datus, non ſecuta, detentor cambialis ſibi a iudicio de ſolutione non facta atteſtationem dandam curet, eamque vna cum cambio, ſecundum praeceptum §. 1047. ſeqq. transmittat neceſſe eſt.

§. 1212. Tum locum habent in omnibus praecepta §. 1056. ſqq.

§. 1213. Ad conſeruandam vim cambialem contra debitorem ipſum, proteſtatio confecta tum demum producit effectus, ſi tales cauſae et circumſtantiae accidunt, vt actio cambialis in ſe admittenda contra eum non ſtatim poſſit inſtitui ante terminum praeſcriptionis elapſum.

§. 1214. Huc inprimis referendus eſt caſus, ſi cambii detentor a loco, quo ſedet iudicium, coram

Source : BIU Cujas

quo actio est instituenda, spatio tam longo abest, vt metuendum sit, ne praescriptionis terminus absoluatur, antequam actio fuerit instituta.

§. 1215. Talis protestatio quoque a iustitiae commissario aut notario potest confici.

§. 1216. Tum vero, sub iuris cambialis iactura, intra dies octo, a die protestationis confectae, actio offerenda est iudici debitoris cambialis competenti.

§. 1217. Si incidunt circumstantiae, quae impediunt, quo minus insinuetur citatio cambialis; actori ideo expeditur attestatio.

§. 1218. Quae attestatio vim cambialem tamdiu conseruat, dum instrumento tanquam chirographo quoque est praescriptum.

§) De obligationis cambialis prolongatione.

§. 1219. Creditore et debitore cambiali consentientibus prolongari cambium proprium omne potest.

§. 1220. Si debitor prolongationis tempore facultate cambiendi non amplius gaudet; prolongatio nullos producit effectus.

§. 1221. Prolongatio fieri potest ante solutionis terminum, vel in eo, vel post eum, quoad vis cambialis durat.

§. 1222. Prolongatio, extincta vi cambiali facta, aequiparanda est cambio dato proprio nouo, si solutionis tempus rite est definitum, et subsignatio facta secundum praeceptum §. 776. sqq.

§. 1223. In casu dubio prolongatio, extincta vi cambiali, facta praesumitur.

§. 1224. In regula prolongatio in cambio ipso est annotanda.

§. 1225. At quoque tamen inscribi potest in cambii exemplari descripto (copia), a creditore hunc in finem debitori transmisso.

§. 1226. Prolongatio a debitore manu propria est subscribenda.

§. 1227.

Source : BIU Cujas

§. 1227. Locus et dies hic tum tantum sunt necessarii, si prolongatio cambio dato proprio nouo debeat aequiparari. (§. 1222.)

§. 1228. De subscriptione valent eadem, quae de datione ipsa sunt praecepta. (§. 776. sqq.)

§. 1229. Ad notandam prolongationem, quae dato nouo cambio aequiparari non debet, nulla requiritur forma singularis.

§. 1230. Sufficit, si exinde apparet, tempus solutionis debere differri.

§. 1231. Tempore, ad quod prolongatio debeat extendi, non expresso, prolongatio ad idem tempus facta censetur, ad quod cambium primo erat datum; aut prolongationibus iam antea factis, ad temporis spatium prolongationis proxime antecedentis.

§. 1232. Si prolongationis tempus quidem est determinatum, sed non expressum, a quo temporis spatio currere debeat; a termino solutionis cambii computetur necesse est.

§. 1233. Quod sine exceptione vlla obtinet, siue ante solutionis terminum praestitutum facta sit prolongatio, siue post eum.

§. 1234. Eadem ratione computatur terminus, si prolongatio sine die scripta est.

§. 1235. In prolongationibus iteratis ad terminum solutionis attenditur, qui secundum prolongationem proxime antecedentem venturus fuisset.

§. 1236. Prolongatio cambii, ex quo plures tanquam debitores principales sunt obligati, licet ab vno tantum sit subscripta, omnibus prodest, et contra omnes vim cambialem conseruat.

§. 1237. Si prolongationis effectus ad debitorum cambialium vnum tantum debeat restringi; id in prolongatione expresse determinatum sit necesse est.

§. 1238. Si cambii detentor debitori prolongat solutionis terminum absque fideiussoris consensu scripto; fideiussorem inde ab obligatione liberat.



Source : BIU Cujas

§. 1239. Eodem modo regreſſus ad praeceſſores (*Vormänner*) amittitur.

§. 1240. Idem tunc quoque obtinet, ſi actionis oblatio contra debitorem cambialem plus triduo poſt ſolutionis terminum differtur.

b) De exceptionibus in cambiis propriis.

§. 1241. De exceptionibus et praetenſis contrariis, contra cambia propria admittendis, valent praecepta §. 916. ſqq. data.

§. 1242. Valutae non numeratae exceptio eatenus tantum locum habere poteſt, quatenus in continenti probatur a datore ſecundum praeceptum §. 917. ſqq.

§. 1243. Hic nullum inde diſcrimen, an cambii detentor Chriſtianus ſit, an Iudaeus.

§. 1244. Valutae non numeratae exceptio opponi quoque poteſt detentori tertio, in caſibus omnibus, ſi cambio clauſula *auf Ordre* non eſt inſerta, atque dator indoſſamentum non approbauit in ſcriptis ſine reſeruatione.

§. 1245. Si clauſula *auf Ordre* cambio eſt inſerta, et dator refertur ad perſonas §. 718-724. recenſitas; hac exceptione vti contra detentorem tertium nequit.

§. 1246. At vero, ſi dator tantum ſecundum §. 726. aut vi atteſtationis (certificati) impetratae ad negotia cambialia eſt habilis; valutae non numeratae exceptionem opponere quoque poteſt detentori tertio, etiamſi cambio clauſula *auf Ordre* ſit inſerta.

§. 1247. In caſibus omnibus, vbi haec exceptio in ſe admittitur, ea neque cambii agnitione repetita excluditur, neque prolongatione facta, neque praeſtitis ſolutionibus particularibus, de ſumma deducendis.

§. 1248. Debitor, qui in cambio proprio exceptionibus, aut praetenſis contrariis indaginis altioris, contra ſolutionem ſe vult tueri; eas ad iudicium tam tempeſtiue debet deferre, vt impetret ſententiam, vires rei iudicatae nactam, antequam ſoluendi terminus venit.

Source : BIU Cujas

§. 1249. Si debitor solutionis termino, ob eas exceptiones, impetrauit sententiam, quae iustas esse exceptiones decernit, at vires rei iudicatae nondum est nacta; haec sententia ei ius tribuit, summam in cambio scriptam in iudicio deponendi.

## Sectio Nona.

### *De literis mercatoriis et assignationibus.*

§. 1250. Chirographa, quae mercator dat de summa mercium in tempus emtarum, vocantur literae mercatoriae. (*Handelsbillets*) Definitiones.

§. 1251. Assignationes mercatoriae sunt illae, quas mercator dedit in negotiis mercatoriis.

§. 1252. Vbi eiusmodi literis mercatoriis et assignationibus leges singulares rigorem cambialem tribuerunt, ibi in posterum quoque subsistit.

§. 1253. De termino solutionis et monetae genere obtinent omnia, quae de cambiis sunt praecepta.

§. 1254. In literis mercatoriis debiti summa et solutionis tempus expressum sit necesse est. 1) De literis mercatoriis.

§. 1255. Tunc sufficit, si mercium venditio, ex qua exortum est debitum, generaliter tantum in iis sit expressa.

§. 1256. Ex talibus literis aut obligationibus mercatoriis (*Handelsbillets oder Handelsobligationen*) in iis quoque locis, vbi iis vis cambialis non est attributa, intra anni terminum, a die solutionis computatum, processus executiuus locum habeat.

§. 1257. In concursu creditorum intra hoc tempus cum cambiis ius habent aequale.

§. 1258. De cuius termini prolongatione locum habent praecepta §. 1219 et 908.

§. 1259. At vero, si debiti summa aut solutionis tempus non rite est determinatum, aut nomen (praetensum) non immediate ex mercium commer-



Source : BIU Cujas

cio exortum; inſtrumentum habendum tantum eſt chirographum ſimplex.

§. 1260. De inſtrumentis, in locis nonnullis vſitatis, *Mamres* et *Starchos* dictis, atque de aliis Iudaeorum inſtrumentis pecuniariis, in poſterum quoque obtinent legum prouincialium praecepta.

II. De aſſignationibus mercatoriis.

§. 1261. Inter mercatores quoque aſſignatio non eſt ſolutio.

§. 1262. At vero, ſi mercator ab altero ſolutionis loco aſſignationem ſine reſeruatione acceptat; negotium prorſus pro ceſſione habetur. (Part. I. Tit. XI. §. 402. ſeqq.)

§. 1263. Ad quod ſi conſenſus aſſignati accedit, exiſtit delegatio. (Part. I. Tit. XVI. §. 264. ſqq.)

§. 1264. Idem obtinet, ſi conſentientibus, quorum intereſt, omnibus delendo (deſcribendo) et adſcribendo in eorum libris facta eſt ſcontratio.

§. 1265. In quibus caſibus omnibus aſſignans non praeſtat aſſignatorum ſecuritatem.

§. 1266. Quibus caſibus exceptis, in aſſignationibus mercatoriis, iura et obligationes inter dantem et accipientem in regula diiudicandae ſunt ſecundum praecepta legum de aſſignationibus in genere. (P. I. Tit. XVI. §. 268. ſeqq.)

§. 1267. Ad aſſignationum mercatoriarum validitatem ſufficit, ſi modo ex iis patet, quis debeat ſolutionem praeſtare, et accipere; atque etiam in quantum, et a quo data ſit aſſignatio.

Aſſignatarii obligationes.

§. 1268. Mercatoriam aſſignationem accipiens praecipuam diligentiam in eo collocet neceſſe eſt, ne in ea exigenda ipſi poſſit imputari negligentia.

§. 1269. Si ſolutionis tempore in aſſignatione non determinato, detentor cum aſſignato vno eodemque loco degit; illum oportet diutiſſime intra dies octo a tempore aſſignationis acceptae aſſignatum adire, et ſolutionem petere.

Source : BIU Cujas

§. 1270. Sin vero detentor non vno eodemque, quo assignatus, loco degit; assignatio cursu publico proximo transmittenda est, ad exigendam summam in ea scriptam.

§. 1271. Si assignatio soluenda est inter nundinas maiores (*Messen*) aut mercatum (*Markt*), intuitu praesentationis locum habent praecepta §. 964. sqq.

§. 1272. Solutionis termino definito, praesentatio fieri debet diutissime primo die post terminum solutionis.

§. 1273. Assignationem, ab assignato non acceptatam, eius detentor diutissime intra horas viginti et quatuor assignanti, si eodem loco habitat, reddere potest et debet.

§. 1274. Assignante alio loco habitante, assignatarium oportet protestationem statim conficiendam curare, et cursu publico proximo transmittere.

§. 1275. In tali protestatione conficienda et remittenda obseruanda sunt omnia, quae in sectione antecedente de protestationibus cambialibus sunt praescripta.

§. 1276. In iis quoque casibus, si termini supra dicti in diem festum Christianorum aut Iudaeorum cadunt, locum habent praecepta de cambiis data.

§. 1277. Assignatarius, qui praesentationem in terminis legalibus neglexit, praestat damnum omne, inde oriundum, et regressus ei tantum patet in processu ordinario. (§. 974.)

§. 1278. Assignatione acceptata, praecepta §. 1084. obtinent.

§. 1279. In quibus casibus in solutionibus cambialibus dies admittuntur dilatorii, in iis dies iidem quoque in assignationibus mercatoriis locum habent.

§. 1280. Si assignationis acceptatae solutio non praestita est solutionis termino, secundum §. 867. seqq. definiendo; assignatarium quoque procedere



Source : BIU Cujas

oportet, vti in cambiis acceptatis et non rite ſolutis, ſecundum praeceptum §. 1107. ſqq.

§. 1281. Aſſignatarius vero, ſi aſſignans non loco eodem habitat, praeter proteſtationis confectionem et transmiſſionem, ſub iuris in aſſignantem iactura obligatur, ad actionem contra aſſignatum ſumtibus aſſignantis ſtatim inſtituendam, et ad proceſſum eo vsque rite et legitime perſequendum, donec aſſignans, ex ſolito curſus publici ordine ipſe poteſt diſponere, quae ſunt maxime neceſſaria.

Aſſignantis obligationes.

§. 1282. Si proteſtatio intra terminos definitos redit, aſſignantem aſſignationem ſine recuſatione oportet recipere.

§. 1283. Si aſſignationem dedit ad delendum debitum, quod aſſignatario debebat; huic licet, debitum ſuum eodem modo exigere, ac ſi aſſignationis negotium prorſus non actum fuiſſet.

§. 1284. Aſſignatarius vero, qui aſſignationem ab aſſignante emit, aſſignatione reddita, ſummam ſolutam poteſt petere cum vſuris et ſumtibus.

§. 1285. Quo in caſu ſi aſſignatio in ſe continet aſſignantis confeſſionem valutae paratae acceptae; contra aſſignantem locum habet proceſſus executiuus intra anni ſpatium poſt diem praeſtitutum.

§. 1286. De iure quoque praelationis in concurſu creditorum intra idem temporis ſpatium obtinet praeceptum §. 1257.

§. 1287. Si eiusmodi valutae acceptae confeſſio (§. 1285.) in inſtrumento ipſo non continetur; aſſignatarium indemnitatem ſuam ab aſſignante poſcere in proceſſu ordinario oportet.

§. 1288. Si aſſignatarius terminos proteſtationis de ſolutione non facta conficiendae et transmittendae determinatos neglexerit, aut aſſignato poſt acceptationem vllo modo indulſerit; aſſignans tanquam fideiuſſor tantum in proceſſu ordinario ei praeſtat detrimentum, absque culpa ſua exortum.

Source : BIU Cujas

§. 1289. Assignatus assignatario tunc demum est obligatus, si assignationem scriptura accedente acceptauit. Assignati obligationes.

§. 1290. Hic in omnibus valent praecepta de cambii trassati acceptatione §. 984.

§. 1291. Ante acceptationem factam assignatus assignanti secure potest soluere, licet alias assignationis notitiam habuerit.

§. 1292. Assignans quoque assignato ante acceptationem interdicere potest, ne soluat assignatario.

§. 1293. Assignatum, qui assignationem acceptauit, assignatario oportet soluere; neque tueri se potest exceptione, se assignanti iam satisfeciſſe.

§. 1294. Neque exceptiones alias, quas assignanti opponere posset acceptans, assignatario post acceptationem adhuc potest opponere.

§. 1295. At vero, concursu creditorum de bonis assignantis exorto, antequam dies solutionis praestitutus venit; assignatus, licet assignationem iam acceptauerit, ad soluendum assignatario neque tenetur, neque ius habet.

§. 1296. Si solutionem praestitit, postquam solutionis dies praestitutus venit, antequam promulgatio iudicialis concursus creditorum formati ad eius notitiam peruenit; inde ab obligatione erga assignantem, et eius massam omnino liberatur.

§. 1297. Ex assignatione acceptata contra mercatorem non quidem cambialiter, at intra anni spatium, inde a die solutionis praestituto computatum, executiue tamen potest agi.

§. 1298. Intra idem spatium eiusmodi assignatio mercatoria in concursu creditorum eadem habet iura, quae cambium. (§. 1257.)

§. 1299. Literarum mercatoriarum detentori, aut assignatario assignationis mercatoriae, ius competit, eas indossandi. De indossatis literis mercatoriis et assignati-



Source : BIU Cujas

onibus mercatorum.

§. 1300. Ad eiusmodi indoſſamenti validitatem requiruntur eadem, quae de cambiorum indoſſamento praeſcripta ſunt.

§. 1301. Indoſſanti cum indoſſatario eadem intercedit ratio, quae datori cum detentore primo.

§. 1302. Si plura ſunt facta indoſſamenta; locis iis, quibus literis mercatoriis aut aſſignationibus mercatorum ius cambiale legibus ſingularibus eſt conceſſum, intuitu regreſſus ad antecedentes (*Vormänner*) et datorem in omnibus obtinent praecepta, de cambiis data.

§. 1303. Iis vero locis, vbi literis mercatoriis vel mercatorum aſſignationibus ius cambiale non eſt attributum, detentori tantum eſt electio, vtrum antecedentem ſuum immediatum, an datorem malit conuenire.

§. 1304. At vero, tum quoque iuris cambialis praecepta de proteſtatione conficienda et transmittenda rite obſeruet; et aſſignatione acceptata ſecundum praeceptum §. 1281. interim actionem contra acceptantem inſtituat et perſequatur neceſſe eſt.

## Sectio Decima.

### *De proxenetis ſ. ſenſalibus.*

§. 1305. Mercatoribus licet, negotia ſua ſine ſenſalibus ſeu proxenetis, vel per ſe, vel per negotiationis miniſtros inter ſe agere, et perficere.

§. 1306. Qui ad expediendum negotium proxeneta vtitur, huius facta aeque debet praeſtare, ac mandans facta mandatarii. (Part. I. Tit. XIII. §. 85.)

De ſenſalibus non rite conſtitutis.

§. 1307. Negotia et pacta, a ſenſalibus non approbatis aut iure iurando non adſtrictis geſta, pro iis ſunt habenda, in quibus proxeneta nullus fuit adhibitus.

§. 1308. Qui non legitime conſtitutus atque ſacramento adactus negotiis mercatoriis proxenetae

Source : BIU Cujas

inſtar ſe immiſcet, proxenetici legitimi duplum poenae loco luat, et proxenetico priuetur pacto.

§. 1309. Iteratione facta poena ſemper duplicanda.

§. 1310. Eiusmodi proxenetae teſtimonium de negotio per ipſum geſto in caſu nullo vim habet probandi.

§. 1311. Qui in negotiis mercatoriis intercedendo operam ſuam praeſtare intendit, ad ea negotia legitime conſtitutus et iureiurando obſtrictus ſit neceſſe eſt. Conſtitutio ſenſalium.

§. 1312. Vtrum proxenetae a mercatorum collegio ipſo, an ab eo per eius ſeniores commendati, a magiſtratu conſtituantur, loci cuiusque conſtitutio definit.

§. 1313. Niſi conſtitutiones ſingulares exceptionem fundent; a mercatorum collegio ſemper ſubiecta ſaltem duo ſunt commendanda, ex quibus magiſtratus vnum eligit.

§. 1314. At ne in caſu vllo mercatorum collegio obtrudatur proxeneta quisquam, in quo fiduciam habet nullam.

§. 1315. Senſalis bene audiat, et annos viginti quatuor iam egreſſus, atque negotiorum mercatoriorum loci ſatis peritus ſit neceſſe eſt. Requiſita.

§. 1316. Creditorum defraudatores malitioſi et proterui ne conſtituantur proxenetae.

§. 1317. In proxeneta cambiali et ſenſali praeter ea requiritur, vt accuratam affecutus ſit notitiam et ſcientiam omnium, quae in commercio ſunt, monetarum, rationis earum inter ſe, cauſarum valoris aucti et deminuti, et iuris cambialis.

§. 1318. Mercium proxeneta merces ipſas, earum notas, qualitates, longitudinem, latitudinem vel magnitudinem regulis conuenientem, earum bonitatem, vitia et corruptiones probe ſciat neceſſe eſt.

§. 1319. Nauium proxenetam peritum eſſe oportet linguarum exterarum, et in rationum modis ver-



Source : BIU Cujas

ſatum, et ſufficientem habere notitiam nauium ſtructurae (modi aedificandi), iurium commercii nautici, atque etiam legum acciſae et vectigalium.

§. 1320. Vtrum proxeneta cautionem debeat praeſtare, et quantam; arbitrio collegii mercatorum loci relinquitur.

§. 1321. Si loco quodam proxenetae mercium et cambiorum negotiationis ſeparati ſunt conſtituti; quilibet ad negotiorum genus ei aſſignatum operam ſuam reſtringat neceſſe eſt.

Excluſio ſenſalium a proprio commercio.

§. 1322. Senſali nulli licet, mediate vel immediate, nomine proprio negotiationem mercium aut negotia cambialia exercere.

§. 1323. Neque magis proxenetae licet, ad ſocietatem mercatoriam accedere, aut nauis partes, aut aliam lucri aut quaeſtus aliorum ratam ſibi pacifci.

§. 1324. Neque hic vlla exceptio, licet tantum negotiorum generis ſingularis proxeneta ſit conſtitutus.

§. 1325. Commiſſiones, transmiſſiones (*Speditionen*), aut procurationes (*Factoreyen*) pro mercatoribus extraneis ſuſcipere proxenetae nulli licet.

§. 1326. Ab aſſecurationibus, bodmeriis, fideiuſſionibus pro mercatoribus plane abſtineat.

§. 1327. Abſtineat quoque ab exercitio cauponae, et iuris oenopolii; et a potu coffeae, et vino aduſto, et cereuiſia vendendis.

§. 1328. Proxeneta contra praecepta antecedentia §. 1322. ſeqq. agens, a munere remoueatur, et poena arbitraria pecuniaria aut corporis afflictiua afficiatur.

§. 1329. Negotia a proxeneta contra legem prohibitoriam §. 1321. acta ſunt nulla; et tenetur ei, qui inde absque culpa ſua propria damnum ſentit, ad damnum reſarciendum.

§. 1330. Senſalem, in diſtractionibus publicis, aut occaſione alia, merces plus licitando ementem,

Source : BIU Cujas

venditore aut iudicio petente, ſtatim edere oportet committentis nomen.

§. 1331. Si nullum poteſt indicare emtorem, qui intra tres dies merces accipiat, et emtionis venditionis conditiones adimpleat; merces ſenſalis ſumtibus et periculo iterum publice ſunt vendendae.

§. 1332. Senſalis morbis diuturnis laborans aut diuturnis itineribus occupatus ſubſtitutum ſibi poteſt eligere ſenſalem alium, iureiurando obſtrictum. Ius ſubſtituendi.

§. 1333. Qualis ſi in loco non exiſtit, proxenetae munus deferatur alicui, mercatorum collegio haud displicenti, qui praeſentetur magiſtratui, quo ſacramento adſtringatur.

§. 1334. Proxenetae non rogato non licet, negotiis cambialibus aut mercatoriis ſe immiſcere, nec operam ſuam vlli obtrudere. Proxenetarum functiones, eorumque obligationes.

§. 1335. Cambiorum tamen ſenſales quotidie oportet frequentare mercatorum curiam (*Börſe*), atque menſarios et mercatores celebriores domi, et diſcere negotiorum ſtatum et coniuncturas, et pretia aucta vel deminuta;

§. 1336. Et ſi in loco exiſtit menſae feneraticiae publicae directio, quolibet curſus publici die, valoris monetarum indicem (*Courszettel*) huic rite exhibere.

§. 1337. Proxenetam oportet ei ſoli praeſtare operas, qui primus eas deſiderat;

§. 1338. Vsque ad negotii ſuſcepti finem declinare negotia ipſi oblata omnia, ex quibus parti ſuae damnum poſſit oriri;

§. 1339. Operam dare, vt commodum partis ſuae promoueat mediis licitis, fide, attentione et diligentia, et damnum praeſtare omne, culpa leui ortum.

§. 1340. De detrimento metuendo ſenſalem, certam rei notitiam aſſecutum, admonere oportet ſine mora opera ipſius vtentes omnes, quorum intereſt;

§. 1341. At vero ſub muneris ſui iactura diligenter quoque cauere, ne rumore inani vel ani-

Source : BIU Cujas

mo malitioſo ductus minuat mercatorum fidem, et fiduciam aliorum, in iis poſitam.

§. 1342. In negotiatione cambiali proxenetam oportet literas tantum offerre, neque iudicio de earum bonitate, neque commendatione, neque contemtione adiectis; et ſi fuerint reiectae, neque recuſationis cauſas percontetur, neque parti ſuadeat acceptationem.

§. 1343. Senſales nauium, ſub muneris amiſſione obligantur, vt intra dies quatuor, poſt nauis cuiusque aduentum, manifeſtum exhibeant oneris nauicularii inſtantiae, cui redituum vectigalium (*Zölle*) et acciſae cura demandata eſt; et eidem quoque, naui exonerata intra dies quatuor, tradant configuationem accuratam accipientis cuiusque mercium earum, quarum recognitionis inſtrumenta (*Connoſſemente*) iuſſum (*Ordre*) in ſe continent.

§. 1344. Sub eadem poena obligantur, ne nauclero vlli nauem ſoluturo recognitionis inſtrumenta et documenta nauicularia tradant, antequam rite fuerit probatum, ſolutos eſſe vectigalium et acciſae reditus, cum pecuniis pro portu et vadorum exploratoribus (*Pilotagegelder*) ſoluendis.

§. 1345. Nauis cuiuslibet ex portu proficiſcentis, intra quatuor dies poſt profectionem ex portu, exhibere debent manifeſtum inſtantiae, cui vectigalium et acciſae redituum cura eſt commiſſa.

§. 1346. Licet ipſis, tributa pro naui et mercibus ſuppeditare; quod ſi fecerint, fruuntur intra hebdomadas ſex, inde a die pecuniae ſuppeditatae, iuribus omnibus, quae aerario publico ipſi competerent ob tributa ſuppeditata.

§. 1347. Officia ſenſalium ſingularia alia loci cuiusque portus ordinationes determinant.

§. 1348. In aſſecurationis mandatis ſenſalis obligatur, vt aſſecuranti, in celebrando contractu ingenue indicet circumſtantias, ad aſſecurationem perti-

Source : BIU Cujas

nentes, ipſi notas omnes; neque vllam aſſecurationem contrahat, ſi cauſas et circumſtantias dubitationem mouentes aut malas nouerit, niſi iſtae inſtrumento de aſſecuratione conſcripto (*Polizza*, *Police*) ſint inſertae.

§. 1349. Proxeneta omnis arcana ipſi commiſſa fideliter ſeruet; contra quam obligationem ſi egerit, reſarciat damnum omne inde oriundum; in caſu reiterationis autem praeter ea munere ſuo priuetur.

§. 1350. Ne tamen ſenſalis adiuuet vllum, in clandeſtinis negotiationibus et in regiorum et publicorum redituum defraudationibus; quin potius partes commonefaciat praeceptorum legalium, et ab eorum violatione dehortetur.

§. 1351. Quae admonitio ſi nihil efficiat, ſub propriae defenſionis poena delictum, ſi praecaueri adhuc poteſt, loco competenti confeſtim debet indicare; quod ſi fecerit, nomen eius ſilentio tegetur.

§. 1352. Neque ſenſalium vllus negotiationem, cambium, aut negotium aliud mercatorium peragat, legibus prohibitum; neque conſilio ea adiuuet aut opera.

§. 1353. Quod ſi nihilo minus fecerit, munere eſt priuandus, et tanquam facti illiciti complex puniendus.

§. 1354. Idem obtinet, ſi negotio in ſe licito conuentiones ſecundariae prohibitae adiiciuntur.

§. 1355. Sub eadem poena nullus proxeneta operam ſuam commodet ad proëmtionem et coëmtionem (*Vor- und Aufkauf*) illicitam, aut ad augendum pretium rerum, ad communem vitae neceſſitatem pertinentium.

§. 1356. Proxenetam, negotium mercium contrahentem, mercium venditarum, petentibus quorum intereſt, ſpecimen (*Probe*) a venditore obſignatum tamdiu oportet retinere et cuſtodire, donec

Source : BIU Cujas

merces ſunt exhibitae et ab emtore acceptatae, nulla contra earum qualitatem exceptione facta.

§. 1357. Eiusmodi quoque ſpecimen (*Probe*) emtori petenti eum oportet ſuo ſigillo munitum exhibere; et in eo manu propria notare pretia pacta, et mercium exhibendarum dies praeſtitutos (terminos).

§. 1358. Eiusmodi ſpecimina emtori, dum merces exhibentur, pondere imputantur aut menſura.

Diarium ſenſalis.

§. 1359. Senſalis omnis negotia a ſe acta, praeſente contrahente vtroque in libellum manualem aut pugillare (*Taſchen- oder Handbuch*) debet referre, et deinde in diarium, ad ea negotia conſignanda paraphatum.

§. 1360. Quae relatio ſemper eodem die, quo negotium eſt contractum, aut, ſi vel maxime differatur, die ſubſequente debet fieri.

§. 1361. Et quidem tam accurate et plene, vt ex ea poſſint cognoſci, et negotium primarium, et conditiones, in negotio primario celebrando pactae.

§. 1362. In primis quoque vecturarum conuentiones, bodmeriae, et aſſecurationes, in hoc diarium ſunt referendae, et ſimul omnia annotanda, quae alias pertinent ad ſummam eſſentialem inſtrumenti de contractu nauis oneratae (*Chartepartie*), aut inſtrumenti de aſſecuratione confecti (*Polizza, Police*).

§. 1363. Senſales iudaici quoque diarium lingua germanica conſcribant neceſſe eſt.

§. 1364. Cuique, cuius intereſt, ſenſalis exhibere debet, ſi vel maxime differat, die ſubſequente, et nullo accepto praemio, ex diario, quatenus ad negotium pertinet, extractum, manu propria ſubſcriptum.

§. 1365. Aliis, negotium conſignatum non participantibus, eiusmodi extractum edere ipſi non licet, absque conſenſu ſaltem vnius eorum, quorum intereſt, aut absque iudicis diſpoſitione.

Source : BIU Cujas

§. 1366. Notae in ſenſalis, ſiue Chriſtianus ſit ſiue Iudaeus, diario conſignatae, plenam efficiunt probationem, veritate earum iureiurando ab ipſo confirmata. Vis probandi diarii.

§. 1367. Si ſenſalibus pluribus ad vnum idemque negotium adhibitis eorum notae, de negotio in diario conſignatae, in vno aut altero puncto non concordant; eadem obtinent, quae §. 570. ſqq. de libris mercatoriis ſunt praecepta.

§. 1368. Senſali defuncto, aut praeſente eius domicilio ignoto, notae in eius diario conſignatae eandem vim habent, quam habet teſtis certi iurati depoſitio.

§. 1369. Hinc libri ſenſalis, ſi moritur, aut a munere ſe abdicat, ſunt obſignandi, et ad cuſtodiam iudicialem tradendi.

§. 1370. Fidem amittunt libri ſenſalis, qui ob fraudem commiſſam munere eſt priuatus.

§. 1371. Quidquid fidem librorum mercatoriorum infirmat, eosdem quoque producit effectus intuitu librorum ſenſalium.

§. 1272. Si ex libris apparet, negotium intra tempus §. 1360. praeſcriptum non fuiſſe intabulatum; annotationi intuitu huius negotii nulla eſt fides.

§. 1373. Senſalis, qui eiusmodi intabulationis dilatae reum ſe fecit, primo multa pecuniaria arbitraria eſt afficiendus; at in reiterationis caſu a munere remouendus.

§. 1374. At iudex tamen annotationibus quoque in caſibus talibus (§. 1370. ſqq.) poteſt vti, tanquam ſubſidiis, rei cauſam propius cognoſcendi.

§. 1375. Hinc quoque libri proxenetae a munere remoti iudiciali depoſito ſunt exhibendi.

§. 1376. In caſibus omnibus, vbi ſenſalium diaria in iudicio ſunt edenda, obſignanda ſunt folia, ad negotium controuerſum non pertinentia.

Source : BIU Cujas

§. 1377. Eiusmodi folia si sunt resignanda, quo impugnata diarii fide possit cognosci, an illud praeceptis conuenienter conscriptum sit; idem modus procedendi est obseruandus, qui in ordinatione iudiciaria de eo casu praescriptus est, si documentum in se continet locos plures, ad litem non pertinentes.

§. 1378. Contra cambium, a sensali iurato attestatum, diffessio iurata non admittitur.

Proxeneticum. §. 1379. Proxeneticum pro discrimine negotiorum loci cuiusque est determinatum.

§. 1380. Vbi eiusmodi determinationes deficiunt, peti tantum potest in mercium negotiatione pars centesima (1 p. C.); in mutuis et assecurationibus partis centesimae quadrans ($\frac{1}{4}$ p. C.); in pecuniarum permutationibus pars millesima (1 p. M.) et in negotiatione s. commercio cambiali pars quingentesima (1 p. D.).

§. 1381. Si neque legibus singularibus, neque partium conuentionibus, aliquid est determinatum; sensalis proxeneticum accipit in mercium negotiatione a venditore, et in assecurationibus ab assecurato solo.

§. 1382. In aliis negotiis ei soluendum est proxeneticum a parte vtraque dimidium.

§. 1383. Si pars vtraque sensali vtitur alio; sensalium vterque ab parte sua accipit proxenetici praescripti partem dimidiam.

§. 1384. Qui proxeneticum licito maius postulat, aut acceptat, primo proxenetici legitimi duplo est puniendus, et in reiterationis casu a munere remouendus.

Commercium prohibitum eiusque poena. §. 1385. Sensales seu proxenetae plures sub graui poena neque societatem inter se constituant, neque conueniant de lucro inter se diuidendo.

§. 1386. Sensalis defraudationum commissarum, siue adiutarum conuictus damnum resarciat, et a munere remoueatur, et praeter ea puniatur pro delicti commissi ratione, ac secundum iuris criminalis praecepta.

§. 1387.

Source : BIU Cujas

§. 1387. Senſalem, a munere ſuo ſe abdicaturum, dimiſſionem petere oportet a magiſtratu, qui eum conſtituit, quo in eius locum ſtatim conſtitui alius poſſit.

§. 1388. Senſalis a munere remotio vel abdicatio etiam ſpontanea diuulganda eſt in mercatorum curia (*Börſe*), nouellis publicis et ephemeridibus prouincialibus.

## Sectio Vndecima.

*De nauium exercitoribus (Rhedern), nauium magiſtris ſ. naucleris (Schiffern) et nauium ad transportandas merces conductoribus (Befrachtern).*

§. 1389. Qui pacta poteſt contrahere valida, ei ius competit naues onerarias fabricandi et inſtruendi. De nauibus in genere.

§. 1390. At antea tamen magiſtratus veniam nauem fabricandi quaerat, et attendat, vt in ea fabricanda accurate obſeruentur praecepta, de eius magnitudine, de materiae qualitate, de fabricatione recta, ſolida et firma, aut de aliis lata.

§. 1391. Quorum vno aut altero neglecto magiſtratus, ſimulac obueniunt dubitationes graues de aedificationis ratione, et an ea ad regulas ſit facta, naui diſſoluta materiam non recte fabricantis nomine curet plus licitanti vendendam.

§. 1392. Nauis ad transportanda onera non adhibeatur, niſi munita ſit magiſtratus atteſtatione de aedificatione eius ad regulas praeſcriptas facta. (*Beylbrief.*)

§. 1393. Nauis dominus (proprietarius) habendus eſt is, cuius auctoritate nauis eſt exſtructa, licet materia tertii fuerit.

§. 1394. Sed in caſu poſteriori tertium indemnem praeſtet neceſſe eſt, ſecundum praeceptum Part. I. Tit. IX. §. 305 et 306.



Source : BIU Cujas

§. 1395. In nauis venditione locum habent principia Part. I. Tit. XI. §. 12. fqq.

§. 1396. Nifi contrarium expreſſe fuerit pactum, traditio facta praeſumitur conuentione contracta.

§. 1397. Quae res nauis pertinentiae ſint habendae, in Part. I. Tit. II. §. 91. eſt praeceptum.

§. 1398. Nauicula quoque res habetur ad nauem pertinens.

§. 1399. Quotiescunque nauis venditur, aut modo alio a domino in alium transfertur, inſtrumentorum, quae ſunt in naui, omnium inuentarium accuratum eſt conficiendum, et a parte vtraque ſubſcribendum.

§. 1400. Eiusmodi inuentario non extante, ſimul venditae tantum habentur res, quae in contractu expreſſe ſunt denominatae, aut ſecundum praeceptum Part. I. Tit. II. §. 91. pertinentiae exiſtimandae.

§. 1401. Si nauis venditionis tempore in itinere verſatur, itineris huius vecturae pretium, deficientibus conuentionibus ſingularibus, venditoris reſeruatum habetur.

§. 1402. Nauis onerariae venditor obligatur ad nauem praeſtandam liberam in portibus et fluminibus omnibus. (Part. I. Tit. XI. §. 135. fqq.)

§. 1403. Qui a nautico, aut nauta alio inſtrumenta quaedam e. g. rudentes, vela, remos, et eius generis alia, inſcio nauis magiſtro, emit, aut alio modo ſibi acquirit, ea non ſolum reſtituat emtionis pretio non refuſo, ſed praeter ea aeque puniatur ac ille, qui res emit a perſonis ſuſpectis. (Tit. XX. Sect. XIII.)

§. 1404. De locatione nauis totius valent principia Part. I. Tit. XXI. §. 234. fqq.

§. 1405. Naui in aeſtatem integram locata conducta, contractus vsque ad diem Martini ſubſiſtit.

§. 1406. Conductor, absque ſua culpa, caſibus aduerſis, vltra tempus determinatum in mari com-

Source : BIU Cujas

morari coactus, ad mercedem pacta maiorem soluendam non est obligatus.

§. 1407. De oppignoratione nauium et nauium instrumentorum, locum inueniunt praecepta Part. I. Tit. XX. §. 300. sqq.

§. 1408. In casu quolibet, vbi ius pignerationis tantum ad vnum aut plures nauis exercitorum socios extenditur, reliquis exercitoribus consociis ius competit, a creditore pignoraticio petendi, vt debito exsoluto iura sua cedat.

§. 1409. Neque naui ad proficiscendum paratae et onustae, neque naui, cui iam imponitur onus, ob debita, arrestum potest imponi. De arrestationibus nauium.

§. 1410. Si eiusmodi exstant circumstantiae, vt ad praecepta ordinationis processus arrestum reale alias admitteretur; iudicem loco arresti creditori oportet secundum praecepta Part. I. Tit. XX. §. 303. sqq. ius pignerationis praeuium in naui constituere, et nauis magistrum sacramento adstringere sequestrum.

§. 1411. Idem obtinet, si mercibus, naui principali iam impositis, ob debita arrestum imponitur; in quo casu in iis oppignorandis secundum praecepta P. I. Tit. XX. §. 374. sqq. est procedendum.

§. 1412. Tunc ei, qui arresti impositionem impetrauit, nauis aut merces vsque ad eam summam sunt obligatae, quam deinde sorte, vsuris et sumtibus sibi deberi litigando obtinet sententia, vires rei iudicatae nacta.

§. 1413. Naui aut mercibus vel plane non assecuratis, vel non ad pretium plenum determinandum; arrestum impetrans assecurationem potest supplere.

§. 1414. Tunc quidem praemium ante suppeditare eum oportet; ast hanc praemii pecuniam suppeditatam, nomine (postulato) principali re iudicata obtento, vna cum reliquis, secundum §. 1412. ipsi restituendis, potest reposcere.



Source : BIU Cujas

§. 1415. Si nauis ad iter faciendum est parata, nautarum nullus ob debita, aut alia praetensa ciuilia, absque consensu nauis magistri potest capi et in custodiam duci.

§. 1416. At vero, si nauis magistro statim alius sistitur nauta idoneus et dignus, qui accipiatur, pro eadem mercede (*Heuer*); arrestum concedere eum oportet.

§. 1417. At contra, in casu quolibet nautae creditor res eius mobiles et effecta, quatenus iis ad iter continuandum opus non est, arresto potest detinere.

§. 1418. Arrestum quoque imponi potest mercedi residuae, vsque ad dimidium; at non mercedi, in tempus posterum soluendae.

§. 1419. Si naui aut bonis, quibus nauis est onusta, arrestum imponitur, non ob debita, sed ob iura dominii (proprietatis), aut ex causis aliis; locus est praeceptis legum generalibus de arrestis.

De nauium exercitorum societate in genere.

§ 1420. Qui sub regni tutela oneribus nauibus maritimis transportandis quaestum praecipuum exercet, vocatur nauis exercitor (*Schiffsrheder*).

§. 1421. Quis nauis exercitor esse possit (*Rhederey treiben*) secundum leges et constitutiones cuiuslibet loci est diiudicandum.

§. 1422. Quae vbi clare non decidunt, eadem obtinent, quae in sectione septima §. 476. sqq. de iure mercaturam exercendi sunt sancita.

§. 1423. Qui iura mercatoris rite acquisiuit, ei in regula ius nauis exercitoris inde competit.

§. 1424. Nauis exercitores oportet nauem instruere attestatis idoneis, de iusta aedificatione (*Beyl-*), literis maritimis (*See-*), et literis emtionem testantibus (*Kaufbriefen*), et literis commeatus (*Päſſen*); quod ni fecerint, tenentur de damno ex earum defectu nauis magistro, et nautis, aut aliis, quorum interest, orto.

Source : BIU Cujas

§. 1425. Literae commeatus nauium, literae earum aedificationem idoneam teſtantes, proteſtationes, nautarum declarationes (*Schiffspäſſe*, *Beylbriefe*, *Proteſtationen*, *Verklärungen der Schiffsleute*), aut alia huius generis inſtrumenta publica et iudicialia, in terris noſtris conſcripta, vires non habeant, niſi in forma fide digna expedita ſint in ſenatu rei naualis (*Admiralität*) regio, aut in camera vectigalium (*Licentkammer*), aut vbi in quouis loco res nauales et maritimae expediuntur.

§. 1426. Inter plures eiusdem nauis exercitores eadem intercedit ratio, quae inter membra ſocietatis, ad certa negotia determinata initae. (Part. I. Tit. XVII. §. 186. ſqq.) Relatio exercitorum inter ſe.

§. 1427. Lucrum et damnum, deficientibus conuentionibus ſingularibus diuiditur pro rata ſociorum.

§. 1428. Pro ea quoque numerantur vota, ſi de rebus communibus decretum debet concludi. (Part. I. Tit. XVII. §. 12. ſqq.)

§. 1429. At vero, ſi de nauis refectione agitur, quam nauis magiſter et naupegus iuratus exiſtimant neceſſariam; refectio fiat neceſſe eſt, nulla votorum plurium ratione habita.

§. 1430. In quam ſi nauis exercitorum pars maior non velit conſentire, iis ad publicam nauis venditionem prouocare licet.

§. 1431. Nauis directori, a nauis exercitoribus ad intereſſe commune adminiſtrandum conſtituto, ſunt iura et officia mercaturae inſitoris aut diſponentis omnia. (§. 497. ſqq.)

§. 1432. Si eiusmodi nauis directoris conſtitutio ab omnibus nauis exercitoribus nauis magiſtro eſt indicata; nauis magiſter illius praeceptionibus ſolis morem gerere tamdiu obligatur, donec omnes nauis exercitores alias ipſi dant praeceptiones definitas.



Source : BIU Cujas

De seiunctione ab exercitorum societate.

§. 1433. Dum nauis in itinere versatur, eorum, quorum interest, nullus potest petere societatis dissolutionem.

§. 1434. At vero. concursu creditorum de bonis nauis exercitoris cuiusdam formato, omnibus reliquis nauis exercitoribus consociis ius competit, secundum propius concursus ordinationis praeceptum cum eius creditoribus massae separationem instituendi.

§. 1435. Idem obtinet, si casus existit, quo nauis exercitorum aliquis a reliquis potest excludi. (P. I. Tit XVII. §. 273 274.)

§. 1436. Itinere finito cuilibet licet, ad publicam nauis venditionem prouocare, nisi contractus contrarium in se continet.

De iure protimiseos et reuocationis.

§. 1437. Si nauis exercitorum vnus partem tantum, quam in naui habet, velit vendere, ius protimiseos sociis ex lege competit. (Part. I. Tit. XX. §. 573.)

§. 1438. At vero, sub iuris iactura intra dies tres, post denuntiationem ipsis rite factam, debent declarare, vtrum ius protimiseos velint exercere, an nolint. (Part. I. Tit. XX. §. 610. sqq.)

§. 1439. Si nauium exercitores nauis directorem constituerunt; denuntiatio huic facta sufficit, et exercitores consocii eius negligentia ius protimiseos amittunt.

§. 1440. Venditione absque iusta notificatione, aut termino trium dierum nondum elapso facta, consociis nauis exercitoribus ius reuocandi competit intra hebdomadas quatuor. (P. I. Tit. XX. § 631. sqq.)

§. 1441. Si plures nauis exercitores consocii ad exercendum ius protimiseos cupiunt admitti, praefertur ille, qui coram iudicio competente comparuit primus.

§. 1442. Si plures simul comparuerunt; possessori competit electio, quocum agere velit. (Part. I. Tit. XVII. §. 62.)

Source : BIU Cujas

§. 1443. Nauis exercitor conſocius, qui ſimul magiſter nauis eſt conſtitutus, inde neque intuitu iuris protimiſeos, neque in aliis ius praelationis ſingulare prae reliquis nauis exercitoribus conſequitur; et in omnibus, quae ad nauem ducendam pertinent, aequiparatur alii tantum nauclero.

§. 1444. Nec vllum diſcrimen, licet nauis ductionem, cum ad ſocietatem nauis exercitorum accederet, conditionem ſingularem ſibi fuerit pactus.

§. 1445. Is, cui nauis tota curanda et ducenda a nauis exercitoribus eſt demandata, nauis magiſter habetur, nulla ratione habita nominis ſingularis forſan dati. Ratio inter nauis exercitores et magiſtros.

§. 1446. Nemo in terris noſtris nauclerus conſtituatur, niſi antea a nauclero ſeniore, adhibito mathematico perito, examinatus ſit, et inſtructus atteſtatione: eum artis nauem gubernandi eſſe peritum; profectionibus iam neceſſariam terrarum et regionum ſcientiam ſibi comparaſſe: architecturae naualis eſſe peritum; et in iuribus et moribus nauticis ſufficienter verſatum. Conſtitutio nauis magiſtri.

§. 1447. Nauis exercitores ſuo periculo neminem nauclerum conſtituant aut retineant, rei nauticae non peritum, aut vitiis tam grauibus obrutum, quibus ad obſeruanda officia ſit inidoneus. (Part. I. Tit. VI. §. 62. ſqq.)

§. 1448. Neque nauclerum, qui nauim iam duxit, conducant, antequam probatum eſt, eum ab exercitoribus prioribus, quibus inſeruiit, eſſe dimiſſum.

§. 1449. Ratio inter nauis exercitores et magiſtros in genere diiudicanda eſt ex legibus de pactis, quae ſunt de factis inita. (P. I. Tit. XI. Sect. VIII.)

§. 1450. Ad praecauendas lites omnes cum nauis magiſtro, de mercede aliisque conditionibus, contractus in ſcriptis eſt celebrandus.

§. 1451. Inter abſentes contractus vicem explent literae inter naucleros et nauis exercitores aut eorum mandatarios transmiſſae.



Source : BIU Cujas

§. 1452. Quatenus ex his aliud non apparet, ſtatuitur, nouum nauclerum in anteceſſoris contractum ſucceſſiſſe.

§. 1453. Deficiente contractu ſcripto, locum habent praecepta P. I. Tit. V. §. 155. ſqq.; et quatenus prouocatur ad conuentionem ore factam, nauclerus admittitur ad eius confirmationem iuratam.

Eius dimiſſio.

§. 1454. Si quis eſt nauclerus conductus rei nauticae ſcientiis non inſtructus; nauis exercitores contractu inito non tenentur.

§. 1455. Quin potius eiusmodi nauclerus ad reſtituendum accepta, et ad reſarciendum damnum datum ſententia legali compellatur; et praeter ea affi-ciatur multa pecuniaria aut poena carceris arbitraria.

§. 1456. Si praeter hunc caſum nauis exercitoribus neceſſarium videtur, nauclerum dimittere nondum elapſo tempore, in contractu determinato: eum quidem, ſimulac ei nauis exercitorum conſilium innotuit, ab omnibus de naui diſpoſitionibus oportet abſtinere;

§. 1457. Si vero poſtea cognoſcitur, a nauis exercitoribus nauis magiſtrum, ſine cauſa ſatis graui, iuſto citius fuiſſe dimiſſum: eum plene indemnem praeſtent neceſſe eſt, et ei nauis exercitorum ſumtibus detur iudicialis de innocentia atteſtatio.

Obligationes nauis magiſtri erga exercitores in genere.

§. 1458. Simulac nauis magiſtro nauis eſt tradita, eius qualitatem et inſtrumenta eum oportet accurate explorare, vitia in iis cognita nauis exercitoribus indicare, et his eo loco non praeſentibus, ſine mora iis mederi.

§. 1459. Si a nauis exercitoribus loco praeſentibus refectio neceſſaria vel plane non curatur, vel minus ſufficienter; de eo ſenatum rei naualis (*Admiralität*), aut cameram vectigalium (*Licentkammer*), aut cuiusque loci iudicium, cui rerum nauticarum et maritimarum cognitio commiſſa eſt, ſine mora certum facere eum oportet.

Source : BIU Cujas

§. 1460. Quorum ſi vnum negligat, aut alterum, de damno inde orto omni ſimul tenetur.

§. 1461. Nauis magiſter obligatur, ad promouendum, quantum fieri poteſt, exercitorum commodum in negotiis nauticis omnibus; et ad auertendum quantum in ipſo eſt, detrimentum metuendum omne.

§. 1462. Et hic praeſtare debet culpam, quam nauclerus cautus et peritus non eſſet admiſſurus.

§. 1463. In caſibus magni momenti et dubiis, vbi naui, oneri et hominibus periculum imminet, et in portu et mari, in conſilium nautas vocare debet. (*Seemannſchaft oder Schiffrath halten.*)

§. 1464. At vero, ad tuendum nauis magiſtrum ſufficit, ſi in eiusmodi conſilium tantum vocantur nauis gubernator, proreta (*Hochbootsmann*), et faber lignarius.

§. 1465. Quorum vno deficiente nauis magiſter illius loco alium ſaltem nautam peritum vocet in conſilium.

§. 1466. Conſilii ſententia nauclerus quidem non tenetur; at vero, ſi contra illam agat, ſine rationibus grauibus, clare ab ipſo probandis, tenetur de damno, inde oriundo.

§. 1467. Nauis magiſtro itinere nondum peracto ſub nullo praetextu nauem licet deſerere, absque exercitorum conſenſu.

§. 1468. Quin et in eo caſu, ſi nauclerus tantum in tempus certum eſt conductus, loco deſtinato nauem debet tradere, licet iter intra temporis ſpatium praefinitum nequeat abſolui.

§. 1469. Nauis magiſter, qui morbo aut alio caſu impeditur, quo minus iter continuet, nauis exercitores aut eorum mandatarios de eo debet certiores reddere, eorumque diſpoſitionem expectare.

§. 1470. Si itineris continuatio nequit differri, vsque donec eorum diſpoſitio fuerit allata; ius ei



Source : BIU Cujas

competit, alii loco ſui nauem ducendam committendi.

§. 1471. De factis ſubſtituti, in eiusmodi caſu conſtituti, eatenus tantum tenetur, quatenus in eo eligendo culpam admiſit leuem.

In naui oneranda.

§. 1472. Priusquam nauis magiſter onus recipit, adhibitis, ſi opus fuerit viſum, neceſſariis rei peritis, nauem diligenter exploret, atque ſatis certus fiat neceſſe eſt, nauem ad iter ſuſcipiendum idonee et ſufficienter eſſe inſtructam.

§. 1473. Si in naui exploranda vitia in naui ipſa aut eius inſtructione apparent; nauis magiſtrum ſecundum praeceptum §. 1458. et 1459. oportet procedere.

§. 1474. Si eruitur, nauclerum recepiſſe onera, licet nauis non ſatis idonee et ſufficienter fuerit inſtructa: et nauis exercitoribus atque conductoribus, et aſſecuratoribus reſarciat damnum omne; ac praeter ea ſecundum iuris criminalis praecepta poenam luat laeſionum, vitae, corpori aut bonis, iſta ſua negligentia, vlli illatarum.

§. 1475. Magiſtrum nauis praecipuam curam in eo oportet collocare, vt naui onus imponatur iuſtum; et in primis attendere, ne nauis iuſto minus, oneretur, ſed ei, ſi opus fuerit, proſpiciatur ſaburra neceſſaria, atque etiam ne nimis oneretur, ſiue in carina, ſiue in parte ſuperiori, ſiue ex lateris alterius parte, quo iter commode facere poſſit.

§. 1476. Neque merces deſtillantes imponat ficcis, neque ſtratum, cui imponuntur onera, iis ferendis ſit impar, et in genere merces compoſitas probe muniat (*garniren*).

§. 1477. Si onere ſoluto recepto aut ſaburra nauigat, in medio nauis ea paret, quae impediunt, quo minus onus vacillando poſſit tranſilire. (*ein tüchtiges Schloſs machen*).

Source : BIU Cujas

§. 1478. Atque etiam merces, quibus nauis onĕratur, firme collocet, et lignis rite interſepiat neceſſe eſt.

§. 1479. Si in mercibus collocandis trochleis (*Schrauben*) aut gruibus (*Wagewinden*) vtitur, tabulas ante trochleam, aut lignum inter vngulam (*Klau*) debet mittere, ne detrimentum capiat mercium inuolucrum.

§. 1480. Quibus praeceptis, §. 1475-1479. expoſitis, ab eo aut eius nautis neglectis damnum praeſtat omne.

§. 1481. In iis locis, vbi conſtituti ſunt mercium compoſitores (*Stauer*), ad id oportet eum attendere, ne iſti vllum vitium in mercibus componendis admittant, et, ſi iſtos nequit arcere, proteſtationem ideo conficiendam curare.

§. 1482. Quod ſi neglexerit, excuſatio, vitium a compoſitoribus eſſe commiſſum, ei non proſit.

§. 1483. Magiſter nauis eadem cura caueat, ne nauis nimis oneretur, neque tueri ſe poteſt contra reparationem damni, ex impoſito onere nimio orti, voluntate nauis conductorum (*Befrachter*) aut merces transmittentium (*Spediteurs*).

§. 1484. In caſibus omnibus, licet damnum nullum fuerit datum, nauis magiſtrum poenae loco ſoluere oportet aerario, nautis pauperibus alendis inſeruienti, duplum pretii, pro ponderis naualis cuiusque, praeter modum recepti, vectura pacti.

§. 1485. Nauis magiſter, qui ab ignoto aut incerto nauis conductore in nauem recipit bona, quorum qualitatem haud certo nouit, praeſtat damnum, ex occulta rei qualitate oriundum.

§. 1486. Idem locum habet, ſi absque nauis exercitorum et conductorum conſenſu, naui imponit merces vetitas (*Contrebande*), aut alia eiusmodi bona, quae periculo exponunt nauem totam et bona reliqua, quibus onuſta eſt nauis.

Source : BIU Cujas

§. 1487. Atque si belli tempore naui imponit bona, ex quorum conditione externa falsam conductoris indicationem licet coniicere.

In naui ducenda.

§. 1488. Nauis magistro non licet operatione peracta, necessitate haud vrgente, nauem deserere, nedum in littore pernoctare.

§. 1489. Quod si circumstantiae accidentes exigunt; nauis curam se ipso absente nauis gubernatori demandare eum oportet.

§. 1490. Hinc nauis magistro et gubernatori vno eodemque tempore a naui recedere nunquam licet.

§. 1491. Nauis magistro praeter necessitatem cursum sibi praescriptum neque mutare licet, neque alios portus praeter destinatos intrare; alioquin nauis exercitoribus et conductoribus tenetur de damno omni inde oriundo.

§. 1492. Cursu nullo praescripto, proximam viam et tutissimam ad locum destinatum debet eligere.

§. 1493. Si necessitate ad cursum mutandum aut alium portum quaerendum cogitur; nauis exercitores, quam primum potest fieri, de eo certiores faciat necesse est.

§. 1494. Si nauclerus sub praesidio comitante aut praefectura (*Admiralschaft*) nauigat; eas neque data opera deserat, neque a nauibus reliquis absque necessitate recedat.

§. 1495. Si contra egerit; nauis exercitoribus et conductoribus tenetur ad resarciendum damnum omne, quod euitari seruato praesidio potuisset; vti nauibus reliquis de expensis, ex sua parte forsan conferendis.

§. 1496. Nauclerus omnis, siue nauiget, siue in ancoris consistat, sub propria damni reparatione obligatur, vt noctu nauis lucernam affigat; atque etiam, si nauem in ancoris tenet, vt super eas vigilem sic dictum affixum natandum curet.

Source : BIU Cujas

§. 1497. Excepto ſummae neceſſitatis caſu, ſub eadem reparatione, ſine conſtitutis nauium ductoribus aut vadorum exploratoribus locorum peritis (*Lootſen*) neque portum intret, neque ex eo exeat; ductori nauis ingredientis et exeuntis directionem prorſus committat; et nautas admoneat, vt ei in rebus omnibus, in primis in remis et velis dirigendis, accurate obediant.

§. 1498. Si ex loco, quo nauis eſt onerata, egreſſus in portum intrat, vbi eſt nauis exercitorum mandatarius ei notificatus; hunc oportet ſine mora adire, et eo neſcio et non conſentiente nihil agere, quod ſit alicuius momenti. Si portum intrat.

§. 1499. Nauis magiſtrum loco extero, quo nulli ſunt nauis exercitorum mandatarii, pecunias ad iter continuandum neceſſarias mutuo ſumere coactum, curare oportet, vt eas mutuo accipiat ſub conditionibus, quam fieri poteſt, optimis. Si ſumit pecuniam neceſſariam mutuam.

§. 1500. Si eiusmodi mutuum inuenire nequit; operam in eo collocare, vt pecuniam, qua indiget, bodmeria contrahenda ſibi paret.

§. 1501. Quorum neutrum ſi fieri poſſit; ipſi licet, bonorum, quibus nauis eſt onerata, aut inſtrumentorum nauticorum, quibus carere poteſt, eam partem oppignorare aut alienare, cuius oppignoratio aut alienatio ad eas expenſas ferendas omnino eſt neceſſaria.

§. 1502. At vero in caſibus omnibus antecedentibus (§. 1499. 1500. 1501.) eum oportet circumſtantias, et neceſſitates ipſum prementes, indicare iudicio nautico loci, quo nauim in ancoris tenet; eas vna cum nauis gubernatore et nauticis duobus iureiurando confirmare; et inſtrumentum de negotio conficiendum curare.

§. 1503. Quod praeceptum ſi negligit, mutui neceſſitatem, ſi nauis exercitores aut conductores eam aut alienationem factam agnoſcere deinde nolunt, plene probet neceſſe eſt; neque admittatur ad iuramentum ſuppletorium ad eam probandam.

Source : BIU Cujas

Intuitu literarum commercii cum nauis exercitoribus.

§. 1504. Nauclerus obligatur, vt, quantum fieri potest, nauis exercitores certos faciat de casibus grauibus omnibus in itinere accidentibus.

§. 1505. In primis iis, quam primum data fuerit occasio, indicare debet aduentum et profectionem, conuentionem de vecturis pro transuehendis mercibus et personis factam, exhibitionem oneris et vecturarum pretii, introitum in portum, necessitate vrgente petitum, et quae sunt eius generis plura.

Intuitu diarii conscribendi.

§. 1506. Praeter ea diarium itineris totius verum et plenum vel ipse debet conscribere, vel a nauis gubernatore conscribendum curare.

§. 1507. In quo diario notandi sunt casus notatu digni omnes, qui ante iter inceptum, in eo, aut post illud acciderunt.

§. 1508. Huc in primis pertinet vectura pacta; nautarum conductio aut dimissio; mercium acceptio et traditio; expeditio a portorii (*Zöllen*) et vectigalis (*Licent*) exactoribus facta; ventorum et tempestatis variatio, quae itinere durante contigit, et quae sunt eius generis.

§. 1509. In diarium quoque accurate referendi sunt, qui durante itinere in naui sunt mortui, et laesiones naui aut bonis impositis illatae.

§. 1510. Quod diarium nauis magistrum et gubernatorem ea fide oportet conscribere, vt eius veritatem, si exigatur, iureiurando possint confirmare.

§. 1511. Atque eius exemplar originale intra viginti et quatuor horas post aduentum tradere iudicio nautico loci exonerationis; at aquarum affectione oneris exonerationem iam ante exigente, iudicio portus, ad quem ante sunt appulsi.

§. 1512. Diario non conscripto aut non rite continuato, nauis magister et gubernator praeter reparationem damni omnis, inde oriundi, si culpa ex mera negligentia est commissa, quartam mercedis

Source : BIU Cujas

promeritae partem, poenae loco ſoluant; at dolo cognito tanquam falſarii ſunt puniendi.

§. 1513. Praeter ea nauis magiſter quamlibet indicationem, qua pro ſe praetenſum aut defenſionem cupit fundare, aliis mediis probandi legitimis plene probet neceſſe eſt; et ad eam confirmandam admitti non poteſt ad iusiurandum ſuppletorium.

§. 1514. Nauis magiſter mercede cum nauis exercitoribus pacta acquieſcat; neque ei absque eorum conſenſu licet, merces vllas nomine proprio neque in alueo, neque in conſtrato, neque in cellis, neque in nauis conclaui ſ. receptaculo ſecum ducere. Intuitu vecturae.

§. 1515. Qui ſi contra hanc prohibitionem agit, quartam pretii mercium ſecum ductarum partem nauis exercitoribus poenae loco ſoluat.

§. 1516. Si vero nauis magiſter ſimul eſt nauis exercitor, aut ſi nauis exercitorum cuiusdam nomine merces imponendas curauit, vectura non pacta; vecturae eo tempore loco onerationis vſitatae pretium medium debet ſoluere.

§. 1517. Atque eum etiam in recipiendo onere operam dare oportet, vt in primis nauis exercitorum vtilitatem promoueat, neque repudiet onus bonum mercedulae *Kaplaken* dictae, chartiatici (*Schreibegeld*), aut commodi proprii alius cauſa.

§. 1518. Neque ei licet accipere mercedulam *Kaplaken* dictam, chartiaticum et commoda alia, ab exercitoribus nauis ipſi conceſſa, triceſima vecturae pretii parte maiora; quod ſi fecerit, mercedulae *Kaplaken* dictae, chartiatici, et alius commodi totius accepti duplum ſoluere poenae loco debet aerario, nautis pauperibus alendis deſtinato.

§. 1519. Itinere quolibet peracto nauclerum oportet nauis exercitoribus rationes accuratas reddere; durante quoque itinere, quotiescunque a nauis exercitoribus, aut eorum mandatario exigitur, acceptorum et expenſorum rationem explicare. Intuitu rationum reddendarum.

Source : BIU Cujas

§. 1520. Si nauis magiſter de vectura aut nauis prouiſione quid interuertit, ad duplum reſtituendum eſt compellendus, et praeter ea tanquam fraudator puniendus.

§. 1521. Idem obtinet, ſi nauclerus in nauis exercitorum aut aſſecuratorum praeiudicium cum nauticis opificibus et exhibitoribus (*Lieferanten*) conſpirat.

Obligatio nauis exercitorum ex naucleri factis.

§. 1522. Nauclero non competit ius, nauem totam absque expreſſo nauis exercitorum eorumue mandatariorum conſenſu vendendi.

§. 1523. Si ob circumſtantias ſingulares citior nauis venditio fiat neceſſaria, aut nauis exercitoribus vtilis; nauclerus has circumſtantias loci iudicio debet denuntiare, taxam a rei peritis iuratis conficiendam curare, et venditionem licitatione inſtituere.

§. 1524. Quo neglecto, ſoluere eum oportet pretium, quod profectionis tempore naui fuit, niſi plene probare poſſit venditionis factae neceſſitatem aut vtilitatem.

§. 1525. Obligationibus aliis, a nauclero durante itinere de naui ei commiſſa initis, nauis exercitores aeque tenentur, ac mercaturae dominus factis inſtitoris aut diſponentis obligatur. (§. 497. ſqq.)

§. 1526. Contra quas obligationes nauis exercitores tueri ſe non poſſunt exceptione, nauis magiſtrum mandatum ipſi datum fuiſſe transgreſſum.

§. 1527. Neque ab hac obligatione nauis exercitores liberantur, licet nauclerus ipſe nauim totam conduxerit.

§. 1528. Damnum nauis magiſtri aut nautarum culpa oneri aut nauigantibus illatum nauis exercitores eatenus debent praeſtare, quatenus damnum inferens damnum reſarcire ipſe nequit.

§. 1529. At nauis tamen exercitores ab his obligationibus, ex factis nauis magiſtri iis imputandis, poſſunt liberari cedendo partes ſuas, quas habent

in

Source : BIU Cujas

in naui, et commoda durante itinere ex iis percepta omnia.

§. 1530. Nauis si fuit assecurata; creditoribus quoque cedenda sunt iura in assecurantem.

§. 1531. Si nauis exercitores peracto itinere, quo durante eiusmodi nomen (postulatum), quod ipsis innotuit, est exortum, nauem de nouo mari commiserunt: cedendo partes, quas in naue habent, ab ea obligatione liberari non amplius possunt; sed ex reliquis suis etiam bonis satisfactionem praestant.

§. 1532. De naucleri delictis nauis exercitores ea tantum ratione tenentur, qua principalis de institoris delictis. (§. 515. sqq.)

§. 1533. At vero tum quoque nauis cessioni locus non est.

III. Rationes inter nauis magistrum et nautas. Conductio nautarum.

§. 1534. Nautis cum nauis magistro intercedit eadem ratio, quae famulis cum domino. (Part. II. Tit. V.)

§. 1535. Nauclerus, antequam nauem mari committit, cum nautis conductionem scriptam, aut sic dictum nautarum catalogum (*Musterrolle*), conficiat necesse est.

§. 1536. Merces nautarum, vel in menses singulos, vel pro itinere integro per auersionem, conductionis pacto potest definiri.

§. 1537. Eo, quod conductio in menses est facta, parti neutri ius competit, exoneratione nondum facta, a contractu vnilateraliter recedendi.

§. 1538. Si ob temporis breuitatem nauta vnus aut alter conducendus est, contractu antea in scripturam non redacto; merces proportione mercedis determinatur, quam nauclerus ipse a nauis exercitoribus accipit.

§. 1539. Et tum accipit nauis gubernator et naupegus quisque mercedis, nauis magistro ab exercitoribus constitutae, partes duas tertias; coquus et proreta (*Hochbootsmann*) quisque partem dimidiam; nauta trientem, et nauis seruulus (*Schiffsjunge*) partem sextam.



Source : BIU Cujas

§. 1540. Nauta, duobus nauium magiſtris ſimul operas ſuas locans, mercedis ab vltimo promiſſae dimidium, poenae loco ſoluat in vtilitatem nauticorum pauperum.

§. 1541. Eodem modo nauclerus eſt puniendus, qui nautam conducit ab alio iam conductum, licet id ipſi fuerit cognitum.

§. 1542. Furis inſtar habendus et puniendus eſt nauta, mercede accepta aufugiens, aut ſe occultans, quo ſe ſubtrahat operis ſuſceptis.

§. 1543. Praeceptis §. 1454. 1455. locus eſt contra eum, qui nauis gubernatoris, naupegi aut nauis officialis alius operas locans, poſtea praeſtandis his operis cognoſcitur inidoneus.

Dimiſſio nautarum; §. 1544. Nauticus vero, aut nauta alius, qui in itinere cognoſcitur haud idoneus, reſidua ſua mercede eſt priuandus, et afficiendus corporis poena afflictiua arbitraria, pro re nata determinanda.

a) eorum culpa; §. 1545. Nauta, itinere nondum peracto dimittendus, quia ad operas praeſtandas inidoneum ſe reddidit, aut quia lue venerea laborat, exigere non poteſt mercedem ea maiorem, quam vſque ad dimiſſionis tempus meruit.

§. 1546. Si quis nautarum, itinere nondum peracto, miniſterium relinquat; ad miniſterium continuandum vi poteſt compelli.

§. 1547. Si nauclerus nautam aufugientem recipere recuſat; hic reſtituat omnia, arrham acceptam et mercedem; et ob iniquitatem commiſſam afficiatur corporis poena afflictiua pro circumſtantiarum ratione determinanda.

§. 1548. Nauis gubernatorem vel nautam alium, cui offertur occaſio, vt ipſe nauclerus conſtituatur, nauclerus, cui adhuc operas praeſtitit, ex miniſterio debet dimittere, licet iter nondum ſit confectum.

Source : BIU Cujas

§. 1549. Decedens vero tunc obligatur ad ſubſtituendum in locum ſuum alium idoneum, cum quo de mercede absque naucleri detrimento conueniat.

§. 1550. Dum hoc non factum eſt, eiusmodi etiam nauta miniſterium, quo huc vsque fuit functus, continuare omnino debet.

§. 1551. Idem obtinet, ſi nauis gubernatori aut nautae alii ante nauis profectionem offertur matrimonii ineundi occaſio, et periculum eſt, ne iter continuando eam occaſionem amittat.

§. 1552. Si nauis magiſter nautam dimittit abs- b) naucleri
que cauſa legitima, antequam iter init; illum oportet culpa;
huic, ad totum iter conducto, mercedem dimidiam, et in menſes ſingulos conducto mercedis menſtruae duplum ſoluere.

§. 1553. Dimiſſione durante itinere facta, dimiſſo praeter reditus impenſas competit pro diuerſa conductionis ratione merces tota, aut menſium quatuor.

§. 1554. Si quis nautarum, itinere nondum in- c) morbo;
choato, dimitti debet ob caſum, qui eum absque ſua culpa miniſterio reddit imparem; pro conductionis diuerſitate mercedis partem quartam, aut mercedem menſtruam poteſt exigere.

§. 1555. Qui caſus ſi contingit durante itinere; a nauclero alimenta et ſumtus ad ſanationem et reditum neceſſarii pro nauta ſunt ſoluendi.

§. 1556. At vero, ſi caſus extra miniſterium contigit; eorum ſumtuum omnium, pro conductionis diuerſitate nauclerus non fert, niſi dimidiae mercedis, aut menſium duorum mercedis ſummam, praeter mercedem iam promeritam; et, quae plura ſunt impenſa, a laeſo deinde ſunt reſtituenda.

§. 1557. Nautam, in miniſterii negotiis vulneratum aut laeſum, nauclerum nauis exercitorum ſumtibus ſanandum et alendum oportet curare.

§. 1558. Nautam quoque, qui ſua culpa in morbum incidit, aut alio modo eſt laeſus, nauis magiſter



Source : BIU Cujas

debet curare, vsque donec in terram cultam eum poſſit exponere.

§. 1559. Attamen tunc nauis magiſtro ius competit, expenſas erogatas deducendi de mercede, morbo laboranti forſan adhuc competente.

§. 1560. In caſu nullo nauta morbo affectus petere poteſt, vt nauclerus eius cauſa iter differat, aut ad locum alium, quam deſtinatum appellat.

d) morte. §. 1561. Heredes nautae, oneratione nondum inchoata defuncti, pro conductionis ratione diuerſa, quartam mercedis partem, aut mercedem menſtruam poſſunt exigere.

§. 1562. Si moritur durante itinere; heredibus eius pro conductionis ratione diuerſa debetur merces dimidia, aut merces menſtrua duplex; et ſi moritur in reditu, merces tota, aut menſium quatuor.

§. 1563. De quibus tamen nauclerus deducere poteſt omnia, quae defuncto ſuppeditauit, et ſumtus in funus erogatos.

§. 1564. In caſibus omnibus antecedentibus itineris aut reditus initium computatur ad ſectionis decimae quartae praeceptum.

§. 1565. Viduae aut liberis nautae, in nauis defenſione occiſi, aut vulneribus acceptis mortui, in caſu quolibet ſoluenda eſt merces duplex, at contra ſimplex heredibus aliis.

§. 1566. De qua tantum deducitur merces, quam nauta defunctus de mercede pacta iam viuus accepit.

Iura nautarum intuitu mercedis: a) itinere non ſuſcepto; §. 1567. Si iter, ad quod conducti ſunt nautae, auctoribus nauis exercitoribus plane omittitur; nautis merces debetur dimidia, aut in menſes conductis, duorum menſium merces.

§. 1568. Idem tunc obtinet, ſi iter nequit ſuscipi, naui a iudice arreſto detenta.

§. 1569. At vero, ſi nauis, absque nauis exercitoris aut magiſtri culpa, poteſtate ſuperiore, aut inopi-

Source : BIU Cujas

nato belli vel piratarum periculo impeditur, quo minus vela ſoluantur; nautae, ſi nauclerus retinere eos velit, praeter arrham (*Handgeld*) exigere tantum poſſunt menſis currentis mercedem, aut ſi pro toto itinere merces per auerſionem eſt pacta, aequam ſatisfactionem pro operis actu iam praeſtitis.

§. 1570. Nautae, in caſibus antecedentibus ex loco alio literis arceſſito, ſeparatim reſarciendae ſunt profectionis et reditus impenſae.

§. 1571. Si itineris initio, vltra tempus determinatum, absque naucleri atque nauis exercitoris culpa protracto, nauis magiſter nautas non vult dimittere; iis mora durante eum ſoluere tantum oportet mercedis menſtruae dimidium, aut in totum iter conductis mercedis augmentum aequum. b) dilato,

§. 1572. Itineris initio nauis exercitorum aut nauis magiſtri culpa producto, nautis de mercede menſtrua nihil poteſt deduci; et per auerſionem conductis aequum mercedis augmentum competit.

§. 1573. Si iter iam inceptum auctoribus nauis exercitoribus non conſummatur; nautae nauis exercitorum ſumtibus, ad reditus locum deſtinatum ſunt remittendi, et merces iis eſt ſoluenda. c) non conſummato,

§. 1574. Nautae mercede menſtrua conducti, itinere vltra fretum Caletanum interrupto, praeter mercedem iam promeritam petere poſſunt mercedem trimeſtrem, at citra fretum menſium duorum.

§. 1575. Itinere mero caſu interrupto, nautas mercede menſtrua conductos, praeter reditum ab omnibus ſumtibus liberum, menſis currentis mercede oportet acquieſcere, et per auerſionem conductos ea mercede, quae pro portione ad totum iter promerita eſt habenda.

§. 1576. Naui ab hoſtibus aut piratis capta, aut alio caſu deperdita, nautae nihil poſſunt amplius petere.



Source : BIU Cujas

§. 1577. Si tamen naui aut oneris parti rurſus datur libertas, aut ſi nauis, caſum paſſae, eius inſtrumentorum aut mercium pars ſeruatur; ante omnia merces pro rebus ſeruatis de his eſt deducenda.

§. 1578. Ex eo, quod deinde deducta ſeruationis mercede adhuc eſt reſiduum, nautis ſecundum praeceptum §. 1573. ſqq. eſt ſatisfaciendum.

§. 1579. An nauis et bona, quibus eſt onuſta, ſint aſſecurata, an minus, nullum facit diſcrimen.

d) breuiato; §. 1580. Si iter mutato curſu aut loco deſtinato fit breuius, nautis merces, per auerſionem pacta, nihilo minus integra eſt ſoluenda.

e) prolongato. §. 1581. Si iter absque nauis magiſtri culpa et concurſu prolongatur; nautae per auerſionem conducti, praeter victum ſolitum, mercedis augmentum petere nequeunt.

§. 1582. Huc in primis pertinet, ſi nauis curſus ventis aduerſis retardatur, aut neceſſitate vrgente ad portum alium (*Nothhafen*) appellere aut hibernare cogitur.

§. 1583. At vero, ſi eiusmodi caſus aduerſus hauariae maioris inſtar refarcitur, nautis quoque praeſtanda eſt aequa indemnitas.

§. 1584. Naui ab hoſtibus aut piratis capta et poſtea recuperata, nautae non poſſunt petere, ob moram inde ortam, augmentum mercedis per auerſionem pactae.

§. 1585. Si iter prolongatur nauis magiſtri culpa; nautis ius competit petendi mercedis, per auerſionem pactae, augmentum aequum.

§. 1586. Quod in primis in iis caſibus obtinet, ſi nauis magiſter portum intrat longius diſtantem; aut neceſſitate non vrgente ingreditur portum, de quo non eſt conuentum; aut in nauis exercitorum aut conductorum commodum ſponte hibernat.

§. 1587. Augmentum nautis tunc competens computandum eſt pro portione temporis, quod, quan-

Source : BIU Cujas

tum ex rationibus ſolitis poteſt coniici, ad iter ſtipulatum conficiendum eſt neceſſarium, ad tempus itineris, eiusmodi caſu prolongati.

§. 1588. Iuſſu nauis magiſtri primo nautas nauem, ad quam ſunt conducti, oportet conſcendere. Nautarum obligationes itinere nondum incepto ſ. inchoato;

§. 1589. Simulac et dum nautis victus praebetur, ſub graui multa pecuniaria aut corporis poena afflictiua extra nauem pernoctare iis non licet.

§. 1590. Naue ad nauigandum parata, ne luce quidem, nautarum vlli licet absque expreſſa nauis magiſtri venia, ex naui exſcendere, aut in terra remanere.

§. 1591. Multo minus nautarum vlli licet, nauiculam absque nauis magiſtri iuſſu a naui abducere.

§. 1592. Absque nauis magiſtri conſenſu nautarum nulli licet, permittere vlli, vt nauem conſcendat, ſiue cognatus ſit, ſiue alienus.

§. 1593. Nautae obligantur, vt nauis magiſtro poſcente et iubente, quouis tempore, et in portu vel mari, et luce vel noctu, in naui diligenter excubias agant, et in iis agendis ad laternae candelam cura attendant.

§. 1594. Si quis excubias agere iuſſus dormiens aut negligens deprehenditur, aut ſtationem relinquit, antequam alius ei ſucceſſit; damna inde exorta reparare debet omnia, et praeter ea affici graui poena corporis afflictiua.

§. 1595. Absque naucleri permiſſione nautae ne minimum quidem mercium aut bonorum naui licet imponere aut ex ea exportare.

§. 1596. Nomine proprio (*für eigene Rechnung*) iis ſecum portare licet mercium aut rerum non prohibitarum eam tantum quantitatem, quam in loco dormitorio (*Schlafſtelle*) et ciſta poſſunt reponere.

§. 1597. In accipiendis, et imponendis ſ. collocandis, et exonerandis bonis nautam, et in primis proretam, aut, eo deficiente, nauis gubernatorem



Source : BIU Cujas

omnem adhibere oportet diligentiam, ne bonis damnum inferatur.

§. 1598. Si in rudentibus (*Takelwerke*) aut instrumentis aliis ad eas pertinentibus animaduertunt vitium; nauis magistro sine mora illud indicent, aut ipsi eius refectionem curent; alioquin eos, in primis vero nauis gubernatorem et proretam, praestare praecipue oportet damnum inde exortum.

durante itinere.

§. 1599. Nautae quoque obligantur, vt merces impositas, quotiescunque nauis magister, aut gubernator iubet, collocent, vertant, et casibus aduersis accidentibus, quantum potest fieri, nauem, instrumenta et bona conseruent, et in tuto collocent.

§. 1600. Ad curam de mercibus habendam in primis nauium magister et proreta sunt obligati.

§. 1601. Dispositionibus, in nauis vtilitatem, et ad conseruandum bonum ordinem, a nauis magistro factis omnibus, nautae haud cunctanter et lubenter debent obtemperare.

§. 1602. Nauis magistro absente, aut alias impedito, nautas oportet morem gerere iussui nauis gubernatoris, qui obligatur, vt iustam gerat de naui et nautis curam.

§. 1603. Si durante itinere, nauis magistri mutatur persona; nautas nauis magistro nouo idem praestare obsequium oportet, quod priori.

Iura nauis magistri de nautis.

§. 1604. Nauis magistro ius competit, ad operas debitas compellendi nautas mediis coactiuis et poenis necessariis, quae tamen verbera modica, dierum octo carcerem, aut multam pecuniariam quinque thalerorum non excedant.

§. 1605. Ipsi attendendum est, vt nautae amice inter se viuant, ne alter alterum laedat, conuiciis afficiat, aut alio modo indigne tractet.

§. 1606. Si nauta in mari nauis magistro vim opponit, contra eum seditionem aut conspirationem

Source : BIU Cujas

(*Meuterey*) concitat, aut delictum grauius aliud committit; nauis magiſter ſub graui poena eſt obligatus, vt eiusmodi noxae reum det in cuſtodiam.

§. 1607. Deinde nautis in conſilium vocatis, aliisque viris prudentibus, in naui verſantibus, accurate literis mandare eum oportet omnia, quae poſſunt facere ad determinandam poenam, a delinquente poſtea ſumendam.

§. 1608. In primis, ſi homicidio perpetrato funus, antequam nauis appellitur, in mare proiiciendum eſt, accurate literis conſignentur neceſſe eſt vulneris locus et qualitas; tempus, per quod vulneratus adhuc poſtea vixit; cibus, quem ſumſit; et remedia ad eum ſanandum adhibita.

§. 1609. Si in naui eſt medicus aut chirurgus; hic praeſentibus nautis in conſilium vocatis, inſpectionem inſtituat; qua facta viſum repertum, et de eo ſententiam ſuam omnibus partibus abſolutam nauis diario ita adiungat, vt iureiurando confirmare eam poſſit.

§. 1610. Delinquentem in cuſtodia detentum nauis magiſter, ſi ad regni noſtri portum tendit, loco deſtinato, alias vero eo loco, ex quo enauigauit, tradere debet iudicio, quod vlterius in eum inquirat, et eum puniat.

§. 1611. At vero, ſi vlterior eiusmodi delinquentis cuſtodia ipſi dubia videatur, aut periculoſa, ei licet, delinquentem tradere loci, quo primum exſcendunt, iudicio, vt iuſte puniatur.

§. 1612. Vna cum delinquente iudicio ſimul tradendae ſunt notae, §. 1607-1609. praeſcriptae.

§. 1613. Si ſeditione facta nauis magiſter, nautarum vnum aut quosdam tanquam capita denuntiat, denuntiationem argumentis probabilibus firmans; eius depoſitio plena habeatur probatio, ſi veritas alio modo erui nequit, et nauis magiſtro in genere ſunt qualitates teſtis, fide digni.



Source : BIU Cujas

§. 1614. At eiusmodi tamen probationis fundamento decerni semper tantum potest poena mitior condemnatione in decennium ad locum munitum aut ergastulum.

§. 1615. Nautae omnes obligantur ad auxilium ferendum nauis magistro, et ad puniendum nautam inobedientem, et ad comprehendendum in naui delinquentem omnem.

§. 1616. Auxilium ferre recusans mercede tota priuetur, et praeter ea puniatur secundum principia de criminum alienorum complicibus data.

Iura et obligationes nautarum itinere peracto.

§. 1617. Itinere peracto nautis nauem derelinquere non licet, antequam merces sunt exoneratae, antennae, vela, et rudentes subductae, et nauis ad locum destinatum est ducta et densata.

§. 1618. Nauis magistrum, exonerationem iusto plus differentem, nautis oportet soluere alimenta et mansionis pecuniam (*Wartegeld*), exonerationis loco vsitatam.

§. 1619. Ad eadem est obligatus, si soluere mercedem residuam moratur.

V. Ratio inter nauium magistros et conductores ad merces transportandas.

§. 1620. Qui totam nauim ad merces transportandas conducit, cum nauis magistro instrumentum contractus nauis locatae conductae (*Charte Partie*) conficiat, aut contractum in scripturam redigendum curet necesse est.

§. 1621. In quo conuentiones de conductione initae omnes accurate et determinate contineantur.

§. 1622. Si naue ponderibus naualibus, fasciculis, aut vasis singulatim onerata, nauis magister de vectura cum conductoribus immediate est pactus; eum quoque oportet contractum scriptum cum quolibet eorum conficere.

§. 1623. Si de vectura sensalis s. proxenetae opera est conuentum; hunc conditiones diario suo oportet inserere, et ex eo attestationem aut manifestum sic dictum exhibere.

Source : BIU Cujas

§. 1624. Instrumentum contractus *Charte Partie* dictum, aut manifestum praeter nauis magistri et conductoris nomen in primis contineat necesse est descriptionem nauis, qua nomen et magnitudinem; onerationis et exonerationis tempus et locum; designationem bonorum impositorum accuratam; pecunias pro vectura atque mansione pactas, et vectigalia (*Ungelder*).

§. 1625. Ex his conuentis scriptis praecipue diiudicandae sunt rationes inter nauium magistros et conductores.

§. 1626. Si de onerationis aut exonerationis sumtibus nihil est conuentum; conductoris est curare, vt merces ad nauis marginem apportentur, aut ab ea deportentur; at nauis magistri est, vt a nautis suis a nauis margine in nauis alueum collocentur, aut ex nauis alueo ad marginem portentur. Quid in oneratione sit obseruandum.

§. 1627. Si merces libere in nauem debent importari, conducens operis quoque soluit mercedem, pro mercibus in nauis alueum deportandis.

§. 1628. Si nauis magister onus recepit, contractu scripto aut manifesto de eo haud confecto, ipsi acquiescendum est vectura, quae onerationis tempore obtinuit, viliſſima.

§. 1629. At vero, si quis nauis magistro inscio, merces ad nauem apportauit; nauis magister eas, apportantis periculo et sumtibus in terram potest reponere; aut si eas retinet transportandas, de iis pro nauis exercitoribus exigere vecturam, exonerationis loco vsitatam summam.

§. 1630. Si in contractu scripto certum tempus est determinatum, intra quod fieri debeat oneratio; pars vtraque illud diligenter obseruet necesse est.

§. 1631. Quo tempore non expresse determinato, conductorem oportet merces, petente nauis magistro, diutissime tertio die ad nauem, aut, si ita fuerit pactum, in nauis alueum deportare.

Source : BIU Cujas

§. 1632. Conductor quoque obligatur, vt merces, pro diuersa earum qualitate, vasibus, fasciculis, ciſtis aut modis aliis ad iter deſtinatum rite muniat.

§. 1633. In quibus ſi nauis magiſter, vitium deprehendit, hoc conducentibus ſtatim indicet neceſſe eſt, neque merces naui imponat, ante vitium remotum.

§. 1634. Mercibus naui impoſitis, contra eum ſtat praeſumtio, merces rite fuiſſe conuaſatas et munitas.

§. 1635. Simulac onerationis initium actu eſt factum, ad finem perducta ſit neceſſe eſt oneratio nauis ponderum naualium quinquaginta et pauciorum, deficiente alia conuentione, intra dies octo, et intra dies quatuordecim oneratio nauis, ponderum naualium quinquaginta vsque ad centum.

§. 1636. Naui ponderibus naualibus centum maiori conceduntur ad onerandum dies octo in pondera naualia quinquagena ſingula.

§. 1637. Sub ponderibus hic intelliguntur commercii pondera, loco onerationis vſitata.

§. 1638. Impedimenta, a ventis et tempeſtate in onerando illata, neque nauis magiſter neque conductores praeſtant.

Quid iuris ſit, ſi onus non tempeſtiue aſſignatur.

§. 1639. Nauis magiſter, cui onus intra tempus contractu determinatum aut legitimum non aſſignatur, proteſtationem conficiendam curet neceſſe eſt.

§. 1640. Inde ab eo temporis momento conductor obligatur nauis magiſtro, ad reſtituendos temporis neglecti ſumtus (*Verſäumniſskoſten*) omnes.

§. 1641. Neque vllum diſcrimen, licet mercium onerandarum exportatio fuerit prohibita, aut conductor alio caſu impeditus, quo minus onus promiſſum aſſignarit.

§. 1642. Si nauis magiſter deinde alia onera poteſt recipere; conductor primus praeter neglecti tem-

Source : BIU Cujas

poris ſumtus, nauis magiſtro reſarcire quoque debet damnum, ex vectura viliori forſan ortum.

§. 1643. Si conductor nauem totam conduxit, at onus aſſignauit nullum; conductorem, ſi nauis magiſter intra dies quatuordecim a tempore proteſtationis interpoſitae, aliud onus non poteſt inuenire, vecturae promiſſae dimidium oportet ſoluere.

§. 1644. Si conductor partem tantum aſſignauit oneris, et nauclerus non potuit ea, quae oneri deficiunt, ab aliis impetrare; conductorem ſoluere oportet vecturae mercedem promiſſam omnem.

§. 1645. At vero, ſi in ſtipulanda vectura eſt conuentum, vt nauis magiſter pecunia certa pro mansione aut commoratione (*Warte- oder Liegegeldes*) ſoluta commoretur, et oneris apportationem expectet; praeterlapſo quoque tempore, in inſtrumento de nauis locatae conductae contractu praeſtituto, aut praeterlapſo onerationis tempore, ſecundum §. 1635 et 1636. determinato: commorari tamdiu debet, donec vel conductor onus aſſignauit deficiens, vel praeterlapſus eſt terminus ad onus expectandum a iudice praefigendus. (P. I. Tit. V. §. 234.)

§. 1646. Si nauis magiſter conductoribus pluribus ſingulatim nauem locauit; conductorum vno aut nonnullis onus promiſſum non apportantibus nauis magiſtro neque ius eſt neque obligatio, proteſtatione confecta diutius expectandi, et ventum ſecundum ac tempus ſerenum negligendi.

§. 1647. Quin ipſi potius de vectura pacta tota ſatisfaciendum eſt, ſi onus adhuc deficiens non poteſt ante profectionem recipere.

§. 1648. Morbus aut mors nauis magiſtri durante oneratione, rationem, quae conductoribus cum nauis exercitoribus intercedit, non mutat, ſed nauis exercitorum aut eorum mandatariorum eſt, hoc caſu exiſtente quam primum disponere, quae ad ducendam nauem ſunt neceſſaria.

Si nauis magiſter oneratione nondum finita in morbum incidit aut moritur.

Source : BIU Cujas

Si expeditio plane omittitur.

§. 1649. Si nauis vno modo aut alio auctoribus nauclero aut nauis exercitoribus impeditur, quo minus iter faciat ſtipulatum; hi nauis conductoribus obligantur ad refarciendum damnum omne, inde oriundum.

§. 1650. Si nauis infortunio perit, initio mercium impoſitionis nondum facto; obligationes inter nauclerum et conductores mutuae ceſſant omnes.

§. 1651. Idem obtinet, ſi bona pacta naui imponenda pereunt, immiſſione in nauem nondum coepta, niſi conducens nauem onerare velit mercibus aliis loco deperditarum.

§. 1652. Si conductor merces naui iam impoſitas omnes aut partem earum vult retrahere; eadem valent, quae in eum caſum ſunt ſancita, ſi onus in totum aut ex parte nequit exhiberi. (§. 1643. ſqq.).

§. 1653. Nauclerus, qui in tali caſu merces accipit alias, a conductore primo petere adhuc poteſt mercedem pro exoneratione et oneratione ſeparatam aequam.

§. 1654. Si quis ex naui, a pluribus conductoribus onerata, merces ſuas immiſſas velit retrahere; praeter ſatisfactionem ante expoſitam, nauis magiſtro praeſtandam, reliquis etiam conductoribus tenetur ad refarciendum damnum, ex tempore neglecto (*Verſäumniſs*) aut alia ratione oriundum, et iis petentibus, ad cautionem idoneam ideo praeſtandam.

§. 1655. Neque nauclero licet, inſtrumentis recognitionis (*Connoſſemente*) iam confectis mercium illatarum retractionem neque in totum neque ex parte permittere, antequam adducta et deleta ſunt inſtrumentorum recognitionis exemplaria omnia.

§. 1656. Contra hoc praeceptum ſi egerit, eiusmodi recognitionis inſtrumenti detentori bonae fidei tertio cuique aeque tenetur, ac ſi merces illatae non fuiſſent redditae.

Source : BIU Cujas

§. 1657. Ab nauis magiſtro, merces traditas, abſque conductoris conſenſu, in onerationis loco alii naui imponente, reſarciendum eſt damnum, mercibus in naui iſta alia illatum omne, quatenus conductorem afficit. Si merces naui alii pactione facta ſunt impoſitae, aut

§. 1658. A qua damni reſarciendi obligatione tunc tantum liberatur, ſi ipſius nauis in itinere deſtinato plane perit.

§. 1659. Si nauis magiſter, ſpatio deficiente, aut alias culpa ſua partem mercium ex conductione transportandarum in terra reliquit; conductor poteſt vel merces recipere, vt ipſe de iis diſponat, vel eas naucleri periculo et ſumtibus poſtea transmittere. in terra relictae.

§. 1660. Si nauis conductor merces ſuas recipit, vt ipſe de iis diſponat; inde obligationes inter eum et nauclerum ratione huius partis oneris tolluntur.

§. 1661. Si conductor merces ſuas non vult recipere, vt ipſe de iis diſponat; intra horas viginti et quatuor, nuntio accepto, proteſtationem debet interponere, et disponere ſimul, quae ad auertendum a mercibus damnum, quantum fieri poteſt, ſunt neceſſaria.

§. 1662. Si proteſtatione confecta nemo comparet, cui nauis magiſter mandauit mercium relictarum transmiſſionem; conductorem, quam optime poteſt, naucleri ſumtibus, curare oportet mercium transmiſſionem, earumque aliam aſſecurationem.

§. 1663. Quibus mercibus ad exonerationis locum aductis nauis magiſtrum reſtituere oportet temporis neglecti ſumtus (*Verſäumniſskoſten*), vecturam maiorem, et pretii deminutionem, ex mercium aduentu ſeriori ortam, atque expenſas aſſecurationis mutatae, riſtorno etc.

§. 1664. A quibus reſtituendis tunc tantum liberatur, ſi nauis, ab ipſo ducta, in eodem itinere perit; at ſumtus tamen aſſecurationis mutatae in caſu omni ferre eum oportet.

Source : BIU Cujas

§. 1665. Si nauclerus procella aut cauſa alia abſque ſua culpa cogitur, nauem, pleno onere nondum illato, mari committere; mercium relictarum dominus indemnitatem exigere nequit, ſed vectura ſtipulata tunc tantum deminuitur proportione aequa.

§. 1666. Nauis magiſtro non licet, in conſtratum, absque expreſſo conductoris conſenſu merces ponere, neque ad nauis latera appendere.

§. 1667. Mercium aut rerum (*Stückgüter*) in nauem illatarum, indicem verum conficiat, et in naui ſeruet nauclerus neceſſe eſt, accurate conſignatis earum numero, et numeris atque ſignis faſciculorum, ciſtarum, vaſorum et rerum aliarum cuique inſcriptis.

Nauis magiſtri obligationes onerationefinita.

§. 1668. Onerationefinita conductori cuique exhibendum eſt inſtrumentum de mercibus acceptis (*Empfangſchein*), aut ſic dictum recognitionis inſtrumentum (*Connoſſement*), a nauclero ſubſcriptum.

Recognitionis inſtrumentum (*Connoſſement*).

§. 1669. In quo expreſſae ſint neceſſe eſt merces, earumque qualitates, adiectis ſimul earum ſignis et numeris; locus deſtinationis; nomen conductoris et accipientis; vecturae pretium pactum; et an eius aliquid, et quid iam ſit ſolutum.

§. 1670. Magiſter nauis ſubſcribat neceſſe eſt recognitionis inſtrumenti cuiusque exemplaria tria, et quartum quoque, ſi poſcat conductor; ſimul vero ad id attendat, vt in omnibus conſonent, et in quolibet notetur exemplarium confectorum numerus.

§. 1671. Qua cautione omiſſa nauis magiſter tenetur de damno, recognitionis inſtrumenti bonae fidei detentori tertio vel aſſecuratori quoque poſtea inde oriundo.

§. 1672. Numerus voluminum compactorum (*Collis*), in recognitionis inſtrumento literis eſt exprimendus, et loca vacua ſunt linea transuerſa obducenda.

§. 1673. Exemplar vnum ſeparatim deſignandum retinet nauis magiſter, reliqua conductori ad vſum ſunt tradenda.

§. 1674.

Source : BIU Cujas

§. 1674. Quae exemplaria si postea comperiuntur haud consona: exemplar nauis magistro traditum tamdiu contra ipsum vim habet probandi, donec alio modo probata est veritas differentiae ab exemplarium reliquorum aliquo; at pro ipso eatenus tantum, quatenus concordat in omnibus cum exemplaribus reliquis, haud dubie certis.

§. 1675. Simulac omnia sunt expedita; nauis magister vento primo secundo vela soluat necesse est.

§. 1676. Quod si neglexerit; nauis conductoribus tenetur de damno omni, ex sua negligentia orto.

§. 1677. Si commercium cum loco destinato a principe prohibetur, antequam nauis ex portu educitur; obligationes mutuae inter nauis magistrum et conductores cessant omnes. Quid sit iuris, itinere stipulato non suscepto au

§. 1678. Quo in casu nauis ad merces transportandas conductores tantum obligantur, ad restituendas onerationis et exonerationis expensas.

§. 1679. Idem valet, si portus, ad quem nauis erat destinata, est praeclusus; aut si iter ad portum destinatum factum est intutum bello, post contractum de mercibus transportandis celebratum (*Frachtcontract*) exorto; aut si naues in portu commorantes in principis vsum sunt angariatae s. detentae.

§. 1680. Atque etiam si nauis ob ventum aduersum et laesionem, quam est passa, redire cogitur, et merces naui impositae omnes sunt exonerandae, quo nauis refici possit.

§. 1681. At contra, si itineris initium eiusmodi casu aut alio vllo, sine nauis magistri aut conductorum culpa, tantum protrahitur; contractus inter eos initus est validus, et neutra pars ab altera indemnitatem potest petere ob eiusmodi moram.

§. 1682. Quae mora si inde oritur, quod pars mercium naui impositarum, ob exportationem prohibitam, aut aliis ex causis conductore inuito est exo-



Source : BIU Cujas

neranda; hic obligatur, vt nauis magiſtrum ſecundum §. 1646. ſqq. indemnem praeſtet, et ſimul quoque conductoribus reliquis ſecundum praeceptum §. 1654. ſatisfaciat.

§. 1683. Si bello, poſt contractum de mercibus transportandis initum exorto, pars mercium naui impoſitarum facta eſt non libera; conductori quoque ſocio cuique ius competit petendi, vt merces iſtae exonerentur et in terra relinquantur.

§. 1684. Belli initium et finis ex praeceptis §. 1966. et 1967. eſt diiudicandum.

§. 1685. Nauis magiſter in his quoque caſibus praeceptum §. 1645. obſeruet neceſſe eſt.

abrupto; §. 1686. Si naue iam in itinere verſante commercium aut iter ad locum deſtinatum eiusmodi caſu plane interrumpitur; nauis magiſtrum oportet portum tutum proximum intrare, et factum nuntiare, quam primum poteſt fieri, nauium exercitoribus, aut proximo, quocum his literarum commercium eſt, atque conductoribus.

§. 1687. Quod in primis debet fieri, ſi propter bellum, durante itinere ortum, nauis aut onus, vel oneris pars aliqua facta eſt non libera; adeo, vt interceptionis periculum metuendum ſit, itinere ad locum deſtinatum continuato.

§. 1688. Si oneris tantum pars facta eſt non libera: nauis magiſtrum domini periculo et ſumtibus eam oportet exonerare; dominum et accipientem in recognitionis inſtrumento denominatum de ea re certiorem facere, et cum onere reliquo iter continuare.

§. 1689. Si nauis facta eſt non libera, onus vero vel in totum vel ex parte manſit liberum; locum obtinent praecepta in §. 1696. 1697. ſequentia.

§. 1690. Si totum onus factum eſt non liberum; nauis magiſtrum oportet diſpoſitiones vlteriores

Source : BIU Cujas

conductorum vel eius, quocum iis est literarum commercium, expectare, et tempore interiecto merces conseruandas curare.

§. 1691. Si tunc reuocatur, aut alius exonerationis locus ei destinatur; vectura, pro portione vecturae stipulatae, ad iter iam peractum, ratione aequa augenda est aut deminuenda.

§. 1692. Si iter magistratus decreto in via, nauis magistri culpa, differtur, aut plane impeditur; nauis magister conductoribus tenetur ad resarciendum damnum, ex mora ista ortum. eius consummationem dilata.

§. 1693. Atque etiam conductoribus hoc in casu liberum est, onus nauis magistri periculo et sumtibus curare exonerandum, et naui alia ad locum destinatum transportandum.

§. 1694. Eiusmodi mora ex conductoris vnius aut alterius culpa exorta, hic nauis magistro, praeter vecturam pactam obligatur ad refundendos neglecti temporis sumtus omnes, et reliquis conductoribus ad satisfaciendum secundum praeceptum §. 1654.

§. 1695. Naui a magistratu absque naucleri et conductorum culpa angariata s. detenta, pars vtraque liberationem expectare debet, et neutra pars ab altera ideo damni reparationem potest petere.

§. 1696. At vero, si in hoc casu merces in naui facile possint corrumpi, aut detrimentum pati; conductoribus licet, eas suis sumtibus ex naui receptas alia naui ad locum destinatum transportare.

§. 1697. Tunc tantum nauclero obligantur, ad satisfaciendum pro portione itineris peracti.

§. 1698. Si nauis iam, ex portu progrediens, non fuit in statu idoneo, vt itineris continuatio propter refectionem necessariam per tempus longius interrumpi, vel omitti adeo debeat; nauclerus tota vectura excidit, et praeterea conductoribus tenetur ad resarciendum damnum omne, mercibus vere datum, aut aliis modis exortum.



Source : BIU Cujas

§. 1699. Si conductores petunt, vt nauclerus quoque reſarciat lucrum inde ceſſans, quod merces ad locum deſtinatum non tempeſtiue ſunt aduectae; de hoc lucro ceſſante vectura pacta ipſis eſt deducenda.

§. 1700. Quidquid in antecedentibus (§. 1698. 1699.) eſt ſancitum, tunc quoque valet, ſi nauis demum in via nauis magiſtri culpa cepit vitium, quo refectio facta eſt neceſſaria.

§. 1701. Vitio vero absque nauis magiſtri culpa exorto, conductor ob moram reparationem petere nullam poteſt.

§. 1702. Si tunc conductor refectionem non vult expectare, et merces ſuas tranſportandas alii imponere naui; vecturam pro portione itineris peracti ſoluere eum oportet.

§. 1703. Si nauis plane non, vel demum tempore tam longo poteſt refici, vt ea reficienda tempeſtas ad nauigandum idonea praetereat, aut merces naui impoſitae corrumpantur; nauis magiſtrum, ſi periculum eſt in mora, curare oportet, vt nauis onera conductorum ſumtibus naui alia, quamprimum poteſt fieri, transportentur ad exonerationis locum.

§. 1704. Si nauis magiſter occaſionem, merces eo modo transmittendi, inuenire nequit; merces loco, ad quem appulit, tuto deponat, et conductores de ea re certiores faciat neceſſe eſt.

§. 1705. In vtroque caſu (§. 1703. 1704.) nauis magiſtrum oportet acquieſcere vectura, proportione itineris peracti ad iter pactum ipſi competente.

§. 1706. Idem (§. 1703. ſqq.) obtinet, ſi oneris pars pro eius qualitate, in locationis conductionis contractu (*Charte Partie*) indicata, poſſet corrumpi durante mora, ex nauis refectione oriunda.

Naucleri de mercibus cura.

§. 1707. Durante itinere nauis magiſtrum non ad id ſolum oportet attendere, vt nauis gubernator et proreta de mercibus naui impoſitis gerant curam,

Source : BIU Cujas

fecundum §. 1600. iis incumbentem; ſed ipſum etiam oportet curare, vt merces in ſtatu conſeruentur bono.

§. 1708. Quem in finem quoque, ſi bona ſunt in nauem illata, quae murium aut glirium arroſione et corroſione detrimentum poſſunt capere, ſufficientem felium numerum naui importet et alat neceſſe eſt.

§. 1709. Si rerum fluidarum animaduertit deſtillationem, eam impediat; et ab aliis quoque rebus, corruptioni obnoxiis, damnum auertat aperiendo nauis aperturas, vertendo merces etc.

Si magiſtrum nauis merces oportet vendere.

§. 1710. Nauis magiſter, quem durante itinere partem mercium naui impoſitarum in ſuam, aut nautarum, aut nauis neceſſitatem oportet impendere aut alienare, conductoribus, pro eorum electione obligatur ad refundendum vel pretium venditionis acceptum, vel pretium medium, quo tempore aduentus loco deſtinato merces fuerunt venales.

§. 1711. At contra, ei quoque competit pro eiusmodi bonis aut mercibus pretium pro vectura integrum.

§. 1712. Si nauis magiſter absque neceſſitate haud culpoſa merces appulit ad locum alium, quam deſtinatum; conductor poteſt petere, vt ipſi ſoluatur pretium medium, quod mercibus exonerationis loco fuit eo tempore, quo nauis curſu ſolito ad locum deſtinatum peruenisſet.

§. 1713. At contra, merces nauis magiſtro cedat, et huic integram vecturam ſoluat neceſſe eſt.

§. 1714. Quod ſi nolit; ei licet nauclero adhuc praefigere iuſtum terminum, intra quem merces, periculo et ſumtibus propriis, ad locum deſtinatum transportet.

§. 1715. Quod ſi nauclerus non efficit; obligatur ad reſarciendum damnum et lucrum ceſſans, quod probari poteſt, omne; at vectura integra in naucleri computatur fauorem.



Source : BIU Cujas

Obligationes nauis magiſtri, ſi ad locum venit deſtinatum.

§. 1716. Simulac nauis magiſter ad locum peruenit deſtinatum, eum oportet tradere merces ſecundum praeceptionem in locationis conductionis contractu (*Charte Partie*), et recognitionis inſtrumento datam; at in iis tradendis accurate tamen obſeruare praeceptum §. 1655., de exhibendis exemplaribus inſtrumentorum recognitionis ſubſignatorum omnibus.

§. 1717. Traditio et acceptatio, niſi ventus et tempeſtas impediant, intra tempus in vecturae contractu definitum fiat neceſſe eſt.

§. 1718. Termino nullo definito, de exonerando eadem obtinent, quae ſupra de onerando ſunt praecepta. (§. 1635. 1636.)

§. 1719. Si mercium acceptatio recuſatur aut differtur: nauis magiſter de ea re interponat proteſtationem; conductorem ſine mora certiorem faciat; et merces conductoris periculo et ſumtibus loco tuto deponat neceſſe eſt.

§. 1720. Quae faciendi ei quoque ius eſt et obligatio, ſi omnia inſtrumentorum recognitionis exemplaria non poſſunt produci, neque de iis praeſtari cautio idonea.

§. 1721. De eiusmodi mercibus magiſtro nauis iudicialiter vendere tantum licet, quantum requiritur ad ſatisfaciendum ipſi pro vectura, vectigali et expenſis aliis.

Nauis magiſtri iura de vectura.

§. 1722. Nauis magiſtro competit ius, ab accipiente, in recognitionis inſtrumento determinato, petendi, vt ſtatim ſoluat vecturam, mercibus omnibus traditis.

§. 1723. Si nauis magiſter grauem habet ſuſpicionem, ne ſoluere vecturam accipiens poſſit, aut velit; ipſi ius eſt, mercium tantum retinendi, quantum ad eius ſecuritatem eſt neceſſarium.

§. 1724. Si mercibus iam traditis accipiens vecturam ſoluere moratur; mercium traditarum nauis

Source : BIU Cujas

magiſter iudicialiter detinere tantum poteſt, quantum requiritur ad eius ſatisfactionem.

§. 1725. Quo iure vti quoque poteſt contra mercium poſſeſſorem tertium, intra dies ſex, inde a die traditionis accipienti primo factae.

§. 1726. At vero, ſi poſſeſſor tertius merces ab accipiente primo emit pecunia numerata, antequam naucleri iurium (poſtulatorum) notitia ad eum peruenit; nauclerus agere tantum poteſt contra accipientem primum.

§. 1727. Pro bonis, in itinere aut ante traditionem perditis, nauis magiſter eatenus tantum vecturam poteſt exigere, quatenus eiusmodi bonorum pretium hauariae extraordinariae contributione reſarcitur.

§. 1728. Si tamen damnum caſu aduerſo accidit eo tempore, quo accipiens in mercibus accipiendis eſt moratus; hic ad ſoluendam vecturam tenetur.

§. 1729. Nauis magiſtro non eſt obligatio, oneris partem pro vectura in ſolutum accipiendi.

§. 1730. At ſi in exonerando dolia et receptacula mercium fluidarum et ſtillantium in totum aut ex parte deprehenduntur vacua; accipienti liberum eſt, nauis magiſtro eas cedere loco vecturae, pro iis ſoluendae.

§. 1731. De quo tamen ſe declaret neceſſe eſt, antequam haec bona acceptauit.

§. 1732. Si durante itinere eiusmodi caſus acciderunt, ex quibus poteſt praeſumi, vllam oneris partem corruptam eſſe aut laeſam; nauis magiſter hos caſus accipientibus indicet neceſſe eſt, intra horas poſt aduentum viginti et quatuor primas.

Nauis magiſtri obligatio, conductoribus damnum reſarciendi.

§. 1733. Accipientes deinde poſſunt petere, vt damnum, antequam merces acceptent, nauis magiſtro praeſente, a rei peritis iudicialiter cognoſcatur et aeſtumetur.

§. 1734. Ad reſarciendum damnum cognitum nauis magiſter obligatur, niſi probare poteſt, illud



Source : BIU Cujas

ortum fuiſſe ex interna mercium corruptione, aut caſu extrinſeco, cuius auertendi ipſi non fuit poteſtas.

§. 1735. Pari modo nauis magiſtrum praeſtare quoque oportet merces et bona penitus perdita, ſi nequit probare caſum extrinſecum ineuitabilem, quo damnum ſit exortum.

§. 1736. Si nauis magiſtro ciſtae, vaſa aut faſciculi occluſi aut obſignati ſunt traditi; locum habent praecepta de contractu depoſiti. (Part. I. Tit. XIV. §. 26-34.)

§. 1737. At ſi obſignatio aut occluſio eſt facta praeſente nauis magiſtro, monſtratis huic antea iis, quae receptacula in ſe continent; eiusmodi merces eadem habent iura, quae aliae, a nauis magiſtro haud occluſae vel haud obſignatae receptae.

§. 1738. Damni reparatio a magiſtro nauis praeſtanda determinanda eſt ad praecepta Part. I. Tit. V. §. 82. ſqq.; at intuitu mercium quantitatis et pretii locum habent ſectionis ſubſequentis praecepta.

Do onere in reditu (*von der Rückladung*).

§. 1739. Si cum nauis magiſtro, dum ablegabatur, de oneris quoque in reditu vectura eſt conuentum; de eius aſſignatione et receptione valent omnia, quae ſunt de primo onere determinata. (§. 1630. ſqq.)

§. 1740. Atque in hoc quoque caſu nauis magiſtro, qui vacuo nauis alueo redire cogitur, vectura integra pro onere in reditu, vna cum morae impenſis, eſt ſoluenda.

§. 1741. Intuitu huius conductorum obligationis nulla eſt exceptio, ſi nauis termino legitimo fruſtra expectato, in reditu infortunio perit.

V. Rationes inter nauis magiſtrum et vectores.

§. 1742. Ne nauis magiſter ſub graui poena vectorem recipiat, qui non antea produxit commeatus literas, ex loci cuiusque conſtitutione neceſſarias.

§. 1743. Si nauis non expreſſe eſt deſtinata, nauis tabellariae (*Poſtſchiff*) aut nauiculae onera trans-

Source : BIU Cujas

portantis inſtar, ad transuehendos vectores; a nauis magiſtro inuito peti nequit, vt recipiat vectores, ad quos onera naui impoſita nihil pertinent.

§. 1744. Ratio inter nauis magiſtrum et vectores in primis diiudicanda eſt ex contractu inter eos inito.

§. 1745. Si contractu non in ſcripturam redacto transuectio eſt actu facta; nauis magiſtro acquieſcendum eſt vectura, ex rei peritorum arbitrio et iudicis ſententia determinanda.

§. 1746. Vectores, quam primum magiſter nauis poſcit, nauem oportet conſcendere, et ſi nauis iam ad nauigandum eſt parata, iis non licet, absque nauis magiſtri conſenſu, ne ad tempus quidem, a naui diſcedere.

§. 1747. Si contra hoc praeceptum agunt; nauis magiſter eos non expectans nauem poteſt ſoluere, et nihilo minus vecturam exigere.

§. 1748. In regula vectores victum ſibi curare ipſos oportet.

§. 1749. Si determinatione vlteriore non adiecta, victus cum vectura ſimul eſt pactus, vectoribus ſolitum tantum nautarum victum petere licet.

§. 1750. Onerationis loco nauis magiſtro non licet recipere vectores, quibus praebeat victum, nauis exercitoribus inſciis et non conſentientibus.

§. 1751. Quod ſi fecerit, eum oportet nauis exercitoribus, prout eligunt, refundere prouiſionem vectoribus datam, aut in rationem referre pretium, praeter vecturam pro victu ſolutum.

§. 1752. Nauis magiſter, in reditu vectores recipiens, cum his paciſci de victu poteſt.

§. 1753. Si eiusmodi vectorum, qui ſibimet ipſi curare victum debent, copiae caſibus aduerſis aut inopinata itineris prolongatione non ſufficiunt; vectores a nauclero petere poſſunt penum neceſſarium.

§. 1754. Sed penum ipſis exhibitum, adhuc praeter vecturam aeſtumatione iuſta debent ſoluere.



Source : BIU Cujas

§. 1755. At contra, vectores quoque oportet, si inopia in naui oritur, naui opem ferre, iusto restituto pretio, esculentorum et potulentorum copia, qua ipsi possunt carere.

§. 1756. Vectorum causa nauis magistro neque obligatio neque ius est, cursum interrumpendi, et ad alios quam destinatos portus appellendi.

§. 1757. Hinc vectorem quoque, qui in morbum incidit, atque in terram cupit exponi, tam diu oportet expectare, donec oblata est appellendi occasio, qua neque iter interrumpitur, neque cursus commutatur.

§. 1758. At contra, vectorem morbo contagioso laborantem vel inuitum oportet concedere, vt exponatur in locum cultum proximum, ad quem nauclerus appellit.

§. 1759. Vector, morbi causa aut ex causis aliis itinere nondum peracto nauem relinquens, nihilo minus vecturam pactam integram debet soluere, simulac ipsi culpa, licet leuissima, potest imputari.

§. 1760. Vectori, qui res, quas secum portat, nauis magistro custodiendas tradidit; earum intuitu eadem sunt iura, quae conductori.

§. 1761. Quas vero si nauclero non tradidit, et ipse custodiendas detinuit; nauclerus tantum praestat iacturam et damnum, culpa sua aut nautarum suorum ortum.

§. 1762. Vectores obsequi oportet omnibus naucleri praeceptionibus, ad ordinem bonum in naui obseruandum aut ad nauem eiusque onus conseruandum pertinentibus.

§. 1763. Necessitate vrgente vectores ad nauem seruandam, pro viribus omnibus, auxilium ferre oportet.

§. 1764. Si vectorum quis in naue delictum commisit, nauclerum intuitu eius eodem modo oportet procedere, qui delicto a nauta patrato est praescriptus. (§. 1606. sqq.).

Source : BIU Cujas

§. 1765. Si in itinere detegitur, vectorem ante nauis conscensionem, perduellionis seu laesae maiestatis aut seditionis criminis se reum seciſſe; nauclerus eum in custodiam det neceſſe est, et in proximo portu iudici tradat, aut alio modo tuto ad patriae fora transportet.

## Sectio Duodecima.

### *De hauaria et damnis maritimis.*

§. 1766. Inter nauem et merces, quibus transportandis est onerata, subsistit communio, ad ferendos periculum et sumtus, ad nauem et eius onus simul pertinentes. De communione inter nauem et onus.

§. 1767. Quae communio intuitu mercium partis cuiusque initium capit, simulac ea in nauem principalem est illata.

§. 1768. Si, vel durante itinere, in bonorum proiectorum aut alio modo perditorum locum, a conductore bona alia naui imponuntur, aut a nauis magistro ad explendum onus merces recipiuntur; hae quoque inde a tempore, quo naui sunt impositae, in hauariae communionem intrant.

§. 1769. Si durante itinere pars mercium naui impositarum, nauclero auctore, in nauigium minus debet immitti, vel adeo ad terram appelli; inde communio non interrumpitur.

§. 1770. At contra, communio intuitu cuiusque oneris partis finitur, simulac ea loco destinato ex naui principali est exportata.

§. 1771. Si merces onerationis et exonerationis causa nauigiis minoribus, e. g. nauibus leuandis nauibus maioribus inseruientibus (*Lichter*), carabis, onus in dictum finem suscipientibus (*Bordings*), et huius generis aliis imponuntur; inter has merces communio exoritur per temporis interuallum, quo earum quae-

Source : BIU Cujas

libet in nauigium eſt importata, et ex eo iterum exportata.

§. 1772. At inter nauigium ipſum et merces huic impoſitas nulla ſubſiſtit communio.

§. 1773. In vnico tantum caſu, ſi ad conſeruandum eiusmodi nauigium et eius onus oneris pars debeat proiici, nauigii dominus obligatur, vt contribuat ad damnum reparandum.

I. De hauaria ordinaria ſ. communi.

§. 1774. Tributa neceſſaria (*Ungelder*), atque expenſae aliae, in nauis eiusque oneris vtilitatem communem, ad nauigationem et iter promouendum faciendae, dicuntur hauaria ordinaria ſeu communis (*ordinaire oder kleine Haverey*).

§. 1775. Nullum inde diſcrimen, an eiusmodi expenſae onerationis, an exonerationis loco, an in itinere fuerint erogandae.

§. 1776. At expenſae tamen, ad hauariam communem pertinentes, quae loco onerationis ſunt erogatae, et ibi rationibus poſſunt inferri, ibi quoque ſunt refundendae et componendae.

§. 1777. Hinc neque nauis magiſter merces accipienti, neque accipiens nauis magiſtro, ideo in regula aliquid poteſt imputare, aut alter ab altero aliquid exigere; ſed eiusmodi tantum impenſae rationibus inferuntur, quas naue iam ſoluta, aut exonerationis loco factas fuiſſe poteſt probari.

Quae ad eam pertineant.

§. 1778. Ad hauariam communem in primis pertinent ancoragium, vadorum exploratorum et nauem ducentium (*Pilotage-Lootſen*) merces, pecuniae *Grund-Feuer-Back-Prahmen-Lichter-Pfahlgelder* dictae, pontorium et pecunia pro diebus quadraginta ordinariis ſeruandis (*ordinaire Quarantaine-Gelder*) et eius generis plura.

§. 1779. Porro expenſae, ſocietatibus naualibus bellicis (admiralitatibus) locorum onerationis et exonerationis, aut caſtellis, quae nauis praeternauigat, ſolutae; atque vectigalia, quae non pro naui ſola aut

Source : BIU Cujas

pro nauis onere ſolo ſoluuntur; atque etiam pecunia pro praeſidio comitante (*Convoy*) et literis ab admiralitate datis (*Seynbriefe*) ſoluta.

§. 1780. Porro pecunia pro naui glacie incluſa a glacie liberanda, ſi ea ad conſeruandum nauem et bona naui impoſita eſt impenſa, et pro pondere nauali thaleri ſummam non excedit.

§. 1781. Quomodo ad hauariam communem debeant conferre, quorum intereſt, in primis diiudicandum eſt ex conuentione inter eos de ea inita. Quomodo, contribuere debeant, quorum intereſt.

§. 1782. Conuentione de ea nulla facta nauis exercitores in ſe ſuscipere oportet partem tertiam, et merces accipientes partes tertias duas.

§. 1783. Quae ab accipientibus ſunt conferenda, inter eos non diſtribuuntur pro mercium pretio, ſed pro ponderum naualium numero.

§. 1784. Vectores non obligantur, vt pro ſua perſona et vaſis itinerariis ad hauariam communem conferant.

§. 1785. Quidquid in nauis atque oneris discrimine et periculo ad ea propulſanda aut deminuenda perit, aut impenditur, pro hauaria grandi aut extraordinaria eſt habendum. II. De hauaria extraordinaria aut grandi.

§. 1786. Huc pertinent impenſae pecuniariae, aut quae pecunia aeſtumari poſſunt, omnes, ad depellendum aut deminuendum eiusmodi periculum factae; atque laeſiones, quae naui aut mercibus naui impoſitis in eum finem data opera ſunt illatae, aut ſunt effectus naturales eorum, quae eum in finem fuerunt disponenda.

§. 1787. Huc in primis pertinet, ſi nauis ventorum impetu aut maris irruptione (*Seeſturz*) tantam cepit aquae copiam, vt foramina in conſtrato aut in nauis lateribus fuerint facienda, aut alio modo nauis laedenda, ad deriuandam aquam ad antlias; atque etiam, ſi merces inde ſunt laeſae aut corruptae.

Source : BIU Cujas

§. 1788. Porro si ad conseruandum nauem aut bona mali, rudentes, antennae, funes, ancorae aut alia instrumenta nautica data opera sunt amputata, discissa, dilacerata, aut alio modo laesa, aut extra nauem proiecta; atque etiam, si eum in finem nauicula vectoria (*Boot*) a loco, ad quem in constrato est alligata, fune amputato extra nauem est proiicienda.

§. 1789. Damna, quae quidem periculi communis occasione, at mero casu, aut alicuius culpa acciderunt, ad hauariam grandem referri non possunt.

§. 1790. At intuitu obligationis damnum contributione communi resarciendi quoque supponitur, impendio aut laesione conseruationis finem re vera in totum aut ex parte fuisse obtentum.

§. 1791. Nauis periculo superato portum ingressa, ad hauariam extraordinariam debet conferre, licet declaretur ad nauigandum non idonea.

§. 1792. Si autem periculo superato, nauis vna cum onere aduersis casibus nouis periit; distributio locum non habet, sed damnum quisque fert suum.

§. 1793. At contra, si oneris pars conseruatur aut dimittitur; huius partis dominos de ea ad hauariam extraordinariam, ex casu aduerso priori exortam, aeque oportet conferre, ac si casus aduersus nouus non accidisset.

§. 1794. Idem valet de nauis exercitoribus, si nauis capta rursus dimittitur, aut redimitur; porro, si nauis quidem ventis et tempestate casus aduersos nouos est passa, at tamen non plane periit, sed seruata sunt conseruationis sumtibus plura.

De casibus praecipuis, ad hauariam extraordinariam pertinentibus.

§. 1795. Iactus (*Seewurf*) tunc demum potest fieri, si tempestas, discrimen nauticum aut hostium persecutio imponunt nauis leuandae necessitatem.

a) Iactus mercium.

§. 1796. Ad hauariam extraordinariam referri tantum potest iactus, qui factus est auctoritate aut iussu naucleri, aut eius vice fungentis.

Source : BIU Cujas

§. 1797. Antequam nauclerus ad iactum procedit, conductores in naui vectos, aut eorum mandatarios, atque nautas in consilium vocet necesse est.

§. 1798. Quod si periculum vrgens non permittit, gubernatoris saltem, proretae et naupegi sententiam audiat.

§. 1799. Vectores et conductores neque iactui, a nauclero decreto, possunt resistere, neque nauclerum inuitum ad iactum compellere; sed in quolibet casu tantum petere, vt nautae de re vocentur in consilium.

§. 1800. In iactu ipso primum proiiciendae sunt merces constrato (*Verdeck*), tabulato superiori (*Ueberlauf*), prorae (*Back*), et castello (*Schanze*) impositae, aut nauis lateribus appensae.

§. 1801. Idem valet de mercibus, in nauiculam vectoriam aut in nauigium *Schaluppe* dictum, illatis.

§. 1802. Deinde, quantum fieri potest, volumina (*Stücke*), vasa, cistae aut mercium fasciculi, minoris pretii et ponderis maioris, sunt proiiciendi.

§. 1803. At contra, eiusmodi receptaculis in primis est parcendum, in quibus sunt gemmae, margaritae, aurum aut argentum signatum vel non signatum, aut aliae res pretiosae et cimelia (clinodia).

§. 1804. Si quis eiusmodi res cum mercibus aliis conuasans earum qualitatem, merces in nauem imponens, celauit; ipsum solum sentire oportet damnum, ex occultatione ipsi ortum.

§. 1805. At vero, si nauclero qualitatem celatam tempestiue adhuc indicat; sarcinae eiusmodi iactu parcendum est.

§. 1806. Si deinde apparet, indicationem fuisse falsam; eiusmodi mercium exemtarum pretium verum in hauariae rationem referatur quadruplum.

§. 1807. Cibariorum quoque, necessitatum bellicarum, vestimentorum et instrumentorum s. vtensi-

Source : BIU Cujas

lium naucleri, nautarum et vectorum, si proiecta sunt, in hauaria extraordinaria habetur ratio.

§. 1808. Idem valet de mercibus, quas nautis proprio nomine iure secum transportare licet.

§. 1809. Resarciendae quoque sunt merces et res, quae non quidem sunt proiectae, at apparatibus iactus occasione factis laesae, aut corruptae, aut in eum statum deductae, vt a fluctibus sint prolutae.

§. 1810. Si nauis quidem in eodem discrimine, quo iactus est factus, vento et fluctibus damnum est passa; at damnum neque illatum est intentione nauis atque oneris conseruandi, neque naturalis fuit effectus apparatuum, ad nauem eiusque onus conseruandum factorum; nauis exercitores eatenus a conductoribus hauariae contributionem s. collationem petere nequeunt.

§. 1811. Idem locum habet de laesione, tali modo illata bonis, quibus nauis est onusta.

§. 1812. Si nauis onustae leuandae causa merces in nauigium minus impositae, in hoc sunt corruptae, aut perierunt; hoc damnum ad hauariam pertinet extraordinariam.

§. 1813. Si damnum ortum est ex nauigii minoris conditione non idonea; reliqui, quorum interest, de hauariae contributione, contra nauigii dominum possunt agere.

§. 1814. Idem obtinet, si damnum ex nauigii minoris nautarum incuria aut perfidia est exortum.

§. 1815. Nauclerus nauis principalis tunc demum ad damnum resarciendum est obligatus, si nauigium elegit haud idoneum, necessitate non vrgente.

§. 1816. Si mercium in nauigium minus durante itinere impositarum, ad nauigium minus eiusque onus conseruandum, aliquae fuerunt proiiciendae; hoc damnum, tanquam hauariam extraordinariam, praestat nauigium minus (*Bording*) et reliquum eius onus; et quae ad damnum reparandum nauigii minoris onus con-

Source : BIU Cujas

contribuit, deinde a naui principali eiusque onere reliquo toto retribuuntur.

§. 1817. Simulac iactus secundum praeceptum §. 1795. est factus; damni reparatio tanquam hauaria extraordinaria sine contradictione locum habet.

§. 1818. Exceptionem, in iactu ipso aut rerum proiiciendarum delectu nimis festinanter, aut alio modo contra praecepta fuisse actum, eorum, quorum interest, nemo contributioni potest opponere; sed regredi tantum ad nauclerum aut alium damni auctorem.

§. 1819. At vero, si nauclerum, naue iusto plus onerata, ad eam leuandam proiicere oportet merces constrato impositas; harum mercium domini aduersus nauclerum tantum possunt agere, et locum non habet damni reparatio hauariae grandis instar.

§. 1820. Si nauclerus oneris conseruandi causa nauem in vadum aut littus data opera impulit; ad hauariam extraordinariam pertinet damnum, ea occasione naui et oneri illatum, vna cum impensis inde ortis omnibus. b) Si nauis in vadum vel littus data opera impellitur.

§. 1821. Si ex circumstantiis clare patet, nauem vadis aut littori esse impulsam sola intentione, hominum vitam aut libertatem conseruandi; damnum exortum hauaria tantum communis vel tum habetur, si seruatum fuit onus integrum. (§. 1900. seqq.)

§. 1822. Si nauis casu vado aut scopulo illisa laeditur, dum ab iis liberatur; damnum tanquam hauaria extraordinaria est reparandum. c) Leuatio nauis in vado et scopulis subsidentis.

§. 1823. Huc quoque pertinent damna ea occasione oneri illata; exonerationis et onerationis impensae, atque etiam impensae, quibus erogandis nauis est a vado aut scopulo liberata.

§. 1824. Si nauis magister ad vadum et scopulos euitandum cogitur, communis conseruationis causa ad vela tota vltra modum pandenda et plures d) Si vltra modum tota vela panduntur.



Source : BIU Cujas

pluresque ancorae iaciuntur (*Prangen*).

figendas ancoras (*Prangen*); damnum naui et eius inſtrumentis inde ortum quoque eſt tanquam hauaria extraordinaria reparandum.

e) Si nauis neceſſitate vrgente in portum alium ingredi cogitur.

§. 1825. Si nauis rimis, quibus fatiſcit, aut diſcrimine alio, portum quendam ingredi cogitur; ad hauariam extraordinariam pertinent onerationis et exonerationis impenſae omnes, atque alimenta nautis, dum in portu neceſſitate vrgente petito commorandum eſt, ſuppeditata, et merces iisdem ſoluta, quatenus earum ſumma augetur, itinere eo modo prolongato.

§. 1826. Idem valet de exonerationis et onerationis impenſis, ſi nauis reficiendae cauſa, aut ex cauſis grauibus aliis in portu, quem nauis petere neceſſitate fuit coacta, ex naui reponuntur merces, quibus eſt onuſta.

f) Si naues expectant praeſidium comitans.

§. 1827. Si nauem oportet expectare praeſidium comitans, aut alias ob periculum ab hoſtibus metuendum in partis neutrius portu per tempus aliquod commorari; merces et alimenta nautarum per hoc temporis ſpatium, ſecundum propiorem §. 1825. determinationem, refunduntur tanquam hauaria grandis.

§. 1828. Atque hic nulla exceptio, licet tempore, quo nauis eſt profecta, de periculo iam conſliterit, et de praeſidio comitante nihil fuerit conuentum.

g) Redemtio nauis.

§. 1829. Si nauclerus hoſtium praedonibus maritimis aut piratis, ad nauem et bona conſeruanda, quasdam merces aut inſtrumenta nautica aſſignauit aut tradidit; earum rerum pretium, tanquam hauaria extraordinaria refunditur.

§. 1830. Si in huius generis caſibus ſolutum eſt redemtionis pretium pactum paratum; expenſae factae eodem modo ſunt reſtituendae.

§. 1831. Si hoſtes nauis magiſtrum, aut perſonas alias in naui vectas, redemtionis pretii pacti obſides ſecum duxerunt; praeter redemtionis pretium tan-

Source : BIU Cujas

quam hauaria extraordinaria reſtituendae quoque ſunt alimentorum expenſae et aliae, ab obſidibus factae.

§. 1832. A qua obligatione nauis exercitores et conductores, in hoc caſu ſingulari, liberari nequeunt cedendo partes, in naui aut onere ipſis competentes.

§. 1833. Quin potius tunc quoque obligantur, ſi nauis aut onus vel caſibus aduerſis poſtea accidentibus pereat.

§. 1834. Atque etiam ad hauariam extraordinariam pertinet damnum, ſi praedo maritimus non hoſtilis nauclerum coëgerit, ad cedendum ipſi res ad vitam neceſſarias (*Proviſion*), inſtrumenta, aut merces, pro ſolutione promiſſa ſed non praeſtita.

§. 1835. Si in defenſione contra praedones maritimos aut piratas naui et mercibus impoſitis damnum infertur; tanquam hauaria extraordinaria reparatur damnum vna cum rebus ad belli vſum pertinentibus (ammunitione), in conflictu conſumtis. h) Nauis contra impetus hoſtiles defenſio.

§. 1836. Si tali occaſione ad excitandum animum nautis praemia promiſſa ſunt aut data; eiusmodi expenſae aeque refunduntur.

§. 1837. Ad eandem referuntur *impenſae*, in nautarum vulneratorum ſanationem et nutrimenta meliora, in occiſorum ſepulturam, et in mutilatorum ſatisfactionem erogatae omnes.

§. 1838. In rationem quoque referenda ſunt, quae nautarum occiſorum aut ex vulneribus acceptis mortuorum viduis et liberis ſunt ſuppeditanda.

§. 1839. Praeter hos caſus ad hauariam grandem quoque pertinent impenſae extraordinariae omnes, ad iter continuandum erogandae, thalerum vnum in pondus nauale excedentes (§. 1774. ſqq.). i) De impenſis extraordinariis in genere.

§. 1840. Caſum ad hauariam grandem pertinentem quemque, ſimulac contigit, et quam primum fieri pro rebus circumſtantibus poteſt, nauclerum oportet in diarium accurate referre, et damnum illatum notare quam accuratiſſime. Vbi hauariae ratio inſtituenda.



Source : BIU Cujas

§. 1841. Si iactus est faciendus; nauis scriba, aut qui eius vice alias fungitur, aut nauclerus vel gubernator ipse accurate notet necesse est circumstantias, quales extiterunt, nautarum et dominorum (proprietariorum) sententias, atque merces proiectas, vel per iactum detrimentum passas, et quidem fasciculos, cistas, vasa cum eorum numeris et signis.

§. 1842. Si tempus et periculum accuratam eiusmodi notationem non permittunt; notari debent, quae possunt; at reliqua probari, iurata nautarum depositione et indicatione.

§. 1843. In portu primo, ad quem nauem appellit, nauclerum exacte indicare oportet hauariae casum et damnum exortum iudicio loci maritimo, aut nationis consuli, et attestum de ea re conficiendum sibi exhibendum curare.

§. 1844. Atque etiam nauis exercitores, et conductores, et eos, quibuscum his literarum commercium est loco destinato, quam primum potest fieri, de omnibus certiores facere.

§. 1845. Si ad locum peruenit destinatum, hauariae casum, quem est perpessus, iudicio, merces accipientibus, et nauis exercitorum mandatariis forsan ibi degentibus, iam ante exonerationem indicet necesse est.

§. 1846. Iudicio nautico diarium simul exhibeat, et vna cum nautarum praecipuis et eius contenta, et indicationis veritatem, iureiurando confirmet.

Quomodo damnum refarciendum sit determinandum.

§. 1847. In cognoscendo damno refarciendo ante omnia res sunt seperandae eae, quae non restituuntur, licet in hauariae casu damnum ceperint.

§. 1848. Huc in primis pertinent bona, quae nauclerus naui plene iam oneratae insuper imposuit.

§. 1849. Atque bona in constrato, tabulato superiori, prora, aut castello (*Schanze*) posita, nauiculae vectoriae imposita, aut nauis lateribus appensa.

Source : BIU Cujas

§. 1850. Eiusmodi mercium dominus hauariae contributione nullam potest petere restitutionem, licet hic modus impositionis (§. 1848. et 1849.) nescio ipso fit factus; sed ideo agere tantum potest contra nauis magistrum et nauem.

§. 1851. Bona, de quibus recognitionis instrumenta non sunt confecta, et quae naui clam sunt illata, non resarciuntur.

§. 1852. Idem locum habet de eiusmodi bonis, quae dominus aut eius mandatarius, exorto periculo maris, nauclero aut nautis non consentientibus, auferens in locum alium collocat.

§. 1853. Sic quoque non resarcitur damnum nauiculae vectoriae illatum, si non fuerit in constrato alligata.

§. 1854. Damni ipsius resarciendi summa constituenda est vel conuentione omnium, quorum interest, vel probandi mediis in legibus praescriptis. Quomodi damni summa sit eruenda.

§. 1855. Res naui necessariae (*Schiffs-Prouisionen*), instrumenta, et res aliae, ad onus proprie non pertinentes, pretio aestumantur communi loci, quo denuo comparari debent; at instrumentorum tamen et eiusmodi rerum, quae vsu deteruntur, duae tantum huius pretii partes tertiae in rationem referuntur.

§. 1856. Si nauis ipsius corpus damnum cepit, impensae in refectionem factae determinandae sunt aestumatione rei peritorum iureiurando obstrictorum.

§. 1857. Idem valet, at sub determinatione §. 1855. intuitu pretii data, si instrumenta nautica non perierunt, sed detrimentum tantum ceperunt.

§. 1858. Si merces perierunt; in determinando earum qualitate et quantitate pro basi ponuntur instrumenta nauis locatae conductae (*Charte-Partie*), recognitionis (*Connoſſemente*), procurationis (*Factur*), aut declarationes factae aliae, dum merces naui sunt impositae.



Source : BIU Cujas

§. 1859. Si probari poteſt, pretium, dum merces naui imponebantur, a domino iuſto maius, fuiſſe indicatum; ratio tantum habenda eſt qualitatis et quantitatis probatae.

§. 1860. At contra nulla habetur ratio domini aſſertionis, in ſarcina aut ciſta etc. perdita mercibus indicatis merces plures fuiſſe aut meliores.

§. 1861. Mercium deperditarum pretium aeſtumatur pretio forenſi, quod exonerationis loco, exonerationis tempore, mercibus eſt conſtitutum.

§. 1862. De quo tamen deducendi ſunt hauaria communis, exonerationis ſumtus, et impenſae aliae, quae de mercibus actu allatis fuiſſent ſoluendae.

§. 1863. At contra vectura, ſi nauclero eſt ſoluenda, non deducitur.

§. 1864. Si merces deperditae, hauariae caſus tempore, vndarum irruptione (*Seeſturz*) aut alio caſu iam damnum ceperant; refunduntur tantum ſecundum pretium, quod iis adhuc fuit tempore, quo perierunt.

§. 1865. Quod pretium ex aequo rei peritorum arbitrio determinandum eſt, pro baſi poſita naucleri eiusque nautarum indicatione iurata de qualitate mercium, tempore iacturae.

§. 1866. Si merces non penitus ſunt deperditae, ſed detrimentum tantum ceperunt; ſumtibus communibus publice venduntur, et pecunia inde exacta traditur domino; cui autem praeter ea refunduntur ea, quibus pretium exactum differt a pretio, ſecundum §. 1861-1863. determinando.

Quomodo collatio ad hauariam extraordinariam determinanda.

§. 1867. Summa hauariae extraordinariae refundenda eo modo cognita inter nauem et onus proportioni conuenienter eſt diſtribuenda.

De naue.

§. 1868. Ad quam proportionem determinandam a rei peritis iureiurando obſtrictis aeſtumandum eſt pretium nauis cum pertinentiis, qualis ex mari rediit.

Source : BIU Cujas

§. 1869. Rerum ad vitam et ad vſus bellicos neceſſariarum copiae (*Mund- und Kriegsproviſionen*), ad iter continuandum aut ad reditum deſtinatae, non computantur; at omnino vectura, itinere peracto promerita, deductis iis, quae a nauis exercitoribus ex ea adhuc ſunt ſoluenda, in primis naucleri et nautarum mercede reſidua, et iis, quae ad hauariam communem ſunt conferenda.

§. 1870. Nauis pretio eo modo eruto definiuntur, quae nauis ad hauariam extraordinariam conferat.

§. 1871. Intuitu oneris in primis ſeparandae ſunt res, a collatione ad hauariam grandem immunes. De onere.

§. 1872. Huc pertinent merces omnes, poſt hauariae caſum in nauem principalem demum illatae.

§. 1873. Atque merces, quae tempore, quo hauariae caſus accidit, loco deſtinato iam ex naui principali fuerunt exportatae.

§. 1874. Atque etiam merces et inſtructus naucleri et nautarum; et merces, quas nautae proprio nomine vi iuris, ſecundum §. 1596. ipſis conceſſi, ſecum duxerunt.

§. 1875. Atque etiam vectorum veſtimenta et res in itinere neceſſariae.

§. 1876. Si quis in naufragio res ſuas ad ſe recipiens vitae ſuae diſcrimine ſeruauit; harum intuitu ab eo collatio exigi nequit.

§. 1877. Idem valet de mercibus extractis ab vrinatoribus, a nauis conductore nomine proprio ſuo conductis.

§. 1878. Exceptis rebus antecedentibus merces et res (*Effecten*) naui impoſitae omnes ad hauariam extraordinariam conferant neceſſe eſt.

§. 1879. Quod quidem valet et de mercibus deperditis aut laeſis, atque in ratione componenda tanquam hauaria extraordinaria refartis, et de mercibus ſeruatis.



Source : BIU Cujas

§. 1880. Merces vel proiectae in casibus quoque aduersis, postea durante itinere accidentibus, conferre ad hauariam extraordinariam debent.

§. 1881. Mercium seruatarum qualitas et quantitas secundum praeceptum §. 1858. sqq. assumitur.

§. 1882. Si potest probari, qualitatem et quantitatem mercium quarundam iusto viliorem fuisse indicatam, ratio habenda est qualitatis verae, inspectione iudiciali eruendae.

§. 1883. Idem de iis obtinet mercibus, de quibus recognitionis instrumenta (*Connoſſemente*) nulla existunt.

§. 1884. Mercium seruatarum pretium quoque determinatur secundum praeceptum §. 1861-1866.

§. 1885. De mercibus in iactu non vere indicatis, et ob hanc causam non proiectis, locum habet praeceptum §. 1806.

§. 1886. Merces, quarum pretium durante itinere deminutum est interna corruptione, aut casibus aduersis aliis, ad hauariam extraordinariam non pertinentibus, conferunt tantum pro pretio, quod iis adhuc actu est exonerationis tempore.

§. 1887. Res (*Effecten*), quibus non est pretium forense ordinarium, aestumandae sunt vero ipsorum tempore exonerationis pretio, a rei peritis iureiurando obstrictis.

§. 1888. Merces clam illatae, atque merces, intuitu qualitatis et quantitatis non vere declaratae, computantur secundum pretium summum, quo exonerationis tempore exonerationis loco sunt venales.

§. 1889. Accipiens eiusmodi merces, de quibus ad hauariam extraordinariam est conferendum, significatione ipsi facta, de collatione determinanda tamdebitor principalis tenetur.

§. 1890. Et obligatur, vt mercibus ex naui expositis diutissime intra dies octo secundum principia an-

Source : BIU Cujas

tecedentia earum pretium accurate et vere indicet, et si exigatur, iureiurando confirmet.

§. 1891. Si ipsi merces ad transmissionem (*Spedition*) vlteriorem sunt missae; eas non transmittat, antequam pretium modo praescripto est indicatum.

§. 1892. Si de pretii dicti veritate dubitatur; reliqui, quorum interest, partis succumbentis sumtibus, petere possunt taxationem iudicialem per rei peritos iureiurando obstrictos.

§. 1893. Qui conuincitur, dolo aut culpa lata pretium mercium acceptarum vilius indicasse, de vero pretio conferendorum quadruplum soluat, et expensas refundat.

§. 1894. Si eo modo eruta est summa, secundum quam eorum, quorum interest, quisque ad hauariam extraordinariam debet conferre; ex societatis regula constituuntur, quae quisque conferat eorum, quorum interest.

§. 1895. Qui ratam conferendam conferre recusat, eum nauclerus, sub propria obligatione, potest et debet ad cautionem sufficientem praestandam compellere, aut mercibus arrestum imponere.

§. 1896. Nauis magister petere quoque potest, in quantum ad hauariae contributionem requiritur, mercium venditionem iudicialem publicam.

§. 1897. Nauem ex portu dimittere non licet, antequam nauis exercitores ea, quae ad hauariam de naui ab ipsis conferenda sunt, contribuerunt, aut idoneam de iis cautionem praestiterunt.

§. 1898. Ius praelationis collationis residuae ad hauariam grandem, exorto creditorum concursu, determinatur praeceptis Part. I. Tit. XX. §. 326. intuitu nauis, et ordinatione processus intuitu mercium.

§. 1899. Si recuperantur bona iacta aut alias deperdita, hauariae ratione iam absoluta; pretium, deductis conseruationis sumtibus et impensis aliis, resi-



Source : BIU Cujas

duum iis, quorum intereſt, ſoluendum eſt pro portione collatorum.

III. De hauaria particulari.

§. 1900. Pro hauaria particulari aut ſingulari habentur damna atque impenſae reliquae omnes, ſecundum principia antecedentia, neque ad extraordinariam neque ad communem ſ. paruam hauariam pertinentes, nauigationis et itineris occaſione naui aut oneri accidentes; et eas fert ſolus rei, cui acciderunt, dominus.

§. 1901. Quod ſi igitur nauis vado aut ſcopulo illiſa, liberatione ab iis damnum non capit; damnum inde ortum ad hauariam pertinet particularem; impenſae vero, quibus erogandis nauis liberatur, ad hauariam grandem.

§. 1902. Naue aut eius inſtrumentis vi ventorum corruptis aut perditis, detrimentum inde exortum quoque pertinet ad hauariam particularem, niſi nauis magiſter, ad euitandum vadum et ſcopulos tota vela vltra modum pandere (*Prangen*) cogatur. (§. 1824.)

§. 1903. Si praedones maritimi aut piratae inſtrumenta naualia, res ad belli vſum pertinentes, aut alimenta ex naui auferunt; damnum fert nauis ſola.

§. 1904. Eodem quoque modo, mercibus a praedonibus maritimis aut piratis ex naui ablatis, damnum ſentiunt mercium domini.

§. 1905. Idem obtinet, ſi merces procella tantum aut vndarum irruptione (*Seeſturz*) ſunt laeſae, corruptae aut prolutae.

De mercibus vetitis in naui repertis.

§. 1906. Si in naui partis belligerantium neutrius merces aut res vetitae ſunt repertae; ad hauariam grandem non pertinet damnum ex confiſcatione ortum.

§. 1907. Quae merces et res vetitae cenſeantur, infra (§. 2034. ſqq.) determinatur.

§. 1908. Nauis magiſtri et exercitores, qui ſcientes, aut ex culpa lata, merces aut res prohibitas receperunt, reliquis conductoribus ad reſarciendum damnum inde datum obligantur.

Source : BIU Cujas

§. 1909. At vero, ſi conductores reliqui qualitatis prohibitae notitiam habuerunt; naui vel eius onere ideo confiſcatis damnum ſuum quisque fert ſolus.

§. 1910. Iactura aut damno inde exorto, quod nauis non inſtructa eſt iuſtis commeatus literis (*Päſſen*), inſtrumentis de contractu nauis conductae (*Charte-partie*), recognitionis, aliisque literis neceſſariis; nauclerus et ii tenentur, quibus horum requiſitorum cura incubuit.

De damno ex nauium colliſione exorto.

§. 1911. Si naues duae velis explicatis absque lata vnius alteriusue naucleri culpa in nauigando ita alliduntur, vt altera vtra aut vtraque damnum capiat; nauis vtriusque damnum et detrimentum ſunt computanda et connumeranda.

§. 1912. Totius ſummae nauis quaeque fert dimidium.

§. 1913. Si dolus aut lata culpa alterius naucleroruum cauſam nauium colliſioni praebuit; hic damnum ſuum fert ſolus, et naui alteri obligatur, ad damnum illatum omne reſarciendum.

§. 1914. Damnum, quatenus ex naucleri bonis atque ex naui et eius vecturis non reſarcitur, ad hauariam particularem eſt referendum.

§. 1915. Idem obtinet, ſi nequit erui nauis, quae caſu aut lata naucleri culpa alii naui modo dicto damnum intulit.

§. 1916. Si naui, ad ancoras aut ad terram deligatae, a naui nauigante damnum infertur; huius nauclerus tenetur ad reſarciendum damnum datum omne; niſi probare poteſt, ſe caſu ineuitabili ad collidendum fuiſſe coactum; in quo caſu praeceptum §. 1911. 1912. locum obtinet.

§. 1917. Quo in caſu nauclerus, in ancoris ſtans, ſi dolo aut culpa lata non euitauit periculum, quod euitare potuit, ad damnum reſarciendum ſecundum §. 1913. tenetur.

Source : BIU Cujas

Impulſione et concuſſione.

§. 1918. Si naues duae aut plures in ancoris ſtantes modo periculoſo admouentur; nauclerum ante alium ſtantem in ancoris, ab altero prouocatum, ancoris leuatis oportet cedere.

§. 1919. Idem fieri debet, ſi naues verſantur in periculo, vnda defluente in vado ſubſidendi.

§. 1920. Si nauclerus ante alium in ancoris ſtans his praeceptis dolo aut culpa lata morem non geſſit; damnum inde exortum omne ab ipſo eſt reſarciendum.

§. 1921. Si nauclerus, quem decedere oportet, dum cedere tentat, absque culpa ſua lata, ipſe damnum capit; damni reparationem petere ab acclamante poteſt.

§. 1922. Si acclamanti in decedendo absque lata alterius culpa damnum eſt illatum; decedens liberatus eſt ab omni obligatione damnum reſarciendi.

§. 1923. Si naues duae in ancoris ſtantes fluctuum aut ventorum vi ita colliduntur, vt altera vtra aut vtraque concutiendo, premendo aut alio modo detrimentum capiat, locum habent praecepta §. 1911.

§. 1924. Idem valet, ſi naues duae ſtantes vno eodemque tempore ſolutae colliduntur, et collidendo alteri aut vtrique damnum infertur.

§. 1925. At vero, ſi nauis in ancoris ſtans funibus minus idoneis ruptis, aut ex lata alia culpa naucleri, ſoluta ad alias naues eſt appulſa; nauclerus obligatur ad reſarciendum damnum nauibus in ancoris ſtantibus illatum omne.

§. 1926. At vero, ſi nauis, absque lata naucleri culpa ſoluta, ad alias eſt appulſa; damnum ex impulſione ſ. concuſſione ortum ſecundum praecepta §. 1911. communiter eſt ferendum.

§. 1927. Si nauclerus, cuius nauis ad aliam compellitur, nauclero in ancoris ſtanti acclamauit, vt funem remittat, ad hic non geſſit morem, licet circum-

Source : BIU Cujas

ſtantiae permiſerint; prior ad damnum reſarciendum non tenetur.

§. 1928. Si in caſibus §. 1911. 1916. 1921. 1922. 1923. 1926. merces quoque naui impoſitae damnum ceperunt; damni iis illati, in damno computando non poteſt haberi ratio, ſed hoc damnum particularis habetur hauaria.

§. 1929. Si ſecundum principia antecedentia damni reparatio imputanda eſt nauclerorum alteri; huius bonis non ſufficientibus ea, quae deficiunt, praeſtanda ſunt ab eius nauis exercitoribus, quatenus non excedunt ipſorum in naue ratam.

§. 1930. Si nauis magiſter vterque damno dato ſua culpa occaſionem dedit, locum habet praeceptum P. I. Tit. VI. §. 22.

§. 1931. Eiusmodi caſus aduerſus, nauium collisione, compulſu et concuſſione exortus, ſi in portu accidit, iudici competenti ſub iuris amiſſione indicandus eſt, intra horas quadraginta et octo inde a tempore, quo accidit.

§. 1932. Caſus aduerſus ſi mari accidit, a quolibet nauis magiſtro obſeruandum eſt praeceptum §. 1840. ſqq.

§. 1933. De nauibus in fluminibus nauigantibus (*Stromſchiffen*) eadem obtinent principia.

## Sectio Decima Tertia.

### *De aſſecurationibus.*

§. 1934. In aſſecuratione aut in aſſecurando aſſecurans pro certa praeſtatione aut praemio in ſe ſuſcipit reparationem damni, rei aſſecuratae ex periculo definito dati. Principia generalia.

§. 1935. Si praemium nullum eſt pactum, negotium non habetur aſſecuratio ſed donatio. (P. I. Tit. XI. §. 1089. ſqq.)

Source : BIU Cujas

Quis partes affecurati fuſcipere poſſit.

§. 1936. Senſales et proxenetae nautici, ad hoc negotium expediendum conſtituti (*Schiffsklarirer*), neque naues neque nauium partes ſeu quotas, neque bona mercatoria et merces, ſub poena §. 1328. determinata, proprio nomine aſſecurandas curent.

§. 1937. Naucleri et nautae ſtipendii ſui aut mercedis aſſecurationem ſumere nequeunt; ſub iactura iuris et praemii, cuius duplum ab aſſecurante in poenam aerario pauperibus maritimis inſeruienti eſt ſoluendum.

Quis aſſecurationes poſſit ſuſcipere.

§. 1938. Aſſecurationis conſtitutio neceſſario praeſupponit facultatem, pactum oneroſum ineundi. (P. I. Tit. V. §. 11.)

§. 1939. Senſales, proxenetae nauium et rationarii, diſpartitores (*Dispacheurs*), damnorum taxatores, et perſonae iudiciales de aſſecurationum controuerſiis cognoſcentes; menſae feneraticiae praeſides et officiales; directores et officiales ſocietatis aſſecuratoriae (*Aſſecuranz-Compagnie*); officiales aerariorum et regiorum et publicorum aliorum; atque publicani et acciſae officiales nomine proprio, neque immediate neque mediate, aſſecurationem dare poſſunt.

§. 1940. Si contra hanc prohibitionem eſt actum, pactum eſt nullum; praemium pactum fiſco cedit, et iniuſte aſſecurans a munere remoueatur.

§. 1941. Quo in caſu, ſi aſſecuratus, absque culpa ſua, ignorauit qualitatem aſſecuranti obſtantem; aſſecurans illi ad damnum reſarciendum obligatur.

§. 1942. Qui mandatum habet, tertio aſſecurationem quaerendi, illi absque ſingulari mandantis conſenſu eam ſuſcipere non licet; quod ſi fecerit, praemium eum oportet reſtituere, et nihilo minus ſuſceptum periculum praeſtat.

§. 1943. Cuilibet licet aſſecurationes ſumere, vbi ipſi videtur conſilii.

Source : BIU Cujas

§. 1944. Iura societatis, ad assecurandum specialiter priuilegiatae, diiudicanda sunt ex priuilegio ei dato.

§. 1945. Qui nomine alieno assecurationes sumit, speciali mandato ad hoc negotium instructus sit necesse est; alioquin assecuratio est nulla, et praemium pactum cedit fisco.

§. 1946. At mercaturae institores (*Handlungs-Factoren*) tamen et disponentes nomine principalis res assecurandas possunt curare, vel absque speciali mandato.

§. 1947. Quibus si haec facultas non debeat competere; eiusmodi limitatio rite notificata sit, necesse est. (§. 503. sqq.)

§. 1948. Qui absque mandato speciali nomine alieno subscribit, ipse tantum obligatur.

§. 1949. Idem valet de mercaturae institoribus et disponentibus, qui neque mandato speciali, neque semel in perpetuum procura sua ad hoc negotium sunt legitimati.

§. 1950. Vti pactum omne, nomine alterius sine mandato initum, vim accipit eius ratihabitione postea accedente; idem quoque in assecurationis pacto obtinet.

§. 1951. Ratihabitioni tacitae est aequiparandum, si ille, cuius nomine assecuratio sumta est, aut data, factae assecurationis notitiam consecutus, protestationem iudicialem nullam contra eam interponit, intra terminos, in partis primae Tit. VI. §. 95. seqq. determinatos.

§. 1952. Quidquid pacti legitimi obiectum esse potest, eius quoque assecuratio potest constitui. (P. I. Tit. V. §. 39. seqq.) Assecurationum obiecta.

§. 1953. Periculum futurum omne, cum factis prohibitis non coniunctum, assecurans potest suscipere.

Source : BIU Cujas

§. 1954. Assecuratione periculi factorum prohibitorum constituta, pars vtraque summam scriptam poenae loco debet soluere.

§. 1955. Si merces aut bona sunt assecurata, contra leges exportanda, importanda, aut per regni prouincias transportanda; assecuratus excidit commodis ex pacto omnibus, et fiscus in eius locum succedit.

§. 1956. Si assecurans sciens eiusmodi merces assecurauit; tanquam complex punitur, et fisco praemium cedit.

§. 1957. Si assecuratio ex parte tantum ad eiusmodi merces spectat; assecuratio sustinetur intuitu mercium non prohibitarum.

§. 1958. At vero, si merces non prohibitae vna cum prohibitis simul confiscantur, aut ad poenae commissae solutionem impenduntur; assecurans ad satisfaciendum non obligatur.

§. 1959. Belli tempore subdito nulli licet assecurare res ad belli vsum pertinentes, quae subditorum sunt hostilium, aut his alias debent conferri. (§. 2034. sqq.)

§. 1960. Idem valet de rebus cuiuscunque generis ad vitam necessariis, quae ad hostium horrea granaria, exercitus et castella pertinent, aut iis exhiberi seu suppeditari debent.

§. 1961. Atque de mercibus et rebus omnibus, quarum commercium cum hostium subditis, durante bello, est prohibitum.

§. 1962. Si quis contra haec praecepta eiusmodi res assecurauerit, pactum est nullum.

§. 1963. Quod si sciens fecerit, summam scriptam fisco loco poenae luat.

§. 1964. Si vero assecuranti de mercium qualitate prohibita nihil constitit; praemium tantum acceptum fisco exhibere obligatur.

§. 1965.

Source : BIU Cujas

§. 1965. Poena, qua aſſecuratus eſt afficiendus, ſecundum praeceptum iuris criminalis eſt determinanda.

§. 1966. Initium belli ab eo tempore computatur, quo exercitus terreſtris aut naualis ad expeditiones ſeu operationes bellicas contra hoſtem mouetur.

§. 1967. Bellum tantum finitum habetur inde a proclamatione praeliminarium pacis celebratarum.

§. 1968. Vitam ſuam aſſecurandam curare quilibet poteſt.

§. 1969. At vero, ad vitae iacturam, delicto commiſſam, eiusmodi aſſecuratio neque dari poteſt, neque extendi.

§. 1970. At vero, ſi quis tertii vitam aſſecurandam curauit; aſſecurans praeſtat vitae iacturam omnem, vel tertii ipſius culpa exortam, niſi contrarium eſt determinatum.

§. 1971. Parentes, liberi, coniuges aut deſponſati proprio nomine vitam liberorum ſuorum, parentum, alterius coniugis aut deſponſati aſſecurandam curare poſſunt.

§. 1972. Sub liberis intelliguntur deſcendentes lineae deſcendentis legitimi in genere. (P. I. Tit. I. §. 40. 41.)

§. 1973. Quibus exceptis, nemo, in commodum ſuum, vitae tertii, absque eius conſenſu iudiciali, aſſecurationem poteſt ſumere.

§. 1974. Quod ſi nihilo minus eſt factum; vterque, et aſſecurans et aſſecuratus, ſummam ſignatam in pauperum fauorem poenae loco ſoluat neceſſe eſt.

§. 1975. Hominis quoque libertas contra periculum a mari et Turcis metuendum, contra barbarorum depraedationes maritimas, capturam hoſtilem aut captiuitatem poteſt aſſecurari.

§. 1976. Si eo modo tertii libertas aſſecuratur, eius conſenſus in aſſecurationem non eſt neceſſarius.



Source : BIU Cujas

§. 1977. Libertatis affecurationes, ad aliud genus iacturae ſpectantes, ſunt inualidae, niſi tertius, cuius libertas eſt affecurata, ſuum conſenſum in affecurationem in iudicio interpoſuerit.

§. 1978. At eo conſentiente praeceptum obtinet §. 1970.

§. 1979. Qui redemtionem ab hoſtibus aut piratis capti ſuſcepit, redemtionis pretium vna cum ſumtibus ſibi poteſt affecurandum curare.

§. 1980. Creditor, qui ſub Bodmeriae lege pecuniam mutuo dedit (*Bodmereygeber*), ſortis ſuae ſummam, vna cum eius vſuris mercatoriis, et affecurationis praemio, ſibi poteſt affecurandam curare.

§. 1981. Atque etiam arrha (*Handgeld*) et merces (*Schiffsheur*) praenumerata nauis exercitori poſſunt affecurari.

§. 1982. Idem quoque valet de vecturarum pecuniis (*Frachtgeldern*).

Quatenus affecurationes ſumi poſſunt et dari.

§. 1983. Affecurationibus affecuratus ſe tantum de damno ſecurum reddat, at non intendat, vt inde fiat locupletior.

§. 1984. Nemini licet, rem ſibi affecurari vltra commune pretium, quod rei eſt contractus initi tempore. (P. I. Tit. XI. §. 111.)

§. 1985. Si nauis ipſa (*Caſco*) affecuratur, in naui aeſtimanda computantur ſumtus, ad nauem inſtruendam et exornandam erogati omnes; prouiſio; merces nautarum (*Volksheuer*) praenumerata; et ſimul affecurationis praemium; et nauis pretium determinatur, quale profectionis tempore ex portu progrediens re vera fuit.

§. 1986. Vecturis (*Frachtgelder*) autem ſeparatim affecuratis, nauem ipſam (*Caſco*) tantum vsque ad illud pretium licet affecurare, quod fuit naui profectionis tempore vna cum inſtrumentis, exceptis impenſis in nauim inſtruendam factis.

Source : BIU Cujas

§. 1987. Mercium assecurationes emtionis pretium non excedant.

§. 1988. At assecuratus tamen pretio potest addere vectigalia (*Zölle*), tributa et impensas omnes, in merces vsque ad illud tempus erogatas, quo naui sunt impositae aut alias transmissae.

§. 1989. Assecurationis praemium ipsum computare quoque potest.

§. 1990. Vecturarum (*Frachtgelder*) assecuratio non excedat summam vecturae, instrumentis de recognitione (*Connoissemente*) et de locatione conductione (*Charte-Partie*) determinatae, et hauariae communis (*kleinen Haverey*).

§. 1991. Assecurationes de lucro sperato, aut sic dicto imaginario, eatenus tantum sunt validae, quatenus expresse de eo sunt contractae, et simul determinate indicatum est obiectum, ex quo speratur lucrum.

§. 1992. Assecurationes mercium pretii constantis et variantis (*auf das Bestehen, Steigen und Fallen der Waarenpreise*) mercatoribus tantum sunt licitae.

§. 1993. Ne tamen iis intendatur pretii augmentum, bono publico nociturum.

§. 1994. Quod si assecurationis sit fundamentum; pactum est inualidum; praemium cedit fisco; et contrahentes secundum iuris criminalis praecepta sunt puniendi.

§. 1995. Assecurationes de interesse aut non-interesse non validae sunt ad summam ea maiorem, quam constituit interesse in instrumento, de assecuratione (*Police*) conscripto.

§. 1996. Si ab assecurato probatur, interesse verum summa signata esse minus, locum habet proportionata praemii restitutio (ristorno).

§. 1997. At contra, neque in hoc assecurationis genere ab assecurante vnquam praestanda sunt summa promissa s. signata plura.



Source : BIU Cujas

§. 1998. Quatenus naues aut bona, bodmeria iam sunt obligata, a bodmeriae debitore, sub praemii pacti iactura et pacti nullitate, non assecurantor.

§. 1999. At seperatim assecurari potest summa, quae pleno pretio deest, atque etiam periculi modus, a bodmeriae creditore (*Bodmereygeber*) non susceptus.

Prohibitio plurium assecurationum de pleno pretio vnius eiusdemque obiecti.

§. 2000. Ne quis assecurationes contrahat plures de vnius eiusdemque obiecti pretio, secundum §. 1984. determinando.

§. 2001. Assecurationem petentem religiose indicare oportet, an et quo modo iam alio loco assecurationem contraxerit, aut ad eam contrahendam mandatum (*Ordre*) dederit.

§. 2002. Qui in eiusmodi indicatione data opera et dolo falsum, in assecurantis, aut tertii detrimentum committit, praeter iuris sui iacturam ex vtraque aut pluribus assecurationibus, defraudatoris instar puniatur.

§. 2003. Quae indicatio si ex culpa lata aut leui fuerit neglecta; assecuratio prior tantum valet, et nihilo minus soluendum est praemium, in assecuratione posteriori pactum.

§. 2004. Dies signationis factae determinat, quis contractus tempore sit antiquior, licet instrumentum de assecuratione conscriptum (*Police*) alium diem contineat.

§. 2005. Quod praeceptum in regula tunc quoque locum habet, si assecurationum altera a principali ipso, et altera ab institore (*Factor*) est contracta.

§. 2006. Si vero quis cuidam, quocum ipsi est literarum commercium (*Correspondenten*), mandatum (*Ordre*) dedit, vt assecurationem pro eo contrahat, ac postea ipse de iisdem rebus assecurationem contraxit; ad dati mandati (*Ordre*) diem attenditur. (P. I. Tit. XIII. §. 88.)

Source : BIU Cujas

§. 2007. Si quis, literarum commercio iunctus, (*Correſpondent*) ſine mandato (*Ordre*) aſſecurationem nomine alicuius contraxit, qui pactum ignorans eiusmodi pactum quoque iniit; aſſecurationis nouiſſime ſignatae praemium reſtituitur (*riſtornirt*).

§. 2008. Si in caſibus antecedentibus §. 2003. ſqq. contractu priori ſumma eſt aſſecurata, quae plenum rei pretium, ſecundum §. 1984. ſqq. determinandum, nondum aequat: contractus ſecundus valet de quanto, pretio huic pleno adhuc deficiente; et intuitu reſidui reuocatio praemii locum tantum habet in caſu §. 2007.

§. 2009. Si obiectum aliquod aſſecuratum eſt in certum tantum tempus determinatum; aſſecurari alibi poteſt, quod attinet ad damnum et detrimentum, quae accidunt ante huius temporis initium, aut tempore illo peracto.

§. 2010. Rei vſque ad certum locum tantum aſſecuratae aſſecuratio ab hoc loco ad alium admittitur.

§. 2011. De aſſecurantis ſoluendi facultate quoque licet aſſecurationem contrahere.

§. 2012. Si de aſſecurantis bonis ante periculum finitum concurſus creditorum formatur; aſſecurato licet, vlteriorem aliam ſibi aſſecurationem curare.

§. 2013. Tunc praemium ab aſſecuratore primo integrum poteſt repetere, licet aſſecurationis poſterioris praemium pactum ſit minus.

§. 2014. At vero, ſub poena §. 2004. determinata, curatorem bonorum aſſecurantis primi de ea re certiorem faciat neceſſe eſt, ſimulac aſſecurationem aliam petit, aut mandatum (*Ordre*) dat, ad eam contrahendam.

§. 2015. Aſſecuratus, qui pacto vult ſtare, ſi aſſecurans ſusceptum periculum omne, ſalua priori aſſecuratione in alium rurſus transtulerat (*Rückver-*



Source : BIU Cujas

*ſicherung genommen hatte*), petere poteſt, reſtitutis praemio et expenſis pro reaſſecuratione ſolutis, vt ipſi cedantur iura in aſſecurantem ſuccedaneum omnia.

De reaſſecurationes (*Rückverſicherung*)

§. 2016. Aſſecurans ſummam ſignatam ex toto aut ex parte ab alio ſibi aſſecurandam poteſt curare.

§. 2017. At vero, praeter obligationes §. 2014. ſqq. praeſcriptas, ſub iuris ſui iactura, expreſſe indicet neceſſe eſt, ſe reaſſecurationem petere.

§. 2018. Reaſſecuratio contrahi poteſt de quanto aſſecurato toto, comprehenſo ſimul aſſecurationis praemio.

§. 2019. Periculum rei, a ſe aſſecuratae, in alium transferenti cum aſſecuratore ſuo eaedem intercedunt rationes, quae obtinent inter primam aſſecurationem contrahentes.

§. 2020. Iura et obligationes primi aſſecurantis et aſſecurati, reaſſecuratione (*Rückverſicherung*) in nihilo mutantur.

§. 2021. Neque mutatur ratio primi aſſecurantis erga reaſſecurantem (*Rückverſicherer*) ſuum, ſi ille ſine huius approbatione cum aſſecurato ſuo conuenit de quanto, infortunio exorto reſarciendo.

§. 2022. At vero, ſi aſſecuranti primo de liquida reparationis ſumma aliquid fuerit remiſſum, haec remiſſio quoque prodeſt reaſſecuranti.

§. 2023. Concurſu creditorum de aſſecurantis primi bonis moto, reaſſecurantem nihilo minus eius creditorum maſſae ſolutionem plenam aeque praeſtare oportet, ac ſi concurſus creditorum non fuiſſet formatus.

Obligationes contrahentium ante pactum et in eo celebrando.

§. 2024. In ineundo aſſecurationis pacto pars vtraque eſt obligata ad fidem, probitatem et integritatem praecipuam; et obtinent praecepta partis primae. Tit. XI. §. 539. ſqq.

§. 2025. Si aſſecurans ante pactum initum nuntiis certis aut probabilibus comperuit, rem iam eſſe in tuto, aut extra illud periculum, quod eſt aſſecurandum,

Source : BIU Cujas

et assecuratum rem eam celauit; praemium integrum eum oportet restituere, et eius duplum poenae loco soluere.

§. 2026. Si assecuratus celat circumstantias, quae ex aequo rei peritorum iudicio conferre potuissent ad assecurantis consilium, de contractu ineundo capiendum; assecuratio vim obligandi non habet, et praemium est commissum.

§. 2027. Neque hic in assecurati fauorem valeat exceptio, nuntium acceptum et celatum adhuc incertum fuisse et dubium.

§. 2028. Si potest conuinci, iam ante pactum initum, casus aduersi, qui rei accidit, certam habuisse notitiam; praeter ea tanquam fraudator adhuc puniatur.

§. 2029. Assecuratione a mandatario nomine assecurati contracta, hunc illius culpam, tanquam suam, praestare oportet.

§. 2030. Si nauis est assecuranda; assecuratum sub poena §. 2026. determinata indicare oportet nauis structurae modum, magnitudinem, et praesentem conditionem ac statum, quantum scit, quam accuratissime; atque indicare: vtrum ex quercu sit nauis, an ex alio ligno fabricata, quotum faciat iter, et vtrum documentis necessariis omnibus plene sit instructa.

§. 2031. Assecuratum quoque sub eadem poena curare oportet, vt nauis ad iter suscipiendum reddatur idonea, et rite instruatur.

§. 2032 Si nauis est nauis intercepta aut in praelio capta (*Prisenschiff*); sub eadem poena assecuranti debet indicare, an iam fuerit in statione nauium (*Rhede*) libera, aut in portu libero.

§. 2033. Si assecuratio nauis ipsius (*Casco*) tempore belli debeat contrahi; assecuratus fideliter debet indicare, an naui merces aut res sint impositae, quae prohibitae habentur, aut a belligerantibus pro iis sunt declaratae.



Source : BIU Cujas

§. 2034. Merces prohibitae sunt tormenta magna, et necessitates bellicae ad ea pertinentes (*Ammunition*), pyroboli (*Granaten*), cuspides sclopetis praefigendae (*Baioneta*), sclopeta peditum (*Flinten*), sclopeta equitum (*Karabiner*), sclopi breuiores (*Pistolen*), glandes plumbeae, pyritae sclopis apti, funiculi igniarii, puluis pyrius, nitrum, sulphur, hastae, acinaces, enses, ephippia, tentoria, et quae praeter ea ex nationum diuersarum pactis singularibus naui imponere non licet.

§. 2035. Cuius generis rerum belli tempore in regula naui mercatoriae nulli licet plures recipere, quam exigit necessitas eius propria.

§. 2036. Mali, ligna ad naues fabricandas apta, funes, vela, cannabis, pix, frumentum, et materiae aliae, quae transformari in res ad bellum necessarias possunt, atque equi, ad bona prohibita non pertinent.

§. 2037. Praefecti militum (*Officiere*) terrestrium aut classiariorum et milites belligerantium a nauibus partis neutrius non excipiantur.

§. 2038. Nautarum (*Schiffsvolk*) ad summum tertia tantum pars sit nationis belligerantium alterius.

§. 2039. Pro bonis prohibitis habenda sunt nauis partis neutrius onera omnia, in portum oppugnatum, obsessum, aut prope inclusum transuehenda.

§. 2040. Quatenus locus aut portus inclusus sit habendus, ex praecepto partis primae Tit. IX. §. 291. est diiudicandum.

§. 2041. Si assecuratus mercium eiusmodi prohibitarum aliquas celauerit, pactum, quatenus ex hac mercium qualitate damnum exoritur, assecurantem non obligat, et assecuratum nihilo minus praemium oportet soluere.

§. 2042. Sic quoque in mercium assecurationibus, belli tempore, accurate indicandum est, an

Source : BIU Cujas

in mercibus assecuratis, aut alias in naui sint eiusmodi res prohibitae.

§. 2043. Ab assecurato quoque indicandum est, vtrum nauis cum praesidio concomitante iter faciat, an sine eo (*mit oder ohne Convoy gehe*); et quo loco cum praesidio iter facere, aut ei iungi debeat.

§. 2044. Qua indicatione neglecta, assecurans non est obligatus, si nauis in itinere ad praesidium concomitans (*Convoy*) est intercepta.

§. 2045. Si nauis, tempore contractus iam profecta (*abgesegelt*), aut eius onus debeat assecurari; assecuratus profectionis locum et tempus, et locum ad quem tendit, quatenus de his circumstantiis ipsi constat, bona fide indicet, ac nuntia et noua de his accepta omnia plene communicet necesse est.

§. 2046. Si assecurando suscipi debeat periculum marinum mercium, in quibus sunt merces eius generis, quae facile corrumpuntur; harum qualitas et quantitas accurate indicetur necesse est.

§. 2047. Merces corruptioni obnoxiae habendae sunt frumenta, et quoduis feminum genus; salia omnia, vti saccharum, syrupus, vitriolum, alumen, cinis clauellatus, cinis ifatidis s. glasti (*Weidasche*); fructus et herbae recentes, siccati et conditi; florum bulbi et radices; oxygara s. gelata (*Gallerte*) siccata omnia, in primis gluten et succus glycyrrhizae; omnia gummatum genera; vuae passae, vinum, oleum, linum, cannabis, caseus, lana, pisces siccati, haleces, pellices (*Pelzwerk*), rudentes oleo resinoso non illiti (*ungetheertes Tauwerk*) et funes nautici crassiores (*Kabelgarn*), instrumenta artificiosa, charta et libri.

§. 2048. Eiusmodi merces, si tantum sub generali nomine seu appellatione bonorum mercatoriorum, nauis oneris (*Schiffsladungen*), etc. sunt comprehensae; assecurans ad damnum ex qualitate corruptibili ortum resarciendum non obligatur.



Source : BIU Cujas

§. 2049. Idem valet, si mancipia aut animalia viua non sunt indicata, sed tantum verbis generalibus in assecuratione comprehensa.

§. 2050. In assecurationibus vitae hominis, in primis eius aetas, valetudinis ratio, et quaestus indicetur necesse est.

§. 2051. Si alicuius libertas assecurari debeat; in primis necessaria est accurata indicatio, vtrum in eo sit, vt expediat negotium, personam eius periculo exponens, an eiusmodi intendat.

§. 2052. Qui vecturam salis, aut aliarum mercium liquescendo solubilium naui solute impositarum, assecurandam curat, eum expresse oportet indicare, an determinata sit vectura pro mensura imposita aut tradenda; alioquin assumitur mensura tradenda, et pro ea tantum praestatur restitutio.

§. 2053. Si mercium, rerum mobilium et effectorum periculum incendii suscipitur; assecuratus harum rerum qualitatem bona fide indicet necesse est.

§. 2054. Si puluis pyrius sulphur, nitrum, foenum, stramina, fruges nondum tritae; folia herbae nicotianae, cannabis, linum, stupa *Heede*, rudentes oleo resinoso illiti (*getheertes Tauwerk*), pix, oleum resinosum, seuum, oleum terebinthinum, adeps ex piscibus (*Thran*) in mercibus continentur; sub iactura iuris et praemii expresse debent denominari.

§. 2055. Aurum, argentum, vasa aurea et argentea, gemmae, vasa porcellana (*Porcellain*), opera encaustа (*Emaille*), specula, vasa vitrea, tabulae pictae, figurae aere excusae, musea rerum antiquarum, naturalium aut artificiosarum (*Cabinette von Antiquitäten - Naturalien oder Kunstsachen*), delineationes, literae mensae feneraticae publicae (*Banknoten*), literae pignoraticiae (*Pfandbriefe*), cambia, aut alia chirographa, contractus aut documenta, libri et rationes mercatorii, et sese mouentia (P. I. Tit. II. §. 17.) non sunt asse-

Source : BIU Cujas

curata habenda, niſi expreſſe fuerint denominata et aſſecuratio de iis data.

§. 2056. Atque etiam aſſecurationem incendii periculi cauſa petentem religioſe indicare oportet, an res coſtodiantur in aedibus vim ignis ſuſtinentibus (*feuerfeſt*); et an periculoſa ſit vicinia.

§. 2057. Aedes vim ignis ſuſtinentes ſunt, quae ex omni parte muris et fumariis latericiis ſunt munitae.

§. 2058. Aedificium, quod totum aut ex parte materia, ignem facile concipiente, e. g. ſcindulis, tabulis, ſtramine, calamo, arundine etc. eſt contectum, pro aedificio vim ignis ſuſtinente (*feuerfeſt*) haberi nequit.

§. 2059. Periculoſa vicinia habetur, ſi in aedificio ipſo, aut in aedificiorum trium proximorum, aedificium aſſecuratum circumſtantium, vno exercentur quaeſtus periculoſi.

§. 2060. Atque ſi in horum aedificiorum vno rerum, ignem facile concipientium, aſſeruatur quantitas maior, quam ad oeconomicum vſum ſolitum eſt neceſſaria.

§. 2061. Atque ſi vnum aedificiorum proximorum trium, aedificium, in quo ſunt res aſſecuratae, circumſtantium, totum aut ex parte contectum eſt materia, ignem facile concipiente. (§. 2058.)

§. 2062. Quaeſtus periculoſi ſunt officinae pulueris pyrii (*Pulvermühlen*), officinae, quibus tormenta funduntur (*Stückgieſserey*), fabricae vitrioli et ſalis ammoniaci, officinae coquendo ſaccharo inſeruientes (*Zuckerſiedereyen*), laboratoria chemica, pharmacopolia, aurifices, fabri aerarii, fuſores aeramentarii, fabri ferrarii maiorum operum, diſtillatores, coctores cereuiſiae et vini aduſti, piſtores, tinctores, ſaponarii, candelas conficientes et figuli.

§. 2063. Res facile ignem concipientes habentur, quae nominatae ſunt §. 2054.

Source : BIU Cujas

Contractus forma.

§. 2064. Assecurationis pactum omne, quod inter subditos regios, aut in his terris inter subditos regios et exteros celebratur, sub nullitatis poena in scripturam est redigendum.

§. 2065. Assecuratione per sensales contracta, extractus ex horum diario exhibendus vicem supplet contractus scripti.

§. 2066. Simulac contractus eo modo est celebratus, assecurantem, pro soluto praemio pacto, assecurationis literas aut instrumentum de assecurationis pacto conficere atque subscribere oportet sub conditionibus determinatis.

§. 2067. Assecuratus, qui accepto assecurationis instrumento praemium exhibere vltra horas viginti et quatuor moratur, ad illud exhibendum via processus executiui potest compelli.

§. 2068. Conuentione scripta singulari nulla praeuia, contractus intuitu assecurantis cuiusque perfectus habetur, simulac assecurationis literas aut instrumentum de assecuratione confectum subsignauit.

Requisita instrumenti de assecuratione confecti, (*Police*):

§. 2069. In instrumento de assecuratione confecto (*Police*) assecurati nomen expressum sit necesse est.

a) assecurati nomen;

§. 2070. Curator (commissionarius), merces nomine alieno (*auf fremde Rechnung*) transmittens, assecurationem nomine suo, aut domini, potest contrahere.

§. 2071. Mercatoribus tantum licet, celato suo nomine, sub clausula: exhibitori huius (*an Zeigern dieses*) aut nomine eius, cuius interest (*oder für Rechnung des, den es angeht*) assecurati partes subire.

§. 2072. At vero, si assecurans deinde satisfactionem debet praestare; petere potest, vt assecuratus nominetur, et plena producatur legitimatio.

b) assecurationis obiectum;

§. 2073. Instrumentum assecurationis (*Police*) obiectum assecurationis quoque contineat necesse est, se-

Source : BIU Cujas

cundum ea ſigna, quibus ab aliis ſufficienter diſtinguitur.

§. 2074. In aſſecuratione nautica magiſtri nauis et nauis nomen expreſſum ſit neceſſe eſt.

§. 2075. Si ex errore nomen nauis prorſus falſum indicatur; aſſecuratio eſt inualida, et praemium absque deductione integrum eſt reddendum.

§. 2076. At vero, ſi aſſecuratus culpa propria lata aut leui in eiusmodi errorem incidit; aſſecurans deducere ea poteſt, quae in riſtorno deducuntur. (P. I. Tit. IV. §. 79.)

§. 2077. Error in denominationibus ſecundariis nihil nocet; et nihil quoque eo efficitur, ſi naui poſtea, absque dolo, aliud nomen fuerit datum.

§. 2078. Si magnitudine et qualitate nauis falſo indicatis, aſſecurans inducitur, vt leuius eſſe putet periculum; obtinet praeceptum §. 2076.

§. 2079. Idem valet, ſi nauis magiſtri nomen falſum eſt indicatum.

§. 2080. Si quis merces, quas e locis longe remotis expectat, ſibi aſſecurandas curare cupit, antequam nauis et nauis magiſtri nomen cognouit: contractus celebrari quidem poteſt de mercibus, quae transportantur in nauibus non nominatis;

§. 2081. At in hoc tamen caſu aſſecuratus curet neceſſe eſt, vt circumſtantiae, quibus hae res aſſecuratae ab eiusdem generis aliis poſſunt diſcerni, exprimantur quam accuratiſſime.

§. 2082. In primis vero in aſſecurationis inſtrumento deſignentur neceſſe eſt mercium qualitas, et ſi fieri poteſt, numerus faſciculorum, ciſtarum aut vaſorum cum eorum ſignis; locus transmiſſionis; nomen transmittentis; dies literarum, quibus merces ſunt petitae, (*Beſtellungs-Ordre*) et literarum aduiſoriarum.

§. 2083. Simulac aſſecurato, ſignato aſſecurationis inſtrumento, de nomine nauis magiſtri et nauis ipſius, qua merces debent transportari, con-

Source : BIU Cujas

ſtat; ſub duplicis praemii poena illud cum aſſecurante ſine mora communicet neceſſe eſt.

§. 2084. In aſſecurationibus fluminalibus (*Stromverſicherungen*) magiſter nauis, et in aſſecuratione terreſtri auriga, aut curſus publici rheda (*Poſt*), quibus merces ſunt transmiſſae, in aſſecurationis inſtrumento denominandi ſunt.

§. 2085. Si tertii vita aut libertas aſſecuratur, in inſtrumento de aſſecuratione confecto exprimatur neceſſe eſt eius praenomen et nomen gentilitium, aut nomen gentilitium et eius dignitas (*Charakter*), aut aliud ſignum perſpicuum, quo ab aliis eiusdem nominis perſonis diſtinguitur.

§. 2086. In aſſecurationibus incendii cauſa initis denominandus eſt locus et ſitus aedificii, in quo ſunt res aſſecuratae.

§. 2087. Si obiecti aſſecurati pretium contrahentes inter ſe determinarunt; in aſſecurationis inſtrumento pretium indicatum ſit neceſſe eſt.

c) aſſecurationis ſumma.

§. 2088. Atque ſumma aſſecurationis accurate quoque eſt determinanda.

§. 2089. In caſibus omnibus, ſi hominis vita aut libertas aſſecuratur, in contractu accurate determinatum ſit neceſſe eſt, quid ab aſſecurante ſoluendum ſit aut praeſtandum; alioqui contractus eſt inualidus.

§. 2090. Si aſſecurantes plures vnum idemque aſſecurationis inſtrumentum ſignant; eorum quisque ad ſuam ſubſcriptionem notare debet quantum, cuius aſſecurationem in ſe ſuſcipiat.

§. 2091. Quod ſi fuerit omiſſum, et a nullo aſſecurationis quantum determinatum; obligantur omnes tanquam debitores principales.

§. 2092. At vero, ſi vnus aut alter aſſecurationis quantum determinauit, tenetur quisque de anteceſſoris proximi quanto.

Source : BIU Cujas

§. 2093. Si eo modo assecurationis summa superatur; vltimus ea tantum praestat, quae assecurationis summae adhuc deficiunt.

§. 2094. Et periculi modus et tempus, quo periculum susceptum finitur, accurate determinetur necesse est, qua initium et qua finem. d) periculi modus et tempus, quo finitur;

§. 2095. Quem in finem in assecurationibus marinis et fluminalibus locus onerationis et exonerationis, seu locus, ad quem est nauigandum, et quantum fieri potest, tempus quoque profectionis indicentur necesse est.

§. 2096. Si assecurans certum tantum periculi genus in se recipit; illud perspicue est exprimendum.

§. 2097. Denique in instrumento de assecuratione confecto locus quoque, quo instrumentum est signatum, atque assecurantis subscriptio adiiciatur necesse est. e) subsignatio.

§. 2098. Si plures vnum idemque assecurationis instrumentum signarunt, quorum vnus diem non adiecit; iste dies assumitur, quem adiecit antecessor proximus eodem loco degens.

§. 2099. De assecurantis subscriptione idem valet, quod §. 776. de cambiis est praescriptum.

§. 2100. Assecurantis et assecurati ex contractu obligationes in primis ex huius sententia (contentis) sunt diiudicandae. Obligationes ex hoc contractu.

§. 2101. Exceptiones a regula, conditiones secundariae, et restrictiones eatenus tantum valent, quatenus in assecurationis instrumento aut in eius signatione expresse sunt notatae.

§. 2102. In quibus si quid sit obscurum aut ambiguum; semper assumitur, contrahentes eatenus a praeceptis legum generalibus recedere noluisse.

§. 2103. Clausula instrumento de assecuratione confecto inserta: ab hauaria immunis, eum habet effectum, vt assecurans praeter ea, quae ad hauariam

Source : BIU Cujas

grandem conferenda ſunt, de detrimento particulari nullo, ſed tunc tantum teneatur, ſi res aſſecurata in totum aut ex parte interiit.

I. Obligationes aſſecurati: a) intuitu praemii aſſecurati.

§. 2104. Aſſecuratus in primis ad ſoluendum praemium promiſſum eſt obligatus.

§. 2105. Curator (commiſſionarius), qui non committentis, ſed nomine ſuo proprio res aſſecurandas curat, praemium tanquam debitor principalis praeſtat.

§. 2106. At aſſecuranti ius quoque competit, praemium, ſi velit, a committente ipſo petendi. (P. I. Tit. XII. §. 85. ſqq.)

§. 2107. Praemium poteſt conſiſtere in parata pecunia, vel in aliis etiam emolumentis licitis aſſecuranti conceſſis.

§. 2108. Si in aſſecurationibus nauticis, in eo caſu, ſi nauis cum praeſidio concomitante nauiget, pars praemii debeat refundi, aut ſi nauis ſine praeſidio iter faciat, praemium augeri: hoc expreſſe determinatum ſit neceſſe eſt; alioqui praemium neque diminui poteſt, neque augeri.

§. 2109. Termino remotiori non praefixo, praemium ſoluendum eſt, dum traditur aſſecurationis inſtrumentum ſignatum.

§. 2110. Aſſecuratus, in praemio ſoluendo moram nectens, ad ſoluendum intra dies triginta poſt ſignationem factam proceſſu executiuo poteſt compelli; et ſimul praemii vſuras centeſimas (1 p. C.) in menſes ſingulos eum oportet ſoluere. (§. 2067.)

§. 2111. Si praemium non fuit pecunia pactum; vſurarum loco omne, quod intereſt, integrum refarcitur. (P. I. Tit. V. §. 287.)

§. 2112. Aſſecuratione per ſenſalem contracta, ſenſalis praemium tunc tantum praeſtat, ſi praemium ei fuerit exhibitum.

§. 2113. In quo caſu praemium absque mora debet tradere; et, ſi in ſoluendo praemio moram facit, praeter

Source : BIU Cujas

praeter obligationem vsuras pendendi, aut quod interest resarciendi, proxenetico in isto negotio priuatur.

§. 2114. Assecuranti, qui praemii solutionem sibi factam in assecurationis instrumento ipso est testatus, haec apocha opponi non debet, si praemium intra dies triginta post instrumenti signationem iudicialiter exigit.

§. 2115. Concursu creditorum de assecurati bonis exorto, assecuranti de praemio nondum soluto, diebus istis triginta nondum elapsis, ius competit praelationis classis secundae; istis autem peractis ius praelationis classis quartae, in ordinatione concursus creditorum propius determinatum.

§. 2116. At in posteriori tamen casu, si damnum est reparandum, praemium residuum cum vsuris aut eo, quod interest, de reparatione potest deduci.

§. 2117. Durante assecurationis tempore assecurato non licet, sub iuris sui iactura, quidquam agere, aut per alios agendum curare, quo circumstantiae, sub quibus assecuratio est inita, in assecurantis praeiudicium mutantur, aut augetur periculum, ab eo susceptum. b) si mutationes accidunt.

§. 2118. Si casus huius generis accidunt assecurato non concurrente; nuntia accepta eum oportet, sub iuris sui iactura in casibus aduersis omnibus postea accidentibus, communicare cum assecurante intra terminos P. I. Tit. V. §. 94. determinatos; et ad auertendum damnum inde oriundum media iusta quam primum adhibere.

§. 2119. Quatenus assecuratus aut eius mandatarius (*Commissionair*) sua culpa aut negligentia damno vlli causam praebuerunt, assecurans ad illud resarciendum non est obligatus.

§. 2120. Quis culpae gradus ab assecurato praestandus sit, ex praeceptis generalibus Tit. V. §. 278. sqq. est diiudicandum.



Source : BIU Cujas

§. 2121. Si in assecuratione nautica nauis sub praesidio comitante debeat iter facere, et assecuratus causa fuit, vt sine praesidio iter faciat, aut serius, aut alio loco, quam indicauit, cum praesidio comitante coniungatur; assecurans de nullo tenetur damno, ad quod auertendum praesidium comitans (*Convoy*) fuit destinatum.

§. 2122. Si in assecurationibus nauticis assecuratus iter, necessitate non vrgente, aut assecurante non consentiente, prolongat, abbreuiat, aut alias mutat, aut nauem alios portus ac loca iubet ingredi, quam in assecurationis instrumento sunt determinati; assecuratio est extincta, et praemium commissum.

§. 2123. At vero assecuratio inde ab eo tantum temporis momento extinguitur, quo nauis ob destinationem mutatam, iter suum re vera mutauit.

§. 2124. Si tempestas et procella (*Seesturm und Ungewitter*), hostes et piratae nauem persequentes, aut alii casus ineuitabiles itineris mutationem necessario exigunt; assecuratus, simul ac eam comperit, assecurantem intra terminum, §. 95. sqq. Tit. V. P. I. determinatum, de ea certiorem faciat necesse est.

§. 2125. Quo facto, circumstantiis mutatis non obstantibus, assecuratio valet.

§. 2126. Itinere non quidem mutato, at absque assecurati culpa ad anni tempus periculosum vsque dilato, assecuratus, simulac ipsi de eo constat, assecurantem de eo certiorem faciat necesse est.

§. 2127. Quod si negligit, assecuratio est extincta, et praemium praenumeratum non restituitur.

§. 2128. Qua autem denuntiatione tempestiue facta, assecurans contractu quidem tenetur, at aequum tamen praemii pacti augmentum potest petere.

§. 2129. Quantum fieri potest, partes statim in assecurationis instrumento praemii augendi summam in antecessum oportet determinare.

Source : BIU Cujas

§. 2130. Si ea determinatione deficiente, ii, quorum interest, de addendorum summa inter se conuenire nequeunt, summa determinanda est a rei peritis iuratis, ab vtraque parte eligendis, pro eo modo, qui, itineris inchoati tempore, assecurationis loco est vsualis.

§. 2131. Praemii augmentum in primis locum habet, si in nauis ipsius (*Casco*) assecuratione, ante diem vicesimum primum mensis Iunii inita, nauis die decimo quarto post diem Iunii vicesimum primum nondum ad nauigandum est parata.

§. 2132. In assecuratione, post Iunii diem vicesimum primum inita, dies isti quatuordecim computantur inde ab elapso onerationis tempore, in assecurationis instrumento determinato.

§. 2133. Quae principia locum quoque habent in assecurationibus nauis oneris totius.

§. 2134. At contra, in assecurationibus de voluminibus singulis, siue ante solstitium aestiuum siue post illud initis, quatuor computantur hebdomadae ab eo tempore, quo oneratio nauis est inchoata.

§. 2135. Assecuratus, qui sua culpa iter tamdiu distulit, vt inde eius periculum sit auctum; sub iuris sui iactura, assecurantem de hac re certiorem faciat necesse est, antequam iter actu instituitur.

§. 2136. Tunc ab assecurante pendet, vtrum praemio ex aequitate aucto seruare contractum, an Ristorno malit concedere.

§. 2137. Vltimum si eligit; eum intra terminos, in partis primae Tit V. §. 94-102. determinatos, voluntatem suam declarare oportet; quod ni fecerit, contractu tenetur, et aequum tantum praemii augmentum potest petere.

§. 2138. Si assecurantes plures assecurationis instrumentum (*Police*) pro rata signarunt; eorum cuique hic terminus a die denuntiationis s. indicationis ipsi factae currit; sine discrimine, vtrum communi-



Source : BIU Cujas

ter ſignauerint, an quisque tantum pro rata ſua. (P. I. Tit. V. §. 438.)

§. 2139. Quod idem praeceptum §. 2124. et 2135. locum obtinet, ſi nauis aut nauis magiſter ante profectionem mutatur.

§. 2140. Si mercium aſſecuratarum pars relinquitur; aſſecuratum, ſimulac rem comperit, aſſecurantem de ea oportet certiorem reddere.

§. 2141. Quem ſi certiorem fecit, pro portione mercium relictarum, locum habet riſtorno.

§. 2142. At vero aſſecuratus, qui rem tempeſtiue indicare neglexit, de praemio nihil deducere poteſt, aut repoſcere.

§. 2143. Si merces aſſecuratae ex conuentione diuerſis nauibus debeant imponi; aſſecuratus, qui apud animum conſtituit, omnes merces naui tantum vna transmittere, aſſecurantem de iſta mutatione, antequam nauis iter incipit, certiorem debet reddere.

§. 2144. Quod ſi neglexerit, aſſecurans de iis tantum tenetur mercibus, quae ex conuentione naui iam profectae imponi debuerunt, et nihilo minus praemium lucratur integrum.

§. 2145. Qua vero denuntiatione tempeſtiue facta, aſſecuranti intra terminum §. 2137. praeſcriptum competit electio, vtrum aſſecuratione ſtare, an ab ea prorſus malit recedere.

§. 2146. Poſterius ſi eligit, riſtorno locus eſt.

§. 2147. Idem obtinet, ſi aſſecuratus merces ex conuentione vna naui transmittendas pluribus nauibus imponi iubet, et aſſecurantem, antequam naues vela dant ventis, de eo certiorem facit.

§. 2148. Qua indicatione vero omiſſa, aſſecurator eam tantum mercium partem praeſtat, quae naui in aſſecurationis inſtrumento denominata transuehitur, atque praemium lucratur integrum.

Source : BIU Cujas

§. 2149. Si assecuratus merces naui iam traditas (*an Bord gebrachte*) necessitate nulla vrgente retrahendas aut alii naui imponendas curauit; assecurator neque expensas praestat, neque damna mercibus ea occasione illata.

§. 2150. Si in assecurationibus vecturarum (*Frachtgeldern*) assecuratus merces pro vecturae parte reddidit imponentibus; ab assecuratore deminutionis restitutionem petere nequit.

§. 2151. Si de mercibus redditis in ius vocatur; intra terminum §. 2137. determinatum cum assecuratore de lite persequenda deliberet, et eius voluntati morem gerat necesse est.

§. 2152. Si quis vitam suam assecurandam curauit; assecuratio cessat, si absque assecurantis consensu extra Europam, aut in bellum proficiscitur, aut vitam suam mari committit, aut aliud vitae genus vitae suae periculosum eligit; nisi assecuratio in hos casus expresse sit inita.

§. 2153. At vero, si assecuratus tempestiue adhuc assecurantem de eiusmodi proposito certiorem reddit, intuitu temporis nondum peracti locum habet ristorno.

§. 2154. Si quis tertii vitam assecurandam curauit; eiusmodi casus in et per se contractum non dissoluunt, si accidunt non concurrente assecurato.

§. 2155. Eadem principia obtinent in libertatis assecuratione.

§. 2156. De assecurationibus incendii causa initis, assecurans nullum praestat damnum, ab assecurato ipso, vxore eius, liberis aut nepotibus datum.

§. 2157. Si rei assecuratae pars infertur in alium custodiae locum, quam in assecurationis instrumento determinatum; assecurantis periculum eatenus cessat, et nihilo minus praemium lucratur integrum.

§. 2158. Si vero assecurati domicilium mutatur, aut rerum assecuratarum omnium custodiae locus,



Source : BIU Cujas

in affecurationis inſtrumento determinatus; iſta mutatio ſub iuris iactura affecuranti, quam primum poteſt fieri, eſt indicanda.

§. 2159. Tunc affecuratori intra terminum §. 2137. definitum competit electio, vtrum ſeruare velit contractum, an ab eo recedere, et temporis nondum elapſi proportione concedere riſtorno.

§. 2160. Si affecurato auctore periculoſa fit vicinia; affecurans non tenetur de damno inde oriundo.

§. 2161. Idem locum habet, ſi vicinia periculoſa non quidem affecurato concurrente eſt exorta, hic vero non communicauit cum affecurante nuntium acceptum, intra terminum §. 2137. determinatum.

§. 2162. Denuntiatione rite facta valet praeceptum §. 2159.

§. 2163. Mutatio in perſona domini rei affecuratae in affecuratione nihil mutat, niſi cum ea ſimul coniuncta eſt loci, curae, cuſtodiendi modi, aut viciniae mutatio.

c) Si damnum eſt exortum.

§. 2164. Simulac affecuratus rem affecuratam damnum feciſſe, aut laeſam eſſe cognouit; ſub iuris ſui iactura affecurantem intra terminum, §. 2137. determinatum, de eo debet certiorem reddere; atque cum eo, de vlterius disponendis deliberare, et ad eius diſpoſitionem procedere.

§. 2165. Per tempus interiectum tentet et agat omnia, quae facere poſſunt ad damnum auertendum aut deminuendum.

§. 2166. At ius tamen ei competit petendi, vt eum in finem ab affecurante ipſi ſuppeditetur iuſta pecuniae ſumma.

§. 2167. Nauibus aut mercibus captis aut arreſto detentis, affecuratum oportet earum liberationem vrgere, et confiſcationis proceſſu de iis exorto, lite pendente, vsque ad cauſae deciſionem de cuſtodia mercium tuta curare.

Source : BIU Cujas

§. 2168. Si in bonis captis, et damnum aut detrimentum passis sunt merces corruptibiles; publicam earum venditionem eum oportet efficere.

§. 2169. In casu quouis, si damni reparationem poscit, eum probare oportet, res assecuratas damnore vera fuisse expositas; earum aliquas esse laesas aut amissas, et quae earum laesae sint aut amissae; et quantum sit damnum iis datum, expensis simul comprehensis.

§. 2170. Non nisi pretii probatio assecurato remittitur, si pretium in assecurationis instrumento iam est constitutum; at assecuranti tamen permittitur probatio, hanc taxam plus decem centesimis superare pretium plenum, secundum §. 1984. determinandum.

II. Assecurantis obligationes.

§. 2171. Praecipua assecurantis obligatio consistit in reparatione damni, rei assecuratae in periculo suscepto illati.

Periculi tempus.

§. 2172. Si periculi tempus in assecurationis instrumento diebus, mensibus aut annis est determinatum, secundum calendarium est computandum.

§. 2173. Dies computantur a media nocte ad mediam noctem vsque, loco assecurationis, solis ortus aut occasus temporis nulla ratione habita.

§. 2174. Duratio eiusmodi assecurationis temporis determinati nullis interrumpi potest casibus incidentibus, cuiuscunque sint generis.

§. 2175. Si in assecurationibus nauticis de re ad certum tempus assecurata nullus plane nuntius affertur; assumitur, casum ei accidisse aduersum currente assecurationis tempore.

§. 2176. Si assecuratione eo modo inita, vt periculum a die quodam determinato capiat initium, nauis ante istum diem iam vela soluit, et postea plane nihil de ea est auditum; assecuratum probare oportet, nauem demum post hunc diem infortunio periisse.



Source : BIU Cujas

§. 2177. Si nauis, assecuratione eo modo celebrata, vt ea demum incipiat a loco in nauis itinere sito, ad appellendum aut ingrediendum determinato, locum istum praeternauigauit; assecurans damnum non praestat.

§. 2178. At vero, si locus non ad appellendum aut ingrediendum fuit determinatus, sed tantum indicatus tanquam nauis itineris punctum, a quo assecuratio valere debeat; assecurans damnum praestat, simulac nauis hunc locum praeternauigauit.

§. 2179. Si de periculi initio in instrumento assecurationis nihil est determinatum; in assecuratione nauis ipsius (*Casco*) assecurator ex eo temporis momento obligatur, quo nauium magister onus vel saburram (*Ballast*) incipit recipere.

§. 2180. Assecuratione nauis abeuntis tantum inita assecurantis periculum durat, donec nauis ad locum destinatum appulit, et exoneratio in loco destinato est finita.

§. 2181. Si vero naui de nouo onus imponitur; periculum finitur, simulac oneratio noua incipit.

§. 2182. Si assecurator nauis (*Casco*) abeuntis et redeuntis periculum in se susceptit, periculum per illud tempus durat, per quod nauis rediens onera reuehenda expectat, vsque ad exonerationem nauis redeuntis factam.

§. 2183. Si assecuratio de naui ipsa (*Casco*) contracta ad reditum tantum pertinet; periculum initium capit, simulac magister nauis onus reuehendum recipit, licet onus transuectum nondum fuerit plene exportatum.

§. 2184. In mercibus et bonis assecuratis periculum incipit, simulac quilibet fasciculus, vas aut cista naui est traditus, aut nauigiis minoribus eum in finem impositus, vt ad nauim transferatur.

Source : BIU Cujas

§. 2185. Periculum cessat, simulac oneris volumen quodlibet immediate e naui, aut ex nauigiis ad exonerandum adhibitis, loco destinato est expositum.

§. 2186. Assecurans itaque tenetur, si merces in domos, vbi obseruandi sunt dies quadraginta, inferendae in iis damnum capiunt.

§. 2187. At vero, si domus istae sic in terra loci destinati firma sitae sunt, vt vlterior transportatio mari nulla requiratur; ille, qui solum periculum nauticum suscepit, nullum praestat damnum, mercibus in istis domibus datum.

§. 2188. Assecurans quoque tenetur, si in onerandа aut exoneranda naui, instrumenta mechanica (*Hebezeug*) et funis, quibus ad tollendum onus vtuntur (*Windetakel*) frangitur, et inde damnum datur rebus assecuratis.

§. 2189. Exoneratio, quantum fieri potest, est acceleranda, neque sine impedimentis grauibus eius absolutio vltra dies quindecim post aduentum protrahenda.

§. 2190. Quin etiam, si grauia adsunt impedimenta, assecurans vltra dies viginti et vnum post aduentum non tenetur.

§. 2191. Eadem principia (§. 2184. seqq.) locum habent in assecurationibus vecturarum.

§. 2192. At si solius nauis (*Casco*) periculum est susceptum, at non expresse determinatum, periculum susceptum ad abitum tantum esse restrictum; assecuratio ad abitum et reditum extenditur.

§. 2193. Si non nisi mercium susceptum est periculum, eiusmodi determinatione non adiecta; assecuratio de vno tantum itinere intelligitur.

§. 2194. Idem quoque valet de vecturarum assecurationibus.

§. 2195. Si nauis (*Casco*) et mercium simul periculum absque determinatione vlteriori vlla est susce-



Source : BIU Cujas

ptum; affecuratio, intuitu nauis (*Caſco*) quoque, iter tantum vnum inuoluit.

§. 2196. Si in affecurationis inſtrumento loca deſtinata plura coniunctione copulatiua „*et*" ſunt coniuncta; affecurato eſt electio, an oneris aliquid, et quantum exponere quolibet loco velit.

§. 2197. Affecurator tunc tamdiu tenetur, donec totum onus horum locorum vno aut pluribus eſt depoſitum.

§. 2198. At vero, locis determinatis pluribus copula disiunctiua „*aut*" coniunctis, affecuratum eorum vno onus totum exponere oportet.

§. 2199. Si eorum locorum vno, neceſſitate nulla vrgente, oneris partem tantum exponit; affecurans de mercium reſiduo, et in affecurationibus de naui ipſa (*Caſco*) contractis, damna poſtea emergentia vlterius non praeſtat.

§. 2200. Si tempore affecurationis inſtrumenti ſubſignati nauis aut merces affecuratae iam perpeſſae fuerunt calamitatem aut damnum, cuius affecuratus habuit notitiam; locus eſt praeceptis §. 2026-2028.

§. 2201. De eo: an affecuratus eiusmodi notitiam habuerit, affecurans ab eo indicationem iuratam poteſt exigere.

§. 2202. Licet erui nequeat, affecuratum iam habuiſſe notitiam; at eum tamen habere eam iam potuiſſe; affecurans ad eiusmodi damnum refarciendum non eſt obligatus, ſed locum habet riſorno.

§. 2203. Vtrum affecuratus caſum aduerſum, qui ante ſubſignationem affecurationis inſtrumenti accidit, ſcire potuerit, ex temporis ſpatio diiudicandum eſt, intra quod nuntium a loco, quo caſus accidit, vsque ad locum, quo affecuratio eſt inita, poteſt afferri.

§. 2204. Hic ſoliti curſus publici (poſtarum curſus), habetur ratio; at in caſu dubio horae duae in milliare germanicum computantur.

Source : BIU Cujas

§. 2205. Si nuntium in totum aut ex parte mari afferri debet; eatenus tempus illud est computandum, intra quod nauis traiecticia (*Paketboot*) iter conficere solet.

§. 2206. Si casus aduersus in mari ipso (*auf offener See*) accidit; pro distantia ab emporio proximo, ex quo nuntium afferri potuit, aequum computatur tempus, horae scilicet duae in milliare.

§. 2207. Si secundum principia antecedentia erui nequit, assecuratum ante subsignationem assecurationis instrumenti, casus aduersi, qui accidit, notitiam habere potuisse; assecuratio vim obligandi habet.

§. 2208. Si tamen nauis aut bona assecurata tempore subsignationis iam vltra solitum tempus emanserant; assecurans casus, qui antea acciderunt, tunc tantum praestat, si assecuratus circumstantias, de quibus ipsi constitit, omnes bona fide indicauit, et contractus in omnes nuntios, bonos et aduersos, est initus.

§. 2209. Si in assecurationibus marinis et fluminalibus (*See- und Stromversicherungen*) non est determinatus singularis periculi modus, quem assecurator tantum debeat praestare; damnum sentit quodcunque, rei assecuratae casibus extrinsecis datum. Modus periculi.

§. 2210. Huc in primis pertinet tempestas, procella, naufragium, nauium collisio (*An- und Ueberfegelung*), glacies inconstans (*Trieb-Eis*), impulsio in breuia (*Strandung*), incendium, repressalia, captura hostilis, aut depraedatio a nauibus bellicis, nauibus obseruantibus, piratis et praedonibus facta, furtum et eiusmodi alia.

§. 2211. Si nauis, quae secundum assecurationis instrumentum sub praesidio comitante nauigare debuit, vento et tempestate fuit impedita, quo minus ad praesidium peruenerit, vel a praesidio separata; assecurantem ferre quoque oportet eiusmodi casus effectus.

Source : BIU Cujas

§. 2212. Si nauis aut bona assecurata, ob mercium vetitarum commercium, a tertio, assecurati vice non fungente, assecurato insçio factum, ob declarationem falsam, ingressum in portus prohibitos, aut aliam legum et ordinationum datarum violationem detenta sunt et confiscata; assecurans damnum praestat.

§. 2213. Si merces assecuratae ipsae ob legem prohibitiuam, assecurato incognitam, extra terras regias sunt confiscatae; assecurans tantum in eo casu obligatur, si lex prohibitiua durante itinere est lata.

§. 2214. At assecuratum tamen antea, si poscitur, iureiurando confirmare oportet, se neque legis prohibitiuae iam latae neque ferendae notitiam vllam habuisse.

§. 2215. Damnum omne, bonis assecuratis culpa nauis exercitorum aut tertii, assecurati vice non fungentis, assecurato non concurrente illatum, ferendum est ab assecurante, qui contra ad damni auctorem potest regredi.

§. 2216. Atque assecurator etiam praestat damnum omne, naui aut bonis assecuratis, nauis magistri, gubernatorum, aut nautarum imperitia, imprudentia, negligentia, petulantia, aut malitia illatum; quatenus assecuratus satisfactionem consequi non potest ex rei bonis, et ex naue, vna cum vecturis.

§. 2217. Huc in primis pertinet, si nauis est male instructa, atque condensata (*gedichtet*), aut si bona male in naui sunt collocata, aut mercibus madidis et fluidis super iis positis corrupta.

§. 2218. At vero, si nauis exercitor in eligendo nauis magistro latam culpam commisit, ab assecurante suo petere nequit reparationem damni, a nauis magistro dati.

§. 2219. Idem locum habet, si nauis ad merces transportandas conductor (*Befrachter*) in naui eligenda culpam commisit latam.

Source : BIU Cujas

§. 2220. Aſſecurator nauis ſolius (*Caseo*) non tenetur ad damnum reſarciendum, ſi inſtrumenta naualia durante itinere per vſum ſolitum et ordinarium franguntur, aut deteruntur et ad nihilum rediguntur.

§. 2221. Huc quoque pertinet, ſi mali aut rudentes franguntur, atque ancorarum aut velorum iactura, ſi damnum non fuerit ortum ex procella ſ. tempeſtate, aut ex caſibus extraordinariis et inſolitis aliis.

§. 2222. Sic quoque aſſecurans non praeſtat mercium et rerum damnum, ex earum natura et qualitate ipſa, ex internis earum vitiis et defectibus, et ex tegumentorum vitio (*Fuſtage oder Emballage*) ortum.

§. 2223. Si itaque vinum acefcit, oleum corrumpitur; fruges putredine aut alio modo intereunt; frumentum aut caſtaneae ob aeſtum nimis prementem corrumpuntur; aut merces infectis intrinſecus natis laeduntur: damnum aſſecuratus ſolus ſentit.

§. 2224. Idem valet de damno, murium, glirium aut alius generis infectorum arroſione corroſione et conſumtione orto.

§. 2225. At vero, ſi iter caſu praeter ſolitum eſt protractum; aſſecurans ferre quoque debet eiusmodi damnum, mercibus corruptioni facile obnoxiis ex tali mora datum.

§. 2226. Atque etiam aſſecurator non obligatur, ſi vinum, oleum, aut merces fluidae aliae effluunt, ſi damnum hoc non ſit effectus nauis concuſſionis, impulſionis in breuia, aut alius caſus aduerſi.

§. 2227. De mancipiis nigris morbo morientibus, aut ſe ipſos interficientibus, aut ſeditionem, in qua damnum ſentiunt, mouentibus; vitam eorum aſſecurator non praeſtat.

§. 2228. Absque conuentione expreſſa aſſecurator non reſarcit damnum, ex pretiis decreſcentibus exortum.

Source : BIU Cujas

§. 2229. Neque eiusmodi damnum, quod hauariae grandis ratione re vera reparatur, assecurans suscipere cogitur.

§. 2230. At contra vero obligatur, ad ea resarcienda, quae forsan deficiunt, atque ad ea contribuenda, quae de re assecurata ad hauariam grandem fuerunt conferenda.

§. 2231. Praeter hoc damnum assecurantem simul praestare oportet expensas singulares et extraordinarias omnes, quae rei assecuratae causa fuerunt erogandae, et hauaria grandi non reparantur.

§. 2232. Nauis assecuratorem mansionis sumtus oportet refundere, si nauis, absque culpa nauis exercitorum aut conductorum ad merces transportandas, potestate maiore detinetur aut impeditur, quo minus vela soluat.

§. 2233. Sic quoque intuitu mercium assecurans damnum praestat et expensas, ex mercium in aliam nauim transpositione exortas; si scilicet casus, vel magistri nauis vel eius nautarum culpa fuit mercium transpositionis causa.

§. 2234. In primis vero assecurans ad eas expensas restituendas obligatur, quae casu aduerso accidente in rei assecuratae conseruationem fuerunt erogandae.

In primis in assecurationibus ob incendii periculum initis.

§. 2235. In assecurationibus ob incendii periculum initis assecurans praestat damnum omne, absque assecurati ipsius, eius coniugis, liberorum aut nepotum culpa, rei assecuratae incendio datum.

§. 2236. Ad damnum resarciendum quoque est obligatus, si incendium culpa domesticorum et famulorum assecurati est exortum.

§. 2237. Domesticorum (*Hausgenossen*) nomine omnes ii sunt intelligendi, qui domicilium habent in aedificiis, quibus custodiuntur res assecuratae.

§. 2238. Assecurati fratres et agnati aut cognati remotiores ad domesticos referuntur.

Source : BIU Cujas

§. 2239. Ab hac obligatione aſſecurans tunc tantum liberatur, ſi eiusmodi circumſtantiae exiſtunt, quibus aſſecuratum, ſecundum praeceptum P. I. Tit. VI. §. 56 - 64., illicita quoque domeſticorum aut famulorum facta praeſtare oportet.

§. 2240. Si incendio exorto, res aſſecuratae, conſeruando et alio transportando, laeſae ſunt aut amiſſae; aſſecurantem quoque reparationem praeſtare oportet.

§. 2241. Eundem quoque praeſtare oportet expenſas, in rei aſſecuratae conſeruationem erogatas.

§. 2242. Si ſecundum principia antecedentia nauis aſſecurata, res, aut aliud obiectum aſſecuratum totum periit, quod damnum ab aſſecurante eſt praeſtandum; quantum ab eo praeſtandum ex aſſecurationis inſtrumento in ſe determinatur. Quomodo damnum eruitur.

§. 2243. Si aſſecuratio nauis et oneris eſt facta, pretio cuiusque in aſſecurationis inſtrumento ſeparatim non determinato; naue durante itinere pro inidonea declarata, ſummae promiſſae (*gezeichnete Summe*) pars tertia computatur pro naui, donec probari poteſt maius aut vilius eius pretium, ex proportione ad onus naui impoſitum.

§. 2244. Si in vecturarum aſſecurationibus vecturarum ſumma in aſſecurationis inſtrumento non eſt expreſſa; aſſecurans, ſi res tota periit, ſoluit vecturam pactam, recognitionis inſtrumentis (*Connoſſemente*) aut inſtrumento de contractu nauis oneratae confecto (*Charte-Partie*) probandam, atque expenſas, in hauariae communis contributionem conferendas, vſque ad ſummam promiſſam.

§. 2245. Si merces nauium exercitorum nomine naui ſunt impoſitae; aut ſi alias vectura nulla eſt pacta: fundamenti loco ponitur vectura, quae loco, quo nauis eſt onerata, tempore, quo nauis onus recepit, pro mercibus et itineribus ſimilibus fuit ſoluta.

Source : BIU Cujas

§. 2246. Si res assecurata laesa tantum fuit, aut ex parte tantum amissa; vera damni summa est eruenda.

§. 2247. Quam de nauibus determinat damni cognitio, ante nauem reficiendam instituenda, et impensarum refectionis taxatio inde conficienda.

§. 2248. Ad hanc cognitionem peritus nauis magister, naupegus, restiarius et vela consuens (*Repschläger und Seegelmacher*), vel ex eorum, quorum interest, conuentione sunt eligendi, vel a magistratu denominandi, et in casu vtroque sacramento adstringendi.

§. 2249. De mercibus; res laesae ab illaesis rite sunt separandae, quarum illae a taxatoribus iuratis taxatae publice sunt vendendae.

§. 2250. Si taxatores artis periti auctoritate publica constituti non existunt; adhiberi quoque possunt viri fide digni alii, ab vtraque parte eligendi.

§. 2251. Taxam oportet fieri priusquam accipiens merces recipit in detentionem.

§. 2252. Si accipiens acceptauit merces, damno antea non cognito et aestimato; assecurans ab obligatione liberatur.

§. 2253. Si accipiens mandatarius tantum fuit, hic assecurato manet obligatus.

§. 2254. Si ex taxatorum arbitrio mercium assecuratarum damnum ita est comparatum, vt ad vsum destinatum adhiberi amplius omnino nequeant; merces assecurantis nomine (*für Rechnung des Versicherers*), sine deliberatione vlteriore, statim publice plus licitanti sunt vendendae.

§. 2255. Idem debet fieri, si merces laesae in se ad merces pertinent corruptioni obnoxias.

§. 2256. Quibus duobus casibus exceptis assecuratus aut eius mandatarius (commissionarius) obligatur,

Source : BIU Cujas

tur, vt taxa confecta, de venditione antea cum aſſecuratore deliberet, et eius praeceptis obtemperet.

§. 2257. Pecunia ex eiusmodi venditione exacta cedit aſſecurato, et quidem deducenda eſt de ſatisfactione ab aſſecurante ipſi praeſtanda.

§. 2258. Naues aeſtimandae ſunt loco primo, quo ſunt appulſae, et merces loco exonerationis.

§. 2259. Aſſecurans in loco praeſens, aut eius commiſſionarius, nauis magiſtro indicatus, in aeſtimatione eſt adhibendus; praeter ea vero aſſecuranti adiungendus vir certus, qui eius iura obſeruet.

§. 2260. Aeſtimatio auctoritate iudiciali fiat neceſſe eſt.

§. 2261. At vero, ſi damni conſignatio extra terras noſtras conficitur, iam ſufficiat, ſi conſul nationis, cuius eſt aſſecurans, aut notarius et teſtes duo adhibentur.

§. 2262. Damni ipſius ratio, ſi partes vtraeque in computando diſſentiunt, conficiatur a rei peritis aut diſpartitoribus (*Dispacheurs*) iuratis, ex literis et probandi mediis, quae ipſis debent exhiberi, veris et certis cognitis. Damni computatio.

§. 2263. In nauibus laeſis ſumma eorum, quorum ſatisfactio ab aſſecurante eſt praeſtanda, apparet ex confecta refectionis impenſarum taxatione. (§. 2247.)

§. 2264. Pretio nauis anteriore in aſſecurationis inſtrumento determinato, et non toto aſſecurato, damnum tantum reparatur proportione ſummae ab aſſecurante promiſſae.

§. 2265. In mercibus damno affectis ſumma reſarcienda apparet ex comparatione pecuniae exactae et pretii forenſis, quo loco deſtinato venales fuerunt.



Source : BIU Cujas

§. 2266. At vero, si merces damnum passae venduntur in portu, quem nauis necessitate vrgente est ingressa (*Nothhafen*); emtionis pretium est eruendum.

§. 2267. Emtionis pretium eruitur ex fundamento facturae et rationum emtionis pretium continentium (*Faktur und Einkaufs-Rechnung*), adiectis onerationis impensis, vectura, contributione in hauariam communem conferenda, assecurationis praemio, et impensis aliis, quas merces more solito exigunt, vsque donec loco destinato venduntur.

§. 2268. Si summa promissa minor est mercium pretio, secundum principia antecedentia eruendo; damnum inter vtramque partem distribuendum est proportione quanti assecurationis ad pretium cognitum.

§. 2269. Si mercium eiusdem generis periculo a pluribus susceptо, erui nequit, quis laesarum periculum in se susceperit; assecurantes omnes damnum sentiunt modo antecedente, pro rata summarum promissarum.

§. 2270. Si res assecurata infortunii exorti tempore laesa iam fuit eiusmodi casibus, quorum periculum assecurans non suscepit; huius damni summa deducitur pro arbitrio rei peritorum, iureiurando adstrictorum.

§. 2271. In vecturarum assecurationibus, si pars tantum interiit (*Partialschade*), taxae in assecurationis instrumento (*Police*) scriptae non habetur ratio, sed assecuratum probare oportet instrumentis recognitionis (*Connossemente*) et nauis oneratae contractus (*Charte-Partie*) vecturam pactam, et hauariam communem.

§. 2272. Quae accipit his pauciora, proportione summae vecturae pactae cognitae et hauariae com-

Source : BIU Cujas

munis computantur centesimis (*procentweise*), quas assecurator de summa promissa soluit.

§. 2273. Si vero summa promissa vecturam pactam et hauariam communem superat, assecurans eam tantum differentiam praestat.

§. 2274. Si damnum in assecurationibus mercium, corruptioni in se obnoxiarum, decem tantum constituit summae promissae centesimas; in mercium autem, corruptioni non obnoxiarum, atque in nauis (*Casco*) assecurationibus ad summae assecuratae centesimas tres nondum accedit: assecuratus reparationem petere nequit.

§. 2275. Damno culpa et negligentia nauis magistri, gubernatorum aut nautarum exorto, assecuratus omnem operam det necesse est, vt assecuratoris sumtibus damnum ipsi resarciatur ex rei bonis, ex naui aut eius vecturis (*Frachtgeldern*).

§. 2276. Quatenus eo modo ipsi satisfieri in totum aut ex parte nequit, eatenus tantum satisfactionem ab assecuratore petendi ius ei competit.

§. 2277. At assecuranti tamen licet, litem contra reum ipsum instituere, ad quam instituendam neque mandato opus est, neque cessione; tunc vero assecurato petenti satisfactionis summam statim eum oportet soluere.

§. 2278. Si praeter nauis magistrum aut nautas tertius, assecurati vice non fungens, damni causa fuit; assecuratus obligatur, ad actionem contra eum statim instituendam, eamque assecurantis sumtibus rite persequendam, vsque donec assecurans, secundum publici cursus ordinem ipse disponere possit, quae sunt necessaria.

§. 2279. De monetae genere, quo solutio ab assecurante est praestanda, valent praecepta partis primae Tit. XVI. §. 74. sqq. De satisfactionis summae solutione.



Source : BIU Cujas

§. 2280. Soluendum eſt ei, cuius nomen aſſecurationis inſtrumentum continet, aut cui ab hoc eſt ceſſum.

§. 2281. Aſſecuratione ſecundum §. 2071. ſub clauſula: exhibitori (*an Zeigern dieſes*), aut nomine eius, cuius intereſt, (*für Rechnung des, den es angeht*) inita, aſſecurans quidem detentori cuique ſecure poteſt ſoluere; at ab eo tamen dependet, an praecepto §. 2072. velit vti.

§. 2282. De ſoluenda ſatisfactionis ſumma aſſecurans partes centeſimas duas (2 p. C.) poteſt deducere, niſi huic iuri expreſſe renuntiauerit.

§. 2283. Et ſi res aſſecurata tota, et ſi pars eius interiit, damni reparatio intra duos menſes inde a notificationis et inſinuationis die eſt praeſtanda; ſi intra hoc tempus effici poteſt probatio neceſſaria.

§. 2284. Si probatio neceſſaria ſerius efficitur, ſoluendum eſt intra dies octo inde a die dispartitionis (*Dispache*) factae.

§. 2285. Inde a ſolutionis tempore, ita determinando, aut, ſi reparatio praeſtanda lite (proceſſu) demum definitur, inde a die actionis inſinuatae, aſſecuratus petere quoque poteſt morae vſuras, in Part. I. Tit. XI. §. 827. ſqq. determinatas.

§. 2286. Per tempus interiectum cautionis praeſtationem exigere poteſt in iis caſibus, quibus legitimae arreſtum imponendi rationes adſunt.

§. 2287. In aſſecurationibus, de hominis libertate initis, aſſecuratorem ſummam promiſſam ſoluere oportet intra dies octo ab eo die, quo ei certum eſt allatum nuntium, aſſecuratum eſſe captum, aut plena probatione deficiente ipſi eſt praeſtita cautio idonea, vſque donec facta eſt plena probatio.

Source : BIU Cujas

§. 2288. Praecepto §. 2282., de deducendis centesimis in eo casu locus non est.

§. 2289. Si assecuratus sine redemtionis pretio libertatem est consecutus; assecurans inde non ab obligatione sua liberatur, neque condicere potest summam iam solutam.

§. 2290. At contra, locum habet condictio, assecurato ante redemtionem mortuo; at tunc tamen defuncti viduae et liberis relinquenda est summae promissae pars quarta.

§. 2291. Si de hominis libertate, in assecurationis instrumento, summa determinata nulla est promissa s. signata: assecurantem praestare oportet expensas in redemtionem captiui tentatam erogatas omnes.

§. 2292. At vero, si partes conuenire inter se nequeant, petente assecurante, tertius a magistratu est constituendus, qui redemtionis negotium expediat, nomine (*auf Rechnung*) assecurantis, a quo suppeditanda est pecunia.

§. 2293. Si hominis vita est assecurata; summa promissa soluenda est intra duos menses a die, quo nuntium, de eius morte certum allatum, assecuranti est insinuatum.

§. 2294. Si temporis spatium, per quod assecuratio debet subsistere, est peractum, nullo de vita aut morte assecurati allato nuntio; assecurans non tenetur ad aliquid praestandum, vsque donec probatur, eum intra assecurationis tempus esse mortuum.

§. 2295. Si assecuratione expresse de imminente periculo celebrata, persona assecurata huic periculo actu fuit exposita; detentorem assecurationis instrumenti expectare oportet terminum legalem, quo elapso absens, de cuius vita et morte nihil innotuit (*Verschollener*), mortuus. potest declarari.



Source : BIU Cujas

§. 2296. Declarationem pro mortuo detentorem ſuis ſumtibus oportet quaerere; qua autem ſecuta ſummam promiſſam poteſt exigere.

§. 2297. Temporis interuallo poteſt petere, vt ei pendantur vſurae legitimae vſitatae (*landübliche*) ſummae promiſſae, inde ab elapſo tempore, aſſecurationis durationi praefixo.

§. 2298. Si deinde probatur, aſſecuratum eſſe mortuum intra temporis ſpatium, aſſecurationis durationi praefixum: nihilo minus ſoluenda eſt ſumma promiſſa integra; at ea probatione non facta, vſurae perceptae de ſumma promiſſa deducuntur.

§. 2299. Si deinde abſens, qui mortuus eſt declaratus, redit, aut ſi modo alio poteſt probari, eum annis aſſecurationis elapſis adhuc vixiſſe; accipientem ſummam promiſſam, at ſine vſuris, oportet reſtituere.

De derelictione (*Abandonniren*)

§. 2300. Ab obligationibus antecedentibus ex aſſecurationis pacto fluentibus, pars neutra neque in totum neque ex parte vnilateraliter ſe poteſt liberare.

1) aſſecurantis;

§. 2301. At aſſecurans tamen liberare ſe poteſt ab expenſis ad conſeruandam aut redimendam rem aſſecuratam neceſſariis, ſi caſu aduerſo exorto ſe offert ad ſummam promiſſam ſoluendam integram.

§. 2302. At de eo tamen in ſcriptis ſe declaret neceſſe eſt intra terminum P. I. Tit. V. §. 95. praeſcriptum, inde ab eo tempore computandum, quo ipſi caſus aduerſus, qui accidit, cum praecipuis circumſtantiis plene eſt nuntiatus.

§. 2303. Qui ſi voluntatem ſuam declarare moratur; praeter aſſecurationis quantum ſoluere eum adhuc oportet expenſas, vsque ad temporis momentum declarationis factae iam erogatas omnes.

Source : BIU Cujas

§. 2304. Aſſecuratus obligationi ſuae, in rem aſſecuratam conſeruandam vlterius omnem conferendi diligentiam et operam, in eo tantum caſu ſe poteſt ſubtrahere, ſi in aſſecurationibus nauticis quam maxime probaliter poteſt coniici rei totius interitus, atque id argumentis rite productis eſt probatum. 2) aſſecurati.

§. 2305. Quod locum in primis habet, ſi nauis itineris tempore ſolito peracto non redit, et de ea nullus affertur nuntius; quod petente aſſecurante, ab aſſecurato iureiurando eſt confirmandum.

§. 2306. Atque ſi nauis, licet vitium in fabricandi aut inſtruendi modo commiſſum nullum cauſa ſit, in itinere fit inidonea, et vel plane non poteſt refici, vel non ſine expenſis immodicis.

§. 2307. Expenſae habentur immodicae, ſi excedunt pretium, naui poſt eius refectionem conſtituendum, deducto ante nauis inidoneae (*Wracks*) pretio.

§. 2308. Atque nauis etiam ab aſſecurato poteſt derelinqui (*abandonnirt werden*), ſi nauis et bona ſunt capta, retenta aut arreſto detenta, eorumque liberatio aut relaxatio incerta eſt et intricata.

§. 2309. In caſibus omnibus §. 2304. aſſecuratus aſſecuranti ſignificare poteſt, ſe ei rem cedere aſſecuratam, et pro ea ſummam promiſſam ab eo exigere.

§. 2310. Duobus menſibus, a ſignificationis inſinuatae die peractis, aſſecurantem documentis neceſſariis ei traditis, oportet ſoluere.

§. 2311. Si aſſecuratus nauem et res vult derelinquere, quia peracto tempore ſolito non rediit; ſignificatio poteſt fieri, ſi deſtinatus fuit maris Baltici et ſeptentrionalis portus, ex quo educi, et in quem ingredi nauis debuit, ſimulac tres menſes praeter tempus ſolitum ſunt praeterlapſi.



Source : BIU Cujas

§. 2312. At vero, si portus alius, at Europaeus tamen, fuit destinatus, ex quo deduci, aut in quem ingredi debuit nauis; expectandum est per sex mensium spatium.

§. 2313. Duobus mensibus post significationem factam peractis, assecurantem summam promissam, oportet soluere; de qua tamen centesimas octo potest deducere.

§. 2314. Si assecurans eam solutionem praestare recusat; assecuratum expectare oportet per annum vnum et menses duos inde a tempore, quo nauis vela dedit ventis.

§. 2315. Quo tempore autem elapso assecurantem soluere oportet summam promissam integram, non deductis duabus centesimis, alias deducendis.

§. 2316. Si nauis extra Europae fines destinata, quia vltra tempus solitum emansit, debeat derelinqui; assecurato, si naues circulum aequinoctialem non transeunt, per annum et sex menses inde a nauigationis tempore est expectandum.

§. 2317. At vero, si nauis circulum aequinoctialem transire debuit; per annorum trium temporis spatium est expectandum.

§. 2318. Si terminis his praeterlapsis, nullus allatus est nuntius; assecurans intra dies octo, duabus centesimis non deductis, soluat necesse est.

§. 2319. Nauis aut bona detenta, ablata, aut capta, quorum liberatio incerta et intricata videtur, sex mensibus post derelinqui possunt inde a tempore, quo de arresti impositione facta assecurans certior est redditus.

§. 2320. Naue extra Europae fines capta (*aufgebracht*) assecuratum expectare oportet vsque ad annum vnum elapsum.

Source : BIU Cujas

§. 2321. At vero, si assecuratus potest probare, eiusmodi nauim vi sententiae legitimae esse commissam, aut pro naui iure intercepta (*gute Prise*) declaratam; ei statim licet eam derelinquere, et ab assecurante solutionem secundum §. 2310. exigere.

§. 2322. Indicatio (insinuatio) derelictionis iudicialiter, aut per notarium, aut proxenetam iuratum fiat necesse est.

§. 2323. Et quidem, conditione nulla adiecta; neque reuocari potest facta derelictio.

§. 2324. Derelinquenda quoque est res assecurata integra, licet integrum eius pretium non fuerit assecuratum.

§. 2325. In assecurationibus de naui ipsa (*Casco*) initis nauium exercitores vecturam quoque simul oportet derelinquere; at excipiendum est, si nauis assecurata est non comprehensis expensis in eam instruendam erogatis (§. 1986.).

§. 2326. Si durante itinere mercium assecuratarum pars e naui est exposita; assecuratus petere tantum potest summam promissam proportione pretii mercium non expositarum.

§. 2327. Facta derelictione prorsus ab assecurante dependet, quam operam et quas expensas in rem conseruandam aut liberandam velit impendere.

§. 2328. Assecuratus tamen est obligatus, vt ei in re conseruanda aut liberanda ferat auxilium, quatenus absque sumtibus et sine singulari opera aut molestia potest fieri.

§. 2329. Quidquid conseruatur, assecuranti prodest, licet res derelicta ad integrum pretium vsque non fuerit assecurata.



Source : BIU Cujas

§. 2330. In omnibus reliquis assecurationum generibus derelictioni locus non est.

§. 2331. At vero, si in assecurationibus de incendii periculo initis assecurans soluit summam promissam; eius sunt omnia, quae ex rebus assecuratis conseruantur aut inueniuntur.

§. 2332. Assecuratus obligatur, vt omnia, quae ad eum peruenerunt, nuntia cum assecuratore communicet, et si poscatur, iureiurando se purget.

De Riſtorno.

§. 2333. Si assecurationis contractus absque assecurati culpa dissoluitur, atque adeo assecurans in periculum non est adductus; hunc praemium iam acceptum oportet restituere.

§. 2334. At deducere tamen et retinere potest sortis assecuratae partem ducentesimam ($\frac{1}{2}$ p. C.).

§. 2335. Si praemium ipsum partes centesimas duas non excedit; quarta tantum praemii pars potest deduci.

§. 2336. Ristorno tunc locum habet, si assecurationes plures vltra plenum rei pretium absque assecurati culpa sunt contractae, quarum adeo vna rursus est tollenda (§. 2007. 2008.).

§. 2337. Atque si assecuratus negotium tentatum, de quo assecuratio inita est, ex causis grauibus prorsus non perficit.

§. 2338. Atque, si ob casus, et impedimenta obuenientia alia, negotium prorsus non tentatur.

§. 2339. At vero, si nauis ad portum, vnde exiit, vento aduerso repulsa, aut ex causis aliis redire cogitur, et iter prorsus omittere; assecurans praeter partem ducentesimam ($\frac{1}{2}$ p. C.) aequam deductionem adhuc potest facere.

Source : BIU Cujas

§. 2340. Quae deductio proportione periculi, quod iam fubiit, determinanda eſt, ſi opus videatur, arbitrorum ſententia.

§. 2341. Iter prorſus omiſſum habetur, ſi ad nauem reficiendam, nauis plane exoneranda eſt.

§. 2342. At vero ſi ab affecurante ex contractu refarcitur damnum vllum; riſtorno locus non eſt, et affecuratio eſt finita.

§. 2343. Si nauis aut res ad loca plura ſimul eſt affecurata, et loci cuiusque cauſa praemium ſingulare determinatum; locum habet riſtorno reſpectu praemiorum eorum, quae erant determinata intuitu locorum, ad quae nauis non eſt appulſa, aut bona non ſunt transportata.

§. 2344. Intuitu praemii partis locum habet riſtorno in caſibus §. 2141. 2146. 2153. 2159. determinatis.

§. 2345. In lucri ſperati affecurationibus riſtorno tum tantum admittitur, ſi negotium tentatum, de quo affecuratio eſt contracta, absque affecurantis culpa plane locum non habet.

§. 2346. Affecuratum, cui nequit ſatisfieri, iudicis auxilium implorare oportet. Praeſcriptio.

§. 2347. Actio intra ſex menſes eſt inſtituenda, ſi damnum in mari Baltico, aut ſeptentrionali, aut in portu horum littorum accidit.

§. 2348. At vero, ſi damnum in mari mediterraneo et eius portibus, in Oriente, (*Levante*), Archipelago, aut Barbariae littoribus accidit; actio intra annum eſt inſtituenda.

§. 2349. De damno, quod in terrae partibus aliis remotioribus accidit, biennium conceditur.

Source : BIU Cujas

§. 2350. Qui termini, si res tota periit, ab eo temporis momento currunt, quo assecurato de praecipuis circumstantiis omnibus certus allatus est nuntius.

§. 2351. Iusta derelictione facta praescriptio currit a die eius indicationis, nulla nuntii postea forsan allati ratione habita.

§. 2352. At contra, in casibus reliquis omnibus praescriptio ab eo tempore currere incipit, quo de damno tam liquide constitit, vt actio potuerit instituí.

§. 2353. Quibus terminis praeterlapsis, si assecuratus eiusmodi circumstantias docere nullas potest, quae secundum praeceptum P. I. Tit IX §. 512.—534. praescriptionis initium impediunt, aut restitutionem in integrum fundant, ius eius agendi prorsus est extinctum.

§. 2354. Praescriptio interrumpi tantum potest, si actio instituitur iudicialis, aut si assecurans in literis ad damnum resarciendum se obtulit.

§. 2355. Si de satisfactione transegerunt partes, tempus in tranfactionem impensum vsque ad illud temporis momentum, quo ob assecurantis recusationem transactio est abrupta, praescriptionis tempori non imputatur.

§. 2356. Praescriptione semel interrupta ius agendi per annos triginta durat.

§. 2357. De praemio residuo actio intra solitos praescriptionis terminos tantum extinguitur.

§. 2358. De exigenda praemii restitutione (ristorno) idem iuris est.

Source : BIU Cujas

## Sectio Decima Quarta.

### *De bodmeria (Bodmerey).*

§. 2359. Bodmeria eſt mutui contractus, quo creditor pro oppignoratione nauis aut eius oneris, aut vtriusque ſimul in ſe ſuſcipit periculum maritimum. Quid ſit bodmeria.

§. 2360. Pro quo periculo ſuſcipiendo ſibi transſcribendum curare poteſt fenus, vſurarum modum licitum excedens.

§. 2361. Determinatio huius fenoris prorſus ab vtriusque partis conuentione dependet.

§. 2362. Mutuum in nauim aut eius onus contractum, quo creditor periculum marinum non ſuſcipit, bodmeriae iura praerogatiua non habet.

§. 2363. Si in eiusmodi conuentione vſurae ſtipulatae ſunt, vſuris in contractus initi loco inter mercatores licitis maiores; contractus eſt habendus feneraticius.

§. 2364. Qui ſecundum §. 1939-1942. aſſecurantis partes ſuſcipere prohibentur, iisdem ſub poena eadem non licet, pecuniam aut res, in locum pecuniae ſuccedentes, bodmeriae lege credere. Quis poſſit contrahere bodmeriam.

§. 2365. Cuius facultas mutuum contrahendi eſt reſtricta, bodmeriam contrahere nequit. (Part. I. Tit. XI. §. 675. ſqq.)

§. 2366. Nauium exercitorum ſingulus quisque, partem, quam in naui habet (*Schiffspart*), bodmeria poteſt obligare (*verbodmen*).

§. 2367. Tota quoque nauis ab omnibus exercitoribus ſimul, aut eorum inſtitore communi bodmeria poteſt obligari.

Source : BIU Cujas

§. 2368. Eam partem, quam nauis exercitorum vnus in naui habet, reliqui, aut eorum disponens, vel domino inuito, bodmeria possunt obligare, si ille ea, quae ad nauim instruendam aut reficiendam ab ipso conferenda sunt, conferre recusat, aut iniuste moratur.

§. 2369. Bodmeriae in vecturam solam locus non est.

§. 2370. Neque de nautarum mercede potest bodmeria contrahi.

§. 2371. In vtroque casu pactum est inualidum; et mutuum datum in pauperum nauticorum fauorem commissum.

§. 2372. Nauis ad merces transportandas conductor (*Befrachter*) singulus quisque partem oneris naui impositi bodmeria potest obligare.

§. 2373. Idem ius quoque competit nauis magistro et nautis ratione mercium, legibus approbantibus, aut nauis exercitoribus consentientibus, nomine proprio naui impositarum.

§. 2374. Nauis exercitori aut conductori ad merces transportandas nulli bodmeriam inire licet vltra nauis aut oneris valorem, contractus initi loco et tempore communem (P. I. Tit. XI. §. 111. sqq.).

§. 2375. Quod si nihilo minus fecerit, tanquam fraudator puniatur, et quae accepit plura, vna cum vsuris centesimis sex, tunc quoque praestet, si res bodmeria obligata casu aduerso perit.

§. 2376. Sub eadem poena neque nauis exercitori, neque conductori ad merces transportandas bodmeriam licet contrahere de rebus, ad valorem communem vsque iam assecuratis.

§. 2377. Quod si nihilo minus factum sit; bodmeriae creditori (*Bodmereygeber*) fors scripta integra,

Source : BIU Cujas

ſine deductione, eſt ſoluenda, licet pereat res bodmeria obligata.

§. 2378. At ſi nauis, aut nauis oneris pars tantum eſt aſſecurata; pars nondum obligata vsque ad communem eius valorem, ſeparatim adhuc bodmeria poteſt obligari.

§. 2379. Nauis magiſter tantum in portu, in quem neceſſitate vrgente eſt ingreſſus, bodmeriam poteſt contrahere.

§. 2380. Sed tunc et nauem ſolam, et nauim atque onus ſimul, non vero onus ſolum bodmeria poteſt obligare.

§. 2381. Quo in caſu nihil mutatur, licet nauis eiusque onus ad valorem communem plenum ſit aſſecuratum.

§. 2382. Et nihil quoque intereſt, licet nauclerus nauium exercitorum ſit ſocius (*Theil an der Rhederey nimmt*).

§. 2383. Eo loco, ex quo enauigat, et loco deſtinato nauclero non competit ius, absque ſpeciali nauis exercitorum aut conductorum ad merces transportandas mandato bodmeriam ineundi.

§. 2384. Neque bodmeriam contrahat in eiusmodi portu intermedio, vbi ad nauis exercitorum aut conductorum ad merces transportandas mandatarios eſt aſſignatus, his inſciis et non conſentientibus.

§. 2385. Quid a nauis magiſtro obſeruandum ſit, ſi bodmeriam contrahit in portu, quem neceſſitate vrgente eſt ingreſſus, ſupra eſt praeceptum (§. 1499. ſeqq.).

§. 2386. Si eiusmodi bodmeria in portibus noſtris contrahitur; creditor ſub iurium praerogatiuorum ex bodmeriae contractu fluentium iactura attendat

Source : BIU Cujas

neceſſe eſt, vt nauis magiſter hoc praeceptum accurate obſeruet.

§. 2387. At contra, in bodmeriae contractibus, in portibus exteris celebratis, loci leges ſunt pro regula habendae.

§. 2388. Qui cum nauclero ſciens in alium vſum, quam in nauis aut bonorum impoſitorum vtilitatem bodmeriam contrahit, is tantum nauclerum ſolum poteſt conuenire, et ex eius parte, quam in naui habet, aut ex bonis eius aliis petere ſatisfactionem.

§. 2389. Bodmeriae creditor (*Bodmereygeber*), qui cum nauis magiſtro in detrimentum nauis exercitorum et conductorum conſpirauit, his tenetur de damno ex bodmeria orto omni, tanquam debitor principalis; et tanquam fraudator puniatur.

Forma contractus bodmeriae.

§. 2390. Bodmeriae contractus in terris regiis ſub poena nullitatis in ſcriptis celebrentur.

§. 2391. At vero, bodmeria a ſenſali contracta, diarii extractus ab eo exhibendus explere poteſt vicem contractus in ſcripturam redacti.

§. 2392. Conuentiones non ſcriptae ſolae de bodmeria ſunt inualidae, licet intentione, bodmeriae contractum ineundi, charta blanca vacua data fuerit nomine ſubſignato. (P. I. Tit. V. §. 155. ſqq. Tit. XI. §. 727.)

§. 2393. Bodmeriae inſtrumentum (*Bodmereybrief*) in primis in ſe contineat neceſſe eſt creditoris et debitoris nomina; nauis eiusque magiſtri denominationem; ſummam ſoluendam; periculum marinum a creditore ſuſceptum; et deſtinationem rei, bodmeria obligatae.

§. 2394. Pro bodmeriae inſtrumento non eſt habendum chirographum, in quo tantum generaliter

Source : BIU Cujas

liter exprimitur, valutam aut valorem bodmeriae contractu esse sumtum.

§. 2395. De monetae genere locum habent ea, quae §. 759. sqq. de cambiis sunt praescripta.

§. 2396. De nominis subscriptione valent quoque omnia, quae §. 776. sqq. de cambiis sunt praecepta.

§. 2397. Si de periculo maritimo a creditore susceptо in bodmeriae instrumento conuentiones singulares non continentur; hic casus sentit omnes, quos secundum §. 2171. sqq. in assecuratione nautica praestare oportet assecurantem.

§. 2398. Solutionis tempore non determinato, statuitur, satisfactionem intra octo dies post nauem appulsam esse praestandam.

§. 2399. Si bodmeria non expresse de nauis abitu tantum, vel reditu, vel de vtroque simul est contracta; mercibus bodmeria obligatis, solutio fiat necesse est loco destinato, in instrumento contractus locationis conductionis nauis (*Charte-Partie*) aut recognitionis (*Connoissement*) expresso.

§. 2400. Si in eo casu nauis sola bodmeria est obligata; contractus ad abitum et reditum extenditur.

§. 2401. At bodmeriae tamen debitum statim est soluendum, si nauis, impedimentis sine culpa ortis haud retardata, reditum intra menses duos non instituit.

§. 2402. Si nauis et merces simul absque vlla determinatione bodmeria sunt obligatae; creditori obligatae sunt merces conseruatae, licet nauis in reditu intereat.

§. 2403. Idem valet, si merces pereunt, naue conseruata.



Source : BIU Cujas

§. 2404. Bodmeria a nauis exercitoribus contracta in regula tantum obligata eſt nauis, aut pars, quam in naui habet excercitor ſingulus, qui bodmeriam contraxit.

§. 2405. Sic quoque, intuitu bodmeriae a nauis ad merces transportandas conductore contractae, eius tantum oneris veri rata eſt obligata.

§. 2406. At contra, bodmeriam a nauclero in portu, ad quem neceſſitate vrgente nauem appulit, contractam nauis et bona, quibus nauis eſt onuſta, ſimul praeſtant, niſi contrarium in bodmeriae inſtrumento eſt determinatum.

§. 2407. Bodmeriae creditor ex naui et bonis ei impoſitis ſatisfactionem petit, aut ex qualibet eorum parte, donec bodmeriae inſtrumento ſuo eſt ſatisfactum.

§. 2408. Bodmeria, quam nauclerus in terris regiis contrahit, oppignorationis inſtar in originalibus nauis documentis eſt notanda. (P. I. Tit. XX. §. 301. ſqq.)

§. 2409. Sic quoque in bodmeria in merces, quae noſtris in terris ab ipſo domino aut eius mandatario contrahitur, obſeruanda ſunt praecepta. P. I. Tit. XX. §. 376. ſqq.

§. 2410. Quibus neglectis bodmeria poſtponitur oppignorationibus, in quibus haec praecepta ſunt obſeruata, nulla temporis prioris ratione habita.

§. 2411. Nauclerum bodmeriam ſiue in terris noſtris, ſiue extra eas contrahentem curare oportet, vt ea in nauis documentis, et ſi merces bodmeria ſunt obligatae, in recognitionis inſtrumento (*Connoſſement*) rite notetur; atque etiam in caſu poſteriori, ſtatim eum oportet de bodmeria inita certiorem reddere accipientem merces bodmeria obligatas.

Source : BIU Cujas

§. 2412. Quod ſi omiſerit, cuilibet tertio obligatur de damno omni inde oriundo.

§. 2413. In contractu bodmeriae ineundo ab vtraque parte obſeruanda ſunt omnia, quae §. 2024. ſqq. aſſecurato et aſſecuranti ſunt praecepta. Obligationes in ineundo contractu.

§. 2414. In caſibus omnibus, vbi his praeceptis non obſeruatis aſſecuratio nautica fit inualida, (2025. 2026. 2030. 1031.) idem locum habet in bodmeriae contractu.

§. 2415. Si bodmeriae debitor (*Bodmereynehmer*) hunc errorem et culpam admiſit; totum bodmeriae debitum vna cum omnibus, quae probari poſſunt, expenſis eum oportet exſoluere.

§. 2416. Errore autem ex parte creditoris commiſſo, hic loco poenae perdit datum mutuum, quod debitorem vna cum vſuris, inde a die, quo illud accepit, ſoluere oportet aerario alendis pauperibus inſeruienti.

§. 2417. In quibus caſibus in aſſecuratione riſtorno admittitur §. 2007. 2136. 2139. 2141. 2202. et 2337.; in iis omnibus locum quoque habet in bodmeria. Deriſtorno.

§. 2418. Debitorem, qui eo vtitur, mutuum acceptum oportet reſtituere cum vſuris centeſimis ſex (6 p. C.), inde a die, quo illud accepit, et expenſas erogatas, ad quas quoque pertinent expenſae aſſecurationis, a bodmeriae creditore forſan initae.

§. 2419. Si bodmeriae debitor ſimulatis tantum itinere inſtituendo aut transmiſſione pecuniam impetrare tentauerit; praeter ea poenae loco ſoluere eum oportet aerario, nautis pauperibus alendis inſeruienti, bodmeriae praemium pactum, quatenus ſuperat vſuras vſitatas.



Source : BIU Cujas

§. 2420. Si bodmeriae creditor riſtorno vtitur; ei mutuum tantum reſtituitur ſine vſuris et expenſis.

§. 2421. In caſu vtroque ei, vsque dum ſolutio eſt praeſtita, res bodmeria onerata aeque manet obligata, ac ſi contractus non eſſet diſſolutus.

Obligationes debitoris contractu perfecto.

§. 2422. Contractu quoque perfecto debitori incumbunt omnia, quae §. 2117. ſqq. aſſecurato ſunt iniuncta.

§. 2423. Quorum ſi quaedam neglexerit; ab obligatione, periculum maritimum in ſe ſuſceptum praeſtandi, liberatur creditor, cui bodmeriae debitum ſoluendum eſt integrum, licet res bodmeria obligata tota aut ex parte intereat caſu aduerſo.

§. 2424. Si per riſtorno bodmeria de bonis, quibus nauis eſt onuſta, contracta ex parte tantum fit irrita; locus eſt praeceptis §. 2418. et 2420. proportione mercium relictarum ad transuectas; et vſque ad ſolutionem factam, creditori obligantur merces et relictae et transmiſſae.

§. 2425. Creditor periculum maritimum rei bodmeria obligatae aeque praeſtat, ac aſſecurans, et non ſolum intuitu temporis, ſed etiam generis huius periculi locus eſt praeceptis §. 2180-2190. et 2209-2234, niſi in bodmeriae inſtrumento expreſſa ſit determinata exceptio.

§. 2426. Si res bodmeria obligata periculo maritimo, ſecundum §. 2209. ſqq. diiudicando, tota interiit; ius creditoris bodmeriae extinguitur.

§. 2427. At vero, ſi tantum ex parte caſu aduerſo interiit; ab electione debitoris dependet, vtrum bodmeriae debitum malit exſoluere, an creditori rem bodmeria obligatam in ſatisfactionem cedere.

Source : BIU Cujas

§. 2428. Posterius si eligit, bodmeria in nauim contracta, eum creditori quoque cedere oportet instrumenta, et res ad bellicos vsus et ad victum pertinentes, quae naui insunt, et itineris vltimi vecturam.

§. 2429. Atque etiam in casu quolibet creditori cedere emolumentum assecurationis, de re bodmeria obligata secundum §. 2379. separatim initae.

§. 2430. At contra bodmeriae creditorem, si satisfactionem suam petit ex residuo rei bodmeria obligatae pretio, in se suscipere simul oportet hauariae grandis contributionem.

§. 2431. De contrario conuenire non licet.

§. 2432. Infortunio nauis magistri aut eius nautarum culpa exorto, bodmeriae creditor, qui in bona, quibus nauis est onusta, pecuniam credidit, nauclerum potest conuenire; at eius bonis deficientibus ex naui ipsa satisfactionem petere.

§. 2433. Si nauis exercitores immediate, vel conductores ad merces transportandas, vel eorum mandatarii naue mercibus prohibitis oneranda, aut alia culpa, iacturae aut damno causam dederunt; bodmeriae creditor ab iis ea, quae bodmeriae debito deficiunt, vna cum vsuris et expensis potest poscere.

§. 2434. Creditor quoque pari ratione aduersus quemque, cuius culpa nauis laesa est aut interiit, ad indemnitatem potest agere.

§. 2435. Si merces bodmeria obligatae corruptione interna sola, aut decrescente pretio solo, damnum aut detrimentum capiunt; dominus eas cedendo se liberare nequit; sed obligatur ad exsoluendum debitum bodmeriae integrum contractum.

§. 2436. Si res bodmeria obligata ad locum destinatum salua est transuecta; aut si debitor rem laesam secundum §. 2427. non vult creditori cedere: solutionis Adimplementum bodmeriae contractus.



Source : BIU Cujas

tempore, in bodmeriae inſtrumento determinato, aut ſecundum §. 2398. determinando, bodmeriae debitum contractum ſtatim pecunia parata debet ſoluere.

§. 2437. A quo tempore quoque obligatur, ad pendendas eius vſuras inter mercatores vſitatas.

§. 2438. Si nauclerus bodmeriam ipſe contraxit, aut ſi bodmeria inita ei eſt indicata: absque creditoris conſenſu merces bodmeria obligatas tradere eum non oportet, antequam bodmeriae debitum eſt ſolutum, aut idonea eius cautio praeſtita; alioquin creditori obligatur de damno omni inde oriundo.

§. 2439. Solutione non praeſtita, creditori ius competit, ſtatim petendi rei bodmeria obligatae venditionem publicam iudicialem.

§. 2440. Bodmeriae creditor, qui cautiones §. 2408. et 2409. adhibuit; conuenire quoque poteſt ſecundum praeceptum P. I. Tit. XX. §. 119. poſſeſſorem rei bodmeria obligatae tertium.

§. 2441. Quibus cautionibus vero neglectis, ius contra tertium poſſeſſorem agendi eatenus tantum locum habet, quatenus huic vel ante poſſeſſionis acquiſitionem de bodmeriae obligatione rei inhaerente conſtitit, vel ante factam creditoris indicationem domino non plene ſatisfecit.

§. 2442. Bodmeriae debitor, qui rem, bodmeria obligatam, ante ſatisfactionem bodmeriae creditoris, absque huius conſenſu alienauit, aut creditori alio modo doloſe damnum intulit, ad praeſtandam ſatisfactionem plenam obligatur, et tanquam fraudator eſt puniendus.

Praeſcriptio.

§. 2443. Si bodmeriae creditor nomen intra annum inde ab eo tempore, quo ſolutionis venit terminus, non rite petiit actione inſtituta; eius ius reale in re bodmeria obligata et huius ius praerogatiuum eſt extinctum.

Source : BIU Cujas

§. 2444. At ſaluum atque integrum ei manet ius perſonale in bodmeriae debitorem, vsque ad ſolitum praeſcriptionis terminum

§. 2445. Si de vna eademque re bodmeria cum pluribus eſt inita; bodmeria a nauclero in portu, ad quem neceſſitate vrgente nauem appulit, contracta praefertur prioribus omnibus. Prioritas inter plura bodmeriae nomina.

§. 2446. Ex bodmeriis pluribus, a nauclero in eodem itinere in portu, ad quem vrgente neceſſitate nauim appulit, contractis recentior praefertur antiquiori.

§. 2447. Has pro temporis ordine ſequuntur, creditores bodmeriae ii, qui obſeruarunt praecepta §. 2408. et 2409. data.

§. 2448. Omnia reliqua bodmeriae nomina ſine temporis diſcrimine iisdem fruuntur iuribus.

§. 2449. Hinc re bodmeria obligata haud ſufficiente inter ſe diſtribuunt pro ratione bodmeriae nominum, et ſortium, et anni vnius vſurarum, et expenſarum.

§. 2450. Quatenus vni aut alteri, ob probatam verſionem vtilem in rem bodmeria obligatam, ius praelationis ſingulare competat, diiudicandum eſt ſecundum praeceptum P. I. Tit. XX. §. 318.

§. 2451. Si praeter bodmeriae nomina alii adhuc ſunt creditores; prioritas determinatur ſecundum praeceptum P. I. Tit. XX. §. 321. ſqq.

## Sectio Decima Quinta.

### *De aurigis.*

§. 2452. Rhedarum publicarum (*Landkutſche*) detentores, auctoritate publica conſtituti aut priuilegiati, vt iter facientes aut res transuehant, nauium exercitoribus (*Rhedern*), et ii, quibus curam rhedae mandarunt, nauium magiſtris aequiparantur.

Source : BIU Cujas

§. 2453. Hinc eiusmodi rhedarum publicarum detentores (*Landkutſcher*) praeſtare debent merces et res omnes, quae ipſis aut mercenariis, ab ipſis conſtitutis, eum in finem ſunt commiſſae, vt ad locum certum transuehantur, et ibi exhibeantur.

§. 2454. A qua obligatione liberare ſe poſſunt, vti nauium exercitores (*Rheder*), cedendo currum equos, eorumque pertinentias, atque vecturas; niſi circumſtantiae adſint, vbi dominus ſecundum praeceptum P. I. Tit. VI. §. 61. ſqq. famulorum quoque facta illicita praeſtare debet.

§. 2455. Intuitu obligationis, praeſtandi multas pecuniarias, ob acciſae et vectigalium defraudationes a ſeruis commiſſas, locus eſt praeceptis §. 515. ſqq.

§. 2456. Inter rhedae publicae detentores et rhedarios (*Kutſcher*), ab his conſtitutos aut aurigas, eadem obtinet ratio, quae inter nauium exercitores et magiſtros.

§. 2457. Reſpectu exercitorum eiusmodi pontonum, quibus iter facientes flumen transeunt, eadem obtinent principia.

§. 2458. Ratio, quae aurigis priuatis, et nuntiis peditibus intercedit cum iis, qui eos conduxerunt, diiudicanda eſt ex praeceptis partis primae Tit. XI. Sect. VIII. §. 869-920.

§. 2459. Eiusmodi tamen aurigae obligantur ad praeſtandum iacturam aut damnum omne, quod ipſi, vel ab iis conſtituti, culpa licet leui dederunt.

§. 2460. In primis quoque culpam debent praeſtare leuiſſimam, ſi damnum aut iactura ex vehiculi vitio eſt orta.

§. 2461. Atque ſi ſcientes receperunt merces transportandas, in quibus conſeruandis et transpor-

Source : BIU Cujas

tandis, pro earum natura et qualitate ſingulari, praecipua cura et cautio requiritur, quibus neglectis damnum exoritur.

§. 2462. Atque tum, ſi praeter vecturam pro cura de mercibus praemium acceptarunt ſingulare.

§. 2463. Quatenus aurigis liceat, transuehere literas aut faſciculos obſignatos ponderis quadraginta librarum pondere minoris; in ſectione quarta tituli decimi quinti eſt praeceptum.

§. 2464. Quae ab aurigis in viarum anguſtiis et faucibus, et ratione obligationis de via decedendi, obſeruanda ſint, praeſcribuntur in tituli decimi quinti ſectione prima.

Source : BIU Cujas

© rce : BIU Cujas

# IVS

## BORVSSICO - BRANDENBVRGICVM

COMMVNE.

---

TOMI SECVNDI

PARS POSTERIOR.

Source : BIU Cujas

# IVS

# BORVSSICO-

# BRANDENBVRGICVM

## COMMVNE.

## EX GERMANICO LATINE VERSVM.

TOMI SECVNDI

PARS POSTERIOR.

---

BEROLINI MDCCC.

APVD GOTTFRIDVM CAROLVM NAVCK.

Source : BIU Cujas

# IVS

# BORVSSICO-
# BRANDENBVRGICVM

CONTRA

EX GERMANICO LATINE VERSVM

TOMI SECVNDI

PARS POSTERIOR.

Source : BIU Cujas

In

tomi secundi parte posteriore continentur.

*Tomi Secundi*


TITVLVS IX. De ordinis nobilium officiis et iuribus pag. 589—599.

TITVLVS X. De officialium s. ministrorum regni iuribus et obligationibus — 599—613.

TITVLVS XI. De ecclesiarum et societatum ecclesiasticarum iuribus et obligationibus — 614—739.

*Sectio I.* De societatibus ecclesiasticis in genere — 615—619.

*Sectio II.* De societatum ecclesiasticarum membris — 619—624.

*Sectio III.* De societatum ecclesiasticarum superioribus et praepositis — 624—628.

*Sectio IV.* De societatum ecclesiasticarum bonis et facultatibus — 628—636.

*Sectio V.* De parochiis — 636—644.

*Sectio VI.* De parocho eiusque iuribus — 645—669.

*Sectio VII.* De officialibus ecclesiae saecularibus — 669—670.

*Sectio VIII.* De ecclesiarum patronis — 671—675.

*Sectio IX.* De bonorum et aerarii ecclesiarum parochialium administratione — 676—692.

*Sectio X.* De fundis et reditibus parochialibus — 692—701.

*Sectio XI.* De decimis et aliis praestationibus parochialibus — 701—710.

*Sectio XII.* De societatibus clericalibus in genere — 710—717.


Source : BIU Cujas

*Sectio XIII.* De collegiis catholicorum cathedralibus et capitulis - pag. 718—721.
*Sectio XIV.* De capitulis collegiatis — 721.
*Sectio XV.* De societatibus monasticis — 721—723.
*Sectio XVI.* De ordinibus clericalibus equestribus - - — 723.
*Sectio XVII.* De canonicis saecularibus — 723—731.
*Sectio XVIII.* De monachis et ordini religioso addictis - — 731—736.
*Sectio XIX.* De membris ordinum equestrium clericalium - — 737.
*Sectio XX.* De protestantium capitulis, coenobiis, ordinibus equestribus, eorumque membris - — 737—739.

TITVLVS XII. De scholis et academiis - — 739—753.

TITVLVS XIII. De regni iuribus et obligationibus generatim - — 753—755.

TITVLVS XIV. De regni reditibus et iuribus fisci — 756—766.

TITVLVS XV. De regni iuribus et regalibus intuitu viarum publicarum, fluminum, portuum et maris litorum - — 766—793.
*Sectio I.* De viis publicis et militaribus — 766—770.
*Sectio II.* De fluminibus, portibus et litoribus - - — 770—775.
*Sectio III.* De iure vectigalium s. portorii — 775—781.
*Sectio IV.* De regali postarum - — 781—791.
*Sectio V.* De iure molendinorum - — 791—793.

TITVLVS XVI. De iuribus regni in bonis et rebus nullius - - — 794—852.
*Sectio I.* De regni iuribus in fundis domino vacantibus - — 794—795.
*Sectio II.* De iuribus regni in hereditatibus heredibus vacantibus - — 795—797.
*Sectio III.* De regali venatico - — 797—801.
*Sectio IV.* De regali metallico - — 801—852.

Source : BIU Cujas

TITVLVS XVII. De regni iuribus et officiis ad singularem subditorum tutelam pag. 852—872.
*Sectio I.* De iurisdictione — 852—866.
*Sectio II.* De emigrationibus, et censibus emigrationis et detractionis — 866—872.
TITVLVS XVIII. De tutela et cura — 873—981.
*Sectio I.* De personis, quibus tutores vel curatores sunt constituendi — 873—878.
*Sectio II.* De iis, quibus tutorum et curatorum datio competit et incumbit — 879—885.
*Sectio III.* De personis, ad munus tutoris suscipiendum obligatis et idoneis — 885—896.
*Sectio IV.* De tutoribus obstringendis et confirmandis — 897—898.
*Sectio V.* De tutorum iuribus et obligationibus generatim — 898—905.
*Sectio VI.* De tutorum officio alimentis et educationi curandorum prospiciendi — 906—910.
*Sectio VII.* De cura rei familiaris curandorum — 910—946.
*Sectio VIII.* De modis, quibus tutela finitur — 946—974.
*Sectio IX.* De curatorum iuribus et obligationibus — 975—981.
TITVLVS XIX. De institutis pauperum piisque corporibus — 981—990.
TITVLVS XX. De delictis eorumque poenis — 991—1177.
*Sectio I.* De delictis et poenis generatim — 992—1000.
*Sectio II.* De criminibus in regnum commissis in genere, et de perduellione in specie — 1000—1001.
*Sectio III.* De criminibus in externam regni securitatem commissis — 1001—1007.
*Sectio IV.* De delictis in regni tranquillitatem et securitatem internam — 1007—1014.
*Sectio V.* De pietatis in regnum laesionibus — 1014—1016.

Source : BIU Cujas

*Sectio VI.* De laesionibus, societatibus religiosis illatis - pag. 1016—1018.
*Sectio VII.* De iurium regno reseruatorum arrogationibus et laesionibus — 1018—1030.
*Sectio VIII.* De regni ministrorum seu officialium delictis - — 1030—1053.
*Sectio IX.* De delictis priuatis - — 1053—1056.
*Sectio X.* De bonae famae seu existimationis laesionibus - — 1056—1072.
*Sectio XI.* De corporis laesionibus — 1073—1108.
*Sectio XII.* De carnis delictis - — 1108—1117.
*Sectio XIII.* De laesionibus libertatis — 1118—1121.
*Sectio XIV.* De rei familiaris laesione in genere et ablatione in specie — 1121—1138.
*Sectio XV.* De rei familiaris laesionibus, lucro priuato illicito et fraude commissis - - — 1138—1165.
*Sectio XVI.* De rei familiaris laesionibus, ex vltione, malitia et petulantia — 1166.
*Sectio XVII.* De laesionibus cum periculo communi - - — 1167—1177.

Source : BIU Cujas

# TITVLVS NONVS.

## De ordinis nobilium officiis et iuribus.

§. 1. Nobilium ordini, tanquam primo regni ordini, ex deſtinatione in primis incumbit regnum defendere, eiusque dignitatem externam et conſtitutionem internam tueri. Deſtinatio ordinis nobilium.

§. 2. Ad nobilium ordinem ii tantum referuntur, quibus nobilitas gentilitia natiuitate aut principis auctoritate competit. Acquiſitio nobilitatis: 1. natiuitate et matrimonio;

§. 3. Natiuitate competit omnibus, qui a patre nobili ex matrimonio legitimo ad dextram manum procreati aut in eo nati ſunt.

§. 4. Nobilitas itaque per patrem propagatur, licet mater non ſit ordinis nobilium.

§. 5. Liberi quoque, a patre nobili extra matrimonium procreati, nobilitatem participant facta legitima matrimonii ad dextram manum conſummatione, atque etiam iudiciali patris declaratione, eiusmodi matrimonio aequiparanda. (Tit. II. §. 596. 597.)

§. 6. Quod idem fit, ſi mater ſententia legitima patris nobilis vxor declaratur. (ibid. §. 592.)

§. 7. Quatenus legitimatione principis, aut adoptione, nobilitas acquiratur, ſuo loco eſt definitum. (ibid. §. 603. 604. 605. §. 682-685.)

§. 8. Ordinis inferioris femina, maſculo nobili legitime matrimonio ad dextram manum iuncta, inde acquirit nobilitatis iura externa; quatenus for-



Source : BIU Cujas

ſan matrimonium ipſum ſecundum leges non eſt pro matrimonio inaequali habendum. (Tit. I. §. 30-33. §. 952.)

2. principis conceſſione.

§. 9. Regni tantum princeps conferre poteſt nobilitatem ſubdito, cui natiuitate non contigit.

§. 10. Cui et ſoli tantum competit, inferioris gradus nobilem ad gradum ſuperiorem efferre.

§. 11. Nobilitatis gradus ſuperior a principe conceſſus contingit quoque liberis, eo tempore iam natis, ſiue ſint adhuc ſiue non amplius ſub patria poteſtate conſtituti; niſi expreſſe ſint exemti.

§. 12. Si feminis aut viduis gradus ſuperior tribuitur, haec conceſſio ad earum liberos nihil valet.

§. 13. Regni ſubditorum nemo, absque principis venia, nobilitatem ab extero ſtatu audeat petere, neque ea, ſi forſan proprio motu ab hoc conferatur, in terris noſtris vti.

§. 14. Nemo, niſi nobilitatem natiuitate aut principis auctoritate conſecutus, nobilium nomina et honores et iura praerogatiua ſibi arroget.

§. 15. Neque nobilitate inferiore natus graduum nobilitatis ſuperiorum iura et nomina atque honores proprio auſu ſibi tribuat.

§. 16. Gentis nobilis inſigni vtatur nemo, qui non pertinet ad gentem, cui hoc inſigne vel expreſſe eſt conceſſum, vel quae eo iam inde ab antiquitate eſt vſa.

Nobilitatis probatio.

§. 17. Receptio in ordines equeſtres et capitula nobilium; ad haſtiludia (torneamenta *Turnieren*); ad equitum ſubſellium in conuentibus prouincialibus et inter aſſeſſores dicaſteriorum ſuperiorum nobiles; vti ad nobilium officia aulica (*Hofämter*), probat nobilitatem gentilitiam genti competentem.

§. 18. Qui vel ipſe, vel cuius maiores anno 1740 actu in nobilitatis poſſeſſione fuerunt, qua poſtea non ſunt priuati, in ſuis nobilitatis iuribus a fiſco non turbetur. (P. I. Tit. IX. §. 641. ſqq.)

Source : BIU Cujas

§. 19. Qui vel ipſe, vel cuius maiores per quadraginta et quatuor annos nobilium nominibus atque honoribus et iuribus praerogatiuis nemine contradicente ſunt vſi, pro quo adeo ſiat agnitio regni expreſſa aut tacita, pro eo legalis militat praeſumtio, nobilitatem gentilitiam ei competere.

§. 20. At contra, ad probandam nobilitatem gentilitiam in ſe non ſufficit, ſi cui ſemel tantum atque iterum ſunt attributa in iudicialibus aut aliis publicis expeditionibus nobilium nomina atque honores.

§. 21. Intuitu eſſentialium nobilitatis iurium et qualitatum inter veterem et nouam nobilitatem nullum eſt diſcrimen. De nobilitate vetere et noua.

§. 22. At vbi ordinis, capituli aut corporis alius ſtatuta, priuilegia, vel conſuetudo non interrupta certum maiorum nobilium numerum, capitulo aut haſtiludio nobilium conuenientem, (*Stifts- oder turniermäſsigen Adel*) poſcunt; in poſterum quoque idem obſeruatur.

§. 23. Maiores nobiles in diplomate (*Ahnenbriefe*) alicui attributi in eo caſu in regula non numerantur.

§. 24. In maiorum nobilium probatione in regula quoque probetur neceſſe eſt maiorum vtriusque ſexus natiuitas nobilis.

§. 25. Maiorum ille, qui primus fuit nobilitate donatus, vti eius deſcendentes, vna cum ipſo forſan in nobilium ordinem recepti, in maiorum nobilium probatione in regula non numerantur.

§. 26. Quot nobiles maiores ſint probandi, et qua ratione probatio inſtituenda ſit, praecipue relinquitur determinationi propiori ſtatutorum, priuilegiorum et conſuetudinis ordinis, capituli aut corporis cuiusque.

§. 27. At vero, vbi his nihil certi determinatum eſt de modo maiores nobiles probandi; ibi maiorum ſeries (tabula *Ahnentafel*) in primis confirmetur ne-



Source : BIU Cujas

ceſſe eſt extractis fide munitis ex diptychis, indicibus baptizatorum aut matrimonio iunctorum.

§. 28. Quae vbi, inprimis ex temporibus antiquioribus, produci nequeunt, ibi tanquam probandi media, de matrimoniis atque origine in tabula maiorum prolatis, admittuntur quoque pacta dotalia, receſſus ſucceſſorii, literae feudales et alia familiae documenta haud ſuſpecta.

§. 29. Quae eo modo plene probari nequeunt, ſuppleantur depoſitione iurata duarum ſaltem nobilitatis equeſtris et auitae cognitae perſonarum, quibus propior eſt notitia gentis (familiae), cui probatio incumbit.

§. 30. Quatenus praeter ea adhuc requiratur vel admittatur iurata probantis confirmatio de veritate tabulae maiorum exhibitae, ſecundum relationes de familia ipſi notas, diiudicandum eſt ex generalibus de probatione principiis.

§. 31. Quatenus maiorum tabula deſumta eſt ex alia, ab eodem ordine, eodem capitulo aut eodem corpore iam ſemel pro vera cognita, eatenus probatio ſeparata non eſt neceſſaria.

De nobilitate perſonali.

§. 32. Iura nobilium, collegio aut corpori a principe conceſſa, aut cum munere et dignitate coniuncta, extendi nequeunt vltra verbalem literarum gratioſarum definitionem.

§. 33. Eiusmodi iura natiuitate non transferuntur.

Iura nobilitatis praerogatiua.

§. 34. Perſonae nobiles in regula tantum ſupremo prouinciae iudicio ſunt ſubiectae.

§. 35. Nobilibus praecipuum ius competit, capeſſendi regni munera atque honores, quibus ſe reddiderunt idoneos.

§. 36. At principi tamen reſeruatur diiudicatio, an apti ſint et idonei, atque electio ex candidatis pluribus.

Source : BIU Cujas

§. 37. Nobilibus tantum ius competit, poſſidendi praedia nobilia.

§. 38. Quae praedia ſint nobilia, prouinciae cuiusque conſtitutionibus ſingularibus eſt definitum.

§. 39. Quatenus ad poſſidendum eiusmodi praedia, praeter nobilitatem, indigenatus quoque requiratur, ex prouinciae cuiusque conſtitutionibus etiam dependet.

§. 40. Non niſi nobiles conſtituere poſſunt familiae fideicommiſſa ex praediis nobilibus.

§. 41. Nobilibus praedii poſſeſſoribus ius competit, venationis iura praedio conceſſa nomine ſuo proprio exercendi.

§. 42. Iurisdictionem praedio inhaerentem ſuo nomine poſſunt exercendam curare.

§. 43. Competunt iis iura honorifica, cum patronatus iure coniuncta.

§. 44. Hinc cum familia ſua precibus eccleſiaſticis ſolemnibus expreſſe ſunt inferendi, et luctus eccleſiaſticus, vbi obtinet, iis eſt praeſtandus.

§. 45. Ex praedio nomen gerant, et in documentis aut in occaſionibus publicis eius poſſeſſione tanquam ſingulari titulo vtantur licet.

§. 46. Ius in nobilium conuentibus, in ordinum circuli conuentibus et comitiis prouincialibus comparendi, in iisque de rebus, quae aguntur, ſuffragium ferendi, in regula tantum competit nobilibus praedia poſſidentibus.

§. 47. Ad eiusmodi conuentus in regula ne admittantur non nobiles, tanquam vicarii, aut mandatarii membrorum nobilium.

§. 48. At vero, ſi praedii poſſeſſor nobilis abſens res ad praedium pertinentes in genere curandas mandauit mandatario generali ordinis ciuici; hic quoque exercere poteſt ius ſuffragii mandanti competens



Source : BIU Cujas

in conuentibus ordinum circuli et comitiis prouincialibus.

§. 49. Neque ab eiusmodi conuentibus excludi possunt tutores nobilium praedia possidentium, et deputati magistratuum, nobilium praedia, quae aerarii ciuitatis sunt, possidentium, licet ipsi ad ciuium ordinem pertineant.

§. 50. Praediorum nobilium possessoribus non nobilibus, licet in persona non compareant, ius tamen competit, ius suffragium ferendi suum per casus singulos nobilibus demandandi.

De possessoribus praediorum nobilium ciuicis.

§. 51. Ordinis ciuici personae possidere praedia nobilium nequeunt absque speciali principis permissione.

§. 52. Vxor ex ordine ciuico orta, matrimonio legitimo ad dextram manum nobili iuncta, praedia quidem nobilium potest possidere, dum subsistit hoc matrimonium, aut dum marito defuncto non iterum nubit ignobili;

§. 53. Atque vxor etiam diuortio separata, quae non est pars nocens declarata, in hoc casu cum vidua iura habet aequalia;

§. 54. At eiusmodi vxor (§. 52. 53.) praediorum possessionem ne mortis quidem causa transferre potest ad agnatos cognatosue ignobiles. (§. 68. sqq.)

§. 55. Ad alia vota progrediendo aut alio modo ex ordine nobili egressa retinere quidem potest nobilium praedia vsque ad hoc tempus acquisita; at non acquirere nouorum possessionem.

§. 56. Femina ex gente nobili, ignobili nubens, ius tantum retinet possessionis eiusmodi praediorum nobilium, quae ipsius iam fuerunt ante matrimonium, aut matrimonio iuncto successionis iure ipsi deferuntur.

§. 57. Sed haec quoque facultas possidendi eiusmodi praedia non transit ad ordinis ciuici agnatos cognatosue, ne ad ipsius quidem descendentes.

Source : BIU Cujas

§. 58. Si princeps ordinis ciuici homini impertiuit conceſſionem poſſidendi praedium nobile, nomine praedii non addito; conceſſio iſta de eo tantum valet praedio, in quo ea conceſſione primo eſt vſus.

§. 59. Poſſeſſores haud nobiles praediorum nobilium iura perſonalia honorifica, cum praedii poſſeſſione alias coniuncta, eatenus tantum acquirunt, quatenus ſunt expreſſa in conceſſione data. (§. 41-50.)

§. 60. Praediorum nobilium poſſeſſores ordinis ciuici poſſeſſionem nequeunt transferre ad perſonas ordinis ciuici alias, absque conceſſione ſingulari.

§. 61. Quatenus facultas ea praedia poſſidendi ad ordinis ciuici agnatos cognatosue transeat, vnice diiudicandum eſt ex conceſſionis impetratae verbis conceptis.

§. 62. Si conceſſio ipſis tantum generalibus loquendi formulis pro ſe et ſuis heredibus fuerit data, iis tantum ſubintelligendi ſunt primi acquirentis deſcendentes.

§. 63. At eiusmodi praedii poſſeſſoris vidua facultate tamen gaudet, poſſidendi praedium mariti, dum manet vidua.

§. 64. Si heredes gentis nobilis et originis ciuici hereditatem participant; nobilibus in poſſeſſionem praedii nobilis, ad hereditatem pertinentis, ius competit praecipuum.

§. 65. Hinc coheredi nobili prae alio adiudicandum eſt praedium, ſi offert ſummam eandem easdemque ſoluendi conditiones, quas ordinis ciuici coheres.

§. 66. Quod ius praelationis quoque competit coheredi, in ordine quidem ciuico natae, ſed per matrimonium in nobilium ordinem transgreſſae, ſi adhuc huius eſt ordinis, atque deſcendentibus eius nobilibus, ad ſucceſſionem per eam ſimul vocatis.



Source : BIU Cujas

§. 67. Neque vltimae voluntatis diſpoſitione teſtator coheredibus ciuicis tribuere poteſt ius praelationis poſſeſſionem praedii acquirendi, in nobilium praeiudicium.

§. 68. Si inter heredes nullae ſunt perſonae poſſeſſionis capaces; praedium voluntarie vendendum eſt poſſeſſori nobili intra anni ſpatium, inde a mortis die computatum.

§. 69. Quod ſi non fiat, petente fiſco, ſubhaſtatione neceſſaria iudiciali ad poſſeſſorem nobilem transferendum eſt praedium.

§. 70. Atque hic quidem de adiudicatione quoque valent omnia, quae de ſubhaſtationibus neceſſariis iudicialibus in genere ſunt praeſcripta.

§. 71. Caeterum limitationes ciuicorum poſſeſſorum praediorum nobilium omnes, in antecedentibus expoſitae, ad eos tantum poſſunt applicari, qui eiusmodi praedia demum acquiſiuerunt poſt leges limitationis ſingulares in quaque prouincia latas; aut demum poſt diem decimum octauum menſis Februarii 1775.

Limitationes nobilitatis a) intuitu poſſeſſionis fundorum ciuicorum et ruſticorum;

§. 72. Quatenus nobiles acquirere poſſint et poſſidere fundos ciuicos et ruſticos, in titulo antecedente eſt praeſcriptum.

§. 73. Fundos ruſticos tanquam praedia per ſe ſubſiſtentia acquirere nobiles non poſſunt, niſi approbatione expreſſa collegii prouincialis, cui politiae cura eſt demandata.

§. 74. De coniunctione fundorum ruſticorum ſingulorum cum praediis nobilibus, praecepta attendenda ſunt Tit. VII. §. 14. 15. 16.

§. 75. In caſibus omnibus, vbi nobilibus fundorum ruſticorum poſſeſſio conceditur, praeſtare eos oportet onera realia et praeſtationes perſonales iis inhaerentes.

Source : BIU Cujas

§. 76. Nobiles in regula ne faciant ciuilem quaeſtum et commercium. b) intuitu quaeſtus et commercii ciuilis.

§. 77. Ubi quantitatum maiorum mercatura (groſſa) ſocietatis ſ. vnionis (*Gilde*) legibus et articulis non eſt obnoxia, nobilis quoque eiusmodi mercaturae commercium poteſt exercere.

§. 78. De nobili eiusmodi quaeſtum in vrbe faciente locum habent praecepta tituli octaui §. 60 ſqq.

§. 79. In determinatam mercatorum vnionem, in regula, non recipiatur nobilis absque ſpeciali regni principis venia.

§. 80. Iura et obligationes nobilium ſingulares, ſiue ad ordinem reſpicias totum, ſiue ad membra eius ſingula, intuitu perſonae et rei familiaris, pro diuerſitate prouinciarum definitae ſunt legibus et conſtitutionibus ſingularibus. Iura et obligationes nobilium ſingulares.

§. 81. Qui celato vel abnegato ordine ſuo nobili in opificum collegium aut vnionem irrepit, quaeſtus ciuicos exercens, priuatur nobilitatis iuribus. Amiſſio nobilitatis.

§. 82. Quod quidem magis adhuc locum habet, ſi nobilium quis eligit vitae genus inhoneſtum, vel etiam tale, quo ad plebem deiicitur.

§. 83. Qui ab inferioris ordinis homine adoptatur, ea adoptione nomen nobile mutans; absque ſingulari principis diſpenſatione nobilitatem nequit retinere.

§. 84. Feminae nobilitatis iura praerogatiua perſonalia amittunt, ſi nubendo ignobili nomen gentilitium mutant.

§. 85. Neque matrimonio diſſoluto, in regula, ad nobilium ordinem reuertuntur.

§. 86. At vero vxori, ſi in diſſoluendo matrimonio per iudicis ſententiam non eſt pars nocens declarata, reuerti licet ad nobilium ordinem, vnde fuit orta. (Tit. I. §. 738-742.)

§. 87. Si femina ex nobili gente orta, matrimonio cum perſona non nobili per mortem aut iudicis

Source : BIU Cujas

ſententiam diſſoluto, rurſus cum nobili legitimo matrimonio ad dextram manum iungitur; eius deſcendentibus, ex hoc matrimonio procreatis, propter prius eiusdem matrimonium, cum perſona ordinis ciuici initum, ne quidem intuitu iurium nobilitatis auitae in regula quidquam poteſt opponi. (§. 90.)

§. 88. Si matrimonium feminae nobilis cum non nobili declaratur nullum; ordinem nobilem et nomen gentilitium poteſt reaſſumere.

§. 89. At ſi pars nocens eſt declarata; inde in ordinem nobilem regrediendo commodum nullum poteſt percipere.

§. 90. Si perſona nobilis, quae nupſerat non nobili, in matrimonii diſſolutione et ſententia, de matrimonii nullitate lata, pars nocens eſt iudicata; haec poſtea, ſi iterum nobili nubat, in matrimonii poſterioris deſcendentium fauorem, non poteſt numerari inter maiores femininas nobiles.

§. 91. Ob delicta commiſſa grauia nobilitate iudicis ſententia priuari nobilis poteſt.

§. 92. Quibus in caſibus ſententia haec priuatoria ferenda ſit, leges criminales definiunt.

§. 93. Quae poena liberos ante ſententiam latam iam exiſtentes in iis tantum caſibus afficit, in quibus leges expreſſe praeſcribunt.

§. 94. Solo non-vſu iurium et titulorum nobilium nobilitas ipſa non amittitur.

§. 95. Si gens nobilis per duas generationes nobilitate non eſt vſa, eum, qui ea rurſus vti cupit, comparere oportet coram collegio prouinciali, cui iuſtitiae cura demandata eſt, atque ius ſuum docere.

Nobilitatis renouatio.

§. 96. Qui vel ipſe, vel cuius maiores nobilitatem amiſerunt, nobilitatis renouationem a principe poteſt petere.

§. 97. Nobilitatis renouatione ſingularia nobilitatis auitae iura praerogatiua non reſtituuntur, absque expreſſa principis declaratione. (§. 22.)

Source : BIU Cujas

§. 98. Nobilitas delicto commissa in delinquentis persona non potest renouari.

§. 99. Nobilitas non conseruatur sola venia, delinquenti data; at omnino inquisitionis abolitione plena.

§. 100. Princeps in fauorem liberorum, a delinquente nobilitate iam commissa procreatorum, horum nobilitatem auitam potest quidem restituere; at tunc in iis casibus, in quibus certus nobilium maiorum numerus requiritur, delinquens non numeratur.

---

# TITVLVS DECIMVS.

## De officialium s. ministrorum regni iuribus et obligationibus.

Principia generalia.

§. 1. Officiales s. ministri militares et ciuici in primis sunt destinati, ad tuendum et promouendum regni securitatem, bonum ordinem et salutem.

§. 2. Praeter officia subditorum generalia, regni principi fidem et obedientiam debent singularem.

§. 3. Praeter ea quisque pro muneris conditione, et instructionis sententia, ad operas singulares regno addictus est sacramento et officio.

I. Officiales militares.

§. 4. Singulares ordinis militaris obligationes praecipue determinatae sunt legibus militaribus (*Kriegs-Artikel*) et constitutionibus aliis, eo pertinentibus.

Leges, ex quibus sunt diiudicandi.

§. 5. Praefecti et subpraefecti (*Ober- und Unterofficiers*) nobiles in causis priuatis personalibus suis iisdem legibus sunt subiecti, quibus nobiles prouinciae, in qua sunt eorum statiua.

Source : BIU Cujas

§. 6. Praefecti militum originis ciuicae in eiusmodi cauſis ſ. negotiis diiudicantur iuribus exemtorum vrbis, in qua collocati habent ſtatiua.

§. 7. Subpraefecti ex ordine ruſtico aut ciuico, atque milites gregarii, parent iuribus legibusque loci, vbi regimenti aut cohortis, cuius ſunt, ſolita ſunt ſtatiua.

§. 8. In caſibus, vbi forma externa aut actus ſolennitas attenditur, eiusmodi ſubpraefectis et militibus gregariis, eiusmodi actum vel eo loco, quo habent ſtatiua, ſuſcipientibus, competit electio: vtrum ſtatuta malint, an iuris communis leges ſequi.

§. 9. Milites, quibus commeatus eſt datus (*Beurlaubte*), diiudicantur in perſonalibus quoque negotiis ſuis, ad militiam non pertinentibus, ex iuribus loci, quo commeatu durante commorari ſolent.

§. 10. At inde tamen forum eorum perſonale ipſum in regula non mutatur.

§. 11. De perſonis militaribus in genere, ſub patria poteſtate adhuc conſtitutis, valent, nulla fori ipſarum priuilegiati ratione habita, intuitu negotiorum ipſarum perſonalium leges eaedem, quibus ſubiectus eſt pater.

§. 12. Ex iuribus hic ipſis conceſſis diiudicantur milites omnes, licet ſint in itinere, in caſtris, in agris aut hibernis (*Cantonirungs- oder Winterquartieren*) collocati, in ſtatiuis durante bello, aut ad milites conquirendos miſſi (*auf Werbung*).

§. 13. Milites ſine discrimine omnes intuitu fundorum, quos poſſident, actuumque et obligationum ad fundos pertinentium, ſubiecti ſunt rei ſitae iuribus et foro.

§. 14. Praefecti militum, ad milites prouinciales (*Landmiliz*) pertinentes, aut ad cohortes alias perpetuo non ſubſiſtentes, exemtorum in prouincia gaudent iuribus; at contra ſubpraefecti et milites gre-

Source : BIU Cujas

garii aequiparantur militibus, quibus commeatus eſt datus.

§. 15. Milites inualidi, regimento adhuc obligati, aut in cohortem adhuc collecti, pro veris habentur militibus; at inualidi alii omnes pro exauctoratis.

§. 16. Milites foro perſonali priuilegiato gaudent. Iura militum ſingularia;

§. 17. In regula immunes ſunt ab oneribus et obligationibus reliquorum regni ciuium omnibus.

§. 18. Cuius regulae exceptiones definitae ſunt ſanctionibus ſingularibus.

§. 19. Si fundos poſſident, ferre eos oportet onera cum fundorum poſſeſſione coniuncta omnia.

§. 20. Milites ne interpellent in iure ſuo ordinem ciuium.

§. 21. Quaeſtum ciuicum alium ipſis facere non licet, niſi ſecundum loci cuiusque conſtitutionem politiae ſingularem expreſſe iis permiſſum, accedente regimento praefecti (*Regiments-Chef*) approbatione. Intuitu quaeſtus ciuici;

§. 22. Milites gregarii in genere quoque tanquam boëthi operas praeſtare magiſtris aliis poſſunt.

§. 23. Si, antequam ad militiam acceſſerunt, ius magiſtri ipſum ſunt conſecuti, durante militia quoque continuare quaeſtum poſſunt, conſentiente regimento praefecto (*Chef*).

§. 24. Praeter regimento praefecti conſenſum in caſu vtroque (§. 22. 23.) requiritur quoque conſenſus magiſtratus ciuilis, cui cura politiae loci demandata eſt.

§. 25. Eiusmodi milites quaeſtum ciuilem facientes (§. 23.) praeſtare oportet onera et officia ciuilia omnia, opificum collegii leges obſeruare, et in rebus ad opificium, politiam, militum demenſum (*Servis*) et collocationem pertinentibus loci magiſtratui morem gerere.

§. 26. Quatenus eiusmodi milites in cauſis perſonalibus, ad quaeſtum ipſorum pertinentibus, ſubiecti

Source : BIU Cujas

ſint iudiciis regimenti, aut loci ciuilibus ordinariis, in ordinatione proceſſus determinatur.

intuitu fundorum.

§. 27. Subpraefectis et militibus gregariis, dum actu militant, neque tradantur fundi et domus ciuium, neque res agrariae (*Ackerwirthſchaften*), niſi expreſſe conſentiat regimento praefectus (*Chef*).

§. 28. Dum hic conſenſus non eſt impetratus, iudici neque licet, acquiſitionis pactum militis eiusmodi confirmare; neque eius poſſeſſionis titulum in libro hypothecario notare; neque ipſum in licitationibus iudicialibus ad licitandum admittere.

§. 29. Nullus praedii dominus obligatur, ad admittendum eiusmodi militem emtorem et praeſtatorem fundi ſubiecti, ex quo operae naturales ſunt praeſtandae.

§. 30. At contra ſubpraefecti et milites gregarii poſſidere poſt quoque poſſunt fundos omnes, quos iam poſſederunt ad militiam accedentes.

§. 31. Neque excludi poſſunt a ſuſcipiendis eiusmodi fundis, qui ipſis, durante militia, hereditate, legato, donatione, aut nuptiis deferuntur.

§. 32. Si ipſis eiusmodi fundi cum aliis tantum coheredibus communiter ſunt delati; locus eſt praeceptis §. 27. 28. 29, ſi eos cupiunt accipere in poſſeſſionem ſolitariam.

§. 33. In caſibus omnibus milites fundos poſſidentes non ſolum oportet ferre onera fundis inhaerentia, ſed praeſtare etiam, aliorum inſtar, praeſtationes cum fundorum poſſeſſione coniunctas perſonales. (§. 19.)

§. 34. Si militia impediuntur, quo minus ipſi praeſtationes perſonales praeſtent; ad eas praeſtandas eos oportet ſubſtituere perſonas idoneas alias.

§. 35. Subpraefecti et milites gregarii neque alienare neque oppignerare poſſunt fundos, niſi accedat regimento praefecti, aut primi poſt eum praefecti

(*Chefs*

Source : BIU Cujas

(*Chefs oder Commandeurs*) conſenſus ſcriptus, regimenti ſigillo munitus.

§. 36. Neque ipſis tradantur ſortes et hereditates, ſine eiusmodi ſcripto conſenſu regimento praefecti aut primi poſt eum. intuitu ſortium et hereditatum;

§. 37. Alienationes et oppignorationes, in quibus praeceptum §. 35. non eſt obſeruatum, ſunt nullae.

§. 38. Quidquid absque conſenſu §. 36. praeſcripto eſt ſolutum, opponi tantum poteſt iis, quibus eſt ſolutum, aut eorum heredibus, at non tertio, et multo minus regimento, aut aerario militum inualidorum, quibus ius eſt ad ipſorum bona.

§. 39. De ſortium vſuris, et fundorum reditibus, ſubpraefecti quoque et milites gregarii libere poſſunt disponere.

§. 40. Atque etiam in reditibus ex quaeſtu ſuo reliquo nullis ſubiecti ſunt limitationibus ſingularibus. intuitu aliorum negotiorum.

§. 41. Singularia iura militum intuitu praeſcriptionis, facultatis mutuum contrahendi, vltimae voluntatis diſpoſitionum, nuptiarum, et tutorum liberis conſtituendorum, ſuo loco ſunt determinata. (P. I. Tit. IX. §. 522. Tit. XI. §. 678-703. Tit. XII. §. 177 ſqq. P. II. Tit. I. §. 34. 35. 950. Tit. XVIII. Sect. II.)

§. 42. De litibus contra milites inſtitutis bello exorto differendis, atque de immunitate a ſportulis, ſubpraefectis et militibus gregariis competente, in proceſſus ordinatione agitur.

§. 43. Subpraefectorum et militum gregariorum vxores et liberi, apud maritos aut patres in ſtatiuis non commorantes, ſubiecti manent foro domicilii. Militum vxores et liberi.

§. 44. At intuitu vxorum tamen locus eſt, vti de maritis, limitationibus §. 27-36. praeſcriptis.

§. 45. Lites talium vxorum cum maritis, licet vxor maritum in ſtatiua non ſit ſecuta, nihilo minus in mariti foro ſunt agendae.



Source : BIU Cujas

§. 46. Vxores maritos in ſtatiua ſecutae retinent mariti forum priuilegiatum et iura, dum maritus viuit, et re vera adhuc pertinet ad ordinem militarem.

§. 47. Matrimonio militis per iudicis ſententiam diſſoluto aut ſublato, vxor, licet alias ſecundum generalia iuris principia mariti ordinem et dignitatem retineat, nihilo minus non amplius ſubeſt iurisdictioni militari, ſed ciuili illi, cui maritus exauctoratus foret ſubiectus.

Militiae adſcripti *(Cantoniſten)*.

§. 48. Militiae adſcripti (*Cantoniſten*), nondum regimento additi et ſacramento adacti, ad ordinem militarem nondum pertinent.

§. 49. Eiusmodi tamen hominibus non licet, conſiliario prouinciali aut loci magiſtratu inſcio, discedere a patria, neque a prouincia, camera redituum prouincialium inſcia.

§. 50. Quod ſi nihilo minus fecerint, et vocati a parentibus atque agnatis vel cognatis iſti non poſſint, neque locus doceri, quo commorantur; inde contra eos legalis exoritur praeſumtio, ex regno eos exceſſiſſe, quo militiam fugerent.

§. 51. Si militiae adſcripti absque regimenti, cui ſunt adſcripti, venia elegerunt vitae genus, quod non poteſt conſiſtere cum eorum deſtinatione ad futuram militiam; eo vitae genere tueri ſe non poſſunt ab obligatione militandi, ſimulac vocantur.

§. 52. Quae regni incolarum claſſes adſcriptioni militari ſint obnoxiae, et quae cauſae excuſandi a militia in his claſſibus locum inueniant, in conſtitutionibus de adſcriptione militari eſt praeſcriptum.

Officiales militares *(Kriegsbeamte)*.

§. 53. Officiales, qui non militiae quidem ipſi, rei tamen militari in exercitu aut in ſtatiuis ſunt obligati, ad ordinem pertinent militarem.

§. 54. Quibus an praefectorum an ſubpraefectorum iura competant, definitur dignitate, in exercitu ipſis aſſignata.

Source : BIU Cujas

§. 55. At legibus tamen militaribus (*Kriegsartikeln*) non sunt subiecti, quatenus istae latae sunt tantum militibus, qui militiae sacramento ad vexillum solent obstringi.

§. 56. Officiales inferiores et serui rei militari obligati, dum accipiunt stipendia, aequiparantur militibus gregariis.

§. 57. Militum famuli iurisdictioni militari quidem subsunt; Famulitium.

§. 58. At in negotiis personalibus suis omnibus subiecti sunt statiuorum legibus.

§. 59. Exceptiones, in ordinis militaris commodum intuitu testamentorum etc. factae, famulis eatenus tantum competunt, quatenus eiusmodi exceptiones fiunt necessariae eo, quod iudicia ciuilia rite composita vel plane vel procul absunt.

§. 60. Personae aliae castra sequentes, rei militari non obligatae, ad ordinem militarem non pertinent; Personae aliae castra sequentes.

§. 61. At iurisdictioni militari subsunt, dum in exercitu commorantur.

§. 62. Si eiusmodi personae certis regimentis, aut aliis militum cohortibus, nosocomiis castrensibus, horreis, et rei pistoriae etc. rite sunt constitutae; pro muneris ac dignitatis conditione cum officialibus §. 53. 56. iura habent aequalia.

§. 63. At contra, quod attinet ad officiales ciuiles, moto tantum exercitu tanquam commissarios militares, aut aliorum eiusmodi institutorum curatores delegatos, et deinde ad munus suum proprium redeuntes; hac delegatione, ad tempus facta (interimistica), nihil mutatur in eorum iuribus priuatis et foro.

§. 64. Ordo militaris, et iura et obligationes cum eo coniunctae, cessant morte, et expressa ex militia dimissione. Quomodo quis miles esse desinat?

§. 65. Quamdiu miles exauctoratus aliud domicilium sibi non elegit, inde a dimissionis tempore subest



Source : BIU Cujas

ſtatiuorum legibus et iudiciis, quibus perſonae ciuiles eiusdem originis ſunt ſubiectae.

§. 66. At militi tamen ordinis ciuici, cum praefecti dignitate dimiſſo, exemtorum forum et iura competunt.

§. 67. Quid iuris ſit de ſubpraefectis et militibus gregariis dimiſſis, ex natiuitate praedii ſubditis, in tituli ſeptimi §. 540. ſqq. eſt definitum.

II. Officiales ciuiles.

§. 68. Omnes regni officiales, ad ordinem militarem non pertinentes, veniunt ſub appellatione officialium ciuilium generali.

§. 69. Eiusmodi officiales vel immediatis regni officiis funguntur, vel officiis collegiorum, corporum et vniuerſitatum, regno ſubordinatarum.

Eorum conſtitutio.

§. 70. Ne cui demandetur munus, qui muneri fungendo non eſt idoneus, neque ſpeciminibus editis ſe praeſtitit idoneum.

§. 71. Cui ius competat, muneribus ciuilibus diuerſis officiales praeficiendi? quis obtinere eiusmodi munera poſſit? et quae praeparationes et tentamina debeant praecedere? ea pro negotiorum et graduum eiusmodi munerum diuerſitate legibus et inſtructionibus ſpecialibus ſunt definita.

§. 72. Qui corruptionibus aut viis aliis illicitis muneri ſe infert, eo ſine mora eſt priuandus.

§. 73. Nulla ſunt et irrita pacta et promiſſa omnia, quibus alicui, pro munere conferendo, commoda priuata ſunt promiſſa, aut actu conceſſa.

§. 74. Quin et conuentiones inter officialem munus deponentem eiusque ſucceſſorem, quibus illi muneris redituum pars debet reſeruari, eatenus tantum valent, quatenus ab inſtantia praepoſita expreſſe ſunt approbatae.

§. 75. Qui ſcienter munus committit parum idoneo, regno atque ſingulis eius ciuibus tenetur ad reſarciendum damnum omne, ex inſcitia et inhabilitate eiusmodi officialis ortum. (Tit. XX. Sect. VIII.)

Source : BIU Cujas

§. 76. Nemo proprio ausu functionem sibi arroget muneris, quod ei ab instantia praeposita non est assignatum.

§. 77. Quod qui facit, et eiusmodi muneris vi actus expedit, quos expediendi facultatem ex legibus non habet, eius actus vi carent et effectu.

§. 78. Cui si non deficiunt in genere facultates, ad actus eius generis expediendos necessariae; eius actus quidem, in praeiudicium partium, in regula, et vbi leges speciales aliud non praescribunt, non possunt pro nullis haberi;

§. 79. Ipse vero, et in hoc casu, commisit multam aut poenam carceris arbitrariam, pro ratione gradus culpae, in munere sine iure sibi arrogando admissae; intentionis, ex rebus circumstantibus apparentis illicitae; et effectuum noxiorum ex vsurpatione exortorum, nisi leges speciales poenam propius definiant.

§. 80. Quidquid occasione actuum muneris susceptorum accepit munus sine iure sibi arrogans, debet restituere.

§. 81. Nemo sub multa pecuniaria, decem thalerorum ad trecentos vsque, fisco soluenda, munus sibi arroget, quod modo solenni recepto non est ei demandatum.

§. 82. Resarcire eum oportet damnum omne, ex ea vsurpatione iniusta regno aut tertio oriundum.

§. 83. Qui aerarii officiali aerarium tradit, antequam muneris cautionem praestitit, tenetur de damno omni, inde orto.

§. 84. Titulus et dignitas cum munere coniuncti, vna cum iuribus praerogatiuis, inde dependentibus, iam conceduntur installatione de munere expedita.



Source : BIU Cujas

Eorum iura et obligationes intuitu muneris.

§. 85. Iura et obligationes officialium ciuilium, respectu muneris ipsis commissi, definiuntur legibus de muneribus latis specialibus, atque eorum muneris instructionibus.

§. 86. Ne quis abutatur munere suo ad laedendos aut defraudandos alios.

§. 87. Quae officialis vi sui muneris et ad muneris praecepta agit, de iis ipsi, tanquam de laesione priuata, non potest lis moueri.

§. 88. Munus suscipientem adhibere oportet attentionem diligentissimam, vt officio et religioni conuenienter munere fungatur;

§. 89. Et praestare culpam in munere gerendo commissam omnem, quae adhibita attentione debita, et pro scientiis ad munus gerendum requisitis, euitari potuisset, ac debuisset.

§. 90. Praepositi, qui debita attentione adhibita delicta muneris ipsorum curae commissorum impedire potuissent, praestant damnum, ex negligentia sua oriundum, et regno, et personis priuatis singulis.

§. 91. At in vtroque tamen casu (§. 89. 90.) obligatio damnum praestandi tunc tantum locum obtinet, si non amplius restat aliud medium legitimum, quod possit mederi talis culpae effectibus noxiis.

§. 92. Officiali nulli licet, domicilii locum ad munus gerendum ipsi assignatum relinquere, praepositis suis insciis et non consentientibus.

§. 93. Quatenus ad merum iter et absentiam in tempus aliquod requiratur praepositorum immediatorum aut superiorum venia, definiendum est ex legibus singularibus, cuique officialium classi datis, et ex muneris instructionibus.

Abdicatio, remotio et dimissio.

§. 94. Ab ea instantia, cui ius est officiales muneribus praeficiendi, dimissio quoque a munere est petenda.

Source : BIU Cujas

§. 95. Dimiſſio tunc tantum denegetur, ſi inde damnum graue ſaluti publicae eſt metuendum.

§. 96. At contra officialis, cui de cauſa iſta (§. 95.) denegatur dimiſſio, prouocare poteſt ad principis deciſionem immediatam.

§. 97. At in caſu nullo officiali munus deponenti licet locum relinquere, antequam de noui officialis conſtitutione aut muneris adminiſtratione ad tempus (intermiſſica) diſpoſita ſunt neceſſaria.

§. 98. Praepoſitus aut collegii praeſes nullus ſolus munere priuare aut dimittere poteſt officialem ciuilem inuitum.

§. 99. Quin potius, ſi dimiſſio cognoſcitur neceſſaria, officialis declarationem aut defenſionem legitimam praepoſitum oportet audire, et rem referre ad regni ſenatum (*Staatsrath*), qui de ea cognoſcat.

§. 100. Quae regni ſenatus per plurima vota concludit, ea prorſus et vnice ſunt attendenda.

§. 101. At in muneribus, quorum conſtitutio (inſtallatio) a principe ipſo confirmatur, regni ſenatus concluſum, de muneris priuatione aut dimiſſione, ſemper proponendum eſt principi, qui illud immediate examinet atque confirmet.

§. 102. Muneris connexiones, quarum duratio negotii natura, aut reſeruatione expreſſa, in certum tempus eſt reſtricta, elapſo hoc tempore eo ipſo extinguuntur. (§. 97.)

§. 103. Quae de muneris priuatione aut dimiſſione officialium iuſtitiae locum habeant, in titulo decimo ſeptimo et ordinatione proceſſus ſunt determinata.

§. 104. Officiales ciuiles in negotiis ſuis priuatis iisdem diiudicantur legibus atque iuribus, quibus alii regni ciues. Iura officialium ciuilium in negotiis ſuis priuatis.

§. 105. Officiales regii, tanquam exemti, foro priuilegiato gaudent. (Tit. XVII.)



Source : BIU Cujas

§. 106. Legibus tenentur iisdem, quibus subiectae sunt reliquae eiusdem prouinciae aut eiusdem loci personae, ab iurisdictione communi exemtae.

§. 107. Eadem iura retinent, licet iurisdictionis exercitium iudicio inferiori alii fuerit delegatum.

§. 108. Officiales, qui non immediate regni munera sustinent, sed collegiorum, corporum et vniuersitatum aliarum, regno subordinatarum, in regula non habent forum priuilegiatum, et ex domicilii legibus diiudicantur.

§. 109. At vero, quatenus eiusmodi officiales nobili genere sunt orti, aut a principe dignitate ornati, officialium regiorum instar fori priuilegiati iuribus fruuntur.

§. 110. Idem valet de iis, qui munere regio et ciuili alio simul funguntur.

§. 111. Exceptiones regularum §. 109. 110. definitarum probandae sunt priuilegiis et constitutionibus specialibus.

§. 112. Ratione quoque iurium, onerum et obligationum ciuilium officiales regii pro exemtis sunt habendi.

§. 113. Officiales ciuiles alii eiusmodi exemtionem sibi arrogare nequeunt, nisi ea ipsis speciatim expresse fuerit concessa.

De officialium collegiis.

§. 114. Si officiales plures collegio sunt coniuncti; de eorum conuentibus, deliberationibus et conclusis in regula valent eadem, quae in titulo sexto de societatibus et corporibus publicis sunt praescripta.

§. 115. At eiusmodi tamen collegia, ne vnanimi quidem omnium consensu, conclusis suis mutare possunt institutiones, a principe aut instantia ipsis praeposita factas.

§. 116. Neque auctoritate propria possunt disponere de totius collegii fundis, iuribus, sortibus et reditibus.

Source : BIU Cujas

§. 117. De collegii iuribus absque inſtantiae praepoſitae approbatione tranſigere nihil poſſunt.

§. 118. Res, quarum tractatio ad collegium pertinet, per plurima vota ſunt decidendae.

§. 119. Collegii praeſidem immediatum ipſum oportet in rebus, quarum tractatio ad collegium pertinet, votis pluribus ſe ſubmittere. Collegiorum talium praeſides.

§. 120. Collegii praeſidi ius tantum competit, vota colligendi, et concluſum ad eorum pluralitatem concipiendi.

§. 121. Si vero membrorum vota de re aliqua ſunt paria, res eius voto deciditur.

§. 122. Externus collegii ordo, et quae ad eum pertinent, prorſus a praeſidis directione pendent.

§. 123. At ordinem tamen hactenus receptum mutare illi non licet, ſi negotiorum proceſſus mutatione interrumpatur aut retardetur.

§. 124. Inſtructionem collegio expreſſe praeſcriptam auctoritate propria mutare ipſi non licet.

§. 125. Praeſidis rationes in votis colligendis §. 120. 121. definitae illi quoque competunt, qui praeſidis abſentis vice fungitur.

§. 126. At contra eiusmodi praeſidi ad tempus (interimiſtico) non licet, mutare ordinem hactenus in collegio obſeruatum.

§. 127. Negotia, quae toti collegio incumbunt, ab omnibus eius membris ſunt praeſtanda. Obligatio damna data reſarciendi.

§. 128. Quatenus membra damnum dolo aut culpa exortum praeſtent, tanquam debendi correi, aut quodque eorum tantum pro rata, definiendum eſt ex generalibus legum praeceptis. (P. I. Tit. VI. §. 29. ſqq.)

§. 129. Si in caſibus iis, in quibus membrum quodque de rata ſua tantum tenetur, membri vnius aut alterius rata exigi nequit, reliqua membra partibus aequalibus eam praeſtare oportet.



Source : BIU Cujas

§. 130. Collegium a litis conteſtatione non liberat exceptio, culpam eſſe exortam ex falſa membri relatione; aut decreto ab iſto membro concepto, collegii concluſo non reſpondente; aut eiusdem factis aliis officio contrariis, aut negligentia.

§. 131. At vero, ſi ex cognitione apparet, hanc exceptionem eſſe veram; actorem praecipue oportet contra illud membrum agere, quod eam culpam immediate admiſit.

§. 132. Poſt hoc membrum tenetur praeſes, ſi adhibendo attentionem, vi muneris ſui ipſi incumbentem (§. 90.), culpam admiſſam cauere aut auertere potuiſſet et debuiſſet.

§. 133. At membra reliqua non tenentur, niſi vtroque deficiente, et eatenus tantum, quatenus leges ſingulares ipſis praecipue expreſſe tanquam officium iniunxerunt attentionem propriam ad collegarum facta, in huius generis negotiis.

§. 134. Praeſes, qui negotium expediuit, collegio non in conſilium adhibito, vel adhibitis tantum quibusdam membris, ſolus tantum, aut cum membris tantum in conſilium adhibitis, ad damnum reſarciendum tenetur.

§. 135. Membra in conſilium non adhibita tunc tantum ad damnum reſarciendum tenentur, ſi negotium deinde ad collegium eſt relatum, et ab hoc ratum habitum tempore, quo culpae admiſſae occurri adhuc potuit.

§. 136. Si collegium curam diuerſorum generum negotiorum ſuorum inter ſua membra auctoritate propria diſtribuit, inde non mutatur membrorum obligatio, parti damnum reſarciendi.

§. 137. At reliquis tamen regreſſus ad ea membra reſeruatur, quae negotium excluſis caeteris curandum ſuſceperunt, et in eo culpam admiſerunt.

Source : BIU Cujas

§. 138. At vero, si legibus, instructionibus de munere, aut superiorum praeceptis certa negotiorum genera, vni aut quibusdam membris exclusis caeteris, curanda sunt demandata; haec praestare oportet culpam in iis curandis admissam, et quidem, si sunt eorum plura, secundum praeceptum §. 127. 128. 129.

§. 139. Si vni negotium proprie curandum, reliquis vero cura de isto gerenda singularis eo modo est demandata; haec tantum praestant negligentiam in hac cura admissam.

§. 140. Si eiusmodi socii aut inferiores (*Subalternen*), ad certum negotium speciatim constituti, damnum resarcire nequeunt; praeses et reliqua membra damnum eatenus tantum praestant, quatenus in eligendo aut constituendo subiecto lata aut leuis culpa est admissa, aut cura de negotio gerenda generalis neglecta.

§. 141. In casu nullo collegii membra ad damnum reparandum tenentur, si ipsis non competiit ius votum ferendi de negotio, in quo est culpa commissa;

§. 142. Neque tum, si negotio non interfuerunt, praeside sciente et consentiente;

§. 143. Neque tum, si morbo fuerunt impediti, quo minus collegii conuentui interessent;

§. 144. Neque tum denique, si suffragiis superati votum suum scriptum, adductis rationibus, ad acta dederunt.

§. 145. Membrorum heredes quoque damni reparationem, ad quam defunctus fuit obligatus, aeque praestant, ac debita eius alia.

Source : BIU Cujas

# TITVLVS VNDECIMVS.

## De eccleſiarum et ſocietatum eccleſiaſticarum iuribus et obligationibus.

Principia generalia.

§. 1. Regni incolarum notiones de Deo et rebus diuinis, religio, et cultus diuinus internus nequeunt eſſe obiectum legum vi adigentium.

§. 2. Cuique regni incolae religionis et conſcientiae libertas plena eſt permittenda.

§. 3. Nemo obligatur, vt in priuatis ſuis de rebus diuinis opinionibus regni praecepta accipiat.

§. 4. Ne quis ob ſuas de rebus diuinis opiniones turbetur, ad rationes reddendas cogatur, illudatur, multo minus prematur.

§. 5. Vel regnum ipſum a ſubdito declarationem, cui ſocietati religioſae ſe addicat, tunc tantum poteſt exigere, ſi inde actuum quorundam ciuilium vis et validitas pendet.

§. 6. At vel in hoc caſu ipſo cum opinionum alienarum profeſſione ii tantum effectus noxii intuitu profitentis poſſunt coniungi, qui in et per ſe oriuntur ex eius ad actus aut iura quaedam ciuilia inhabilitate, vi legum ea profeſſione fundata.

De cultu diuino domeſtico.

§. 7. Paterfamilias omnis cultum diuinum domeſticum pro arbitrio poteſt ordinare.

§. 8. At vero membra ſocietati religioſae alii addicta cogere non poteſt inuita, vt cultui diuino ſuo domeſtico interſint.

Source : BIU Cujas

§. 9. Conuentus clandeſtini, ex quibus regni ordini et ſaluti periculum eſt metuendum, ne quidem tolerentur ſub cultus diuini domeſtici praetextu.

§. 10. At omnino plures regni incolae, regnante conſentiente, ſacrorum faciendorum ſeu exercitationum ſacrarum cauſa poſſunt coniungi. Societates religioſae.

§. 11. Societates religioſae, ad cultum diuinum publice celebrandum coniunctae, vocantur ſocietates eccleſiaſticae. Societates eccleſiaſticae.

§. 12. Societates religioſae, exercitationum ſacrarum ſingularium certarum aliarum cauſa coniunctae, ſub nomine ſocietatum clericalium veniunt. Societates clericales.

## Sectio Prima.

### *De ſocietatibus eccleſiaſticis in genere.*

§. 13. Societas eccleſiaſtica omnis obligatur, vt imbuat membra ſua pietate erga Deum, obedientia erga leges, fide erga regnum, et erga conciues animi ſenſis et affectionibus bonis. Principium.

§. 14. Religionis principia huic legi contraria in regno non tradantur, et neque verbis ore prolatis neque in ſcriptis populo oblatis diuulgentur. Societates eccleſiaſticae illicitae,

§. 15. Regno ſoli ius competit, eiusmodi principia examinatione inſtituta reiiciendi, et eorum diuulgationem prohibendi.

§. 16. Membrorum ſingulorum opiniones priuatae non praebent cauſam ſocietatem religioſam improbandi.

§. 17. Societates eccleſiaſticae, a regno expreſſe receptae, iuribus gaudent corporum priuilegiatorum. publice receptae;

§. 18. Aedificia ab iis ad celebrandum cultum ipſarum diuinum deſtinata vocantur aedes ſacrae ſ. templa, et habenda ſunt priuilegiata regni aedificia.

Source : BIU Cujas

§. 19. Perſonis, quae in eiusmodi ſocietatibus eccleſiaſticis ad ſacra adminiſtranda et ad inſtituendum in rebus diuinis alios ſunt conſtitutae, eadem competunt iura, quae aliis regni officialibus.

toleratae. §. 20. Societas religioſa, quam ſtatus quidem approbauit, cui vero non conceſſit iura ſocietatum eccleſiaſticarum publice receptarum, fruitur tantum ſocietatum toleratarum iuribus. (Tit. VI. §. 11. ſqq.)

§. 21. Societas eccleſiaſtica omnis, qua talis ad iura eccleſiae toleratae prouocare cupiens, coram regno rite compareat neceſſe eſt, et probet, opiniones ab ipſa traditas nihil in ſe continere, quod ſit principio §. 13. contrarium.

§. 22. Societati eccleſiaſticae toleratae liberum cultus diuini priuati ſui exercitium conceditur.

§. 23. Ad quod exercitium pertinet inſtitutio conuentuum religioſorum in certis aedibus, ad eum finem deſtinatis, atque exercitium rituum principiis religionis conuenientium, et in his conuentibus, et in priuatis membrorum aedibus.

§. 24. At ſocietas eccleſiaſtica mere tolerata eiusmodi aedificiorum dominium non poteſt acquirere absque ſpeciali regni venia.

§. 25. Ei non licet, vti campanis, aut inſtituere ſolennitates publicas extra moenia domus, in qua conueniunt.

§. 26. Perſonae ad celebrandos actus ſacros ab ea conſtitutae fruuntur, qua tales, iuribus ſingularibus perſonalibus nullis.

Rationes ſocietatum eccleſiaſticarum erga regnum. §. 27. Societates religioſae atque eccleſiaſticae tam publice receptae, quam mere toleratae, in rebus omnibus, quae ipſis cum ſocietatibus ciuilibus aliis ſunt communes, regni legibus obtemperent neceſſe eſt.

§. 28. Quibus legibus ſuperiores quoque, et membra ſingula, in vitae ciuilis caſibus omnibus ſunt ſubiecti.

Source : BIU Cujas

§. 29. Quibus ſi propter eccleſiae dogmata, exemtio de certis legibus debeat competere; ea exemtio a regno expreſſe permiſſa ſit neceſſe eſt.

§. 30. Quo non facto, eiusmodi dogma ſequens non quidem poteſt cogi ad faciendum aliquid, de cuius contrario ipſi eſt certo perſuaſum.

§. 31. At eum oportet ferre effectus noxios, ex lege non obſeruata oriundos.

§. 32. Religionis exercitium priuatum et publicum ſocietatis eccleſiaſticae cuiusque ſubeſt ſupremae regni curae.

§. 33. Regno ius competit, notitiam ſibi comparandi eorum, quae traduntur et aguntur in ſocietatis eccleſiaſticae conuentibus.

§. 34. Ordinatio dierum publicorum ſupplicationis, gratiarum actionis et feſtorum aliorum extraordinariorum vnice pendet ab regno.

§. 35. Quatenus feſta eccleſiaſtica iam ordinata, intermittendis operis manuariis et quaeſtibus ciuilibus omnibus ſint celebranda, vel minus, definire regnum ſolum poteſt.

§. 36. Societates eccleſiaſticae plures, licet eandem fidei formulam profitentes, inter ſe nexu nullo neceſſario ſunt coniunctae. erga ſocietates eccleſiaſticas alias;

§. 37. Societatibus eccleſiaſticis non magis licet, ac ſingulis earum membris, ſe inuicem perſequi aut laedere.

§. 38. Conuicia et criminationes, exacerbationis cauſam dantes, omnino prorſus ſunt euitandae.

§. 39. Proteſtantium ſocietates eccleſiaſticae, confeſſioni auguſtanae addictae, membris ſuis inuicem non denegent participationem religionis actuum vel ipſis propriorum, ſi illis in propinquo non ſit confeſſionis ipſorum inſtitutum eccleſiaſticum, quo poſſint vti. erga ſua membra.

§. 40. Ciui regni cuique, quem leges cenſent habilem, qui pro ſe ipſe iudicet, libera ſit electio, cui ſe velit ſocietati religioſae addicere. (T. II. §. 74. ſqq.)

Source : BIU Cujas

§. 41. Tranſitus a ſocietate religioſa alia ad aliam in regula ſit declaratione expreſſa.

§. 42. Si quis actus et ritus religioſos eos participat, quibus ſocietas alia ab alia eſſentialiter diſcernitur, hoc ipſum vim habet declarationis expreſſae, niſi contrarium ex circumſtantiis clare apparet. (§. 39.)

§. 43. Societas religioſa nulla ſibi arroget, ſocietatis alius membra vi aut perſuaſionibus fraudulentis inducere ad deferendam ſocietatem ſuam.

§. 44. Sub praetextu ſtudii religionis promouendae nemini licet, pacem turbare domeſticam, aut familiae iura laedere.

§. 45. Societati eccleſiaſticae nulli competit ius, membris ſuis obtrudendi religionis leges, perſuaſioni eorum certae repugnantes.

§. 46. De cultus diuini forma et celebratione externa, ſocietas eccleſiaſtica quaelibet poteſt inſtituere, quae conueniunt.

§. 47. At eiusmodi inſtitutiones, ſecundum principium §. 13. determinatum, proponendae ſunt regno, quod eas examinet.

§. 48. Approbatione ſubſecuta cum aliis politiae legibus eandem vim habent, et obligationem eandem producunt.

§. 49. At neque mutari poſſunt, neque abrogari, ſine regni conſenſu.

§. 50. Societatis eccleſiaſticae membrum quodlibet obligatur, vt ſe ſubmittat diſciplinae eccleſiaſticae receptae.

§. 51. Eiusmodi diſciplina eccleſiaſtica non tendat, niſi ad tollendam offenſionem publicam.

§. 52. At degeneret nunquam in poenas corporis afflictiuas, honoris, aut rei familiaris.

§. 53. Si eiusmodi poenae ſunt neceſſariae ad conſeruandum ordinem, tranquillitatem et ſecuritatem in ſocietate eccleſiaſtica; diſpoſitio relinquenda eſt magiſtratui a regno conſtituto.

§. 54.

Source : BIU Cujas

§. 54. Si membra ſingula factis publicis cultus diuini et rituum ſacrorum contemtionem ſignificant, aut alios in deuotione turbant; ſocietati eccleſiaſticae ius competit, eiusmodi membris indignis, dum ad meliorem mentem non redeunt, aditum ad coetus ſuos denegandi.

§. 55. Ob ſolas opiniones, a communi fidei confeſſionis formula alienas, membrum nullum poteſt excludi.

§. 56. Litis de excluſionis iure exortae deciſio regno competit.

§. 57. Quatenus cum eiusmodi excluſione effectus, famae ciuili noxii, ſunt coniuncti, ante poenam excluſionis infligendam regni conſenſus impetretur neceſſe eſt.

## Sectio Secunda.

### *De ſocietatum eccleſiaſticarum membris.*

§. 58. Societas eccleſiaſtica conſiſtit ex membris cleri et laecularibus.

§. 59. Clerici vocantur, qui in eccleſia chriſtiana conſtituti ſunt, vt alios in religionis doctrinis inſtruant, cultum diuinum curent, et ſacramenta adminiſtrent. Clerici.

§. 60. Nemini licet, ſe muneri dicare clerici, neſciis et non approbantibus iis, quorum conſenſus in eligendo vitae genere requiritur. (Tit. II. §. 109. Tit. XVIII. Sect. VI.) Eorum requiſita.

§. 61. Ad clerici munus admittatur nemo, ſine ſcientiarum et vitae ante actae examine accurato praeuio.

§. 62. Quae ad munus clerici requiruntur reliqua, pro ſocietatum religioſarum diuerſitate, harum reſeruantur legibus fundamentalibus et conſtitutionibus, a regno approbatis.

§. 63. Ius exequendi actus clerici muneris omnes conceditur conſecratione. Conſecratio. *(Ordination.)*



Source : BIU Cujas

§. 64. Subditi regii absque singulari venia consecrationem ad clericorum munera ab externis institiis non petant, aut accipiant.

§. 65. Consecratio concedatur nemini, antequam ei oblata est occasio suscipiendi munus clerici, victum ipsi praebens.

Iura et obligationes intuitu muneris.

§. 66. Sacerdotis catholici iura et obligationes singulares, intuitu muneris clericalis actuum, determinatae sunt praeceptis iuris canonici; at clericorum protestantium ordinationibus consistorialibus et ecclesiasticis.

§. 67. Clericos omnes, sub muneris amissione, praecipue operam dare oportet vitae honestae, et quae populo non sit offensioni;

§. 68. Et in rebus mediis diligenter euitare occasionem omnem, qua possent ecclesiae membra offendi;

§. 69. Cauere, ne se non vocati vltro immiscеant rebus priuatis et familiarum;

§. 70. Operam in eo collocare, vt prudentia et lenitate amorem et fiduciam ecclesiae sibi comparent;

§. 71. In genere in doctrina et vita auditoribus praebere bonum exemplum lenitatis et concordiae studii, vel erga societatum religiosarum aliarum socios;

§. 72. Et admonere personas, ad familiam suam pertinentes, vt studeant moribus honestis, placidis et modestis;

§. 73. Muneris concionibus et institutioni publicae, in offensionem ecclesiae membrorum, nihil immiscere, quod est principiis societatis religiosae suae fundamentalibus contrarium.

§. 74. Quatenus de horum principiorum fundamentalium falsitate persuasi munus continuare nihilo minus possint, ipsorum conscientiae relinquitur.

§. 75. Extra aedem quoque sacram oportet clericos, quibus societatis ecclesiasticae cura est commissa, indefesso elaborare, vt ecclesiae membra edoceant, eorumque mores et animi sensa emendent.

Source : BIU Cujas

§. 76. Ius ipſis competit, membra priuatim admonendi, quatenus in admonendo lenitatem adhibent et modeſtiam.

§. 77. Si cui eccleſiae membro delicta intra priuatos parietes ob oculos ponunt, non obligantur, vt indicent fontem, vnde delictorum notitia ad eos peruenit.

§. 78. Eiusmodi admonitiones, intra priuatos parietes factae, nunquam pro iniuriis habeantur.

§. 79. In quibus ſi ex lenitatis et modeſtiae defectu delinquunt, cleri ſuperiores eos ideo admonere oportet.

§. 80. Quidquid clerico ſub confeſſionis, aut taciturnitatis muneris clericalis ſigillo eſt concreditum ſeu commiſſum, ſub muneris amiſſione celare eum oportet.

§. 81. Neque adigi poteſt clericus eo, qui talia ipſi commiſit, non volente, vt de iis in iudicio perhibeat teſtimonium

§. 82. At clericum ipſi commiſſa indicare magiſtratui eatenus oportet; quatenus eorum reuelatio eſt neceſſaria, ad auertendum periculum regno imminens; aut cauendum delictum; aut ad ſanandos vel praecauendos delicti iam commiſſi effectus noxios.

§. 83. In concionibus publicis clericum omnem abſtinere oportet ab contumeliarum aculeis perſonalibus omnibus.

§. 84. Deſcriptiones vitiorum in eccleſia praeualentium non ſunt contumeliarum aculei.

§. 85. At in eas degenerant, ſi perſonae nominantur, aut circumſtantiis indiuiduis ſecundariis manifeſtantur.

§. 86. Clerico nulli licet, auctoritate propria vllum eccleſiae membrum excludere a cultu diuino celebrando, aut a ſacramentis.



Source : BIU Cujas

§. 87. Si dubitat, an quis possit admitti, huic istam dubitationem tempore iusto prudenter atque leniter indicet necesse est.

§. 88. Qui si nihilo minus admitti perseueranter postulat, clericum oportet casum, celato nomine, ad cleri superiores referre, eorumque decisionem sequi.

§. 89. In iis tantum casibus, si quis ad cultus diuini actum ebrius, aut vestibus, quae sunt offensioni, indutus, aut modo alio in eo statu comparet, in quo sine offensione manifesta et graui ecclesiae et eorum, qui actus huius sunt participes, nequit admitti; in iis tantum casibus clerico talem hominem liceat reiicere, vsque donec instantia superior vlterius disponit.

§. 90. Semel reiectus (§. 87. 89.) decisionem cleri superiorum debet expectare.

§. 91. Clericus nullus vi externa adigere potest ecclesiae membrum, vt cultui diuino interfit, et sacramentis vtatur.

§. 92. Neque salutandi causa licet clerico, quemquam domi conuenire, aut aegrotum visere, qui declarauit, visitationes eas ipsi displicere.

Iura et obligationes clericorum in negotiis priuatis.

§. 93. Clerici neque ipsi, neque per familiam in ipsorum domo degentem, mercaturam aut quaestum ciuicum possunt facere.

§. 94. Quibus si fundorum certorum fructus percipiendi in eorum victum sunt assignati, ipsis liceat, eos colere, et fructus inde perceptos vendere.

§. 95. Quo casu excepto iis, consensu tantum superiorum, oeconomiam licet exercere, et eatenus tantum, quatenus potest fieri munere non neglecto.

§. 96. Clerici societatum ecclesiasticarum a regno priuilegiatarum, tanquam regni officiales, in regula immunes sunt ab oneribus et obligationibus ciuium communium personalibus.

§. 97. Foro priuilegiato fruuntur.

Source : BIU Cujas

§. 98. In vitae ciuilis negotiis clerici omnes, nulla societatis religiosae ratione habita, regni legibus diiudicantur.

§. 99. Secundum has leges clericis, et protestantibus, et catholicis saecularibus, liberum est, de bonis suis disponere.

§. 100. Ad bona eorum libera ea quoque pertinent, quae ex muneris clericalis reditibus acquisiuerunt.

§. 101. Vbi leges prouinciales, aut statuta a regno approbata, ecclesiae ius successionis in certam horum bonorum partem concedunt, ibi tantum istae leges et statuta obseruantur.

§. 102. Muneri suo clericali renuntiare quisque potest. Quomodo clerici munus cesset.

§. 103. Crimina et delicta grauia, commissa contra ordinationes ecclesiasticas et muneris clericalis officia, in illis praescripta, et vita, quae est offensioni, clerici remotionem a munere fundant.

§. 104. Renuntiatione ordinis clericalis publica, cleri superioribus declarata, et clerici a munere remotione, amittuntur iura externa cum munere coniuncta omnia.

§. 105. Neque remoto clerico sub comminatione poenae seuerae licet, muneris actus administrandos amplius sibi arrogare.

§. 106. Quod si nihilo minus fecerit, muneris actus, quos sibi arrogat, validitatem ciuilem habent nullam, et ipse iis, qui inde damnum sentiunt, de damno refarciendo tenetur. (Tit. X. §. 76-82.)

§. 107. Vbi et quomodo sacerdos catholicus munere priuatus charactere quoque clerici priuetur, diiudicandum est ex eius ecclesiae principiis.

§. 108. Saecularibus societatis ecclesiasticae membris ius competit, societatis institutis in actibus suis religiosis vtendi. Membra saecularia.



Source : BIU Cujas

§. 109. In quibus tamen vtendis se submittant necesse est ordini et constitutionibus in hac societate receptis.

§. 110. Dum membra manent societatis, ad conseruanda instituta ecclesiastica secundum societatis constitutiones conferant necesse est.

§. 111. Regnum solum determinare potest, ad quam ecclesiarum diuersarum societatis religiosae suae incolarum quisque, tanquam membrum conferens debeat referri.

§. 112. Regno quoque ius competit, incolam quemque ad obseruandum eos ritus externos et institutiones societatis religiosae, cui est addictus, eatenus adigendi, quatenus inde, vi legum, iurium ciuilium determinatio aut certitudo pendet.

## Sectio Tertia.

### *De societatum ecclesiasticarum superioribus et praepositis.*

De supremo collegio, cui rerum ecclesiasticarum cura est demandata.

§. 113. Iura regno de societatibus ecclesiasticis ex legibus competentia a supremo collegio, cui rerum ecclesiasticarum cura est demandata, eatenus administrantur, quatenus regni principi non sunt expresse reseruata.

§. 114. Praeterea autem societates ecclesiasticae fidei confessionis cuiusque, a regno receptae, superiorum clericorum suorum directioni subsunt.

De episcopis.

§. 115. Apud catholicae fidei socios episcopus est communis praepositus societatum ecclesiasticarum omnium in districtu ipsi assignato.

§. 116 Absque expresso regni consensu societas ecclesiastica nulla potest eximi ab hac subiectione (subordinatione) intuitu dioeceseos episcopi.

Rationes eorum erga regnum.

§. 117. Episcopo nulli licet, in causis ad religionem et ecclesiam pertinentibus, absque regni venia, ordinare noua, aut recipere talia, a cleri superioribus exteris ordinata.

Source : BIU Cujas

§. 118. Pontificis ſummi bullae, breuia et ordinationes clericalium ſuperiorum exterorum omnes, ante publicationem et executionem proponi debent regno, quod eas examinet et approbet.

§. 119. Iura de ſocietatibus eccleſiaſticis, ex legibus regno reſeruata, epiſcopus eatenus tantum poteſt exercere, quatenus ipſi eorum vnum aut alterum a regno expreſſe eſt conceſſum.

§. 120. Dioeceſeos epiſcopo aut eius vicariis non concurrentibus et approbantibus nemo recipiatur in ſacerdotum ordinem, nemini conferatur munus clericale, et ne admittatur quidem quisquam ad docendum publice in eccleſia. Iura dioeceſeos.

§. 121. Epiſcopo cura competit de muneris functione, doctrina et vita clericorum, dioeceſi ſuae ſubiectorum.

§. 122. Qui illi debent reuerentiam, et in rebus ad clerici munus pertinentibus obedientiam.

§. 123. Epiſcopo ius competit viſitandi dioeceſeos eccleſias, quoties ipſi videtur neceſſarium.

§. 124. Iura diſciplinae eccleſiaſticae epiſcopo tantum competunt.

§. 125. Cuius iuris vi adigere poteſt ad obediendum et ad obſeruandum muneris officia clericos ei ſubiectos, infligendis poenis poenitentiariis, multis pecuniariis minoribus, viginti thalerorum ſummam non excedentibus, aut poena quoque carceris, quatuor hebdomadarum ſpatium non excedente.

§. 126. Eccleſiae catholicae clerici, qui in fungendo munere grauia commiſerunt delicta, ſecundum ſententiam iudicii clericalis ſunt puniendi.

§. 127. Diuturnam carceris poenam (§. 125.) et poenas alias corporis afflictiuas infligendi ius neque epiſcopo, neque iudicio clericali competit.

§. 128. In cauſis clericorum ſaecularibus epiſcopus iurisdictionem et ius ferendi ſententiam eatenus



Source : BIU Cujas

ſibi tantum poteſt ſumere; quatenus ipſi hoc ius a regno expreſſe eſt conceſſum.

§. 129. De intereſſe quoque priuato, actus muneris occaſione exorto, deciſio in regula competit iudiciis ſaecularibus.

Vicarii. §. 130. Epiſcopi vice in diuerſis muneris negotiis fungi poſſunt clerici alii, eidem ſubordinati.

§. 131. Quibus eiusmodi vicariatus ſecundum ſingularem cuiusque dioeceſeos conſtitutionem vi muneris competit et incumbit, ad clerum ſuperiorem referuntur.

§. 132. Clericis quoque aliis, in ſingulis muneris ſui actibus, pro arbitrio dare mandata epiſcopus poteſt.

§. 133. Epiſcopi vicarius generalis ſine principis approbatione nequit conſtitui.

§. 134. Cleri ſuperiores omnes regno ad praecipuam fidem et obedientiam ſunt adſtricti.

De epiſcopis exteris. §. 135. Epiſcopo aut clerico ſuperiori alii extero nulli licet, in rebus eccleſiaſticis poteſtatem legislatoriam ſibi arrogare;

§. 136. Neque exercere poteſtatem, directionem, aut iurisdictionem aliam vllam in eiusmodi rebus, absque expreſſo regni conſenſu.

§. 137. Regni ſubditus nullus, ſiue ſit ordinis clericalis, ſiue ſaecularis, ſub vllo praetextu ad iurisdictionem exterorum cleri ſuperiorum poteſt referri.

§. 138. Si eiusmodi cleri ſuperioribus exteris directio aut iurisdictio intra regni fines eſt conceſſa; ad eas adminiſtrandas vicarium a regno approbatum intra regni fines eos oportet conſtituere.

§. 139. Eiusmodi vicarium non ſolum ipſum oportet terminos epiſcopis regni praeſcriptos accurate obſeruare, ſed etiam cauere, ne ſuperiores eius exteri hos limites transgrediantur;

Source : BIU Cujas

§. 140. Quin potius, ſi eius generis quidquam, quod impedire nequit, tentatur, id regno iuſto tempore fide indicare.

§. 141. Ad ſynodos intra regni fines conuocare, regno neſcio et non concurrente, clero non licet; et multo minus poſſunt eiusmodi ſynodorum decreta obſeruari, absque regni approbatione. Synodi.

§. 142. Regni clericis ad ſynodos exteras vocatis, absque ſingulari regni venia non licet, morem gerere.

§. 143. Apud proteſtantes epiſcopi iura et obligationes in rebus eccleſiaſticis, in regula, competunt conſiſtoriis. Conſiſtoria proteſtantium.

§. 144. Ambitus negotiorum, ad conſiſtoria pertinentium, ordinationibus conſiſtorialibus et eccleſiaſticis pro diuerſis prouinciarum et collegiorum conſtitutionibus propius eſt definitus.

§. 145. Conſiſtoria proteſtantium omnia ſubſunt directioni ſupremae collegii regni (ſtatus) miniſterii (*Staats-Miniſterii*), ad eam directionem adminiſtrandam conſtituti.

§. 146. Quo neſciente et approbante in rebus eccleſiaſticis nihil poteſt mutari, et multo minus poſſunt introduci ordinationes eccleſiaſticae nouae.

§. 147. Conſiſtoria mediata, vbi ea ſunt conſtituta, in regula curae ſupremi prouinciae conſiſtorii ſubſunt. Conſiſtoria mediata.

§. 148. Exceptiones huius regulae (§. 147.), et immediata ſubordinatio ſub collegio eccleſiaſtico ſupremo, probari debent.

§. 149. At conſiſtoria ſuperiora non turbent in exercendis ſuis iuribus conſiſtoria mediata ſubordinata.

§. 150. Superintendentes, inſpectores et archipresbyteri, ſunt dioeceſium aut circulorum ſingulorum inſpectores ſubordinati. Superintendentes, inſpectores, archipresbyteri.



Source : BIU Cujas

§. 151. Subsunt directioni episcopi aut consistoriorum, a quibus, approbante regno, eliguntur et constituuntur.

§. 152. Munus eorum proprie tantum consistit in inspectione s. cura de ecclesiis et clericis circuli s. dioeceseos, cui sunt praepositi.

§. 153. Clerici obligantur, vt illis rationem reddant de muneris functione, doctrina et vita, quotiescunque petunt.

§. 154. Quos inspectores inprimis oportet ecclesias rite et diligenter visitare; in iis visitandis diligenter percontari statum et administrationem bonorum ecclesiasticorum, et an templa atque aedificia parochialia sint sarta tecta; et de his atque de muneris functione concionatorum et reliquorum officialium ecclesiasticorum ad superiores praepositos bona fide referre.

§. 155. Sine speciali superiorum mandato iis non competit ius, dispositionibus suis decidendi, et in genere expediendi negotia alia.

Collegia ecclesiastica.

§. 156. Ecclesiarum singularum collegia constant ex clericis atque antistitibus ipsis adiunctis.

§. 157. His iurium societatis ecclesiasticae externorum administratio competit.

§. 158. Inspectioni archipresbyterorum aut inspectorum sunt subiecti (subordinati).

§. 159. In casibus et negotiis extraordinariis ab vniuersitate, ecclesiam constituente, mandatarii aut repraesentantes sunt eligendi, et instructione necessaria instruendi.

## Sectio Quarta.

### *De societatum ecclesiasticarum bonis et facultatibus.*

Bona ecclesiarum quae sint.

§. 160. Ad societatum ecclesiasticarum bona pertinent aedificia, fundi, sortes et reditus omnes, ecclesiae cuique secundum ipsius constitutionem ad externi cultus diuini sustentationem decentem destinati.

Source : BIU Cujas

§. 161. Bona eccleſiaſtica ſunt ſub regni cura et directione ſuprema. Rationes bonorum eccleſiaſticorum ad regnum;

§. 162. Regno ius competit attendendi, vt eccleſiarum reditus in finem deſtinatum impendantur.

§. 163. Cui et ius competit curandi, ne inſtituta vtilia intereant ob bonorum defectum.

§. 164. Victum officialium, in ſocietate eccleſiaſtica conſtitutorum, ſocietatem ipſam curare oportet.

§. 165. Eccleſiae, quae aliarum regni ſocietatum inſtar regni tutelam quoad bona ſua fruuntur, ex his quoque bonis ad regni onera conferre obligantur, quatenus ipſis ex legibus et conſtitutionibus ſingularibus non competunt immunitates.

§. 166. Si ſocietates eccleſiaſticae vi priuilegiorum aut legum ſingularium ab oneribus certis intuitu fundorum ſuorum ſunt immunes; haec tamen immunitas nequit extendi ad fundos poſtea demum acquiſitos, niſi priuilegium aut lex id expreſſe determinat.

§. 167. Bona eccleſiaſtica ſubſunt curae ſuperiorum cleri. ad ſuperiores clericales.

§. 168. Quos curare oportet, vt bona eccleſiaſtica ſecundum ſocietatis eccleſiaſticae cuiusque conſtitutionem conſeruentur, et in finem deſtinatum impendantur.

§. 169. Superiori clericali extero nulli liceat, vllam ſibi immediate arrogare curam ſ. inſpectionem aut directionem de bonis regni noſtri eccleſiarum.

§. 170. Templa et aedificia alia eo pertinentia ſunt, excluſis reliquis, in dominio ſocietatis eccleſiaſticae, ad cuius vſum ſunt deſtinata. Aedificia eccleſiaſtica.

§. 171. Neque mutando religionis principia ſocietas eccleſiaſtica amittit dominium aedificiorum eccleſiaſticorum, ipſius vſui deſtinatorum.

§. 172. At vero, ſi ſocietas plane deſinit; de his aedificiis valent omnia, quae de bonis ſocietatum

Source : BIU Cujas

extinctarum ſ. ſublatarum in genere in tituli ſexti §. 189. ſqq. ſunt praecepta.

§. 173. Aedificia eccleſiaſtica, quatenus deſtinata ſunt ad celebrandum cultum diuinum et actus alios, ad cultum diuinum pertinentes, ad alios vſus adhiberi non licet, non conſentiente vniuerſitate, eccleſiam conſtituente.

§. 174. Aedificia eccleſiaſtica a communibus regni oneribus ſunt immunia, et fruuntur omnibus iuribus praerogatiuis publicorum aedificiorum, quae ſunt regni propria.

§. 175. Non ſint delinquentium aſyla; ſed magiſtratui ſaeculari ius competit, educendi et in carcerem coniiciendi eos, qui in ea confugerunt.

De condendis templis nouis.

§. 176. Nouae aedes ſacrae non poſſunt exſtrui, niſi expreſſa regni approbatione.

§. 177. Quam veniam ſocietas eccleſiaſtica tunc tantum poteſt petere, ſi docere poteſt graues neceſſitatis aut vtilitatis rationes, et ſimul ad exſtruendum et conſeruandum eiusmodi eccleſiae ſyſtema nouum ſubſidia ſufficientia, ex quibus non metuenda eſt ruina membrorum praeſentium atque ſequentium.

§. 178. Condendis nouis eccleſiis non laedantur ſocietatum eccleſiaſticarum aliarum iam exiſtentium iura aut conſtitutiones, a regno approbatae.

Vtenſilia eccleſiaſtica.

§. 179. Vaſa ſacra et res aliae, immediato cultui diuino deſtinatae, cum aedificiis eccleſiaſticis in regula iura habent aequalia.

§. 180. Eiusmodi vtenſilia in regula alienari non poſſunt, niſi vrgente neceſſitate, regno et cleri ſuperioribus approbantibus.

§. 181. At regnum tamen et cleri ſuperiores admittere quoque poſſunt eiusmodi alienationem vtenſilium eccleſiaſticorum ſuperfluorum, ſi inde ſperari poteſt commodum certum et maius, ſocietati eccleſiaſticae oriundum.

Source : BIU Cujas

§. 182. At vero, si eiusmodi vtensilia venerunt ex fundationibus, in iis alienandis locum habent praecepta tituli sexti §. 73. sqq.

§. 183. Coemeteria et sepulcreta, ad ecclesias singulas pertinentia, in regula sunt societatum ecclesiasticarum propria. Coemeteria.

§. 184. In templis et vrbium locis, quae habitantur, non sepeliantur funera.

§. 185. In transferendis sepulcretis ii, qui hactenus in templis possederunt sepulcra gentilitia hereditaria, petere possunt, vt ipsis eundem in finem gratis assignetur in nouo coemeterio locus idoneus.

§. 186. Sine indicatione superioribus clericalibus facta non sepeliantur funera in locis aliis, quam coemeterio publico.

§. 187. Nemini licet, instituendo eiusmodi sepulcro priuato subtrahere ecclesiae aerario tributa, et clericis iura stolae ipsis competentia.

§. 188. Sine regni sententia nemini denegetur honestum sepulcrum in coemeterio publico.

§. 189. Neque societates diuersarum confessionum ecclesiasticae in regno receptae sibi inuicem mutuo denegent sepulcrum, deficientibus propriis coemeteriis.

§. 190. Vbi coemeterium non est societatis ecclesiasticae, sed vrbis aut pagi vniuersitatis, ibi vniuersitatis membrum quodque, nulla fidei confessionis ratione habita, petere potest, vt in eo coemeterio sepeliatur.

§. 191. Campanae, quae in aede sacra sunt, in regula habendae sunt societatis ecclesiasticae propriae. Campanae.

§. 192. Vbi secundum pacta, aut obseruantiam introductam, alia quoque ecclesia aut societas religiosa earum vsum potest petere, ibi tamen vsus simultaneus (con-vsus) non potest peti inter cultum diuinum societatis ecclesiasticae, cuius sunt campanae.

Source : BIU Cujas

Bona reliqua.

§. 193. Societates ecclesiasticae, a regno expresse receptae, corporibus priuilegiatis aliis quoque sunt aequiparandae in acquirendis, administrandis et alienandis bonis. (Tit. VI. §. 70. 71. 72. 81, sqq.)

§. 194. Societas nulla ecclesiastica bona immobilia sibi potest acquirere sine expresso regni consensu.

§. 195. Regnante nescio et sine eius speciali venia, sub poena dupli restituendi, ecclesiae exterae nulli quidquam exhibeatur.

§. 196. Quae poena afficit eum, cuius auctoritate res aut summa ecclesiae exterae est exhibita.

Dona et legata.

§. 197. Neque ecclesiis in regni terris licet, sine regni consensu speciali, accipere dona et legata, quingentorum thalerorum summam excedentia.

§. 198. Dona et legata pretii maioris valida demum fiunt regnantis consensu.

§. 199. Ab ipso demum die, quo haec confirmatio donatori aut heredi est notificata, initium capit eius obligatio, donum aut legatum praestandi.

§. 200. Eiusmodi dona aut legata ad manum mortuam eatenus tantum regni consensum possunt petere, quatenus non excedunt quingentorum thalerorum summam.

§. 201. Dona aut legata plura ab eodem donatore aut testatore ecclesiae collata, licet temporibus diuersis fuerint definita, in vnam contrahuntur summam, et deminuuntur vsque ad summam in paragrapho antecedente dictam.

§. 202. Si donum aut legatum in praestatione annua perpetua consistit; eius summa, si centesimis quatuor (4 *p. C.*) ad sortem redacta summam licitam excedat, vsque ad summam permissam deminuatur.

§. 203. Si donum deminutum ecclesiis pluribus est destinatum, distributio summae a regno approbatae ab arbitrio donatoris dependet.

Source : BIU Cujas

§. 204. At contra, legato pluribus eccleſiis deſtinato et deminuto, approbatae ſummae diſtributio a regno eſt definienda pro teſtatoris intentione probabili.

§. 205. Regnum quoque, niſi teſtatoris intentioni manifeſto ſit contrarium, conferre poteſt ſummam approbatam integram eccleſiae, ex pluribus vocatis pauperi et inopi, excluſis caeteris, quibus ſufficienter eſt proſpectum.

§. 206. Sub donationum et legatorum ſumma, ad thaleros quingentos reſtricta, non comprehendantur ea, quae pro ſacris (miſſis) piacularibus ſtatim poſt mortem faciendis, inter catholicos ſacerdotes praeſentes ſunt diſtributa.

§. 207. Ne tamen eiusmodi quoque legatum excedat thalerorum quingentorum ſummam.

§. 208. Si concionatoribus aut officialibus aliis ad eccleſiam conſtitutis, quibus nondum ſufficienter eſt proſpectum, donum aut legatum deſtinatum eſt, vt reditus eorum augeantur; de eo quoque dono aut legato in regula non debet denegari regni conſenſus in ſummam maiorem, pro indigentia vera.

§. 209. Idem obtinet, ſi donum aut legatum deſtinatum eſt reſtituendo aut reficiendo aedificio eccleſiaſtico iam exiſtenti.

§. 210. At regno ſoli competit diiudicare, vtrum ſocietati eccleſiaſticae, cui aedificium eſt deſtinatum, neceſſaria ſit et vtilis eiusmodi aedificii conſeruatio.

§. 211. Ad exſtruendas nouas aedes ſacras donis et legatis eatenus tantum eſt locus, quatenus regnum ſecundum §. 176. ſeqq. aedificationem ipſam approbat.

§. 212. Si quis res et effecta, ex ſua copia, ad exornandam aedem ſacram donat aut legat, huius donationis aut legati confirmatio in regula non denege-

Source : BIU Cujas

tur, ſi ex circumſtantiis non apparet intentio, in fraudem legis agendi.

§. 213. Caeterum in donationibus quoque eccleſiae factis et confirmatis locus eſt iisdem reuocandi rationibus, quae in donationibus in genere locum inueniunt. (P. I. Tit. XI. §. 1089. ſqq.)

§. 214. Antiſtites eccleſiaſtici, qui contra praecepta antecedentia donationes et legata accipiunt, ad regnantem confirmationis cauſa non referentes, poenam commiſerunt fiſco ſoluendam.

§. 215. Poena pro re nata, et prout donum vel legatum in ſe confirmationem obtinere poſſet, vel minus, determinanda eſt a pretio rei aut ſummae acceptae dimidio vsque ad duplum.

§. 216. Quatenus donum aut legatum non confirmatur, eatenus illud ad donatorem vel eius heredes redit, vti hoc ad hereditatem.

Adminiſtratio bonorum eccleſiaſticorum.

§. 217. Bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratio incumbit collegiis eccleſiaſticis ſub cura ſuperiorum cleri.

§. 218. De his in regula valent omnia, quae de corporum priuilegiatorum officialibus ſunt praeſcripta. (Tit. VI. §. 147. ſqq.)

Alienatio.

§. 219. Fundi et iura, quae ſunt eccleſiae, abſque expreſſa regni approbatione alienari non poſſunt.

§. 220. In praediis ruſticis aut domibus integris approbatio collegii eccleſiaſtici ſupremi eſt neceſſaria; at contra in fundis ſingulis aut meris iuribus conſenſus cleri ſuperiorum immediatorum ſufficit.

§. 221. Approbatio tunc tantum poteſt peti, ſi alienatio in eccleſiae commodum eſt neceſſaria, aut magnae vtilitatis.

§. 222. Subhaſtatio publica ad eiusmodi alienationis validitatem eſſentialiter non eſt neceſſaria.

§. 223.

Source : BIU Cujas

§. 223. Alienatio eiusmodi rei eccleſiaſticae, ſine conſenſu neceſſario facta, eſt nulla.

§. 224. At contra alienatio, ſi inſtantiae conſenſus acceſſit, non poteſt impugnari ſub praetextu, eam non neceſſariam fuiſſe, aut non vtilem.

§. 225. Quin potius contra eam locus tantum eſt iisdem exceptionibus et iuris remediis, quibus contra alienationem aliam omnem.

§. 226. At eccleſiae tamen ad plenam indemnitatem obligatur, qui falſis oſtentationibus, aut modo alio, dolo, aut culpa lata conſenſum ad alienationem non neceſſariam aut noxiam effecit.

§. 227. Ad oppignorationem bonorum eccleſiaſticorum immobilium conſenſus epiſcopi, et ſi proteſtantium ſint eccleſiae, conſenſus conſiſtorii eſt neceſſarius. Oppignoratio.

§. 228. Societates eccleſiaſticae fruuntur minorennium iuribus, intuitu negotiorum et pactorum, cum iis ipſis, aut cum earum repraeſentantibus et antiſtitibus, de earum bonis celebratorum. Iura praerogatiua bonorum eccleſiaſticorum ſingularia.

§. 229. De praeſtationibus et tributis perpetuis, ad bona eccleſiaſtica pertinentibus, quae ſecundum leges et conſtitutiones omnibus certi generis fundis loci aut diſtrictus cuiusdam inhaerent, eccleſiis competit exorto creditorum de poſſeſſorum bonis concurſu ius praelationis claſſis ſecundae praecipuum.

§. 230. Quod idem ius praelationis iis quoque competit intuitu eiusmodi praeſtationum perſonalium perpetuarum, quae in loco quodam, aut diſtrictu, ab incolis certae claſſis omnibus ſunt praeſtandae.

§. 231. Quod tamen ius praelationis vtrumque, ſecundum propius ordinationis concurſus creditorum praeceptum, reſtrictum tantum eſt ad annorum duorum reſiduum.

§. 232. Si eiusmodi praeſtationes perpetuae vi tantum ſingularium contractuum aut vltimae voluntatis diſpoſitionum fundis inhaerent; eccleſiis intuitu



Source : BIU Cujas

earum, intabulatione iudiciali deficiente, ius praelationis quintae tantum classis competit.

§. 233. Idem ius praelationis ecclesiis in eorum bonis competit, quibuscum contractus celebrarunt, aut quibus pecuniam suppeditarunt.

§. 234. At contra, ipsis competit ius praelationis quartae classis, in ordinatione concursus propius determinatum, in bonis antistitum et administratorum, quibus commissa fuit administratio aut custodia pecuniarum siue rerum aliarum, ad bona ecclesiastica pertinentium.

Rationes membrorum.

§. 235. Rationes inter societates ecclesiasticas, et earum membra, intuitu bonorum et facultatum illarum, definitae sunt secundum generalia principia de corporibus in genere, et deinde secundum societatis ecclesiasticae cuiusque constitutionem, regno approbante receptam.

§. 236. De ecclesiis parochialibus, in specie sic dictis, determinationes propiores in legibus sunt praescriptae.

## Sectio Quinta.

### *De parochiis.*

Definitio.

§. 237. Districtus, in quo fidei cuidam confessioni, a regno publice receptae, addicti ad ecclesiam communem sunt assignati, vocatur parochia.

Constitutio et fines.

§. 238. Non nisi a regno, adhibitis cleri superioribus, condi possunt nouae parochiae, et earum fines determinari.

§. 239. Si in parochiis iam conditis mutari quid debeat; regnum omnes, quorum interest, legitime audiat, et damni reparationes, ipsis forsan competentes, definiat necesse est.

§. 240. Lites eiusmodi omnes, vti lites de finibus, inter duas pluresue parochias oriundae, a magistratu saeculari via iuris ordinaria sunt decidendae.

Source : BIU Cujas

§. 241. Eccleſiae finibus in publicis documentis clare determinatis, contra eos locus non eſt praeſcriptioni ſolitae. (P. I. Tit. IX. §. 660 63.)

§. 242. Eiusmodi clara determinatione deficiente, decidit conſuetudo hactenus vſitata, cui eccleſiae fundorum litigioſorum incolae annis nouiſſimis decem perpetuo ſe ſocios adiunxerunt.

§. 243. Si eiusmodi obſeruantia perpetua erui nequit; parochiarum contendentium nulli ius competit, eiusmodi incolas cogendi, ſed locus eſt praeceptis §. 293. ſqq.

§. 244. In vnius parochiae vſum plures poſſunt eccleſiae condi, vti parochiae plures in vnam eccleſiam, aut ſub vno parocho communi coniungi. De eccleſiis matribus et filiabus, atque de eccleſiis matribus vnitis.

§. 245. Si in vna parochia, praeter eccleſiam parochialem principalem et originariam, eccleſiae ſecundariae plures in locis remotis, in commoditatem parochianorum ibi habitantium, ſunt conditae; hae vocantur eccleſiae filiae.

§. 246. Si vero, circumſtantiis cogentibus ad leuandum impenſas, in cultum diuinum publicum faciendas, parochiae plures earumque eccleſiae coniunguntur; vocantur eccleſiae matres vnitae.

§. 247. Quarum eccleſiarum matrum vnitarum cuique ſeruantur iura ſua originaria, et pro re nata, ſuperioribus cleri approbantibus eccleſiae iſtae ſeparari iterum poſſunt.

§. 248. Quae iura non mutantur, licet ei eccleſiae, in qua parochus non habitat, loquendi vſu communi nomen eccleſiae filiae fuerit datum.

§. 249. At eccleſiae filiae, proprie ſic dictae, ab eccleſia principali aut matre dependent, neque ab ea ſeparari ſine conſenſu eccleſiae principalis poſſunt.

§. 250. In caſu dubio praeſumtio ſtat contra qualitatem eccleſiae filiae.

§. 251. Si apparet, eccleſiam alteram ex alterius bonis eſſe conditam aut dotatam, hoc ſufficit ad



Source : BIU Cujas

probandum, illam ecclesiam esse huius filiam, nisi contrarium ex documentis extantibus clare apparet.

§. 252. Quatenus ecclesiae vnitae ad alendum parochum communem eiusque adiutores conferre debeant, in primis nititur pactis, quibus deficientibus definitur ecclesiae cuiusque obseruantia introducta.

De parochiis exteris.

§. 253. Ex iisdem praeceptis, si subditi nostri ecclesiae exterae socios se adiungunt, aut ecclesiae nostrae ab exteris parochis vicinis curantur, diiudicanda quoque est ratio, quae subditis nostris aut eorum ecclesiae, cum ecclesia extera, aut eius parocho intercedit.

§. 254. Quatenus autem, actus ecclesiastici concessio, aut eius effectus legales, legibus sunt definiti, eatenus subditi nostri vnice sunt ex legibus nostris diiudicandi.

§. 255. Si parochus exterus actum ad leges nostras peragere recusat; iis, quorum interest, licet, a collegio regiminis prouinciae petere, vt det parocho cuidam nostratium mandatum ad actum expediendum.

§. 256. Iura quoque ecclesiae nostrae, cum extera quadam coniunctae, ex legibus nostris diiudicantur, quatenus ea pactis aut consuetudine secundum §. 252. non sunt definita.

§. 257. In actibus ministerialibus, in ecclesiis nostris a parochis exteris susceptis, hos omnino oportet legibus nostris morem gerere, et obseruare, quae in terris nostris de stolae iuribus sunt definita.

§. 258. Clericus exterus intuitu actuum ministerialium, in terris nostris expeditorum, superiorum clericalium nostrorum curae est subiectus.

§. 259. Quorum praeceptis quoque rite morem gerat, quatenus ad politiam ecclesiasticam, aut prouincialem vniuersalem pertinent.

Source : BIU Cujas

§. 260. Qui intra parochiae diſtrictum domicilium collocauit ordinarium, huius diſtrictus eccleſiae parochialis eſt parochianus. Quis ad parochiam pertineat.

§. 261. Quorum tamen nemo compellatur ad onera aut praeſtationes, quae ex nexu parochiali oriuntur, praeſtandas ab eccleſia parochiali alia, quam eiusdem fidei confeſſionis, cui ipſe eſt addictus; licet in parochiae diſtrictu habitet, aut fundos poſſideat.

§. 262. Qui ſedem fixam nondum collocauit, habetur parochianus parochiae, cuius fuerunt eiusdem parentes.

§. 263. Qui parentum domicilium reliquit, alio non electo, ad nullam parochiam pertinet.

§. 264. Qui domicilium habet duplex, eccleſiae parochiali domicilii cuiusque tanquam parochianus eſt obligatus.

§. 265. Intuitu fundorum, quos poſſidet, onera ex nexu parochiali praeſtanda illi tantum praeſtat eccleſiae, in cuius diſtrictu parochiali ſunt fundi ſiti.

§. 266. Intuitu benedictionum ſacerdotalium, baptismorum, et aliorum actuum eccleſiaſticorum, qui eodem tempore vno tantum loco poſſunt expediri, ei competit electio, quo vtriusque inſtituti eccleſiaſtici velit vti.

§. 267. Si quis domicilium ſuum collocauit loco, quo plures ſunt ſuae confeſſionis parochiae; ſitus domus, in qua habitat, determinat parochiam, ad quam pertinet.

§. 268. Sola commoratione in parochiae diſtrictu, dum animus, domicilium in eo collocandi, non apparet, non fundatur eius ad parochiam relatio.

§. 269. Vxor ad mariti parochiam eatenus tantum pertinet, quatenus eiusdem eſt, cuius maritus, confeſſionis.

§. 270. Si alius eſt confeſſionis, in regula ad eam pertinet parochiam, cui reliqua membra con-



Source : BIU Cujas

feſſionis ſuae in diſtrictu, vbi maritus domicilium collocauit, ſunt obligata.

§. 271. Quae ſi ad nullam parochiam pertinent, eiusmodi vxor quoque parochiae nulli eſt obligata.

§. 272. Liberi ſub parentum poteſtate adhuc conſtituti, ad parochiam eius parentis pertinent, cuius fidei confeſſione ſunt inſtructi, aut cuius ſacra electione ſunt ſecuti.

§. 273. Si eiusmodi liberi alia ſacra ſequuntur, ac parens vterque; locum obtinent praecepta §. 270. 271.

§. 274. Vbi legibus ſingularibus aut conſuetudine bene parta inter diuerſas proteſtantium eccleſias hactenus fuit introductum, vt membrorum familiae omnium qualitas parochialis diiudicata ſit ex confeſſione familiae capitis; hae leges et conſuetudo in poſterum quoque obſeruantur.

§. 275. Familia conductitia pertinet ad ſuae confeſſionis parochiam loci, quo commoratur in domini miniſterio.

§. 276. Idem valet de boëthis et tironibus opificiis, ratione domicilii magiſtri.

Exemtio a parochia.

§. 277. Exemtionem a iurisdictione loci ordinaria nondum ſequitur exemtio a parochia.

§. 278. Perſonae omnes, ad ordinem militarem pertinentes, non ſunt ſubiectae parochiae domicilii aut ſtatiuorum ordinariae.

§. 279. Quin potius, ſecundum propiorem ordinationis conſiſtorialis militaris determinationem, pertinent ad parochiam regimenti aut praeſidii, cui ad munera militiae exſequenda ſunt iunctae.

§. 280. At vero, ſi fundos poſſident, de iis onera parochialia praeſtanda ſunt confeſſionis ipſarum eccleſiae, in cuius diſtrictu fundi ſunt ſiti.

§. 281. Vbi loco quodam ſunt concionator caſtrenſis et concionator praeſidii, ibi prior tantum tan-

Source : BIU Cujas

quam parochianos ſibi vindicat eos, qui pertinent ad regimentum aut batalionem, cui ipſe eſt a ſacris.

§. 282. Vbi vero concionator praeſidii ſeparatus eſt nullus, ibi perſonae iurisdictioni militari ſubiectae loco verſantes omnes ad parochiam concionatoris caſtrenſis pertinent, et ſi horum ſunt plures, ad parochiam eius, cui gubernator (*Gouverneur*) aut praefectus praeſidii (*Commendant*) concionatoris praeſidii munus demandauit.

§. 283. Conſiliarii regii, re aut nomine omnes, ad ordinem ciuilem pertinentes, et officiales alii, in regula ab ordinaria domicilii parochia ſunt exemti.

§. 284. At vbi eiusmodi officiales ciuiles ordinariae loci iurisdictioni ſubſunt, ibi valet praeſumtio, eos quoque ad loci parochiam pertinere.

§. 285. At contra iurisdictione, a collegio ſuperiori, iudicio loci ordinario mere delegata, non tollitur exemtio a parochia.

§. 286. Quatenus noſtri ſubditi, dignitatem extra terras noſtras conſecuti, a iurisdictione ordinaria ſunt exemti, eatenus quoque immunes ſunt a iure cogendi parochiali, cui hactenus fuerunt obnoxii.

§. 287. Si aedificia quaedam, intra parochiae fines ſita, a parochia ſunt exemta; haec exemtio prodeſt omnibus in iis habitantibus.

§. 288. Omnibus a iure parochiali exemtis in caſu quolibet competit electio, quo inſtituto eccleſiaſtico velint vti.

§. 289. At in quolibet tamen eiusmodi actu ſe ſubiiciant neceſſe eſt omnibus inſtituti eccleſiaſtici, quo vtuntur, ordinationibus et praeſtationibus parochianorum inſtar.

§. 290. Qui ſi cupiunt matrimonium contrahere, proclamatio e ſuggeſtu in eccleſia parochiali loci domicilii fiat neceſſe eſt.

§. 291. In caſibus omnibus, vbi intuitu actus cuiusdam eccleſiaſtici fieri debent exceptiones legum



Source : BIU Cujas

certarum, perſonam ciuilem in genere obligantium; dispenſatio, licet actus ipſe peragatur a clerico, ad ordinem militarem pertinente, nihilo minus petenda eſt ab inſtantia ciuili competente.

§. 292. In iis locis, vbi cultus diuinus ratione militum praeſidiariorum non eſt rite inſtitutus, exemti ordinis ciuilis concionatore militari ad actus parochiales peragendos non poſſunt vti.

De diſtrictibus et incolis vagis.

§. 293. Singulos regni incolas, ſecundum principia antecedentia neque ad parochiam pertinentes, neque a iure parochiali expreſſe exemtos, eccleſiam confeſſionis ſuae oportet eligere, cui ſe velint adiungere.

§. 294. Integras quoque vniuerſitates, certae parochiae nondum aſſignatas, oportet vicinae cuidam eccleſiae ſe adiungere, cleri ſuperioribus ſcientibus et approbantibus.

§. 295. In regula determinatio, cui eccleſiae velint adiungi, dependet a votis eiusmodi vniuerſitatis plurimis.

§. 296. At vero, ſi amicabilis compoſitio locum non obtinet, ſuperiores cleri pro re nata vniuerſitatis partem ad eccleſiam aliam, et ad aliam membra reliqua poſſunt ablegare.

§. 297. Si eiusmodi vniuerſitates eccleſiis finitimis adiunguntur, ſub directione ſuperiorum cleri pactis determinari debent onera et collationes earum, et quatenus participes eſſe debeant iuris eligendi parochum, eccleſiae vniuerſitati competentis.

§. 298. Pactis eo tempore celebratis nullis, determinatio deficiens, in caſibus litigioſis obuenientibus ſupplenda eſt a cleri ſuperioribus ex aequo, et ex iis, quae in circumſtantiis ſimilibus, in diſtricto aut in prouincia ſunt vſu recepta.

Source : BIU Cujas

§. 299. Eiusmodi adiunctio non quidem eandem vim habet, quam coniunctio perpetua.

§. 300. At vniuerſitates adiunctae ſecedere deinde ab eccleſia ſemel electa tantum poſſunt ob cauſas graues, et non niſi ſuperioribus cleri approbantibus.

§. 301. Dum parochus, ad hanc vniuerſitatem adiunctam ſimul vocatus, munere adhuc fungitur, in eius detrimentum huius vniuerſitatis ſeparatio nequit admitti.

§. 302. At contra parocho, ſi coniunctio, dum munere iam fungebatur, eſt facta, non competit ius contradicendi ſeparationi, a cleri ſuperioribus approbatae.

§. 303. Qui relictis ſacris ſuis ad alia tranſit ſacra, derelinquit parochiam, cui hactenus fuit obligatus. Parochiae derelictio.

§. 304. Qui domicilium ſuum collocat extra fines parochiae, ad quam hactenus pertinuit, eo ipſo ſimul liberatur ab eius iure parochiali.

§. 305. Quod idem efficitur dignitate, munere aut titulo collato, quocum exemtio ab ordinaria parochia ex legibus eſt coniuncta.

§. 306. Parochiae, regno conſentiente ſemel conſtitutae, absque eiusdem conſenſu tolli nequeunt. Parochiarum diſſolutio.

§. 307. Eo quod parochianis deficientibus in aede ſacra per aliquod tempus actus ſacri celebrari non potuerunt, ea nondum amittit eccleſiae parochialis iura.

§. 308. Si vero ob defectum parochianorum, parochi munus plus annis continuis decem fuit vacuum; princeps, niſi ſingulares conſtitutiones prouinciales aut tractatus obſtant, de eccleſia vacante poteſt diſponere; quo facto quoque extinguuntur iura parochialia, huic eccleſiae forſan competentia.

§. 309. Si duae eccleſiarum vniuerſitates diuerſarum confeſſionum ius habent, ſacra ſua in eadem De ſimultaneo.



Source : BIU Cujas

aede facra peragendi, eccleſiae cuiusque iura praecipue diiudicanda ſunt ex legibus ſingularibus aut pactis extantibus.

§. 310. Quibus determinationibus deficientibus praeſumitur, harum eccleſiarum vniuerſitatum cuique eadem, quae alteri, iura competere.

§. 311. Propiores regulae de iurium iſtorum exercitio, lite exorta definiendae ſunt, ſecundum ſuperiorum eccleſiae vtriusque conuentionem; quae ſi non locum habeat, immediata principis deciſione.

§. 312. In quibus tamen regulis definiendis in primis ratio habenda eſt eorum, quae huc vsque fuerunt obſeruata

§. 313. At vero, ſi de eo contenditur, vtrum eccleſiarum vniuerſitati vni an alteri ius competat, facra ſua in aede facra celebrandi; res deciditur a iudice competente.

§. 314. Si non apparet, vniuerſitati vtrique re vera competere ius, cultum diuinum in aede facra eadem celebrandi; ſtatuitur, eam, quae ad praeſentem vſum ſimultaneum ſerius peruenit, eum vſum tantum precario, i. e. tanquam beneficium reuocabile, fuiſſe conſecutam.

§. 315. Vel annorum multorum vſus ſimultaneus, per ſe ſolus, in regula fundare non poteſt veri iuris acquiſitionem per praeſcriptionem. (Part. I. Tit. IX. §. 589.)

§. 316. Si tamen, praeter hunc vſum ſimultaneum impenſae in aedis facrae conſeruationem ab vniuerſitate vtraque communiter ſunt ſuppeditatae; hoc fundat praeſumtionem legalem, vniuerſitati quoque, quae ſerius ad vſum ſimultaneum peruenit, verum ius in ea competere.

§. 317. Dum eccleſiae vniuerſitati aedis facrae vſus ſimultaneus precario tantum eſt conceſſus, ad exercitium cuiusque cultus diuini actus hactenus inſoliti ſingularem antiſtitum veniam petere eam oportet.

Source : BIU Cujas

## Sectio Sexta.

### *De parocho eiusque iuribus.*

§. 318. Clericus ille, qui ad dirigendum et administrandum cultum diuinum in ecclesia parochiali est constitutus, vocatur parochiae parochus. Definitio.

§. 319. Parochus praestet qualitatibus omnibus, quibus ornatum esse oportet clericum probe affectum et virtutibus praeditum. Eius requisita et

§. 320. Salus ecclesiae, et institutio membrorum ecclesiam constituentium ei in primis cordi sit, et operam suam in eo collocet necesse est, vt mores probos omnium promoueat. obligationes generales.

§. 321. Cura aedificiorum et bonorum ecclesiae communis ei est cum antistitibus.

§. 322. Qui si in obseruandis suis officiis negligentes se gerunt, de ea re ad instantiam clericalem eum oportet referre.

§. 323. At contra, antistites quoque obligantur, vt eidem instantiae indicent, si parochus muneris officia negligit, aut moribus suis iustae vituperationis et offensionis causam praebet ecclesiae vniuersitati.

§. 324. Vtrum electio parochi ab episcopo, consistorio, patrono priuato, an ab ecclesiae membris dependeat, singularibus cuiusque prouinciae et loci constitutionibus propius definitur. Electio parochi generatim.

§. 325. Nunquam ecclesiae vniuersitati obtrudatur persona, cui cum illa lites et inimicitiae intercedunt, aut cuius principia vel mores et vita ecclesiae graues exceptiones suppeditant.

§. 326. Hinc in casibus omnibus persona, quae parochus debet constitui, ecclesiae vniuersitati antea notificetur necesse est.

§. 327. Si ecclesiae parochiali patronus est proprius, huic in regula competit ius, parochum nouum vocandi. In specie intuitu ecclesiarum

§. 328. Vel patroni in electione instituenda, talium tantum personarum rationem possunt habere, iuri patronatus obnoxiarum.

Source : BIU Cujas

quae vel clerici munere iam funguntur, vel tanquam candidati a prouinciae ſuperioribus clericalibus, examine praeuio inſtituto, concionandi veniam impetrarunt.

§. 329. Perſona a patrono electa vniuerſitati praeſentetur, et ei iniungatur, vt ſpeciminis loco concionem habeat et catechefin inſtituat.

§. 330. Licet electus iam antea clerici munere fuerit functus; nihilo minus tamen, ſi vniuerſitati non ſatis eſt notus, eum oportet pro hoſpite concionem (*Gaſtpredigt*) habere, et catechefin inſtituere.

§. 331. Dies, quo concio exploratoria (*Probepredigt*) aut pro hoſpite (*Gaſtpredigt*) eſt habenda, vniuerſitati ſaltem ante quatuordecim dies, quam habetur, indicetur neceſſe eſt.

§. 332. Si eccleſiae duae aut plures ſub vno parocho ſunt coniunctae, in earum quaque concio ſpeciminis loco (*Probepredigt*) eſt habenda.

§. 333. Vtrum in eccleſiis quoque ſic dictis filiis concio ſpeciminis loco ſ. exploratoria ſit habenda, an membra eiusmodi eccleſiae filiae ad eam audiendam in eccleſiam matrem conuenire oporteat, relinquitur eccleſiae cuiusque obſeruantiae introductae.

§. 334. Vniuerſitatis declaratio de perſona a patrono electa, elapſis ad minimum octo diebus, eſt audienda.

§. 335. Si candidatus eſt ex alia dioeceſi aut conſiſtorii alius diſtrictu (*Departement*); vniuerſitas ad declarandum petere poteſt terminum longiorem, ad quatuor hebdomadas vsque, ſi opus videatur.

§. 336. Si vniuerſitas a patrono de ſubiecti ab hoc electi dignitate diſſentit; ſuperiores praepoſitos clericales, absque ambagibus litium (proceſſuum), decidere de exceptionum grauitate oportet.

§. 337. Legitime conuictus, corruptionibus ſ. ambitionibus, aut aliis viis illicitis clerici munus

Source : BIU Cujas

capere ſtuduiſſe, ad eiusmodi munus in perpetuum eſt inidoneus.

§. 338. Membrorum vniuerſitatis ſingulorum contradictionis ſolius, rationibus grauibus nullis munitae, nulla habeatur ratio.

§. 339. At vero, ſi vniuerſitatis membrorum omnium votorum partes tertiae ſaltem duae ſunt alicui contrariae, ad munus parochi non aliter admittatur, niſi cognitione inſtituta appareat, ſolas concitationes et ſollicitationes cauſam contradictioni praebuiſſe.

§. 340. Si patronus fidei confeſſionem romano-catholicam, vniuerſitas autem proteſtantium profitetur, aut vice verſa; patronum tres ſaltem candidatos ad habendam concionem ſpeciminis loco oportet admittere.

§. 341. Quorum illi vocationem denegare nequit, qui plurimis vniuerſitatis votis aſſenſum fert praecipuum.

§. 342. Et in hoc caſu, et in reliquis aliis omnibus, vbi mos ille obtinet, vt patronus plura ſubiecta praeſentet vniuerſitati, ex quibus parochum eligat, vniuerſitatem omnino oportet eorum vnum eligere, quatenus nequit omnibus tribus exceptiones graues ſecundum praeceptum §. 336. 337. 338. opponere.

§. 343. Idem vice verſa intuitu patroni obtinet, ſi ſecundum conſuetudinem bene partam huic ab vniuerſitate perſonae praeſentantur plures, ex quibus ille parochum eligat.

§. 344. Si patroni plures iure pari participes ſunt iuris, eccleſiae vacanti parochum conſtituendi, plurima vota, ſi inter eos non conuenit, decidunt.

§. 345. Si non exiſtit votorum pluralitas, quae decidit; ſuperiores cleri patronis oportet iniungere, vt intra terminum certum, ſecundum circumſtantias

Source : BIU Cujas

determinandum, de candidato praesentando inter se consentiant.

§. 346. Si intra terminum praefixum non consentiunt; ius muneri vacanti parochum praeficiendi in hoc casu ad cleri superiores deuoluitur.

§. 347. Qui vero munus in regula concedant necesse est tertio, a nullo patronorum dissentientium praesentato.

§. 348. Si ecclesiae filiae proprie sic dictae patronus est alius; hunc in regula astipulari oportet ecclesiae matris patrono, nisi personae ab hoc electae exceptiones graues secundum §. 336. 337. possit opponere.

§. 349. Si in casu §. 340. 342. vniuersitati a pluribus patronis tres candidati sunt praesentandi; locum habent praecepta §. 344-347, si patroni inter se de electione nequeunt consentire.

§. 350. Quod si igitur patroni plures, non existente pluralitate votorum decidente, candidatorum tribus plurium rationem habeant; cleri superiores vniuersitati personas tres alias praesentent necesse est.

§. 351. At vero, si patroni omnes aut plures de vna persona aut de duabus inter se consenserant; hae quoque a cleri superioribus simul sunt praesentandae, et aliae tantum substituendae loco illarum, de quibus non consentiunt.

§. 352. In casibus omnibus, in quibus plurima patronorum vota decidunt, vota, si ius patronatus est mere personale, numerantur personis; at praediis, si praediis inhaeret, nulla pretii aut magnitudinis eorum ratione habita; quatenus vi pactorum extantium, aut consuetudinis ex praescriptione, ratae impares praediorum, iure patronatus praeditorum, non sunt determinatae.

Intuitu ecclesiarum, quae patronum non habent.

§. 353. In ecclesiis, quibus proprius patronus non est, in regula ius parochum eligendi vniuersitati competit.

Source : BIU Cujas

§. 354. In quo casu antistites ecclesiastici vniuersitati tres personas praesentent necesse est.

§. 355. In quibus autem praesentandis talium tantum personarum rationem habeant, quae vniuersitati ex concionibus speciminis loco habitis, aut alia ratione sufficienter innotuerunt; atque in primis non praetereant eas, de quibus est, quod credant, vniuersitatis membra plura in eas esse propensa, fiduciamque in iis ponere.

§. 356. In electione ipsa in regula ius suffragii competit membro vniuersitatis cuique, quod patrifamilias simul eligenti non est subordinatum.

§. 357. Litibus de iure suffragii ferendi nunquam retardetur electio.

§. 358. Qui vel ipse iam in casu simili ius suffragii in vniuersitate exercuit; aut qui ad classem pertinet, cuius membra in casibus prioribus similibus ad suffragandum sunt admissa, ei quoque in electione praesente est concedendum, vt ferat suffragium.

§. 359. Idem valet de eo, qui fundum possidet, cuius detentores priores, tanquam membra vniuersitatis, in casibus similibus ad eligendum sunt admissi.

§. 360. At nemo suffragii ius arrogare sibi potest, qui pertinet ad societatem religiosam aliam, quam eam, cui parochus est eligendus.

§. 361. Determinatio, quomodo secundum haec principia suffragii ius, de quo lis est exorta, in casu praesenti debeat exerceri, cleri superioribus competit.

§. 362. At decisio de iure suffragii litigioso ipso est iudicis saecularis competentis.

§. 363. Electio secundum cleri superiorum determinationem institutа (§. 361.) pro casu praesente validitate sua non priuatur, licet deinde iudicis sententia suffragii ius abiudicetur alicui, qui illud exercuit, aut adiudicetur excluso.

Source : BIU Cujas

§. 364. Quae in antecedentibus §. 357 - 363. intuitu litis, de iure ſuffragii certorum vniuerſitatis membrorum exortae, ſancita ſunt, valent quoque, at excepto §. 360., in iis caſibus, in quibus plures patroni de vocationis iure inter ſe contendunt.

§. 365. Caeterum in parochi electione ab vniuerſitate inſtituenda obtinent eadem, quae de transactionibus et deciſionibus rerum communium intuitu vniuerſitatum in genere ſunt ſancita. (Tit. VI. §. 167. 168.)

§. 366. Si vniuerſitates plures iuris parochum eligendi ſunt participes; ius ſuffragia in eccleſia principali ferendi eccleſiae filiae membris competit, niſi pactum aut conſuetudo, ex tempore legitime praeſcripto bene parta, aliud determinat.

§. 367. Si eccleſiae parochiales plures ſub parocho communi ſunt coniunctae; earum quaeque in regula habet votum ſuum proprium.

§. 368. Si earum vniuerſitatum eccleſiaſticarum coniunctarum vota numerando nulla efficitur votorum pluralitas, quae decidit; numeranda ſunt ſingula membrorum vota, nulla diuerſarum eccleſiarum ratione habita.

§. 369. In caſibus omnibus, vbi non eſt votorum pluralitas, quae decidit, cleri ſuperioribus competit denominatio ex perſonis, paribus votis electis.

§. 370. Membris eccleſiarum mere adiunctarum in eligendo parocho ius nullum competit, niſi in adiungendo ſecundum §. 297. aliud ſit determinatum.

§. 371. At vero, ſi ab vniuerſitatibus eccleſiaſticis reliquis parochus eſt electus, in quo parti eccleſiae adiunctae (hoſpitae) maiori nulla eſt fiducia, id quidem habendum eſt pro cauſa graui, ex qua eccleſia adiuncta (hoſpita) ſeparationem poteſt petere.

§. 372.

Source : BIU Cujas

§. 372. Caeterum quoque in parochorum electionibus magiſtratui, parochiae iurisdictionem habenti, in caſibus omnibus competit ius, electionem dirigendi, et tranquillitatem atque ordinem in ea conſeruandi.

§. 373. Si in parochia ſunt magiſtratus plures, quibus parochiae iurisdictio competit; electionis directio competit magiſtratui, qui iurisdictionem exercet loci, quo vota colliguntur.

§. 374. Qui a patrono aut ab vniuerſitate, munere parochi vacante, legitime eſt parochus electus, ei vocatio in ſcripturam redacta eſt exhibenda. Vocatio.

§. 375. Vbi hactenus obtinuit mos, vocationem demum facto tentamine exhibere, ibi electo per literas notificandae ſunt conditiones, quas in ſe continet vocatio poſt exhibenda.

§. 376. Vocationis expeditio patrono competit, et eo deficiente eccleſiae antiſtitibus.

§. 377. Determinatio temporis, intra quod vocatum de acceptanda vocatione ſe declarare oporteat, eſt arbitraria, ab eligentium arbitrio plane dependens.

§. 378. Si intra terminum praefixum vocati declaratio non venit; patrono aut vniuerſitati competit ius ad nouam electionem ſine mora progrediendi.

§. 379. Si declarationis tempus nullum eſt definitum; vocato acceptare vocationem licet, vsque dum facta vocationis reuocatio ei non eſt notificata.

§. 380. At vero, ſi vocatione accepta, intra dies quatuordecim de ea acceptanda ſe non declarauit; acceptatio ſerius facta, ſi termino iſto praeterlapſo patronus atque eccleſia nouam inſtituerunt electionem, effectus legales nullos producit.

§. 381. Caeterum de acceptandis vocationibus leges valent eaedem, quae de acceptandis pactis generatim ſunt praeſcriptae. (P. I. Tit. V. §. 78. ſqq.)

§. 382. Si vocatio a pluribus eſt expedita, iam ſufficit, ſi acceptatio vel vni eorum tantum eſt declarata.



Source : BIU Cujas

§. 383. Vocatio a vocato semel valide acceptata reuocari sine causis grauibus nequit.

§. 384. Reuocatio vocationis iusto tempore acceptatae non admittitur, nisi ex causis iisdem, ex quibus parochus iam constitutus a munere potest remoueri.

§. 385. Neque vllum inde discrimen, vtrum causae et rationes istae iam ante vocationem transmissam extiterint et fuerint cognitae, an demum postea exortae, aut ad patroni vel ecclesiae notitiam peruenerint.

Praesentatio.

§. 386. Vocatus, simulac vocationem acceptauit, superioribus clericalibus dioeceseos, aut consistorio, ad confirmandum est praesentandus.

§. 387. Praesentatio fiat necesse est a patrono, et vbi horum sunt plures, ab omnibus, qui ius eligendi et vocandi participant.

§. 388. Patronis deficientibus praesentant ecclesiae antistites.

§. 389. Praesentationi adiungendum est exemplar descriptum (copia) vocationis iam exhibitae vel adhuc exhibendae, et protocollum de concione speciminis loco aut pro hospite habita.

§. 390. In casibus omnibus, vbi electioni vniuersitatis ecclesiae locus fuit, protocollum de electione confectum quoque adiungatur necesse est.

§. 391. Si a cleri superioribus, praesentatus haud idoneus cognoscitur, siue electio regulis praescriptis non conuenienter peracta; noua instituatur electio et noua fiat praesentatio necesse est.

§. 392. Si patronus, qui personam haud idoneam praesentauit, ipse est clericus; in hoc casu iure suo praesentandi priuatur, et parochiae vacanti cleri superiores praeficiunt parochum.

§. 393. Praesentatio electi ad munus parochiae vacuum fiat necesse est intra sex menses, inde a tempore muneris vacantis.

Source : BIU Cujas

§. 394. Parocho foris defuncto, iſte terminus ab eo currit tempore, quo mors patrono aut eccleſiae antiſtitibus innotuit.

§. 395. Inter tempus muneris vacantis cultus diuinus in templo parochiali, dirigente archipresbytero, aut circuli inſpectore, a perſonis ad eum peragendum idoneis eſt celebrandus.

§. 396. In eccleſiis parochialibus, quibus vnus tantum clericus eſt conſtitutus, in regula ad cultum diuinum peragendum obligati ſunt parochi eiusdem inſpectionis vicini, ad archipresbyteri aut inſpectoris praeceptionem, pro vſitata ex parochiae vacantis reditibus ſatisfactione.

§. 397. In iis quoque eccleſiis, quibus plures clerici ad ſacra peragenda ſunt conſtituti, eiusmodi cura eccleſiae parochialis vacantis vicaria locum habet, ſi ex inſpectoris ſententia, clerici reliqui ſoli muneris laboribus non ſunt pares.

§. 398. Si praeſentatio intra ſex menſes non eſt facta, neque ante elapſum terminum prolongatio termini petita, vel non conceſſa; ius vacanti eccleſiae parochum praeficiendi in hoc caſu deuoluitur ad cleri ſuperiores. Ius deuolutionis.

§. 399. Si praeſentata eſt perſona in tentamine haud idonea cognita, atque interea praeterlapſus terminus legitimus; praeſentantibus, excepto caſu §. 392. alius adhuc competit ſex hebdomadarum terminus.

§. 400. Si ſecundum §. 343. eccleſiae vniuerſitas patrono perſonas, ex quibus vnam eligat, deſignat; aut ſi ſecundum §. 340. 342. patronus vniuerſitati perſonas deſignat; ad cleri ſuperiores deuoluitur tantum ius eius, qui in ſuis obligationibus negligentem ſe geſſit.

§. 401. Dum cleri ſuperiores ſuis deuolutionis iuribus non ſunt vſi; patronus aut eccleſia ſupplere poſſunt, quae ſunt neglecta.



Source : BIU Cujas

§. 402. Cleri quoque superiores, quoties ius parochum denominandi ad eos deuoluitur, obseruare oportet generalia legum praecepta de eligendo idoneo.

Ordinatio. § 403. Si praesentatus est confirmatus, ordinandus est, nisi ad clerici munus, quo antea est functus, iam fuit ordinatus.

Introductio. §. 404. Parochus electus et confirmatus in munus et ad eiusdem actus omnes ex ordine est introducendus.

§. 405. Introductio in regula ab archipresbytero aut circuli inspectore peragitur.

§. 406. Vocationis, praesentationis et introductionis sumtus, ad quos quoque pertinent sumtus, in iter personarum ad introductionem necessariarum erogandi, ex ecclesiae reditibus, et his deficientibus ab vniuersitate sunt soluendi, nisi constitutiones prouinciales singulares aliud definiant.

§. 407 At contra, examinis et ordinationis sumtus a parocho nouo sunt ferendi.

§. 408. In regula quoque parochus nouus suis sumtibus se in locum destinatum debet conferre.

§. 409. At vbi legibus prouincialibus aut consuetudine haud interrupta est introductum, vt sumtus itineris ex camerae vrbis aut vniuersitatis aerario soluantur, aut vecturae ab vniuersitatis membris gratuito praestentur, ibi idem in posterum quoque obtinet.

§. 410. Ne tamen in vllo casu ab vniuersitate poscatur, vt aduehat parochum ab ipsa non electum ex loco, dierum duorum itinere longius distante.

§. 411. In locis iis, quibus vniuersitas parochum aduehere obligatur, simul quoque eam oportet aduehere personas ad eius familiam pertinentes, atque vestimenta, lintea, suppellectilem et libros, quos secum affert.

Source : BIU Cujas

§. 412. Concionator caſtrenſis aut praeſidiarius vocatur a ſummo regimenti praefecto (*Regimentschef*) aut gubernatore (*Gouverneur*), cui intuitu vocationis cum cleri ſuperioribus ordinis militaris eadem intercedit ratio, quae patrono cum confiſtorio. Conſtitutio concionatorum caſtrenſium et praeſidiariorum.

§. 413. Parochos ſemper oportet apud eccleſias ſuas verſari, neque iis licet eccleſiam, ipſis commiſſam, auctoritate propria deſerere, ne imminente quidem periculo. Parochi officia cum munere coniuncta.

§. 414. Si alio proficiſci coguntur, iter ſuſcipere non poſſunt, niſi ſciente et permittente inſpectore vel archipresbytero.

§. 415. Quem cleri ſuperiorum approbationem oportet petere, ſi abſentiae tempus vltra diem ſolis vnum extenditur.

§. 416. In caſibus omnibus parochum archipresbytero aut inſpectore dirigente ſic omnia oportet inſtituere, ne damnum patiatur eccleſia ipſo abſente.

§. 417. In munere fungendo parochum oportet accurate et diligenter obſeruare officia clericis in genere praeſcripta omnia.

§. 418. At contra ei competit ius a parochianis expetendi, vt in actibus religioſis, ad quos perficiendos parochi opera eſt neceſſaria, non niſi ipſius munere vtantur. De iure cogendi parochiali.

§. 419. Cui obligationi neque parochiani ſinguli, absque ſingulari cleri ſuperiorum venia, ſe poſſunt ſubtrahere.

§. 420. Eiusmodi venia grauibus tantum ex cauſis, in primis vero tunc detur, ſi ex circumſtantiis apparet, huius parochi actus muneris, intuitu parochianorum, finem mentis atque morum emendationis non eſſe effecturos.

§. 421. Atque etiam, ſi non eſt probatum, huius rei culpam imputandam eſſe parocho, eius indemnitati rite proſpiciatur.



Source : BIU Cujas

§. 422. Neque in casibus singulis parochianis licet, actus benedictionis coniugum sacerdotalis, baptismi, et sepulturae expediendos curare per alium, ac parochum in parochia constitutum, absque huius consensu.

Iura stolae. §. 423. Parochus pro eiusmodi actibus iura stolae definita potest exigere; in quo, si opus sit, iudicem legitime rogatum adiuuare eum oportet.

§. 424. Quae tamen stolae iura nunquam in antecessum potest poscere, neque ideo muneris actum petitum differre.

§. 425. Ius, taxae legem iurium stolae definiendi, augendi, aut modo alio mutandi, regno soli competit.

§. 426. Officiales ecclesiastici, qui stolae iuribus ipsis designatis non sunt contenti, puniantur pretii exacti maioris summa triplici vsque ad decemplicem, quae fisco est soluenda.

§. 427. Clerico nulli licet, eiusmodi actus, parochiae alii competentes, peragere, absque expresso parochi competentis consensu.

§. 428. Cui vero, si stolae iura ipsi competentia soluuntur, consensum denegare non licet.

§. 429. Qui consensus detur scriptus, nullis pro eo petitis stolae iuribus separatis.

§. 430. Eiusmodi consensus clerico omni, cui eiusmodi actus perficiendi ius competit, tribuit ius, actum illum peragendi.

§. 431. At vero, si peragi actus debeat apud parochianum protestantium a clerico catholico, aut vice versa; ad eum actum perficiendum regni venia requiritur.

§. 432. Si parochus actum, in se ipsi competentem, in parochia alius parochi confessionis suae debet peragere; ad eum actum perficiendum expetendus est consensus parochi huic parochiae praefecti.

§. 433. Qui posterior obligatur, ad impertiendum consensum, stolae iuribus dimidiis ipsi solutis; parocho

Source : BIU Cujas

autem actum ipsum perficienti ideo de stolae iuribus nihil potest deduci.

§. 434. Parochus, qui contra praecepta antecedentia actum, ad alium parochum pertinentem, absque eius consensu peragit, puniatur stolae iurium acceptorum summa duplici, fisco soluenda; at parochus competens a parochiano indemnis praestetur.

§. 435. Benedictio sacerdotalis in regula sponsae parocho competit. Benedictio coniugum sacerdotalis.

§. 436. Si desponsatorum pars altera ad ecclesiam germanico-reformatam pertinet, et altera ad reformatam franco-gallicam; benedictio sacerdotalis sponsi parocho competit.

§. 437. Si sponsus iurisdictioni militari est subiectus; benedictio a sacerdote castrensi vel praesidiario debet peragi, et quidem absque discrimine confessionis sponsi.

§. 438. Si sponsus est ordinis ciuilis, at sponsa ordinis militaris; benedictio sacerdotalis competit parocho loci, ad cuius parochiam sponsus pertinet.

§. 439. At vero, si benedictio sacerdotalis loco alio, ac eo, quo sponsi parochus habitat, debeat peragi; hoc in casu quoque sponsae parocho ius competit, benedictionem sacerdotalem peragendi.

§. 440. Parochum quemque, publicam proclamationem ex suggestu aut benedictionem sacerdotalem peracturum, praecepta legum ideo latarum accurate oportet obseruare, et diligenter percontari, vtrum legalia adsint validi matrimonii requisita, an matrimonio obstent impedimenta. (Tit. I. Sect. I. II.)

§. 441. Si permittente parocho competente benedictio sacerdotalis peragitur ab alio clerico, cui iustum proclamationis ex suggestu factae testimonium scriptum est exhibitum; parochus benedictionem sacerdotalem peragens de eiusmodi tantum defectibus et matrimonii impedimentis tenetur, quos ipsi fuisse cognitos potest conuinci.



Source : BIU Cujas

§. 442. Si parochus catholicus dubitat, an matrimonium, ex regni legibus licitum, proclamatione ex suggestu et benedictione eam ob causam iungat, quod cleri superiorum dispensatio non est petita aut denegata; concedere eum oportet, vt benedictio ab alio peragatur parocho.

§. 443. Prouinciae collegium, cui iustitiae cura est demandata, in tali casu, vti et tunc, si parochus catholicus ex eiusmodi causa proclamationem ex suggestu denegat, iure demandare potest et proclamationem et benedictionem sacerdotalem parocho alii, vel alius confessionis.

§. 444. Caeterum parochi catholici sub poena fisco soluenda obligantur, vt dispensationes a sui cleri superioribus ipsis transmissas, collegio, cui cura iustitiae in prouincia demandata est, exhibeant, antequam vsum earum faciunt.

§. 445. Parocho nulli licet, absque supremi rerum ecclesiasticarum collegii (*des geistlichen Departements*) venia, ex suggestu proclamare aut benedictione iungere militum praefectos (*Officiers*) exteros, in regno nostro matrimonium inire cupientes.

De baptismo.

§. 446. Liberorum legitimorum baptismus in regula patris parocho competit.

§. 447. Si parentes diuersae sunt confessionis, baptisma filiorum in regula competit patris parocho, vti filiarum parocho matris.

§. 448. Baptismus liberorum illegitimorum matris parocho competit.

§. 449. Si pater in casu vtroque subest iurisdictioni militari; baptisma peragendum est a concionatore castrensi aut praesidii, nulla confessionis patris ratione habita.

§. 450. Si partus non est editus parochi competentis loco; parochus loci, vbi partus est editus, baptismum quoque absque quaestione vlteriore potest peragere.

Source : BIU Cujas

§. 451. Si in casu necessitatis baptismus fuit peragendus, parochus competens de eo casu sine mora certior reddatur necesse est.

§. 452. Pro actibus aut ritibus, deinde pro confessionum diuersitate inuitu eiusmodi partus superstitis celebrandis, parochus potest exigere eadem iura stolae, ac pro baptismo.

§. 453. Parochianus omnis in regula in parochia sua est sepeliendus. De sepulturis.

§. 454. Si quis extra parochiam suam, at eodem tamen loco, moritur; parocho parochiae mortui ius competit poscendi, vt sepeliatur in parochia sua.

§. 455. At vero, si moritur loco alio, relictis est optio, an eum loco, quo mortuus est, velint sepelire, an in parochiam competentem suam reducere.

§. 456. In genere parochianus omnis sepulcrum suum et suorum eligere quoque extra parochiam potest.

§. 457. Si defunctus ipse sepulturae locum elegit; iam sufficit, si eius voluntas satis certo est cognita.

§. 458. At exceptis casibus §. 454. 455. stolae iura soluenda sunt non solum parocho et ecclesiae, vbi fit sepultura, sed parocho etiam et ecclesiae, quibus iure competit.

§. 459. At parochus tamen et ecclesia competens, si secundum §. 457. defunctus ipse sepulturae locum elegit, ea tantum stolae iura possunt exigere, quae pro loci cuiusque constitutione necessario praestanda sunt de eius classis, ad quam funus pertinet, sepulturis omnibus.

§. 460. Si funus, petentibus relictis solis, extra parochiam competentem debeat sepeliri; relictos parocho et ecclesiae huius parochiae, praeter iura stolae necessaria, eos quoque actus et solennitates ad taxae legem oportet soluere, quos in ecclesia alia celebrandos curant.



Source : BIU Cujas

§. 461. Qui ſepulcrum hereditarium aut gentilitium extra parochiam habet, poſcere poteſt, vt funus ſuum atque ſuorum funera eo efferantur ſeu deducantur.

§. 462. At tunc quoque eccleſiae et parocho, cui ſepultura ex iure competit, integra pendenda ſunt in regula iura ſtolae, ſecundum §. 459. his competentia.

§. 463. In caſibus omnibus, quibus funus per aliam iurisdictionem tranſportandum eſt, a ſuperiori prouinciae iudicio ſcripta funeris tranſportandi venia (*Leichenpaſs*) eſt quaerenda.

§. 464. Eiusmodi venia ſi produci nequit; magiſtratui competenti loci cuiusque, per quem funus transportatur, ius competit poſcendi, vt loculo aperto ipſi permittatur funus inſpicere.

§. 465. Parochi, per quorum parochias funus transportatur, de funere neque pro ſe, neque pro eccleſia, poſſunt iura ſtolae exigere.

§. 466. Parochus omnis, a quo, occaſione transportationis, actus muneris certi aut alia ſolennia expreſſe poſtulantur, exigere pro iis poteſt iura ſtolae, pro ſe et eccleſia, ad loci taxam.

§. 467. Si defunctus morbo contagioſo eſt mortuus, adeo vt transportando funere contagio poſſit importari; funus omnino et absque caſuum diſcrimine, loco, quo eſt, ſepeliatur neceſſe eſt.

§. 468. Tunc vero, iura ſtolae quoque ſoluenda tantum ſunt parocho et eccleſiae parochiali, vbi ſepultura eſt facta.

§ 469. Mortuus omnis parocho eccleſiae, in qua eſt mortuus, denuntietur neceſſe eſt.

§. 470. Quod idem quoque valet de perſonis parochiae nulli alias ſubiectis.

§. 471. Infantes quoque ſine vita editi, aut ante baptismum mortui, parocho ſunt denuntiandi.

Source : BIU Cujas

§. 472. Neque eiusmodi infantes parocho nescio extra coemeterium publicum licet sepeliri.

§. 473. Familiae relictae, et ea deficiente patri familias domus, in qua est mortuus, incumbit obligatio, parocho mortuum denuntiandi.

§. 474. Parochum oportet percontari mortis genus, et vespilloni iniungere, vt adsit, si loculus funere impositio clauditur.

§. 475. Dum minima adhuc est dubitatio, an funus dictum re vera sit exanime, non permittatur, vt claudatur loculus.

§. 476. Determinationes propiores cautionum necessariarum, quibus praecaueatur, ne sepeliantur viui, reseruantur politiae ordinationibus singularibus.

§. 477. Omnes mortes violentas, vti earum suspiciones in funere inspiciendo motas, parochum oportet magistratui competenti denuntiare quam celerrime, et ante cognitionem institutam neque sepulturam permittere, neque transportationem.

§. 478. Si parocho est cognitum, a defuncto relinqui liberos minorennes, furiosos aut mente captos, aut ex causis legalibus aliis sub tutela seu cura constituendos, aut heredes alios; rem denuntiare magistratui eum oportet.

§. 479. Quae quidem denuntiatio in regula fiat ei instantiae, cui defunctus, qua forum personale, fuit subiectus; quae vero si parocho est incognita, aut extra prouinciam, iudicio proximo.

§. 480. Et parochus parochiae, in qua est mortuus, et ille, vbi facta est sepultura, ad hanc denuntiationem sunt obligati.

§. 481. Parochorum est, habere indices ecclesiae certos, in quos perspicue, et vt legi facile possint, referant actus a se peractos omnes, atque omnes proclamationes, benedictiones sacerdotales, partus, baptismos, et sepulturas, ad parochianos pertinentes, ipsis denuntiatos. Indices s. catalogi ecclesiastici.

Source : BIU Cujas

§. 482. Quae relatio (intabulatio) ſtatim fiat poſt actum, aut denuntiationem factam, et dies quidem literis exprimatur neceſſe eſt.

Quae obſeruanda ſint confignando benedictiones ſacerdotales;

§. 483. In benedictionibus ſacerdotalibus confignandis notentur neceſſe eſt praenomen, cognomen et nomen gentilitium, et aetas vtrorumque deſponſatorum; atque etiam an iam fuerint, an non maritati; an adhuc ſub patria poteſtate et tutorum curatorumue cura ſint conſtituti, an non conſtituti.

§. 484. Si deſponſati, aut alter eorum, adhuc ſunt ſub patria poteſtate, aut tutorum vel curatorum cura; parochum notare in confignatione oportet, quo modo ipſi eorum conſenſus probatus ſit.

baptizatos;

§. 485. In partubus et baptismis parochum ſimul confignare oportet praenomen, cognomen et nomen gentilitium, addito parentum ordine ſ. dignitate, atque nomine et ordine ſuſceptorum, qui interfuerunt baptismo, cum nominibus infanti ipſi datis.

§. 486. Atque notare natiuitatis diem et horam, a parentibus aut, his deficientibus, ab obſtetrice indicatam.

§. 487. Si mater infantis illegitimi patrem non indicat; parochum quidem in eo oportet acquieſcere, at ſimul diligenter percontari, an matri ad alendum et educandum infantem ſufficientes ſint facultates.

§. 488. De quibus ſi ipſi ſit dubium; loci magiſtratui id indicare oportet.

§. 489. Si infantis illegitimi pater indicatur; parochum oportet eum de re audire, et ſi patrem infantis ſe profitetur, in eccleſiae indicem ſimul referre eius nomen atque modum, quo ad ipſum, parochum, peruenit iſta confeſſio.

§. 490. Si pater dictus matris indicationi contradicit, aut ſi, domicilio remoto aut incognito, audiri nequit, parocho nomen eius in eccleſiae indicem referre non licet.

Source : BIU Cujas

§. 491. Sed casum sine mora denuntiare eum oportet loci magistratui, qui inquirat et partui consulat.

§. 492. Ad mortuos quod attinet, defuncti nomen, ordo s. dignitas et aetas, mortis dies, morbus, aut aliud mortis genus, ad denuntiationem parocho factam consignentur necesse est. mortuos;

§. 493. Si parochus defunctum ipsum non nouit, depositionibus certarum personarum, quantum potest fieri, certus fiat, defunctum re vera fuisse eum, quem fuisse ipsi indicatum est.

§. 494. Qua ratione hanc certitudinem sit consecutus, in ecclesiae indice simul notandum est.

§. 495. Mortem et sepulturam peregrini, non existente alio, qui de ea in eius patriam nuntium possit mittere, parochum oportet indicare iudicio proximo, quod mortem nuntiet.

§. 496. In casibus omnibus, vbi parocho actus, in alia parochia celebrandus, tantum indicatur, hanc indicationem nihilo minus, adiecto loco, quo actus ipse debet perfici, in ecclesiae suae indicem referat necesse est. Confignatio actuum in aliis ecclesiis celebratorum.

§. 497. At nullum tamen eiusmodi indicationum vsum faciat in conscribendis indicibus (*Listen*) annuis.

§. 498. Societati religiosae mere toleratae, cui nullum est ecclesiae institutum proprium, addictos denuntiare oportet partus, matrimonia, et mortis casus, inter ipsos contingentes, parochiae, in cuius districtu habitant, parocho, qui eos in indicem ecclesiae referat.

§. 499 Eiusmodi indicata inferenda sunt indicibus (*Listen*) annuis.

§. 500. Licet in eadem ecclesia clerici plures sint constituti, at parochus tamen proprie sic dictus indices ecclesiae conscribat necesse est.

Source : BIU Cujas

Exemplar duplicatum indicis ecclesiae.

§. 501. Aedituum oportet ecclesiae indicis exemplar duplicatum habere, in quod notas a parocho consignatas accurate et bona fide transcribat.

§. 502. Quod exemplar duplicatum sub anni cuiusque finem parochus cum suo ecclesiae indice conferat, et duplicati certitudinem cognitam testetur.

§. 503. Quo facto hoc exemplar duplicatum in loci iudicio est deponendum.

Testimonia ecclesiastica.

§. 504. At vero testimonia ecclesiastica ex exemplari originali a parocho conscripto, et, hoc deficiente tantum, ex duplicato debent dari.

§. 505. Et in his quoque testimoniis, ad praecauendas dubitationes et corruptiones omnes, dies, cuius habenda est ratio, non numeris solum sed literis simul exprimatur, et testimonia ipsa sigillo ecclesiae adiecto muniantur necesse est.

Parochi vicarius.

§. 506. Parochus, in actu quodam singulo, vel ad breue tantum tempus impeditus, quo minus munere suo ipse fungatur, muneris functionem potest demandare clerico alii, cui eiusmodi actus perficiendi ius in et per se competit.

§. 507. Si functio vicaria amplius tres dies debeat continuari, archipresbyterus aut circuli inspector de ea certior est reddendus.

§. 508. Si functio vicaria plus diebus quatuordecim est necessaria; archipresbyterus aut inspector de ea ad consistorium referat, et ea, quae dispoſuit, ad approbandum proponat necesse est.

§. 509. Si vicarius muneris actum celebrat in indicem ecclesiae referendum, ad nomen suum subscribendum obligatur, adiectis suo munere, et causa vicariatus.

Capellani.

§. 510. Parochus catholicus, accedente consistorii sui praepositi approbatione, adiungere sibi potest perpetuum muneris coadiutorem siue capellanum.

Source : BIU Cujas

§. 511. At talem ſibi eligat, cuius perſonae, doctrinae et vitae neque patronus neque vniuerſitas poſſunt exceptiones graues opponere.

§. 512. Eiusmodi capellano, ordinationem adepto, parochus demandare poteſt muneris negotiorum genera absque diſcrimine omnia.

§. 513. Diſtributio negotiorum ipſa, tempus, ad quod vicariatus continuetur, et praemium, capellano pro eo dandum, vnice determinatur pacto, inter eos approbantibus cleri ſuperioribus celebrato.

§. 514. At eiusmodi tamen capellanus ſucceſſionem in munus ex iure poſcere nequit, parochi loco vacante.

Coadiutores parochorum.

§. 515. Parocho euangelico licet, ſciente conſiſtorio, candidatum ſibi ſumere, qui vice ſua fungatur, at non niſi in inſtituenda eccleſia, non vero in aliis muneris actibus.

§. 516. Si morbo, corporis debilitate, aut ſenectute impeditur, quo minus munere in omnibus ipſe rite fungatur, atque ideo adiutorem perpetuum in omnibus muneris actibus expetit; id indicandum eſt illi, cui parochi loco poſtea vacante ius eligendi competit.

§. 517. Deinde in conſtituendo eiusmodi muneris adiutore omnia ſunt obſeruanda, quae requiruntur in eligendo parocho nouo.

§. 518. Priusquam vero eligentes ad electionem progrediuntur, ſubſtituto conſtituendo victus neceſſarius ex parochiae redditibus definiatur neceſſe eſt.

§. 519. Qui victus nunquam conſiſtat in parte quota ſingulorum parochiae redituum; ſed ſemper determinetur in certam ſummam pecuniae aut rerum naturalium, quas parochus ſubſtituto, aut hic illi cedat.

§. 520. Eiusmodi ſubſtitutus, parochi loco vacuo, ſtatim ſuccedit in locum et iura parochi veri omnia.

Source : BIU Cujas

§. 521. At contra, ius succedendi, parochi loco vacante, non habet substitutus, non modo solenni, sed a parocho tantum ipso, cum cleri superiorum venia electus, licet consenserit patronus vel vniuersitas.

§. 522. Parocho quoque, licet non petat, substitutus potest adiungi, si ex patroni, antistitum, aut vniuersitatis, vel circuli inspectoris relatione, in cognitione ideo a cleri superioribus instituenda apparet, parochum ex rationum §. 516. adductarum vlla muneri suo praeesse in omnibus non amplius posse.

Muneris. depositio

§. 523. Parochum munus deponere cupientem, patrono et vniuersitati propositum oportet denuntiare, et approbationem cleri superiorum quaerere.

§. 524. Quibus si nihil ideo videatur monendum, neque patrono neque vniuersitati ius est contradicendi.

§. 525. Si tamen parochus intra decem annos, inde a tempore constitutionis, aliam acceptat vocationem; aerario ecclesiastico et vniuersitati obligatur, ad restituendos sumtus introductionis et aduentus eius causa erogatos omnes.

§. 526. Neque impetrata cleri superiorum approbatione parocho licet munus relinquere, antequam eius successor est constitutus et introductus.

§. 527. Si graues sunt rationes, ob quas parochi noui constitutio et introductio expectari nequit; archipresbyterum aut inspectorem, accedente singulari consistorii approbatione, curare oportet, vt munus interea administretur.

§. 528. Parocho, quem senio aut morbo confectum oportet munus integre administratum deponere, salarium ex gratia ad dies vitae dandum est.

§. 529. Conuentione de summa et fonte huius salarii deficiente, salarium determinandum est in tertiam omnium parochiae redituum partem, secundum

Source : BIU Cujas

dum taxam moderatam, et succeſſor ad illud ſoluendum eſt compellendus modo §. 519. determinato.

§. 530. Delicta leuiora, in fungendo munere a parochis commiſſa, a cleri ſuperioribus vindicanda ſunt modo §. 125. determinato. Parochorum delicta.

§. 531. Si parochus absque conſilio malo, incaute et improuide agendo, fiduciam eccleſiae vniuerſitatis perdidit; cleri ſuperiores inſtituere eius translocationem oportet.

§. 532. Si parochus in munere ſuo exceſſus graues commiſit: ſuperiores cleri oportet ei in anteceſſum interdicere, ne munere fungatur; de munere adminiſtrando neceſſaria inſtituere; cognitionem propiorem conſtituere; et pro re nata remotionem a munere ei indicare.

§. 533. Si parochus in ſententia de muneris priuatione nolit acquieſcere, ei licet, poſcere cognitionem et deciſionem iudicialem ſolennem.

§. 534. Quo iure vero ſi velit vti, intra quatuor hebdomadas inde a die remotionis a munere ſignificatae agat neceſſe eſt.

§. 535. Si parochi ſunt catholici, ſententia ferenda eſt a iudicio cleri; at ſi parochi euangelici, a collegio regali, cui in prouincia iuſtitiae cura demandata eſt.

§. 536. Si parochus delicta commiſit ciuilia, quae inquiſitio criminalis ſequitur; ſuperiores cleri oportet eum a munere ad tempus remouere, et rem denuntiare magiſtratui competenti, qui vlterius diſponat.

§. 537. At magiſtratus ciuilis quoque, denuntiationem non expectans, delinquentem ſtatim poteſt deprehendere, et litem ipſi intendere.

§. 538. At eum tamen de ea re certiores reddere oportet cleri ſuperiores, vt de munere fungendo inſtituere neceſſaria poſſint.



Source : BIU Cujas

Clerici secundarii.

§. 539. Clerici secundarii, in ecclesiis parochialibus maioribus constituti, cum parocho collegium constituunt, in quo locum primum occupat parochus, cui et directio competit.

§. 540. Negotiorum et redituum distributio inter eos, vti ratio, quae illis cum parocho et ecclesiae vniuersitate intercedit, constitutionibus ecclesiae talis cuiusque speciatim est definita.

§. 541. Clerici secundarii in regula parochi curae et praeceptionibus in muneris sui negotiis omnibus sunt subiecti.

§. 542. Clericis saecularibus, ad celebrandum cultum diuinum in sacello aut altari constitutis, non licet, actus parochiales sibi arrogare.

§. 543. Neque eiusmodi capellani plures, in ecclesia quadam constituti, inter se constituunt collegium.

§. 544. Caeterum iis generalia clericorum iura competunt, et obligationes incumbunt generales.

§. 545. Clerici saeculares, munere ecclesiastico definito nullo in ecclesia aut templo fungentes, ab episcopis absque causa graui non constituantur, siue in dioecesin recipiantur.

§. 546. In functionibus clericalibus suis episcopo sunt subiecti, quem curare oportet, ne ordinem turbent, neque sint offensioni, neque alio modo regno oneri.

§. 547. Dum in vniuersitate aut ecclesia non sunt constituti, iura clericorum praerogatiua externa §. 96. 97. vindicare sibi non possunt.

Concionatores nautici et legatorum.

§. 548. Concionatores nautici subsunt cleri superioribus prouinciae, ad quam nauis pertinet; et concionatores legatorum cleri superioribus eius prouinciae, cuius collegio iustitiam administranti legatus in rebus suis personalibus est subiectus.

Source : BIU Cujas

§. 549. Vtrisque intuitu societatis ecclesiasticae iis designatae competunt iura et fides parochi.

## Sectio Septima.

### *De officialibus ecclesiae saecularibus.*

§. 550. Personis, quae ecclesiae quidem officiales sunt constitutae, at in negotiis tantum mechanicis, aut rebus saecularibus, iura clericorum non competunt.

§. 551. In primis muneribus ecclesiasticis suis a iurisdictione ordinaria non eximuntur.

§. 552. Antistites aerarii ecclesiastici in regula a patrono constituuntur; at vbi patronus non est, eliguntur ab vniuersitate, approbante magistratu ordinario iurisdictionem habente. Antistites aerarii ecclesiastici.

§. 553. Vbi ex obseruantia, quae hactenus obtinuit, antistitum constitutio dependit a personis siue instantiis aliis; obseruantia introducta, vti etiam intuitu temporis, ad quod munus continuetur, in posterum obtinet.

§. 554. Non nisi vniuersitatis membra aerarii ecclesiastici antistites possunt constitui.

§. 555. De obligatione membri electi, tale munus subeundi, et de causis munus defugiendi, quas potest opponere, valent omnia, quae de praefectis corporum generatim, et ciuium vniuersitatum speciatim, supra sunt praecepta. (Tit. VI. §. 161. 162. Tit. VIII.)

§. 556. Aeditui et eiusmodi officiales inferiores ecclesiastici alii in regula constituuntur a patrono. Aeditui.

§. 557. Quem quidem oportet de subiecto constituendo audire sententiam parochi; cuius tamen consilio non astringitur.

§. 558. Non tamen licet patrono, parocho obtrudere personam, quae inimicitias manifestas cum ipso gerit, aut eum grauiter offendit.



Source : BIU Cujas

§. 559. Si aedituus simul est praelector aut praecentor, specimen in conspectu ecclesiae congregatae eum oportet edere.

§. 560. In quo casu vniuersitati ius contradicendi competit, si cleri superioribus indicare et probare potest rationes graues contra designati habilitatem et dignitatem.

§. 561. Si aedituus simul est ludi magister; de eo examinando et constituendo locum habent praecepta tituli subsequentis.

§. 562. Intuitu ecclesiarum, quibus proprius patronus non est, officiales ecclesiasticos inferiores constituendi ius parocho competit et antistitibus ecclesiae; nisi hoc ius, secundum loci consuetudinem bene partam, his solis, vel toti quoque vniuersitati competat.

§. 563. In casibus omnibus parochum eiusmodi officialis ecclesiastici constitutionem factam indicare oportet archipresbytero aut circuli inspectori.

§. 564. Si custos s. aedituus est constituendus; hic, antequam munus ipsi committitur, praesentandus est archipresbytero siue inspectori, qui eum examinet.

§. 565. Officialium ecclesiasticorum inferiorum officia et negotia definita sunt in ordinationibus ecclesiasticis prouincialibus, et constitutionibus singularibus ecclesiae cuiusque parochialis.

§. 566. In munere proxime subsunt curae et directioni parochi, cuius praeceptionibus morem promte gerere eos oportet.

§. 567. Caeterum de cleri superiorum cura de iis gerenda, de iis puniendis, si muneris delicta admittunt, atque de remotione a munere valent omnia, quae in sectione antecedente de parochis sunt sancita. (§. 530-538.)

Source : BIU Cujas

## Sectio Octaua.

### *De eccleſiarum patronis.*

§. 568. Cui eccleſiae inſpectio immediata, vna cum cura eam conſeruandi et defendendi incumbit, eccleſiae vocatur patronus. Definitio.

§. 569. Qui aedem ſacram aedificat, aut ſufficienter dotat, inde ius ad patronatum acquirit. Iuris patronatus acquiſitio.

§. 570. Quod idem ius is acquirit, qui aedem ſacram collapſam aut ad inopiam redactam reaedificat, aut de nouo dotat.

§. 571. Si eiusmodi eccleſiae iam eſt patronus; beneficus nouus cum eo iura acquirit aequalia; at eatenus tantum, quatenus, qui huc vsque fuit patronus, exſtructionis et dotationis ſumtus in ſe ſuſcipere aut non potuit, aut noluit.

§. 572. Mandato quoque ſocietatis eccleſiaſticae, quae hactenus ſingulari patrono non ſubfuit, ius ad patronatum poteſt acquiri.

§. 573. At in caſibus tamen antecedentibus omnibus (§. 569-572.) ius patronatus eccleſiae ipſum demum acquiritur conceſſione regnantis.

§. 574. Praeter ea ius patronatus eccleſiae ex praeſcriptione quoque poteſt acquiri.

§. 575. Si acquiſitio iuris patronatus ex praeſcriptione contra regnum aut ſocietatem eccleſiaſticam debeat probari; praeſcriptionis, cui in regalibus locus eſt, requiſita adſint neceſſe eſt.

§. 576. At vero, ſi perſonae priuatae duae aut plures de poſſeſſione iuris patronatus inter ſe contendunt, praeſcriptio vulgaris ſufficit.

§. 577. Eiusmodi lites omnes, de eo, cuius ſit ius patronatus, oriundae, pertinent ad cognitionem iudicis ſaecularis competentis.

§. 578. Quatenus ius patronatus perſonae tantum acquirentis eiusque heredibus, ſiue familiae certae competat; ſiue cum munere, vel cum poſſeſſione



Source : BIU Cujas

praedii ſit coniunctum, in caſibus obuenientibus definiendum eſt ex documentis de iuris patronatus acquiſitione.

§. 579. In caſu dubio eccleſiae ius patronatus praedio vel fundo inhaerere praeſumitur.

§. 580. Eiusmodi patronatus a praedio, cui hactenus inhaeſit, absque expreſſo cleri ſuperiorum conſenſu ſeparari nequit.

§. 581. At vero vna cum praedio ſimul tranſit ad quemlibet poſſeſſorem, nulla confeſſionis, cui eſt addictus, ratione habita.

§. 582. At perſonae tamen, confeſſionum in regno receptarum aut toleratarum chriſtianarum nulli addictae, ius patronatus de eccleſia exercere non poſſunt.

§. 583. Ipſis quidem licet, hoc exercitium, durante poſſeſſionis ſuae tempore, alii committere; at quae ex patronatu conferenda ſunt atque praeſtanda, in caſibus omnibus ex praedii reditibus ſunt praeſtanda.

Patroni iura et obligationes.

§. 584. Cura eccleſiam conſeruandi, patrono incumbens, complectitur obligationem, ad eam conſeruandam ex propriis conferendi, deficiente aerario eccleſiaſtico ſufficiente.

§. 585. At contra patrono quoque ius competit, aerarii eccleſiaſtici adminiſtratores conſtituendi, et ab iis poſcendi, vt rationem reddant.

§. 586. Patrono, tanquam benefico in eccleſiam eiusque conſeruatori, intuitu eccleſiae competunt iura certa honorifica.

§. 587. Ius ei competit, munere parochi vacante nouum parochum praeſentandi. (§. 327. ſqq.)

§. 588. Ei ius eſt, ſubſellium ſuum in templi loco interiore (*Chor*) aut alio loco praecipuo habendi.

§. 589. Patronorum eorumque familiae in precibus eccleſiaſticis publicis mentio ſingularis fiat neceſſe eſt.

Source : BIU Cujas

§. 590. Intuitu ſepulturae quoque patrono, eius vxori, deſcendentibus legitimis, et collateralibus apud eum habitantibus, locus competit in ſepulcro concamerato.

§. 591. In quo ſi ſepultura ex regni legibus locum habere nequit; patronus poteſt poſcere, vt ei gratis aſſignetur locus praecipuus in ſocietatis eccleſiaſticae coemeterio. (§. 185.)

§ 592. Ius ei quoque competit, monumenta ſibi et ſuae familiae in aede ſacra exſtruendi.

§. 593. Patrono eiusque coniuge defuncto, per temporis ſpatium, ex loci cuiusque conſuetudine determinatum, locum obtinet ſonitus campanarum lugubris.

§. 594. Vbi ex more conſueto, patrono et eius familia defunctis, luctus eccleſiae locum habet, ibi mos ille in poſterum quoque obtinet.

§. 595. Eccleſiarum ſatis dotatarum patroni, ad inopiam redacti, ex aerario eccleſiae poſſunt victum neceſſarium petere.

§. 596. Ad quam tamen competentiam eccleſia eatenus tantum eſt obligata, quatenus eum in finem ſufficiunt bonorum, quibus eſt dotata, reditus, deductis impenſis omnibus, ad conſeruanda inſtituta ſua neceſſariis.

§. 597. Eccleſiae quoque obligatio tunc tantum locum habet, ſi praeter eam nemo amplius exiſtit ex legibus obligatus, ad alendum patronum, ad inopiam redactum.

§. 598. Exercitium iuris patronatus praedio inhaerentis ei competit, cuius eſt dominium praedii ciuile. Cui exercitium iuris patronatus realis competat.

§. 599. In quem leges transtulerunt complexus bonorum et iurium alterius adminiſtrationem, huic quoque ius competit, illius nomine exercendi ius patronatus ad complexum pertinens.



Source : BIU Cujas

§. 600. Ius merum, praedium, cui patronatus inhaeret, adminiſtrandi, vtilitatem ex eo percipiendi, aut locationis conductionis perpetuae, nondum ius tribuit, ius patronatus exercendi.

§. 601. At contra, vxori, cui dotalitium in praedio eſt conſtitutum, durante poſſeſſione, iuris patronatus exercitium competit.

§ 602. Si praedium propter debita ſequeſtratur, exercitium iuris patronatus nihilo minus manet penes dominum; et ea tantum iura et officia, quae ad aerarium eccleſiaſticum pertinent, obſeruanda ſunt ab adminiſtratore iudicialiter conſtituto.

§. 603. At contra onera patronatus, in hoc quoque caſu, ex praedii reditibus ſunt ferenda.

§. 604. Si praedium, cui ius patronatus inhaeret, ob cauſas alias, ac propter debita, fiſco petente, iudicialiter ſequeſtratur; durante ſequeſtratione regno ius competit, curandi de exercitio iurium et officiorum ex iure patronatus oriundorum.

De patronis pluribus.

§. 605. Si ius patronatus de eadem eccleſia pluribus praediis pari iure inhaeret; horum praediorum poſſeſſores intuitu iurium et officiorum, cum iure patronatus coniunctorum, conſiderandi ſunt tanquam iuris communis aut obligationis communis detentores.

§. 606. At horum tamen quisque iura honorifica, §. 586 599. expoſita, pro ſua perſona poſcere poteſt et exercere.

§. 607. Si eccleſia quaedam plures habet patronos; ille, in cuius praedio eccleſia ſita eſt, in negotiis communibus poſcere poteſt directorium, et in ſubſcribendo locum primum, ad illud pertinentem.

§. 608. Si eccleſiae plures ſub clericis et patronis communibus ſunt vnitae; directorium in cauſis communibus patrono competit loci, quo parochus reſidet.

Source : BIU Cujas

§. 609. At in rebus ad vnam tantum eccleſiam pertinentibus, praeceptum §. 607. quoque locum obtinet.

§. 610. Nemo abdicare ſe poteſt iure patronatus, et obligationibus cum eo coniunctis, absque expreſſo vniuerſitatis conſenſu, et cleri ſuperiorum approbatione. Quomodo ius patronatus deſinat.

§. 611. At contra quoque patronus ſua iura nullo modo amittit ſolo non-vſu.

§. 612. Si vero iura ſingula, ſub iure patronatus comprehenſa, ab eccleſiae vniuerſitate, aut eius antiſtitibus, aut a tertio quoque, per temporis terminum, ad praeſcriptionem ſolitam ſufficientem, tanquam iura ipſis competentia exerceri eſt paſſus; ea iura amiſit.

§. 613. Qui corruptionis aut commodorum priuatorum illicitorum aliorum cauſa aliquem praeſentat, muneri parochiali praeficiendum, pro ſua perſona amittit ius eligendi et praeſentandi in hoc muneris vacantis caſu, et ſequentibus omnibus.

§. 614. In hoc caſu et in omnibus reliquis, vbi patronus ius eligendi et praeſentandi pro ſua perſona amittit, ius muneri parochiali vacanti parochum praeficiendi competit cleri ſuperioribus. (§. 398. ſqq.)

§. 615. Atque etiam collegio, corpori vel vniuerſitati patronatus eccleſiae poteſt competere.

§. 616. Eiusmodi collegium etc. huius iuris exercitium alicui quidem ex membris ſuis poteſt demandare, ſiue cum certo munere coniungere;

§. 617. At eo non poteſt liberari ab obligationibus ad patronatum pertinentibus, in eccleſiae praeiudicium.



Source : BIU Cujas

## Sectio Nona.

### *De bonorum et aerarii eccleſiarum parochialium adminiſtratione.*

Principium generale.

§. 618. De bonis et aerario eccleſiarum parochialium valent omnia, quae de aerario eccleſiarum generatim in ſectione quarta ſunt praecepta.

Modus adminiſtrationis.

§. 619. Adminiſtratio aerarii eccleſiaſtici in genere antiſtitibus eccleſiae competit.

§. 620. Intuitu muneris functionis eorum locum habent omnia, quae de antiſtitibus ſocietatum eccleſiaſticarum in genere §. 156. ſqq., et §. 552. ſqq. praecepta ſunt.

§. 621. Attamen, intuitu eccleſiarum, quibus eſt patronus, huius adminiſtrationis reſpectu, patroni curae ſpeciali et immediatae quoque ſunt ſubiecti.

§. 622. Idem valet de vrbium eccleſiis et aliis maioribus, patronum ſingularem non habentibus, reſpectu collegii eccleſiaſtici, praeter antiſtites adminiſtrantes adhuc conſtituti.

Iura et obligationes adminiſtratorum eccleſiaſticorum.

§. 623. In adminiſtrando eos oportet eandem adhibere attentionem, et eundem culpae gradum praeſtare, ad quos tutores ſ. curatores ex legibus ſunt obligati.

§. 624. Eccleſiae parochiali omni duo ſaltem antiſtites ſunt conſtituendi.

§. 625. Quos oportet eccleſiae pecunias, chirographos, et documenta alia, communiter obſerata eo modo ſeruare, ne quisquam ex iis ſolus, et ſine reliquis, de iis poſſit diſponere.

§. 626. Vbi tutiſſime poſſit collocari arca, in qua eccleſiae pecuniae et documenta communiter obſerata ſunt cuſtodienda, de eo antiſtitibus cum patrono et parocho eſt deliberandum; et ſi opus fuerit, ab inſpectore aut archipresbytero pro re nata eſt definiendum.

Source : BIU Cujas

§. 627. Vbi, in primis rure, non ſunt perſonae idoneae, atque in arithmetica ſatis verſatae, quae conſtituantur eccleſiae antiſtites, ibi parochus non poteſt ſe iſti negotio ſubtrahere, eumque oportet, quae ſcribenda ſunt cum ratione curanda ſuſcipere.

§. 628. Quidquid igitur hic de eccleſiae antiſtitibus generatim ſancitur, in hoc caſu valet quoque de parocho et antiſtitibus ſecundariis ei adiunctis.

§. 629. Sortes eccleſiaſticas collocatas eccleſiae antiſtites renuntiare nequeunt, neſcio et non approbante patrono aut collegio eccleſiaſtico, vbi exiſtit. De ſortibus eccleſiaſticis.

§. 630. Si debitor renuntiat, patrono aut collegio eccleſiaſtico renuntiationem factam denuntiare ſine mora eos oportet.

§. 631. Vbi neque eſt patronus neque collegium eccleſiaſticum, ibi renuntiationes non niſi adhibito inſpectore aut archipresbytero fiant aut acceptentur neceſſe eſt.

§. 632. Patronum, collegium eccleſiaſticum, aut inſpectorem ſoluenti oportet indicare, an ſolutio eccleſiae antiſtitibus ſolis ſit praeſtanda, an quis praeter eos adhuc in exſoluendo adhibendus ſit.

§. 633. Quod praeceptum exſoluentem oportet ſequi, et apocha tantum huic praecepto conueniens contra eccleſiam poteſt probare ſolutionem factam.

§. 634. Simulac ex eccleſiae reditibus ſumma quinquaginta thalerorum aut maior poteſt reponi, eccleſiae antiſtites curare oportet, vt in eccleſiae vtilitatem ſecure collocetur.

§. 635. Dum nulla offertur occaſio, ſortes collectas ſub vſuris maioribus cum ſecuritate legitima collocandi, eiusmodi ſortes collectae menſae feneraticiae publicae regiae ſunt fenori dandae.

§. 636. Sortes eccleſiaſticae in regula non aliter fenori dentur, niſi ſub ſecuritate iudiciali et intabulatione in bonis immobilibus.

Source : BIU Cujas

§. 637. Collocatio fiat patrono aut collegio eccleſiaſtico ſciente et approbante; at his deficientibus, adhibito parocho.

§. 638. In caſibus omnibus collocatio, quae intenditur, et ſecuritas, eccleſiae de ſorte conſtituenda, archipresbytero aut inſpectori eſt indicanda.

§. 639. Si ſors collocanda quinquaginta thalerorum ſummam excedit; ideo ab archipresbytero aut inſpectore ſuperiorum cleri praepoſitorum ſententia eſt requirenda.

§. 640. Quod idem fiat neceſſe eſt, ſi inſpector, licet ſumma ſit minor, de ſecuritate dubitat.

§. 641. Collegio eccleſiaſtico, parocho, et antiſtitibus, ſub propria praeſtatione, absque ſpeciali cleri ſuperiorum approbatione non licet, patrono vel mutuas dare, vel alio modo committere eccleſiae pecunias.

§. 642. Idem valet de mutuis, eccleſiae antiſtiti, vel collegii eccleſiaſtici membro, vel parocho quoque dandis.

§. 643. Cleri ſuperiores obligantur eccleſiae, ſi in eiusmodi mutua (§. 641. 642.) conſentiunt absque ea ſecuritate, quam leges in collocandis minorennium pecuniis ex iudiciali depoſito poſtulant.

§. 644. Perſonis, ad cleri ſuperiores pertinentibus, neque antiſtites, neque patronus vel collegia eccleſiaſtica, ſub propria praeſtatione, mutuo dent pecuniam ex aerario eccleſiaſtico.

De eccleſiae debitis.

§. 645. Si ſortes pro eccleſia mutuae ſumendae ſunt; requiritur conſenſus patroni vel collegii eccleſiaſtici, aut vtroque deficiente, vniuerſitatis eccleſiae, aut vniuerſitatem repraeſentantium, vna cum approbatione cleri ſuperiorum.

§. 646. Qui, his requiſitis neglectis, eiusmodi mutui negotium agit, inde ius in eccleſiam et eius

Source : BIU Cujas

bona eatenus tantum acquirit, quatenus poteſt probare verſionem in eccleſiae vtilitatem factam.

§. 647. In fundum eccleſiaſticum alienandum, praeter patronum, ſi quis eſt, vniuerſitas quoque per repraeſentantes ſuos conſtituendos conſentiat neceſſe eſt. Fundi.

§. 648. At alienatio nulla valide poteſt fieri, niſi anteceſſerit cleri ſuperiorum cognitio et approbatio, et ſecuta ſit collegii rerum eccleſiaſticarum ſupremi (*des geiſtlichen Departements*) permiſſio.

§. 649. Ad locationes perpetuas, ſiue emphyteuſin, conſenſus cleri ſuperiorum ſufficit.

§. 650. Si eccleſiae de bonis aut aerario lites mouentur, antiſtitum eſt, eas perſequi. Lites.

§. 651. Patronum oportet adiuuare antiſtites in perſequendis et defendendis eccleſiae iuribus.

§. 652. Si eccleſia actoris partes debeat agere, patronum et antiſtites, antequam lis inſtituitur, de actione inſtituenda petere oportet cleri ſuperiorum approbationem.

§. 653. Quod ſi negligunt, eorum periculo et ſumtibus lis agitur, nec vllum inde damnum eccleſiae poteſt enaſci.

§. 654. Atque ſi eccleſiae ab aliis lis intenditur, patronum et antiſtites eccleſiaſticos cleri ſuperioribus rem indicare ſine mora oportet.

§. 655. Approbationis decretum ſuperiorum cleri ad litis conteſtationem non quidem eſt neceſſarium;

§. 656. At vero, ſi antiſtites tale decretum poſtea non producunt, eorum periculo et ſumtibus lis agitur.

§. 657. Sumtus tamen et in hoc caſu, et in caſu §. 653. ex aerario eccleſiaſtico poſſunt repeti, ſi ſecundo litis exitu eccleſiae effectum eſt commodum ſumtus ſuperans.

Source : BIU Cujas

§. 658. Mandatum, litem perſequendi, praeter antiſtites, a patrono, collegio eccleſiaſtico vel, his deficientibus, a parocho ſimul ſubſcriptum ſit neceſſe eſt.

§. 659. In caſibus, quibus antiſtes, patronus, aut collegia eccleſiaſtica, eccleſiae iura vera in iudicio perſequi aut defendere pertinaciter recuſant, cleri ſuperiores ex officio oportet eccleſiae conſtituere mandatarium ad ea perſequenda aut defendenda.

§. 660. Sumtus plures, ex recuſatione nullo fundamento nixa exortos, recuſans ex propriis reſtituat neceſſe eſt.

§. 661. Atque etiam, ſi contra patronum aut collegium eccleſiaſticum ipſum cauſa iudicialis eſt neceſſaria, eccleſiae a cleri ſuperioribus mandatarius ad eam cauſam agendam ex officio eſt conſtituendus.

Transactiones. §. 662. Absque cleri ſuperiorum conſenſu de bonis et iuribus eccleſiaſticis transactio nulla poteſt celebrari.

§. 663. Si transactio modum alienationis eiusmodi bonorum et iurium in ſe continet; praeter ea accedant neceſſe eſt alienationis bonorum eccleſiaſticorum validae requiſita, §. 648. generatim praeſcripta.

Reditus. §. 664. Antiſtites eccleſiae in primis curare oportet redituum eccleſiaſticorum exactionem ordinatam et promtam.

§. 665. Reditus facculi cum tintinnabulo, vel patinae expoſitae, in regula ad reditus eccleſiaſticos pertinent, et, facta collectione ab antiſtitibus, parocho adhibito, ſunt recipiendi.

§. 666. Idem valet de praeſtationibus perſonalibus, quae a parochianis aut aliis, hoc inſtituto vti cupientibus, pro certis actibus eccleſiaſticis ad taxam a regno approbatam, eccleſiae ipſi ſunt praeſtandae.

Source : BIU Cujas

§. 667. Atque de pecunia pro locis (*Stellgeldern*), ſecundum loci conſuetudinem pro ſepulcris in coemeteriis ſoluenda.

§. 668. Eccleſiae fundos, patrono vel collegio ecclesiaſtico conſentiente, antiſtites poſſunt locare, et locationis mercedes exigere. Locatio fundorum.

§. 669. Proclamatio, eiusmodi fundi locandi, ſemper publice fiat neceſſe eſt.

§. 670. Si merces vel penſio, pro locatione hactenus ſoluta, aut reditus ex fundis hactenus profecti, quinquaginta thaleros non exceſſerunt, et ſi locatio non debet fieri in tempus annis ſex longius; iam ſufficit, ſi conductionis cupientes proclamatione, diebus ſolis continuis tribus, ex ſuggeſtu facta citantur, vt die quodam definito in patroni aut antiſtitum domicilio compareant.

§. 671. Tunc contractus cum plus licitante, patrono aut collegio eccleſiaſtico conſentiente, ab antiſtitibus valide poteſt celebrari, iudicio aut cleri ſuperioribus non concurrentibus.

§. 672. Si fundus vltra ſex annos debeat locari, aut ſi eius reditus quinquaginta thaleros excedit; praeter proclamationem ex ſuggeſtu citatio iudicialis publica conducendi cupidorum praecedat neceſſe eſt.

§. 673. In locando obſeruanda ſunt legum praecepta de ſubhaſtationibus voluntariis, et ante adiudicationem impetranda eſt cleri ſuperiorum approbatio.

§. 674. Si eccleſiae fundi patrono ipſi debeant locari; cleri ſuperiorum approbatio ſemper eſt neceſſaria.

§. 675. Si praedium eccleſiaſticum in eccleſiae vtilitatem nequit locari; vniuerſitates parochianae, niſi aliud obſeruantia ſit introductum, tantum obligantur, ad fundos intra parochiae fines ſitos colen-

Source : BIU Cujas

dos, et fruges in iis natas colligendas, pro colendi et metendi pretio, eo loco vſitato.

Subſelliorum eccleſiaſticorum locatio.

§. 676. Vbi conſuetudo obtinet ſubſelliorum in templo locandorum, ibi cura ea locandi antiſtitibus competit.

§. 677. Qui ſubſellium parochianis et aliis in vſum poſſunt locare, at illi tamen praeferendi ſunt aliis.

§. 678. Antiſtites pretium, pro ſubſelliis eccleſiaſticis more vſitato ſolutum, augere ſine parochianorum conſenſu non poſſunt.

§. 679. Subſellia eccleſiaſtica nunquam ad publicae diſtractionis modum locentur.

§. 680. In aedibus ſacris nouiter exſtructis ſubſelliorum diſtributio ab antiſtitibus, patrono aut collegio eccleſiaſtico conſentiente, et approbantibus cleri ſuperioribus, ſecundum claſſes, ſiue ſorte curetur.

§. 681. Vbi ex conſtitutionibus ſingularibus templi ſubſellia perſonis aut familiis certis ſucceſſionis lege ſunt conceſſa; domini ea aliis poſſunt locare et in vſum concedere; atque ea poſteris ſuis hereditate quoque relinquere.

§. 682. At contra, dominium neque inter viuos neque mortis cauſa in alios poſſunt transferre.

§. 683. Si eiusmodi ſubſellii dominus nullis poſteris relictis defungitur, vel parochiam derelinquit; ſubſellium ad eccleſiam redit.

§. 684. Subſellia eccleſiaſtica, alicui intuitu dignitatis aut muneris deſignata, ab hoc nullo modo cedi poſſunt aliis.

§. 685. Subſellia eccleſiaſtica, domui aut praedio in perpetuum adiudicata, cum hoc fundo ſimul transeunt ad quemlibet eiusdem poſſeſſorem, licet confeſſioni alii addictum.

Expenſae ex aerario eccleſiaſtico.

§. 686. Expenſas ordinarias et determinatas, intuitu eccleſiae erogandas, antiſtites ex eccleſiae bonis iure poſſunt ſoluere, ſine quaeſtione vlla praeuia.

§. 687.

Source : BIU Cujas

§. 687. At contra, reſpectu expenſarum extraordinariarum, in qualibet eccleſia ſummae certae, pro re nata, a cleri ſuperioribus ſunt definiendae, quas excedere non licet antiſtitibus eccleſiaſticis absque conſenſu patroni ſiue collegii eccleſiaſtici, neque his ſine cleri ſuperiorum approbatione.

Rationes ab adminiſtratoribus bonorum eccleſiaſticorum reddendae.

§. 688. In eccleſia parochiali omni termini certi ſunt praefigendi, quibus antiſtites eccleſiaſticos de adminiſtratione ſua oportet rationem reddere.

§. 689. Si eccleſiae iuri patronatus ſunt obnoxiae, patronus accipit rationes, eo petente in eius domo reddendas.

§. 690. Si patronus non ipſe eodem loco habitat; determinatio, vbi rationes in loco velit accipere, ab eo dependet.

§. 691. Eccleſiae vniuerſitas rationibus reddendis per repraeſentantes aut mandatarios intereſſe iure poteſt.

§. 692. Si eccleſia patronum habet nullum; antiſtites collegio eccleſiaſtico rationes oportet reddere, et hic quoque locum habet praeceptum §. 691.

§. 693. Et ſi neque exiſtit collegium eccleſiaſticum; rationes reddendae ſunt deputatis, ab eccleſiae vniuerſitate ad rationes accipiendas denominatis.

§. 694. In caſibus omnibus parochus, licet non ſit antiſtes, in rationibus reddendis et accipiendis eſt adhibendus.

§. 695. Superiores cleri ex officio oportet attendere, vt rationes tempore definito rite reddantur.

§. 696. Viſitationis eccleſiaſticae cuiusque occaſione archipresbyterum aut inſpectorem oportet rationes, poſt tempus viſitationis nouiſſimae poſitas, inſpicere, atque extractum, intuitu titulorum (rubricarum) diuerſorum, acceptorum et expenſorum, cleri ſuperioribus transmittere.

§. 697. Si in rationibus redditis dubia adhuc inuenit; antiſtites de iis audiat neceſſe eſt, et rem in-



Source : BIU Cujas

dicet cleri ſuperioribus, qui cognoſcant et vlterius diſponant.

§. 698. Rationes eccleſiarum, quarum patronus rex eſt; atque earum, quarum vrbium magiſtratus aut vniuerſitates ſunt patroni, mittendae ſunt ad conſiſtorium, quod eas recenſeat; et ſi reditus annui thalerorum quingentorum ſummam excedunt, a conſiſtorio mittendae ſunt ad collegium rationarium ſupremum (*Oberrechencammer*).

Aedium eccleſiaſticarum exſtructio et refectio.

§. 699. De aedibus et ſupellectili eccleſiae conſeruandis antiſtites, cum parocho, inprimis curent neceſſe eſt.

§. 700. Aedificationes et refectiones, quae accidunt, patrono aut collegio eccleſiaſtico ſemper ſunt indicandae.

§. 701. Vbi non eſt patronus aut collegium eccleſiaſticum, antiſtitibus liceat refectiones decem thaleros non excedentes, parocho ſolo adhibito, ſine quaeſtione vlteriore inſtituere.

§. 702. Maior ſumma ſi eſt neceſſaria, inſpectori aut archipresbytero refectio eſt indicanda.

§. 703. Qui, ſi expenſarum ſumma quinquaginta thaleris eſt minor, et cognitione inſtituta nullum inuenit dubium, aedificationem aut refectionem, ſine quaeſtione vlteriore, poteſt approbare.

§. 704. At vero, ſi ad aedificandum aut reficiendum ſumma quinquaginta thaleris maior ex aerario eccleſiaſtico debeat erogari; ſemper requiritur cleri ſuperiorum approbatio, licet exiſtat patronus aut collegium eccleſiaſticum.

§. 705. De ea aedificatione aut refectione, cognitione inſtituta, archipresbyterum aut inſpectorem oportet ad cleri ſuperiores referre, adiecto impenſarum conſpectu, a rei peritis confecto.

§. 706. Si de nouo aedificio aedibus eccleſiaſticis addendo, aut de aedibus eccleſiaſticis amplificandis

Source : BIU Cujas

agitur, nulla caſuum ratione habita quaerenda eſt approbatio cleri ſuperiorum.

§. 707. Qui cleri ſuperiores aedificandi neceſſitatem percontentur, et modum aedificandi determinent neceſſe eſt. Cognitio neceſſitatis et modi aedificationis.

§. 708. In caſibus omnibus, vbi de aedificandi neceſſitate aut modo, ſiue de iis, quae ad aedificandum aut reficiendum ſunt conferenda, inter eos, quorum intereſt, lis exoritur, cleri ſuperiores omnem dent operam, vt rem amice componant.

§. 709. Quae compoſitio amicabilis ſi locum non habeat; litis deciſionem legalem eos oportet ad iudicem ſaecularem remittere, ſimul vero definire, quae interea in aedificatione aut refectione agenda ſint.

§. 710. Vbi intuitu expenſarum, ad aedificandum et ad conſeruandum aedificia eccleſiaſtica, pactis, ſententiis vires rei iudicatae nactis, obſeruantiis haud interruptis, ſiue legibus prouincialibus ſingularibus, regulae certae ſunt definitae, ibi regulae iſtae in poſterum quoque obſeruantur. Vnde expenſae ſumendae.

§. 711. At vero, in quantum definitiones eiusmodi ſingulares deficiunt; in tantum locus eſt praeceptis ſequentibus generalibus.

§. 712. Expenſae ad aedificanda et conſeruanda aedificia eccleſiaſtica in primis ex aerario eccleſiaſtico ſunt ſumendae.

§. 713. Ex quo tamen impendi non debent plura, ac poſſunt impendi ſine detrimento expenſarum annuarum, ex aerario eccleſiaſtico erogandarum.

§. 714. Atque intuitu eccleſiarum ruſticarum parochianos, in caſu quolibet, absque diſcrimine, oportet gratis praeſtare manu et iumentis operas neceſſarias.

§. 715. Operae manu et iumentis praeſtandae inter parochianos eadem proportione ſunt diſtribuen-



Source : BIU Cujas

dae, quae in operis vniuerſitati praeſtandis obtinet. (Tit. VII. §. 37. ſqq.)

§. 716. Parochianos, ad pagi, in quo eccleſia eſt ſita, vniuerſitatem non pertinentes, aut ex cauſa alia vlla ab operis vniuerſitati praeſtandis immunes, nihilo tamen minus conferre oportet ad operas, manu et iumentis in aedibus ſacris aedificandis et reficiendis praeſtandas.

§. 717. Proportio, qua operas praeſtent, definitur intuitu operarum manu praeſtandarum ex familiarum numero, vti intuitu operarum iumentis praeſtandarum ex iugis, quae eorum curiis ſunt conſtituta, aut quae ali in iis ſolent.

§. 718. Ad operas, quae artis aut opificii ſcientiam exigunt, gratis praeſtandas, neque in eccleſiis aedificandis et reficiendis parochianorum vllus eſt obligatus.

§. 719. Intuitu eccleſiarum vrbicarum operae neceſſariae, manu et iumentis praeſtandae, reliquis expenſis adduntur.

§. 720. Si aerarium eccleſiaſticum ad erogandas expenſas in totum aut ex parte non ſufficit; a patrono et parochianis communiter ſunt ferenda, quae deficiunt.

§. 721. Cui obligationi parochianus nullus ſubducere ſe poteſt, et duplicem habens parochiam vtrique in hoc caſu eſt obligatus.

§. 722. Atque vel eos, qui tantum vi priuilegii ſpecialis a iure cogendi parochiali eccleſiae parochialis confeſſionis ſuae ſunt exemti, nihilo minus conferre oportet de fundis, quos in parochia poſſident, ad aedificandam et reficiendam eccleſiam parochialem.

§. 723. Atque etiam eccleſiae hoſpitae vniuerſitates, eccleſiae vicinae deſignatas (§. 294. ſqq.), ad aedificandam et reficiendam eccleſiam parochialem oportet conferre.

Source : BIU Cujas

§. 724. Si refectio neceſſaria coniunctionis earum tempore eſt exorta; huic obligationi ſubtrahere ſe non poſſunt ſeparatione ab eccleſia, licet alias exiſtant eiusmodi ſeparationis rationes graues.

§. 725. Si eccleſiae plures ſub vno tantum parocho communi ſunt vnitae; patronum et parochianos eiusmodi eccleſiae cuiusque conferre tantum oportet ad conſeruanda aedificia eccleſiaſtica propria.

§. 726. At vero, ſi eccleſiae principales aut filiae plures parochia communi vna ſunt coniunctae; patroni et parochiani omnes ad eccleſiam parochialem conſeruandam ſunt obligati.

§. 727. Si patronus eccleſiae matris aut filiae adiunctae, in adiungendo, patrono principali conſentiente, ſuo patronatus iuri in huius fauorem prorſus renuntiauit; non poteſt obligari in aedificationibus et refectionibus obuenientibus, vt patroni inſtar conferat.

§. 728. Si parti vniuerſitatis, eccleſiam conſtituentis, ſacelli (capellae) aut domus precum ſeparatae exſtructio in remotiori parochiae loco eſt conceſſa; eiusmodi ſacellum, aeque ac templum principale, conſeruandum eſt ab iis, qui templo principali ſunt obligati.

§. 729. Materia ad aedificandum, quam patronus aut vniuerſitas, eccleſiam conſtituens, ipſa habet, ab iis ad aedificationem eſt exhibenda.

§. 730. At vero aeſtumatum materiae pretium imputatur partis cuiusque collationi pecuniariae.

§. 731. Collatio pecuniaria, ſi templum eſt ruſticum, inter patronum et eccleſiae vniuerſitatem eo modo diſtribuitur, vt patronus praeſtet partes tertias duas, tertiam autem parochiani.

§. 732. Patronus in parochia hubas ruſticas poſſidens de iis aeque ac parochianus alius ſeparatim adhuc confert.



Source : BIU Cujas

§. 733. Si patroni plures ad conferendum sunt obligati; patroni praestant partes duas tertias, ab ipsis conferendas, inter se, pro portione ratae in iure patronatus.

§. 734. Parochianorum collatio, §. 731. definita, inter hos distribuitur pro contributionis modo.

§. 735. Agri ecclesiastici, parochiales, scholarum, et ptochotrophiorum ad conferendum non trahuntur.

§. 736. Parochianos, quorum fundi contributioni vectigali non sunt obnoxii, nihilo minus conferre oportet pro portione mensurae et redituum horum fundorum.

§. 737. Quem in finem hi fundi a rei peritis aestimantur ex classibus et modis, de agris contributioni vectigali obnoxiis, in libro censuali (catastro steurali) assumtis; et eo modo definitur proportio collationis praestandae ad fundos vectigales.

§. 738. Parochiana ecclesiae membra, quae fundos nullos possident, sed ex commercio tantum et quaestu suo debent conferre, intuitu collationis praestandae eadem proportione aestumantur, qua ad alia vniuersitatis onera cum membris fundos possidentibus ab iis est conferendum.

§. 739. Parochianus duarum ecclesiarum in quaque tantum confert proportione fundorum, quos in ea possidet, aut quaestus, quem in ea facit.

§. 740. Intuitu templorum vrbicorum conferenda inter patronum et parochianos ita distribuuntur, vt ille trientem, hi vero partes tertias duas conferant.

§. 741. Collatio a parochianis praestanda eodem modo inter eos distribuitur, quo onera et praestationes personales communes aliae secundum loci cuiusque constitutionem exiguntur.

§. 742. Si desierunt ecclesiae filiae vel matres quoque, quarum vniuersitates parochianae, ecclesiae vicinae alii sunt adiunctae; in regula membra illa-

Source : BIU Cujas

rum ad conferendum trahuntur iisdem principiis, quibus eccleſiae principalis membra conferunt.

§. 743. Vniuerſitatum mere hoſpitarum membrorum ſingulorum quodque quartam tantum confert partem eorum, quae praeſtanda ſunt ab vniuerſitatis parochialis proprie ſic dictae contribuente eiusdem claſſis.

§. 744. At vero, ſi ipſis, dum adiungebantur, eſt conceſſum, vt participent ius eligendi parochum, parochiae vacanti praeficiendum; haec membra quoque conferre oportet ad ſumtus et expenſas ad aedificandam et reficiendam aedem ſacram neceſſarios, aeque ac membra vniuerſitatum parochialium proprie ſic dictarum.

§. 745. Parochiae incolas, confeſſioni alii addictos, nihilo minus oportet ſecundum eadem principia conferre, ſimulac aede ſacra ad cultum diuinum ſuum celebrandum vtuntur.

§. 746. Quo caſu excepto in regula quidem ad conferendum non ſunt obligati;

§. 747. At neque propter defectum, inde oriundum, collationes reliquorum, contra eorum voluntatem, augeri licet; ſed cleri ſuperiores curare oportet, vt alio modo ſuppleantur, quae deficiunt.

§. 748. Eadem quoque principia valent de diſtribuendis operis, manu et iumentis praeſtandis.

§. 749. Defectus, ex eiusmodi vniuerſitatis membrorum non parochianorum collatione non ſoluta oriundi, in primis ſupplendi ſunt iis, quae ab eccleſia pro eius facultatibus ad defectum ſupplendum ſunt addenda.

§. 750. Si defectus inde ſuppleri nequit; cleri ſuperiores a regno poſſunt petere, vt permittatur collecta.

§. 751. Si plane nulla ſunt defectum ſupplendi remedia alia; a parochianis, quatenus absque grau eorum moleſtia fieri poteſt, ſuppleatur neceſſe eſt.



Source : BIU Cujas

§. 752. At vero, si parochianorum numerus ita est deminutus, vt reliqui ea, ad quae conferenda sunt obligati, sine ruina ipsorum metuenda, non amplius possint conferre; cleri superiores, regno consentiente, eiusmodi parochiam parochiae vicinae alii oportet adiungere.

§. 753. Eiusmodi parochiae vnitae inter se eadem ratione sunt coniunctae, qua ecclesiae matres.

§. 754. Quatenus parochiae adiunctae patronus atque parochiani cum patrono et ecclesiae, quacum sunt vniti, parochianis participare quoque debeant, intuitu iuris parochum constituendi atque obligationis templum conseruandi, vti ratione iurium et officiorum reliquorum, in vnionis pacto, superiorum auctoritate intercedente, perspicue est definiendum.

§. 755. Quatenus hoc non est perspicue definitum, locum inueniunt regulae legum de rationibus ecclesiarum matrum vnitarum, earum patronorum et parochianorum.

§. 756. Parochiae cuiusque bona in regula post vnionem quoque separatim administrantur; ex cuiusque tamen ecclesiae bonis ad templum commune conseruandum pari ratione est conferendum, vsque dum vnio subsistit.

Inspectio de aedificatione.

§. 757. Inspectio de aedificatione et de colligendis ad eam collationibus incumbit antistitibus.

§. 758. Quibus iudex saecularis legitime requisitus ad exigendas collationes auxilium iuris denegare nequit.

§. 759. Lite quoque, de obligatione aut quanto collationis pendente, praestanda est collatio secundum cleri superiorum definitionem.

§. 760. At vero, si actor sententia legitima ab hac collatione in totum aut ex parte absoluitur, huic a reliquis conferentibus restituenda sunt soluta cum vsuris.

Source : BIU Cujas

§. 761. Coemeteriorum conseruatio est onus commune, incumbens omnibus, quibus ius est, coemeterium participandi. (§. 183. sqq.) Coemeteriorum aedificatio et refectio.

§. 762. At vero, si ecclesiae pro sepulcris soluitur pretium; coemeterium ex aerario ecclesiae eodem modo conseruandum est, quo templum ipsum.

§. 763. Patronus in regula in casu nullo obligatus est, vt conferat ad conseruandum coemeterium.

§. 764. Coemeteriorum nouorum constitutio locum tantum habeat ex causis grauibus, et non nisi consentientibus cleri superioribus, atque politiae loci praefectis.

§. 765. Eiusmodi coemeteriis nouis constitutis parocho et officialibus ecclesiasticis solae iura, hactenus percepta, non deminuantur.

§. 766. Quatenus societas ecclesiastica, alius ecclesiae campanis vtens, ad conseruandum eas, earumque sustentaculum et turrim, debeat conferre, in primis ex pactis et obseruantia hactenus non interrupta dependet. Conseruatio campanarum.

§. 767. Eiusmodi determinationibus deficientibus attendendum est, vtrum societas ecclesiastica aliena alteri, cuius campanae sunt, pro campanarum vsu simultaneo soluat pretium, an gratis vsu isto gaudeat.

§. 768. Si societas ecclesiastica aliena pro campanarum vsu pretium soluit; societas, cuius campanae sunt, exigere nequit, vt illa ad seruandas campanas contribuat.

§. 769. Quod idem obtinet, si vel societatis ecclesiasticae alienae membra pro campanarum vsu in casibus singulis pretium maius tantum oportet soluere, ac membra societatis, cuius sunt campanae.

§. 770. Si vsus campanarum prorsus est gratuitus; aut si societatis alienae socii pro campanarum vsu in casibus singulis idem tantum pretium soluunt, quod parochiani proprie sic dicti; illos ad conseruandas



Source : BIU Cujas

campanas eadem proportione oportet conferre, qua hi conferunt.

§. 771. Quo in casu si expensae ex aerario ecclesiastico sumuntur, adeo vt parochiani proprie sic dicti nihil debeant conferre; societatem ecclesiasticam alienam nihilo tamen minus praestare oportet collationem a cleri superioribus ex aequo determinandam.

## Sectio Decima.

### *De fundis et reditibus parochialibus.*

Quae ad bona parochialia pertineant.

§. 772. A bonis ecclesiasticis seu aerario ecclesiae discernendi sunt bona et reditus, immediate ad alendum parochum et reliquos officiales ecclesiasticos destinati.

§. 773. Ad quos reditus referuntur quoque stolae iura pro actibus parochialibus soluenda.

Eorum iura generatim.

§. 774. Fundi parochiales iisdem gaudent iuribus externis, quibus fundi ecclesiastici.

§. 775. In regula immunes sunt a praestationibus et tributis omnibus, domino praedii aut vrbis aerario soluendis, atque ab oneribus communibus.

§. 776. Ad eiusmodi vniuersitatis expensas, ex quibus parochus et vniuersitas immediatum percipiunt commodum, debent conferre.

§. 777. Fundi parochiales et aedituorum, fundorum ecclesiasticorum instar, exemti sunt a loci iurisdictione reali ordinaria.

Vsusfructus parochi.

§. 778. Fundorum parochialium administratio et vsusfructus parocho competit.

§. 779. Patrono et ecclesiae antistitibus obligatio et ius est attendendi, vt parochus agros parochiales more solito administret, iisque ex oeconomiae legibus vtatur.

§. 780. Eosdem in primis curare oportet, vt adsit iustum et ex omni parte completum inuentarium

Source : BIU Cujas

habitaculorum, rerum oeconomicarum, hortorum atque agrorum.

§. 781. Lite exorta, qui fundi, aedificia, res inuentarii, fortes, aut reditus annui ad eccleſiam aut parochiam pertineant; in decidendo matricularum eccleſiaſticarum extantium praecipue eſt habenda ratio.

§. 782. Parochus aedificia habitationi deſtinata locare non poteſt, niſi conſentientibus patrono et antiſtitibus eccleſiaſticis; quibus autem conſenſum ipſi denegare absque rationibus grauibus non licet.

§. 783. In recipiendis peregrinis parochus aeque ſubiectus eſt politiae legibus, ac alius incola omnis.

§. 784. Septa et ſepimenta conſeruanda, vti refectiones aedificiorum modicas, parochum et officiales eccleſiaſticos ex propriis curare oportet. Conſeruatio aedificiorum.

§. 785. Refectiones aedificiorum modicae habendae ſunt eae, quae vel plane nullas pecuniae numeratae expenſas exigunt, vel quarum ſingularum expenſae, ratione parochi trium thalerorum ſummam, et ratione officialium eccleſiaſticorum vnius thaleri ſummam non excedunt.

§. 786. Ianuae, feneſtrae, fornaces, ſerae, aliaeque eiusmodi pertinentiae internae aedificiorum, ab vſufructuario ex propriis ſunt conſeruandae, nulla expenſarum ſummae ratione habita.

§. 787. Ad maiores quoque aedium parochialium refectiones, vti ad aedificationes nouas, parochum oportet gratis exhibere materiam, quatenus ea in aedificiis parochialibus praeter oeconomiae indigentiam inuenitur.

§. 788. Vnde impenſae reliquae, deficiente fonte ipſis proprie deſtinato, ſint ſumendae, definiendum eſt ex legibus prouincialibus datis diuerſis.

§. 789. De quibus vbi determinatio legum ſingularis nulla extat, ibi hae expenſae, vti eccleſiae ipſius aedificationum et refectionum expenſae, ſumendae

Source : BIU Cujas

sunt ex aerario ecclesiastico; at hoc non sufficiente a patrono et parochianis sunt ferendae.

§. 790. De conferendis et distribuendis collationibus, eadem valent principia, quae de aedificiis ecclesiasticis.

§. 791. At ecclesiae tamen filiae et adiunctae immunes sunt a collationibus omnibus ad aedes parochi et aeditui ecclesiae communis conseruandas, si ab iis eiusmodi aedificia propria sunt conseruanda.

§. 792. At contra, eiusmodi ecclesia filia et adiuncta a collatione ad conseruandum aeditui ecclesiae communis aedificium non est immunis, licet proprium scholae magistrum habeat; si hic aeditui munere in celebrando cultu diuino non simul fungitur.

§. 793. Ad concionatorum viduarum aedificia sarta tectaque seruanda in regula neque aerarium ecclesiasticum, neque patronus, aut vniuersitas ecclesiam constituens obligatur.

§. 794. Quin potius impensae sumendae sunt ex fonte, ab conditore conseruationis expensis destinato; et hoc deficiente aut non sufficiente, ferre eas oportet viduam, pro habitationis gratuitae vsu ipsi concesso.

§. 795. At vero si domus a patrono et vniuersitate ipsa est condita, aut alias cum eorum consensu parochiae adiuncta; de ea conseruanda valent omnia, quae de conseruandis aedificiis parochialibus sunt praecepta.

§. 796. Antistitibus in primis incumbit obligatio attendendi, ne parochus et personae reliquae ad modicas refectiones obligatae, damnum sinant augeri.

§. 797. Cleri superiores oportet occasione visitationum, parochos et officiales ecclesiasticos seuere admonere, vt in hoc quoque casu obligationi suae satisfaciant.

§. 798. Si parochus aut officialis ecclesiasticus negligendo refectiones modicas, aut omittendo culpa

Source : BIU Cujas

fua indicationem damni maioris, quod accidit, huius damni augmento cauſam praebuit; damni reparatio ſumtibus eius propriis fiat neceſſe eſt.

§. 799. De hortorum, agrorum et oeconomiae inuentarii conſeruatione parochum tanquam vſufructuarium curare oportet. Conſeruatio inuentarii.

§. 800. Agros parochiales parochus locare ſine quaeſtione vlteriore poteſt; at ſucceſſor in munere pacto ab anteceſſore contracto non aſtringitur. Vtilitas ex agris parochialibus percipienda.

§. 801. Quem tamen ſucceſſorem in munere, ſi agri in campos certos ſunt diſtributi, conductorem tolerare tamdiu oportet, donec hic, ſemel ſaltem, inde a conductionis initio, ex agris omnibus ſeruato ordine vtilitatem percepit.

§. 802. Si ſucceſſoris in munere conſtitutio in tempus incidit, quo conductor vtilitatem ex agris percipere ex ordine de nouo iterum inchoauit; ſucceſſor conductionem concedere debet continuandam, vsque donec conductor ex agris omnibus ſeruato ordine vtilitatem percepit.

§. 803. Si locationis conductionis contractus celebratus eſt patrono et antiſtitibus eccleſiaſticis adhibitis, et expreſſa cleri ſuperiorum approbatione; ſucceſſor in munere eo quoque aſtringitur.

§. 804. Si parochiae eſt ſylua, parochus praeſens ex ea ſecundum conſtitutionis foreſtalis regulas vtilitatem poteſt percipere. Vtilitas ex ſylua parochiali percipienda.

§. 805. At vero ius ei non eſt, ex ea vendendi materiam, ad aedificandum aptam.

§. 806. Eiusmodi materiae, quatenus absque ligni comburendi, quo parochus indiget, deminutione poteſt fieri, eſt parcendum; et ea conſeruanda eſt ad aedificanda et reficienda aedificia parochialia et aedituorum.

§. 807. Si ligna ad aedificandum apta extant ſuperflua; antiſtites approbante patrono aut collegio eccleſiaſtico, vel his deficientibus vniuerſitate, aut

Source : BIU Cujas

iis, qui eam repraesentant, consentientibus, vendere ea possunt, et pecuniam ex his lignis exactam sub vsuris collocare.

§. 808. Eiusmodi fors ad bona parochialia pertinet, atque in primis impendenda est ad impensas in aedificanda et reficienda parochorum et aedituorum aedificia erogandas.

§. 809. Dum autem fors ista in eum finem nondum impenditur, eius vsurae praesenti cedunt parocho.

§. 810. Atque ligna comburenda vendendi ius parocho quoque eatenus tantum competit, quatenus vel sylua parochialis in partes certas caeduas est diuisa, atque ipsi eo modo in vsumfructum concessa, vel ipsi ex sylua lignum demensum (deputatum) certum est designatum, ex quo lucrari aliquid potest.

§. 811. Quo casu excepto intuitu ligni comburendi, si eius vendi aliquid possit sine detrimento eorum, quibus parocho est opus, eadem obtinent, quae §. 807-809. de lignis ad aedificandum aptis sunt praecepta.

§. 812. Si in agris parochialibus proprie sic dictis ligna creuerunt: parochus succedens petere quidem potest, vt tollantur et radicitus eruantur, vel eius sumtibus, qui eiusmodi mutationem primitiuae soli destinationi contrariam proprio usu suscepit, vel aerarii parochialis aut ecclesiastici sumtibus;

§. 813. Sed neque ligna caesa potest petere, neque pecuniam inde exactam; sed ea cedunt eradicationis sumtus ferenti.

§. 814. Fructus et emolumenta oeconomica pomorum atque aliarum arborum singularum, in agris positarum, cedunt parocho; qui tamen non potest arborum substantiam sibi vindicare.

De dotalibus.

§. 815. Vbi certi dotales ecclesiae sunt adscripti, ibi parocho intuitu operarum, ab iis praestan-

Source : BIU Cujas

darum iura sunt eadem, quae praedii domino in subditos.

§. 816. Iurisdictio, et praedii domini iura alia parocho tunc tantum de iis competunt, si eiusmodi iura concessione regni, vel praescriptione, speciatim acquisiuit.

§. 817. Si eiusmodi iura in matricula sunt consignata; pro parocho stat praesumtio, ea modo legitimo parochiae fuisse acquisita.

§. 818. Vtilitas ex coemeterio percipienda in regula non cedit parocho, sed ad reditus ecclesiae pertinet. Vtilitas ex coemeterio percipienda.

§. 819. Si tamen parochus coemeterium moris consenit, easque rite curat et colit; ei cedunt emolumenta omnia, et ex gramine et ex fructibus coemeterii percipienda,

§. 820. Si parochus moros conferendas et colendas curare recusat; earum cura aedituo licet, qui pro ea iisdem emolumentis ex coemeterio fruitur.

§. 821. Vtrum et quatenus parochis aliisque officialibus ecclesiasticis immunitas ab accisa et gabella demigrationis, ius potum domesticum coquendi, atque alia eiusmodi iura praerogatiua personalia specialia competant, in legibus prouincialibus propius definitur.

§. 822. In introductione parocho nouo secundum inuentarium tradenda est habitatio et res oeconomica ab antistitibus, sub patroni vel archipresbyteri vel inspectoris circuli cura et directione. Separatio parochi ad munus accedentis et decedentis.

§. 823. Separatio parochi decedentis aut eius heredum ab ecclesia, intuitu subsantiae, vti a nouo parocho, intuitu emolumentorum percipiendorum, instituitur secundum leges in doctrina de vsufructu praescriptas. (P. I. Tit. XXI. §. 111. sqq.)

§. 824. Vbi in ea requiritur domini consensus. in meliorationes vsufructuario refarciendas, ibi intuitu parochi requiritur patroni vel collegii eccle-

Source : BIU Cujas

ſiaſtici conſenſus, atque cleri ſuperiorum approbatio.

§. 825. Quatenus eiusmodi meliorationes paroco decedenti, aut eius heredibus, ſunt reſtitutae, eatenus iſtae parochiae incorporantur; atque de iis, intuitu caſuum ſequentium, valent omnia, quae de bonis parochialibus in genere ſunt praecepta.

§. 826. Si nouus parochus eiusmodi meliorationum reſtitutionem ex propriis praeſtitit; ipſe, aut eius heredes, ſi poſtea decedit, a ſucceſſore poſſunt petere, vt reſtituat ſoluta.

§. 827. Eiusmodi reſtitutio anteceſſori a ſucceſſore praeſtanda in muneris quoque mutationibus, poſtea ſequentibus, tamdiu continuatur, donec forſan hoc meliorationis pretium, vti melioratio ipſa, parochiae eſt incorporata.

§. 828. Si vero parochus nouus decedenti, aut eius heredibus, ſoluit meliorationes, quarum reſtitutionem nullam petere poterant, ſed quas tollere tantum licebat: iſtae meliorationes inde parochiae non incorporantur; at neque parochus deinde decedens earum reſtitutionem poteſt petere.

§. 829. Quin potius, intuitu iuris eas tollendi, tantum ſuccedit in iura auctoris meliorationum primi.

§. 830. Contra quas regulas ſi quid determinari debeat pactis, inter eccleſiam et parochiam ex parte vna, et inter parochum decedentem aut eius heredes atque parochum ad munus accedentem ex parte altera; cleri ſuperiorum approbatio eſt neceſſaria.

§. 831. De ſeparatione intuitu emolumentorum quoque valent regulae de vſufructu praeſcriptae, niſi leges prouinciales expreſſae aliud definiunt. (P. I. Tit. XXI. §. 143, ſeqq.)

§. 832. At iura tamen ſtolae ei tantum cedunt, qui actum peregit.

§. 833.

Source : BIU Cujas

§. 833. Mortis trimeſtre viduae liberisque parochi in munere defuncti prodeſt. Trimeſtre mortis.

§. 834. Quos tamen inde funeris ſumtus erogare oportet, quatenus reditus iis ſufficiunt.

§. 835. In creditorum parochi defuncti praeiudicium ne eius vidua quidem et liberi mortis trimeſtre poſſunt petere.

§. 836. At contra maritus et pater hanc emolumentorum perceptionem ipſis non poteſt eripere per vltimae voluntatis diſpoſitionem, in heredum aliorum fauorem.

§. 837. Et muneris annus et mortis trimeſtre computantur a primo die menſis eius, quo parochus eſt introductus.

§. 838. Gratiae anno, vel tempori, locus tantum eſt in parochiis proteſtantium, et tantum in locis, vbi ordinationibus eccleſiaſticis prouincialibus eſt introductus, aut ex obſeruantia obtinet. Annus gratiae.

§. 839. Et quidem viduae tantum relictae conceditur, et iis parochi liberis, qui eius mortis tempore adhuc ſub patria fuerunt poteſtate conſtituti.

§. 840. Paſtoris defuncti nepotes et liberi adoptiui mortis annum eatenus tantum poſſunt petere, quatenus tempore mortis in defuncti aedibus commorantes alimenta ab eo acceperunt.

§. 841. Viduae ſecundum loci conſtitutionem ſalarium viduae accipientes in regula gratiae annum petere nequeunt.

§ 842. Annus gratiae non competit viduae et liberis parochi, qui munere prorſus depoſito ſalarium tantum gratioſum adhuc percepit.

§. 843. At vero, ſi parocho, munere adhuc fungenti, ſubſtitutus tantum fuit adiunctus; vidua eius et liberi reditibus ipſi reſeruatis per tempus gratiae fruuntur.



Source : BIU Cujas

§. 844. Quousque extendatur tempus gratiae, secundum loci cuiusque consuetudinem est determinatum.

§. 845. Mortis trimestre non imputatur gratiae tempori

§. 846. Gratiae annus cedit viduae et liberis, licet mariti patrisque heredes non fuerint facti.

§. 847. At vero liberi legitime exheredati gratiae annum non possunt petere.

§. 848. Si vidua existit, huic soli competit annus gratiae; quam tamen oportet liberis gratis alimenta praebere.

§. 849. Vidua durante gratiae anno mortua, fructus et emolumenta per anni gratiae tempus reliquum percipiunt liberi, quibus secundum §. 839. 840. ius est ad percipiendum.

§. 850. Si non nisi liberi gratiae anno fruuntur; uno eorum durante anno gratiae defuncto, eius portio accrescit reliquis.

§. 851. Viduae et liberi parochi defuncti alii, ac in §. 839. 840. denominati, tempus gratiae nunquam possunt petere.

§. 852. Quidquid ex reditibus muneris parochialis eo vacante, deductis sumtibus pro cura ecclesiae vicaria, supersit, bonis accrescit parochialibus, vbi gratiae annus non obtinet.

§. 853. Iura stolae in regula neque ad annum gratiae pertinent, neque ad bona parochialia; sed competunt peragenti actum, pro quo sunt soluenda.

§. 854. Vbi ex consuetudine obtinet, vt iura stolae quoque ad gratiae annum referantur, ibi viduam et liberos, gratiae anno fruentes, actus celebrantibus indemnitatem praestare oportet itineris et victus sumtuum ea occasione erogandorum.

§. 855. Et in mortis trimestri, et in anno gratiae eos, qui reditibus parochialibus fruuntur, cul-

Source : BIU Cujas

tum diuinum celebrantibus indemnitatem praeſtare oportet, in prouincia aut in circulo vſu receptam, quatenus ſtolae iura ad eam non ſufficiunt.

§. 856. Si mortis trimeſtre et gratiae annus diuerſis perſonis competit; fructus et emolumenta pro temporis ratione inter eas diuiduntor.

## Sectio Vndecima.

### *De decimis et aliis praeſtationibus parochialibus.*

§. 857. Decimae proprie ſic dictae ſunt quota fructuum, in vniuerſitate agrorum ad parochiam pertinentium procreatorum. Principia.

§. 858. Principio decimae ad alendum parochum ſunt deſtinatae; quae tamen quoque ab eccleſia, atque ab alio quolibet, acquiri poſſunt et poſſideri.

§. 859. Intuitu decimarum, quae ſunt penes poſſeſſorem faecularem, licet a principio ſint decimae parochiales, diuerſitas confeſſionis fidei ad ius, eas exigendi, nihil valet.

§. 860. Ex eo, quod eccleſiae eſt qualitas eccleſiae parochialis, nondum ſequitur, parochianos ad praeſtandas decimas eſſe obligatos.

§. 861. Parochus et eccleſia ius decimandi eodem modo, quo aliud ius quoduis, per ordinariam quoque praeſcriptionem poſſunt acquirere. Iuris decimarum acquiſitio.

§. 862. Si laicus velit probare contra parochum ſeu eccleſiam ius decimarum, a principio porochialium ſiue eccleſiaſticarum, praeſcriptione acquiſitum; requiſita praeſcriptionis contra eccleſiam omnia adſint neceſſe eſt.

§. 863. Inter laicos, de poſſeſſione iuris decimarum, a principio eccleſiaſticarum aut parochialium, inter ſe litigantes, praeſcriptio ſolita ad decidendum ſufficit.



Source : BIU Cujas

§. 864. Lites omnes, vel de decimis parochialibus et ecclesiasticis oriundae, a iudice saeculari sunt decidendae.

Eius ambitus.

§. 865. Simulac cognitum est, decimarum domino, decimas a principio parochiales aut ecclesiasticas possidenti, ius esse decimarum de certa agrorum vniuersitate, valet praesumtio, fundos in hac agrorum vniuersitate sitos omnes esse decumanos.

§. 866. Decimarum lapides non probant ius decimandi in genere, sed tantum probant, ei, cuius signum iis lapidibus est appositum, esse facultatem, ius decimarum in agrorum complexu (districtu) intra lapides sito exercendi.

§. 867. Qui agros a decimarum onere immunes iuxta decumanos acquirit, aut pascua et syluas non decumanas in arua mutare, et cum agris decumanis cupit coniungere, eum oportet decimarum domino rem indicare, et ipso aut eius mandatario praesente, agrum non decumanum a decumano signis terminalibus discernere.

§. 868. Quod si neglexit, stat contra eum praesumtio; et lite exorta agri non decumani terminos plene probare eum oportet.

Extinctio iuris decimandi.

§. 869. Qualitates et iura praerogatiua alia fundi, in districtu decumano siti, nondum fundant immunitatem a decumis.

§. 870. Si tamen fundi possessor ex decem annis versatur in quieta immunitatis a decimarum onere possessione; inde tollitur praesumtio legalis ex situ fundi exorta.

§. 871. At vero, si decumana fundi qualitas alio modo potest probari; iure exigendi decumas ecclesia aut parochus tantum priuatur, per non-vsum quadraginta et quatuor annorum, sub determinationibus, in titulo de praescriptione expositis. (Tit. VII. §. 509. 510. 511.)

Source : BIU Cujas

§. 872. Si fundi in ſe decumani poſſeſſor, pro ſua perſona, ob confeſſionis diuerſitatem, a decumis praeſtandis eſt immunis; interea temporis ius decimarum quieſcit; et non poteſt inchoari durante hac poſſeſſione praeſcriptio contra eccleſiam vel parochum.

§. 873. Quin etiam eiusmodi poſſeſſionis anni deducuntur ab eo temporis ſpatio, quo praeſcriptio contra eccleſiam vel parochum rite eſt inchoata et continuata.

§. 874. Decumae in regula conſiſtunt in parte decima fructuum in agris decumanis natorum et iuri decumandi obnoxiorum.

§. 875. Vbi decumae in genere et absque determinatione vlteriore ſunt introductae, ſub iis tantum intelliguntur decumae ſic dictae generales. De decumis generalibus.

§. 876. Quae praeſtandae ſunt de agrorum et pratorum decumanorum frugibus, quas culmus fert, omnibus.

§. 877. Ius decumandi habens decumas praeſtanti non poteſt praecipere, qua ratione fundum colat, et quos fructus ex eo percipiat.

§. 878. At vero, ſi decimas dans frugum genus ferat, hactenus inſolitum; de eo quoque frugum genere praeſtare decumas eum oportet.

§. 879. At vero, ſi huic decimas praeſtandi modo, pro frugum fatarum hactenus inſolitarum natura et qualitate, aut aliis ex cauſis, locus eſſe nequit; decimas dantem frugum hactenus ſeri ſolitarum easdem decimas oportet praeſtare, quas agri eiusdem magnitudinis in iisdem agrorum finibus (vniuerſitate) praeſtant.

§. 880. Fruges in agro otioſo (veruacto) natae in regula a decimarum onere ſunt immunes.

§. 881. At vero, ſi decimas praeſtans veruacto eo modo eſt vſus, vt inde ſequentis meſſis reditus



Source : BIU Cujas

aperte deminuantur; decimarum dominum ideo indemnem praeſtet neceſſe eſt.

§. 882. An eiusmodi vſus decimarum domino noxius exiſtat, et quanta ſit deminutio inde ei exorta? ſi compoſitio amicabilis non obtinet, ex iuratorum rei peritorum arbitrio eſt definiendum.

§. 883. Qui in arbitrio ſuo interponendo rationem habeant neceſſe eſt proportionis redituum ex eiusdem qualitatis agris vicinis, ex quibus otioſis ſolita percepta eſt vtilitas.

§. 884. Si decimas praeſtans fundos pertinentes ad arua, in quae ante vel poſt hiemem grana feruntur, ex negligentia aut oeconomia male ordinata, in totum ſiue ex parte non colit; decimarum domino ius competit, eos colendi, et dominus (proprietarius) fruges ex iis perceptas poſcere omnino non poteſt.

§. 885. Si decimas praeſtans modum inſtituit agri colendi, quo ſundi forma et deſtinatio prorſus mutatur; decimandi ius habentem de damno huic inde illato alio modo indemnem praeſtet neceſſe eſt.

§. 886. Pro cuius indemnitatis norma ſumendi ſunt annorum ſex vltimorum ante mutationem factam reditus decumani, in partes aequales ſex diuiſi.

§. 887. Si partes de hoc indemnitatis modo inter ſe non conueniunt; indemnitas intuitu anni cuiusque, ſecundum praeceptum §. 879. eſt definienda.

§. 888. Sola diſtribuendorum agrorum, vel modi ſtercorationis mutatio, aut fementis deminutio, ex inſtitutis pratis artificioſis orta, decimarum domino non tribuunt ius indemnitatem poſcendi.

§. 889. De iis quoque agris, qui non more vſitato, ſed interdum tantum coluntur, praeſtandae ſunt decimae, quotiescunque ſunt culti.

De nouali-bus.

§. 890. Decimae eccleſiaſticae et parochiales exigi quidem quoque poſſunt de exſiccatis paludibus, et ſyluis ac pratis eradicando apertis, et agris nouis aliis

Source : BIU Cujas

ad culturam redactis, quatenus ſiti ſunt in diſtrictu decumano;

§. 891. At poſſeſſoribus tamen conceditur annorum duodecim immunitas, inde ab eo tempore, quo eiusmodi ager noualis primo eſt re vera cultus.

§. 892. Decimarum domini ſaeculares, decimas ex eiusmodi agris noualibus tunc tantum poſſunt petere, ſi decimae iſtae expreſſe ſunt ipſis conceſſae.

§. 893. Ager noualis non eſt habendus, vbi decimas dans dumeta, arbores, virgulta aut foſſas, quae in ſe ſunt in agro decumano, vno modo aut alio in agros mutat et colit.

Modus praeſtandi decumas generales.

§. 894. Decimae de frugibus praeſtandae ſunt integrae, nullis deductis agriculturae impenſis et praeſtationibus.

§. 895. Accipientem oportet decimas accipere in agris ex manipulis erectis aut aceruis, ordine quo ſe ſequuntur; at dinumerandi tamen initium poteſt facere, vbi libuerit.

§. 896. Ei quoque licet, in dinumerandis manipulis erectis aut aceruis ab eiusdem poſſeſſoris agro alio ad alium progredi.

§. 897. In qua dinumeratione continuanda ei liberum eſt, vtrum in extrema agri ſequentis parte ſuperiore an inferiore velit initium facere.

§. 898. Si poſtremo ſuperſunt fruges, mergitem decimam non efficientes; iſtae reſeruantur ius decimandi habenti, qui anno ſequente eas connumeret.

§. 899. Vbi fruges ſtruibus quindenis (*Mandeln*) aut aceruis componuntur, ibi decimarum dominus poteſt poſcere, vt ex digeſtis ſtruibus quindenis aut aceruis ſingulis, poſt dinumerationem factam reſiduis, ipſi exhibeantur mergitum iſtarum decimae.

§. 900. Decimarum dominus, ſi ipſe meſſis tempore praeſens eſſe non poſſit aut nolit, decimatorem



Source : BIU Cujas

mandatarium in propinquo conſtituat, eumque decimas praeſtanti tempeſtiue indicet neceſſe eſt.

§. 901. Simulac decimarum domino, vel eius mandatario, indicatum eſt, fruges ad dinumerandum eſſe compoſitas, ad eas dinumerandas ſine mora aduenire eos oportet.

§. 902. Decimas praeſtans non obligatur, vt dinumerationem expectet plus horis duodecim, inde ab indicationis tempore computatis.

§. 903. Quin potius tunc, iudicio pagano praeſente, aut adhibitis duobus teſtibus in ſe fide dignis, decimarum domini ſumtibus, decimas ipſe poteſt eligere, et in agro relinquere.

§. 904. Si decimas dans tempeſtate cogitur, vt fruges in horrea transuehere properet; iam ſufficit, ſi decimarum domino aut eius mandatario ſit indicatio ſex tantum horas ante, quam fruges in horrea transuehuntur.

§. 905. At contra, decimas dans quoque obligatur, ſi decimas colligens, in diſtrictu iam occupatus eſt dinumerando, vt tamdiu expectet, vsque donec hic ad eius agrum peruenire poteſt.

§. 906. Decimas colligens, qui data opera moras nectit, decimas danti tenetur de damno omni, quod ortum inde fuiſſe poteſt probari.

§. 907. At vero, ſi neglectis praeceptis antecedentibus, in horrea transuectae ſunt fruges, decimis nondum electis; ex horreo adhuc tradendae ſunt decimarum domino decimae.

§. 908. Si fruges ab eo, qui decimas praeſtat, dolo aut culpa lata propria iuſto citius in horrea ſunt transuectae; decimas praeſtantem, niſi leges prouinciales ſingulares aliud definiant, decimarum domino in mergites decem vnam, at leui tantum culpa commiſſa, in viginti mergites vnam amplius oportet tradere.

Source : BIU Cujas

§. 909. Decimas in agris dinumeratas in regula, et niſi aliud obſeruantia haud interrupta eſt introductum, accipientem ipſum oportet in horreum ſuum transuehendas curare.

§. 910. Decimae ſpeciales, vbi expreſſe ſunt introductae, in regula praeſtandae ſunt ex hortorum et arborum fructibus omnibus, absque discrimine, vtrum ex hortis aut agris prouenerint. De decimis ſpecialibus.

§. 911. Decimarum neque generalium neque ſpecialium remiſſionem decimas praeſtans petere poteſt ob calamitates, quas eſt perpeſſus.

§. 912. Neque in vendendis frugibus decumanis, neque in locando iure decimandi, decimas praeſtanti competit ius protimiſeos aut retractus.

§. 913. Idem valet, ſi ius decimandi venditur vna cum praedio aut fundo, cui inhaeret.

§. 914. At contra, ſi ius decimandi de integra agrorum vniuerſitate, aut de fundis quoque ſingulis in ea ſitis, per ſe ſolum debeat vendi; in caſu priori ius protimiſeos aut retractus competit vniuerſitati, vti in caſu poſteriori fundi decumani poſſeſſori.

§. 915. Ius decimas de animalibus exigendi extenditur ad animalium genera omnia, quae ad rem domeſticam et agrariam pertinent. De decimis, quae de animalibus praeſtantur.

§. 916. In regula animalia decumana ex anno in annum ſunt denumeranda, quo facto corpus decimum eſt tradendum.

§. 917. Corpora ante denumerationem factam demortua in computandis decimis non connumerantur.

§. 918. Denumerationis tempus ex loci cuiusque conſuetudine eſt determinatum.

§. 919. Non obligatur decimarum dominus, vt accipiat vitulos, agnos, et porcos, antequam ad vendendum ſunt idonei; pullos equinos, antequam lacte ſunt depulſi; et volatilia, antequam ſunt pennata.

§. 920. Ex generibus omnibus corpora tantum bonitatis mediae pro decimis danda ſunt et accipienda.



Source : BIU Cujas

Abolitio decimarum perſonalium.

§. 921. Decimae perſonales de iis, quae ſola hominum induſtria ſunt acquiſita, nusquam petantur, neque dentur.

De decimis granorum (ſaccariis).

§. 922. Si decimae definitae ſunt ad quantitates aut menſuras certas frumentorum excuſſorum aut fructuum perceptorum; decimae vocantur granorum (ſaccariae *Sackzehente*).

§. 923. Si apparet, decimarum dominum decimas in natura poſſe exigere; hic ius ſuum, has decimas in natura exigendi, non amiſit, licet ex tempore longiori, ac legibus praeſcripto, pro iis acceperit frumentum excuſſum.

§. 924. Si vero decimarum dominus ius ſuum decimas in natura petendi exercere voluit, et contradicente obligato, inde ex contradictionis tempore, per tempus legibus praeſcriptum decimas in frumentis excuſſis acceptauit; decimae in natura in decimas granorum (ſaccarias) praeſcriptione ſunt mutatae.

§. 925. In decimis granorum (ſaccariis), ſine electione vlla inſtituta, praeſtandae et accipiendae ſunt fruges tales, quales decimas praeſtans percepit.

§. 926. At decimas tamen debentem in caſu omni frumentum exhibere oportet in foro vendibile.

§. 927. Frumenta in regula exhibenda ſunt modiis radio aequatis.

§. 928. Decimas praeſtitas in accipientis domum aut tabulatum ſupremum transuehendas curare oportet decimas praeſtantem.

§. 929. Si decimas dans in tradendis decimis moram commiſit, locus eſt praeceptis Tit. VII. §. 479. 480.

§. 930. Si decimas dans annonae ſterilitatem in totum eſt perpeſſus; accipiens decimas granorum (ſaccarias) eatenus tantum poteſt poſcere, quatenus fruges perceptae, deductis oeconomiae, ſeminis, panis,

Source : BIU Cujas

cibandae familiae conductitiae, et pabuli neceſſitatibus, ad eas praeſtandas adhuc ſufficiunt.

§. 931. Sin annonae ſterilitas vni tantum vel alteri frumenti generi accidit, e. g. granis tantum, quae ante hiemem, vel iis tantum, quae poſt hiemem feruntur; decimas dantem decimas granorum (ſaccarias) eius frumenti generis, cui calamitas accidit, praeſtandas vel ſoluere oportet pretiis aeſtumatis in prouincia ſiue regione ſolitis, vel eas exhibere in alio frumenti genere, eorundem pretiorum proportione.

§. 932. Decimas dantem, qui horum iurium altero cupit vti, obſeruare oportet de ſterilitatis annonae exortae denuntiatione, decimarum domino tempeſtiue facienda, praecepta conductori colono praeſcripta. (P. I. Tit. XXI. §. 480-483.)

§. 933. At quoque horum iurium neutri locus eſt, ſi decimas praeſtans expreſſe renuntiauit remiſſionibus omnibus.

§. 934. Quae hic de remiſſione decimarum granorum (ſaccariarum), clericis praeſtandarum, ſancita ſunt; applicari non poſſunt ad alias praeſtationes naturales, quae non praeſtantur tanquam decimae parochiales vel eccleſiaſticae.

§. 935. Si decimarum dominus, loco decimarum naturalium, perpetuo eandem pecuniae praeſtationem per tempus legibus praeſcriptum acceptauit; locum inueniunt praecepta §. 923 et 924. De decimis pecuniariis.

§. 936. Eiusmodi decimas dans ob calamitatem, quam eſt perpeſſus, eatenus tantum indulgentiam aut remiſſionem poteſt petere, quatenus emphyteutae indulgentia et remiſſio intuitu canonis debiti conceditur. (P. I. Tit. XVIII. §. 758. ſqq.)

§. 937. Offertoria, praeſtationes *Pröven* dictae, oua paſchalia, mergites, quas *Wettergarben* vocant, aliaque eiusmodi tributa, parocho aut aedituo praeſtanda, De praeſtationibus parochialibus ſ. paſto-

Source : BIU Cujas

ralibus aliis. vnice definienda sunt ex loci cuiusque consuetudine.

§. 938. Eiusmodi praestationum remissio peti nunquam potest.

## Sectio Duodecima.

### *De societatibus clericalibus in genere.*

Notiones et principia. §. 939. Sub societatibus clericalibus, quarum membra aliis sacrorum exercitationibus, ac animarum cura, in primis occupantur, intelliguntur capitula, monasteria et ordines religiosi a regno recepti.

§. 940. Quibus sub nomine capitulorum et conuentuum eadem iura in regno sunt, ac aliis corporibus. (Tit. VI.)

§. 941. Directioni subsunt praepositorum suorum separatorum, qui pro constitutionis diuersitate vel a membris eliguntur, vel a tertio constituuntur.

Occupationes sacrae. §. 942. In occupationibus suis sacris, in regula, episcopi dioeceseos curae sunt subiectae; a qua si exemtas se esse asserunt, exemtionem specialem a regno approbatam probent necesse est.

§. 943. Parochorum iura in muneris actibus laedere iis non licet, neque licet, actus singulos ad animarum curam spectantes sibi arrogare, absque episcopi venia speciali.

§. 944. At ipsae tamen a iure cogendi parochiali sunt exemtae, et celebrare sacra separata possunt.

§. 945. Vbi societati clericali iura parochialia de certo territorio (districtu) sunt commissa, ibi muneris parochialis functionem personae qualitatibus requisitis praeditae ex membris suis committat necesse est.

§. 946. Societatibus clericalibus ius est, membra sua exercitationibus poenitentium sacris adigendi ad implenda societatis officia, et ad praecauendam offensionem omnem.

Source : BIU Cujas

§. 947. Ius, membra poenis corporis afflictiuis aut pecuniariis afficiendi, iis eatenus tantum competit, quatenus tale ius legibus specialibus, aut earum statutis a regno approbatis, iis est expresse concessum.

§. 948. Regni iura de eiusmodi societatibus clericalibus, earumque bonis, praecipue diiudicanda sunt ex constitutionibus primariis, ab ipso confirmatis, ex recessibus et pactis existentibus, et ex pacis instrumentis et tractatibus aliis, ad res earum pertinentibus. Iura externa qua regnum,

§. 949. In regula regno de iis eadem iura competunt, quae de societatibus ecclesiasticis.

§. 950. Hae societates, aeque ac ecclesiasticae, in casus suis forum habent priuilegiatum.

§. 951. Bona a regno ipsis collata aut concessa impendantur necesse est ad conseruanda earum instituta religiosa, secundum constitutionem a regno approbatam, et ad alenda membra. qua earum bona.

§. 952. In quibus autem iisdem limitationibus sunt subiectae, et iisdem fruuntur iuribus praerogatiuis, quibus societates ecclesiasticae.

§. 953. At vero, intuitu reddituum perpetuorum annuorum vindicare sibi nequeunt priuilegium singulare, societatibus ecclesiasticis §. 229. concessum.

§. 954. Bonorum communium administratio competit capitulo, cui ad curanda accepta et expensa officiales inferiores constituendi ius est.

§. 955. Res corporum clericalium communes in eorum conuentibus aut diebus conuentus aguntur. Constitutio interna.

§. 956. Praesidium et directio in capitulo competit antistiti; qui vero in concipiendis conclusis ad vota plura se accommodet necesse est.

§. 957. Concluſa ipsa necessario in capitulo congregato sunt concipienda. Conuentus.

§. 958. Conuentus ordinarii, aut dies conuentus, secundum specialem corporationis cuiusque constitutionem sunt praefiniti, et ad ea agendum destinati,

Source : BIU Cujas

quae ad administrandum et conseruandum iura et internam corporationis constitutionem pertinent.

§. 959. Quotiescunque in primaria capituli constitutione aliquid mutari debeat, requiritur capituli conuocatio extraordinaria; consensus episcopi dioecesios; et regni approbatio.

§. 960. Quae eadem locum habent, si bona immobilia, res pretiosae, aut iura capituli permutari, oppignorari vel alienari debent.

§. 961. Societatibus clericalibus non licet, absque expresso regni consensu sortes extra regni fines dare mutuas, et multo minus, cleri superioribus exteris, vel fundationibus, quidquam conferre sub poena pecuniaria, collatis aut mutuo datis aequali.

§. 962. Reditus, ex capituli bonis singulis membris destinati, ad alios fines impendi non possunt, nisi membra ad vnum omnia in conuentibus extraordinariis eam versionem decreuerint.

§. 963. Atque etiam corporationis praepositi, officialis, aut membri noui electio non potest fieri, nisi in eiusmodi conuentibus extraordinariis.

§. 964. Capituli aut conuentus membra absentia, ad eiusmodi conuentus extraordinarios speciatim sunt inuitanda.

§. 965. Quo neglecto, ob contemtum possunt agere ad rescindendum conclusum a membris reliquis conceptum.

§. 966. At iam sufficit, si eiusmodi inuitatio tantum in solito domicilio vel curia eiusmodi membrorum absentium insinuatur.

§. 967. Capituli membrum, quod impeditur, quo minus per se compareat, votum suum mandare potest nemini, nisi membro alii.

§. 968. Rite inuitatus neque ipse comparens, neque mandatarium idoneum constituens, conclusum a reliquis membris conceptum debet agnoscere.

Source : BIU Cujas

§. 969. In rebus et conuentibus ordinariis decidunt praeſentium membrorum vota plurima.

§. 970. Quatenus et in quibus negotiis votorum pluralitas omnium membrorum, ſiue certa pluralitas, ad rem decidendam requiratur, ſecundum ſingularem corporationis cuiusque conſtitutionem determinatum eſt, et infra definietur.

§. 971. Pari modo corporationis clericalis cuiusque conſtitutio definit, quae antiſtes, absque vlteriore cum capitulo deliberatione, iure decernere poſſit et agere. Antiſtitis iura.

§. 972. Qui ſi praeter ea obligationem ſuſcipit, capitulo non adhibito; capitulum eam eatenus tantum praeſtat, quatenus ex eiusmodi negotio in ſocietatis vtilitatem re vera aliquid eſt verſum.

§. 973. Quibus perſonis adminiſtratio iurium et obligationum antiſtitis abſentis, aut aliam ob cauſam impediti, atque antiſtitis plane decedentis, vi muneris competat, diiudicandum eſt ex ſingularibus capituli conſtitutionibus.

§. 974. In regula antiſtitis defuncti iura redeunt ad capitulum. Iura capituli antiſtitis munere vacante.

§. 975. Quod ea vel ipſum poteſt exercere, vel ea adminiſtranda aliis per tempus intermedium demandare.

§. 976. At capitulo tamen non competit ius, iura antiſtitis perſonae ſigillatim adhaerentia, absque neceſſitate premente exercendi, aut aliis demandandi.

§. 977. Munere antiſtitis adhuc vacuo in rebus capituli nouari nihil poteſt.

§. 978. Reditus antiſtitis ſingulares munere vacuo ſunt conſeruanda, et ſucceſſori tradenda.

§. 979. Electio antiſtitis, vbi capitulo aut conuentui competit, intra tres menſes poſt prioris deceſſum, ſub iuris eligendi iactura, fiat neceſſe eſt. Electio et poſtulatio.

§. 980. Candidatus eligendus praeditus ſit neceſſe eſt qualitatibus omnibus, ad eiusmodi munus

Source : BIU Cujas

explendum ex iure canonico et capituli conſtitutionibus neceſſariis.

§. 981. Quarum cui vna aut altera deficit, is praegreſſa tantum poſtulatione, et impetrata diſpenſatione ſuperioris clericalis, ad dignitatem vacuam poteſt euehi.

§. 982. Regnanti ius competit, electionis negotium per commiſſarios delegatos dirigendi.

§. 983. Statutis ſpecialibus non obſtantibus, vota ab iſtis commiſſariis tanquam ſcrutatoribus colliguntur.

§. 984. Vota dantur clauſis ſchedulis.

§. 985. Si finita ſuffragiorum collectione inueniuntur ſchedulae perſonis ſuffragantibus plures vel pauciores; ſchedulae omnes non reclusae ſunt igne delendae, et vota de nouo colligenda.

§. 986. Si iuſtus eſt ſuffragiorum ſchedularum numerus, ſchedulae recluduntur, et vota ordine, quo ſe inuicem ſequuntur, in protocollum de electione concipiendum referuntur.

§. 987. Is tantum eſt pro rite electo habendus, pro quo ſtat votum ſaltem vnum ſupra dimidium votorum omnium membrorum capituli aut conuentus.

§. 988. Si candidatus, qui poſtulari tantum poteſt, et alius, qualitatibus omnibus eligendo neceſſariis praeditus, inter ſe collidunt; prioris poſtulatio tunc tantum poteſt fieri, ſi pro ipſo ſtant omnium ſuffragiorum partibus duabus tertiis plura.

§. 989. Alias praefertur qualitatibus omnibus praeditus, licet pars tantum tertia vna ſtet pro ipſo.

§. 990. At vero, ſi candidati omnes poſtulari tantum poſſunt; poſtulatio in eius fauorem fiat neceſſe eſt, pro quo ſtat amplius dimidium ſuffragiorum omnium.

§. 991.

Source : BIU Cujas

§. 991. Si pro candidatorum nullo ſtat votorum numerus, ſecundum praecepta antecedentia ad electionem vel poſtulationem validam requiſitus; totus electionis actus eſt ſine effectu.

§. 992. Electio fieri quoque poteſt per compromiſſum, electis vno vel pluribus capituli membris compromiſſariis.

§. 993. Atque etiam tale compromiſſum dirigentibus commiſſariis, a regnante delegatis, eſt componendum.

§. 994. Ad eiusmodi compromiſſum conſenſus membrorum omnium requiritur.

§. 995. Compromiſſum tali modo factum non poteſt tolli, niſi conſentientibus membris ad vnum omnibus.

§. 996. Compromiſſarii ſtricte obſeruent neceſſe eſt ſententiam mandati a capitulo ipſis dati.

§. 997. In quo mandato ſi non fuerit aliud definitum; is pro electo habendus eſt, vel poſtulato, pro quo ſtant vota compromiſſariorum plurima.

§. 998. Si compromiſſarii plane indignum elegerunt; eligendi ius ad capitulum aut conuentum redit.

§. 999. Capitulum aut conuentus cum antiſtite electo aut poſtulato capitulationem poteſt condere. Capitulatio.

§. 1000. Qua vero antiſtitis iura manifeſta atque deciſa non poſſunt minui, neque mutari capituli conſtitutiones primariae.

§. 1001. Capitulatio quoque, ſi condatur, exhibenda eſt regnanti, qui eam approbet.

§. 1002. Electum aut poſtulatum, ſub iuris iactura, oportet intra menſis terminum de dignitate, ad quam eſt deſignatus, accipienda ſe declarare, et deinde intra tres menſes quaerere confirmationem aut permiſſionem cleri ſuperioris, cui capitulum immediate eſt ſubiectum. Confirmatio.



Source : BIU Cujas

§. 1003. Electio semel facta reuocari a capitulo nunquam potest, at postulatio eo vsque tantum, quousque superiori clericali nondum est denuntiata.

§. 1004. Rite electo, cui non desunt qualitates §. 980. requisitae, confirmationem denegare superiori clericali non licet.

§. 1005. Quem postulationem quoque oportet admittere, si qualitatis defectus postulatum non reddit indignum, cui deferatur munus destinatum, vel prorsus inhabilem ad exercenda officia, cum munere coniuncta.

§. 1006. Postulationis admissio eosdem producit effectus, quos electionis confirmatio.

§. 1007. Si electio cognoscitur minus recta, aut postulatio illicita; capitulum in hoc casu eligendi iure excidit.

Confecratio. §. 1008. Confirmatus aut admissus confecratione ad muneris sui clericalis possessionem peruenit.

Approbatio regnantis. §. 1009. At electo et postulato nulli licet, cleri superiorum confirmationem aut permissionem petere, ante impetratam approbationem regnantis ad eam quaerendam.

§. 1010. Ante impetratam istam approbationem confecrationi locus non fit; neque electus aut postulatus admittatur ad exequenda antistitis muneris officia, aut ad possessionem et perceptionem iurium redituumque saecularium cum munere coniunctorum.

§. 1011. Si regnans ob salutem communem et publicam, aut ob conseruandam internam et externam regni tranquillitatem, praesentatum reiicit; noua electio est instituenda.

§. 1012. In casibus, vbi capitulum aut conuentus electionis iure priuatur ob moram, ex culpa sua ortam, aut ob facta regulis contraria in eligendo vel postulando commissa, ius muneri personam praesi-

Source : BIU Cujas

ciendi, pro diuerſitate conſtitutionum prouinciarum, vel principi cedit, vel cleri ſuperioribus.

§. 1013. Quos tamen vltimos quoque in denominando oportet obſeruare legum praecepta, de conſtituendo idoneo, eumque proponere regnanti, qui eum approbet.

§. 1014. Vbi conſuetudo obtinet, regnanti praeſentandi plures ad denominandum, ibi capitulum aut conuentum in eligendis quoque iſtis obſeruare oportet praecepta §. 979. ſqq. expoſita.

§. 1015. Capituli antiſtiti, ſenectute, morbo, aut aliis cauſis impedito, quo minus munere rite fungatur, coadiutor poteſt adiungi. De coadiutoribus.

§. 1016. Ius eiusmodi coadiutorem eligendi capitulo aut conuentui eatenus competit, quatenus iure antiſtitem ipſum eligendi gaudet.

§. 1017. Rationes, ob quas coadiutor eſt conſtituendus, ab immediatis capituli ſuperioribus clericalibus et a regnante ſunt cognoſcendae et approbandae.

§. 1018. Ab antiſtitis voluntate dependet, quatenus velit vti opera coadiutoris; cui non licet, muneris actus vllos ſibi arrogare antiſtite inuito.

§. 1019. At contra vero neque antiſtiti licet, ea muneris negotia, quae ipſe expedire non poteſt, aut recuſat, demandare alii, quam coadiutori.

§. 1020. Si coadiutor expedire debeat negotia, quae ob ſolam antiſtitis abſentiam, aut quia antiſtes ad certum tempus impeditur, a certis capituli membris vi muneris ipſorum ſunt peragenda; de iſtis mandato expediendis capituli conſenſus requiritur.

§. 1021. Si antiſtes plane decedit, coadiutor ei adiunctus ſtatim in eius locum ſuccedit.



Source : BIU Cujas

## Sectio Decima Tertia.

### *De collegiis catholicorum cathedralibus et capitulis.*

Deſtinatio collegiorum cathedralium.

§. 1022. Collegia cathedralia ſunt corporationes clericales, quarum membra ad celebrandum cultum diuinum ſolennem in aede dioeceſeos primaria ſunt deſtinata, atque epiſcopo in grauioribus epiſcopatus et dioeceſeos rebus adiuncta.

Iura eorum, tanquam corporationum per ſe ſubſiſtentium.

§. 1023. Cuius collegii membra ii tantum ſunt habendi, qui in capitulo poſſident clerici beneficium, vel canonicatum.

§. 1024. Hinc epiſcopus in capitulo neque ſedem habet neque votum, niſi quatenus ſimul canonicatum in eo habet.

§. 1025. Hinc capituli iura communia omnia, excluſo epiſcopo, a capitulo ſolo exercentur.

§. 1026. In primis capitulo ſoli competit bonorum capitularium adminiſtratio.

§. 1027. Capitulum in rebus his communibus decani (*Dechant*) directioni ſubeſt.

§. 1028. Capituli honores et munera reliqua vna cum eorum iuribus et obligationibus capituli cuiusque conſtitutionibus ſpecialibus ſunt determinata.

§. 1029. Capitulo ius competit, ad defendenda iura ſua, epiſcopo non adhibito, conſtituendi ſyndicum, et officiales inferiores alios ad curandas res ad bona pertinentes.

Ratio erga epiſcopum.

§. 1030. Capitulum ſubordinatum eſt epiſcopo, cui ius competit, capitulum viſitandi, et abolendi abuſus in viſitando cognitos.

§. 1031. Epiſcopus in rebus epiſcopatus et dioeceſeos grauioribus omnibus collegii canonicorum ſ. cathedralis conſilium et arbitrium audiat.

§. 1032. Collegii cathedralis conſenſus eſt neceſſarius, ſi bona immobilia aut iura epiſcopatus, vel

Source : BIU Cujas

ecclesiae in dioecesi sitae, sunt oppignoranda aut alienanda; si munera parochorum et beneficia, quae ab episcopo et capitulo communiter conferuntur, sunt deferenda; et si ecclesiae aut beneficia (praebendae) coniungi debeant aut tolli.

§. 1033. In quibus casibus praeter ea ad validitatem actus, ab episcopo suscepti, consensus collegii cathedralis sit necessarius, dioeceseos cuiusque constitutione est determinatum.

§. 1034. In concessionem aliam feudorum et bonorum emphyteuticorum, episcopatui apertorum, capituli consensus in regula non requiritur.

§. 1035. In rebus episcopi et capituli communibus membra conuocantur ab episcopo, cui tunc competit consiliorum directio.

§. 1036. In regula conuentus in conclaui capitulari agitur.

§. 1037. In casibus omnibus, vbi in aliquod negotium capituli consensus est necessarius, episcopus ipse fert vnum, et capitulum vniuersum suffragium alterum.

§. 1038. Hinc nihil potest concludi, nisi de quo episcopus ex vna parte, et collegii cathedralis vota plurima ex parte altera consentiunt.

§. 1039. Quatenus episcopus simul est canonicus, eatenus eius suffragium quoque inter suffragia membrorum capituli est connumerandum.

§. 1040. Capitulum in rebus, ad episcopatum et dioecesin pertinentibus, absque episcopo, contra eius sententiam, nihil potest decidere, ne vnanimi quidem concluso.

§. 1041. Si sedes episcopalis vel prorsus vel ad tempus est vacua, vel absque capituli culpa manfit vacua; iurium episcopalium administratio collegio cathedrali competit. Iura capituli sede episcopali vacante.



Source : BIU Cujas

§. 1042. Quod in iis administrandis obseruare oportet omnia, quae §. 974. seqq., loco antistitis clericalis vacuo, in genere sunt praescripta.

§. 1043. Res episcopatus clericales capitulum committere potest vicario administrandas; at si eiusmodi vicarius ab episcopo, qui decessit, iam fuit constitutus, capitulum eum oportet confirmare.

§. 1044. Functiones et officia cum episcopi persona et dignitate inseparabiliter coniuncta, neque capitulum potest exercere, neque vicarius, a capitulo constitutus.

§. 1045. Ad administrandam iurisdictionem saecularem, quatenus cum episcopatu est coniuncta, constituendus est officialis; siue confirmandus officialis, ab episcopo constitutus.

§. 1046. Iura, quae secundum leges et constitutiones ab episcopo et capitulo communiter exercentur, sede episcopali vacua, a capitulo solo exerceri non possunt, nisi in casibus summae necessitatis.

§. 1047. Res capituli propriae, ad quarum legitimam validitatem consensus episcopi est necessarius, in regula, sede episcopali vacante sunt differendae.

§. 1048. Beneficia (praebendae), quae episcopus solus concedit, a capitulo, episcopo prorsus deficiente, aliis nequeunt conferri; sed reseruanda est nouo episcopo eorum collatio.

§. 1049. At vero, si absque collegii cathedralis culpa euenit, vt sedes episcopalis maneat vacua; collegium cathedrale de eiusmodi beneficiis (praebendis) eatenus potest disponere, quatenus ecclesiae salus exigit eorum concessionem maturiorem.

§. 1050. In episcopatus fauorem collegium cathedrale, sede episcopali vacante, potest celebrare pacta, quae ad conseruanda episcopi iura sunt necessaria.

Source : BIU Cujas

§. 1051. Vbi episcopi designatio non est regnanti reseruata, ius eligendi episcopum collegio cathedrali competit. Electio episcopi.

§. 1052. Quod in eo eligendo obseruare oportet omnia, quae in sectione antecedente de eligendo superiore capitulari sancita sunt.

§. 1053. Idem obtinet, si episcopo coadiutor est adiungendus.

## Sectio Decima Quarta.

### *De capitulis collegiatis.*

§. 1054. Corporationes clericales, quae ad aedem sacram aliam, quam dioeceseos primariam, sunt constitutae ad cultum diuinum solennem celebrandum, vocantur capitula collegiata (*Collegiatstifter*).

§. 1055. A collegiis cathedralibus in eo tantum differunt, quod eorum membra non participant res ad episcopatum et dioecesin pertinentes.

§. 1056. Capitula clericalia saecularia feminis destinata iura habent eadem, quae sunt capitulis collegiatis.

## Sectio Decima Quinta.

### *De societatibus monasticis.*

§. 1057. Societates monasticae sunt corporationes clericales, quarum membra votis solennibus sunt obstricta ad vitam communem et exercitationes religiosas communes, secundum leges s. regulas certas, ab ecclesia confirmatas. Notio.

§. 1058. Corporibus s. societatibus monasticis singulis constituti sunt superiores proprii, sub nomine abbatum, priorum, praepositorum (*Pröbste*), guardionum aut rectorum. Superiores clericales.



Source : BIU Cujas

§. 1059. Prouinciae eiusdem societates monasticae omnes, eandem ordinis regulam profitentes, ordinis prouinciali subsunt; et prouinciis omnibus praepositus est ordinis generalis.

§. 1060. Quibus ordinis superioribus non licet, iura episcoporum dioeceseos violare aut laedere.

§. 1061. Si extra regni fines habent domicilium, de iis valent omnia, quae de societatum ecclesiasticarum superioribus exteris sunt sancita. (§. 135. sqq.)

§. 1062. Atque etiam, vbi loco superioris monasterio praepositi vacuo praeficienda est persona, ab ordinis superiore gradus maioris, quaerenda est regni approbatio de persona, ab hoc electa, ante installationem et assumtionem.

§. 1063. Monasteriorum in regni finibus sitorum visitationes instituere ordinis superioribus exteris non licet, absque expresso regni consensu.

Capitulum et conuentus.

§. 1064. An et in quibus negotiis monasterii superiori capitulum aut conuentus adiunctus sit, cuiusque ordinis regulis est definitum.

§. 1065. Non nisi clerici coenobiales veri, at non fratres mere laici, in capitulo aut conuentu sedem habent et ius suffragandi.

Disciplina monastica.

§. 1066. Monasterii superiores disciplinam monasticam ipsis competentem exercere oportet legibus §. 946. 947. praescriptis; quibus neglectis regno rationem reddant necesse est.

§. 1067. Coenobii superiores, his praeceptis contraria committentes, eaedem manent poenae, a regno infligendae, quae in vim priuatam ausu proprio tentatam in iure criminali sunt sancitae.

Receptio et translocatio membrorum.

§. 1068. Regno inscio et non approbante iis non licet, membra extra regni fines ablegare, aut in monasteria extera translocare, aut membra extera in monasteria nostra recipere.

§. 1069. Coenobii superiores, his contraria committentes, in officio non amplius tolerentur, et prae-

Source : BIU Cujas

ter ea poena proportionata afficiantur; et ad retrahendum membrum extra regni fines ablegatum adigantur mediis coactiuis legitimis.

## Sectio Decima Sexta.

### *De ordinibus clericalibus equestribus.*

§. 1070. Ordo equitum Teutonicorum et Melitensium seu S. Ioannis, in negotiis aut rebus suis, in terris regiis expediendis, corporationum clericalium iuribus fruitur.

§. 1071. Constitutiones capitulorum horum ordinum internae, atque iura et officia superiorum et officialium eorum, in casibus obuenientibus vnice diiudicandae sunt ex statutis ordinis.

§. 1072. Conuentus membrorum ordinum clericalium equestrium, ad celebrandum cultum diuinum in ordinis ecclesiis destinatorum, aequiparandi sunt societatibus coenobialibus.

## Sectio Decima Septima.

### *De canonicis saecularibus.*

§. 1073. Membra collegiorum cathedralium et capitulorum collegiatorum vtraque sub nomine canonicorum veniunt. Canonici qui sint.

§. 1074. Ii tantum canonici, qui recepti sunt in numerum, capituli cuiusque fundatione determinatum, sedem et ius suffragandi in capitulo habent, et vocantur, si collegia sunt cathedralia, capitulares s. canonici cathedrales. Eorum classes.

§. 1075. Qui secundum capituli obseruantiam cooptati sunt praeter numerum primitiuum, vocantur canonici minores, aut in collegiis cathedralibus domicellares (*Domicellaren*).



Source : BIU Cujas

§. 1076. Canonici ſic dicti regulares diiudicandi ſunt ex praeceptis ſectionis ſequentis.

Canonici requiſita.

§. 1077. Qui capituli cuiusdam canonicus cupit cooptari, fidei confeſſioni eidem addictus ſit neceſſe eſt, cui capitulum ipſum.

§. 1078. In capitulis mixtis, in prouinciis ad imperium germanicum pertinentibus, attendenda eſt poſſeſſio diei Ianuarii primi anni 1624.

§. 1079. Aetas, quae requiritur, ſi cui facultas eſſe debeat, canonicatum expetendi, ſedem et ſuffragandi ius in capitulo poſtulandi, et honores capituli eminentiores petendi, inprimis diiudicanda eſt ex capituli cuiusque ſtatutis et conſuetudinibus obſeruatis.

§. 1080. In regula canonicatum expetere tantum poteſt annum quartum decimum egreſſus.

§. 1081. Sic quoque in regula annum viceſimum ſecundum nondum egreſſus ſedem et ſuffragandi ius in capitulo habere non poteſt.

§. 1082. Ad conſequendos honores in capitulo eminentiores requiritur aetas viginti annorum et quinque, et ad epiſcopi munus gerendum annorum triginta.

§. 1083. Qui canonicus cupit fieri, primam ſaltem tonſuram acceperit neceſſe eſt.

§. 1084. Sedem et ius ſuffragii in capitulo acquirere tantum poteſt, qui ſubdiaconus eſt conſecratus, et per tres annos integros literarum ſtudiis in academiis nauauit operam.

§. 1085. Ad honores capituli eminentiores adipiſcendos is ordinis gradus requiritur, quem ſupponunt actus clerici, cum iis coniuncti.

§. 1086. Vbi ſecundum capituli ſtatuta recipiendi ortus nobilis requiritur; hic rite eſt probandus (Tit. IX. §. 17-20.) et lis de eo exorta a iudice ſaeculari dirimenda.

Source : BIU Cujas

§. 1087. Cui ius canonicatus concedendi competat, capituli cuiusque statuta et consuetudines definiunt. Concessio canonicatus.

§. 1088. Vbi ius concedendi canonicatus inter capitulum et regnantem, siue superiorem clericalem, alternis vicibus variat mensibus, mensis finis definitur diei vltimi hora noctis mediae.

§. 1089. Electio capituli fit per vota plurima capitularium omnium, excluso episcopo.

§. 1090. Vbi mos obtinet, vt praebendae certae, secundum ordinem aut seriem definitum, concedantur a canonicis singulis, ibi ille, quem ordo tangit, capituli ius tantum exercet.

§. 1091. In regula igitur ille, cui aperturae tempore nondum sedes aut ius suffragii in capitulo fuit, hoc ius vindicare sibi nequit.

§. 1092. Vbi ordo et series per menses variat alternis vicibus, ius concedendi finito mense quolibet statim transit ad sequentem.

§. 1093. At vero, si capitulum, siue canonici singuli, quos ordo tangit, beneficii (praebendae) concessionem vltra sex menses proferunt; ius concedendi ad episcopum deuoluitur. Ius deuolutionis.

§. 1094. Ius precum primariarum in capitulis, vbi consuetudine est introductum, ab eo, cui competit, exercetur vacuefacto loco primo, quem concedendi capitulo ius est. Ius precum primariarum.

§. 1095. Petenti reseruatur ius inde quaesitum, licet ille, a quo fuit designatus, moriatur, loco nondum vacuefacto.

§. 1096. Caeterum exercitio iuris precum primariarum ordo in conferendo alternans in se non mutatur.

§. 1097. Petentem sub iuris sui iactura comparere oportet saltem intra hebdomadas quatuor, inde a loco vacuefacto, coram eo, cui ius concedendi competit.

Source : BIU Cujas

§. 1098. Ius suum designatione quaesitum alteri concedere non potest, nisi expressa approbatione eius, qui illud ei concessit.

Resignatio. §. 1099. Resignatione praebenda potest in aliquem transferri.

§. 1100. At vero ille, in cuius fauorem fit resignatio (resignatarius), qualitatibus canonici omnibus praeditus sit necesse est.

§. 1101. Praeter ea in resignando locum habent omnia, quae leges de iurium cessione in genere sanciunt.

§. 1102. Resignans ex praebendae reditibus reseruare sibi potest pensionem annuam ad vitae necessitates.

§. 1103. Resignatio fiat necesse est in manus eius, qui resignanti concessit praebendam.

§. 1104. Accedente huius collatoris approbatione resignatio demum valorem consequitur; atque adeo vsque ad tempus approbationis secutae potest reuocari.

§. 1105. Sic quoque locum habet reuocatio, si resignatarius praebendam acceptare nequit aut recusat; aut si collator non approbat conditiones resignationi adiectas omnes.

§. 1106. Vbi consuetudine receptum est, vt resignatio praebendae, licet a canonico singulo concessae, in manus capituli fiat, ibi ea consuetudo et in posterum est obseruanda.

§. 1107. Resignans si moritur intra dies viginti et vnum, inde a die resignationis collatori denuntiatae computatos; resignatio pro non facta est habenda.

§. 1108. Canonicus recens constitutus omnis capituli sit vltimus, atque adeo, neque in resignationibus, succedit in resignantis locum et ordinem.

§. 1109. In praelaturis tantum praelatus nouus ad eum gradum euehitur, qui cum dignitate est coniunctus.

Source : BIU Cujas

§. 1110. In capitulis, vbi plures sunt canonicorum ordines, canonicus nouus vltimus fit eius ordinis, cuius fuit eius anteceſſor. De pluribus canonicorum ordinibus.

§. 1111. At vbi ſucceſſio ex ordine inferiori in ſuperiorem eſt introducta, ibi huius ſucceſſionis ratio atque modus vnice diiudicandi ſunt ex capituli ſtatutis et obſeruantiis.

§. 1112. In regula ordinis inferioris canonici in ordinem ſuperiorem eatenus tantum ſuccedere poſſunt, quatenus locus in hoc ordine vacuus ab eo eſt conferendus, a quo ipſis canonicatus minor eſt conceſſus.

§. 1113. Si regnans canonicatum alicui concedit, cui perſonales deſunt qualitates; hic inde ius tantum acquirit, canonicatum cedendi alii capaci. De canonicatibus, incapacibus conceſſis.

§. 1114. At ceſſionarius ſ. reſignatarius inde acquirit praebendam cum iure pleno, et in eadem qualitate, qua regnanti delata eſt aperta.

§. 1115. Nemo beneficia (praebendas) duo aut plura vnius eiusdemque capituli poſſideat. Quatenus vnus idemque canonicatus plures queat poſſidere.

§. 1116. At canonico licet, ſimul dignitate clericali vnius eiusdemque capituli fungi.

§. 1117. Atque etiam diuerſorum capitulorum praebendas plures perſona eadem ſimul tunc poſſidere nequit, ſi his praebendis obligatio inhaeret reſidentiae.

§. 1118. Si itaque capitula diuerſa eodem ſunt loco, aut diuerſis quidem locis, at ita tamen ſita, vel comparata, vt reſidentiae tempus in quolibet eorum rite poſſit conſumi; beneficiorum talium plurium poſſeſſio perſonae eidem licet.

§. 1119. Qui reſidentiae in capitulo obligatione, quam adimplere nequit, eſt exemtus (§. 1131.), de eo praeceptum § 1117. eatenus locum non habet.

§. 1120. Idem valet, ſi in capitulo quodam reſidentia non eſt neceſſaria, ſed cum neglecta reſiden-

Source : BIU Cujas

tiae obligatione tantum coniuncta multa pecuniaria ſtatutaria vel redituum certorum iactura.

Praepara. tio ad canonicatum.

§. 1121. Canonicum nouitium omnem ſubmittere ſe oportet ante receptionem tentamini ſecundum capituli ſtatuta definito, loco eo, vbi capitulum reſidet.

§. 1122. At tamen intra nouitiatus tempus in regula quoque percipit reditus ad locum ſuum pertinentes omnes.

Receptio.

§. 1123. Nouitiatus tempore delapſo ſolennis demum ſequitur receptio, in qua nouitius ſacramento adſtringitur ſtatutis, a regno approbatis.

§. 1124. Ante receptionem canonicus nouitius omnis regnanti praeſentandus eſt ad approbandum et confirmandum, niſi ab hoc ipſo ſit deſignatus.

Officia.

§. 1125. Officia clericorum generalia, quatenus ad docendi prouinciam non pertinent, canonicis quoque adimplenda incumbunt. (§. 67. ſeqq.)

§. 1126. Muneris officia capituli ſtatutis et iuris canonici praeceptis ſunt definita.

§. 1127. In primis obligantur, ad cultum diuinum in choro per horas definitas rite celebrandum.

Reſidentia.

§. 1128. Obligantur, vt in capituli ſede rite reſideant.

§. 1129. Quam obligationem adimplere ſi pertinaciter recuſant, beneficio excidunt; ſin negligunt, multa pecuniaria aequa afficiuntur; et quidem, ſi ſtatuta nihil propius definiunt, partis quartae aut dimidiae redituum iactura.

§. 1130. Modus et tempus reſidentiae diiudicandus eſt ex capituli cuiusque ſtatutis.

§. 1131. Qui muneribus publicis, itineribus in regni aut eccleſiae negotiis ſuſceptis, ſtudio literarum, quibus nauat operam, ſenectute, morbo, vel caſu fortuito impeditur, quo minus loco reſideat; nihilo

Source : BIU Cujas

minus participat reditus, residentibus tantum destinatos.

§. 1132. At contra sic dictas pecunias praesentibus soluendas (*Präsentiengelder*) petere nequit.

§. 1133. Qui ex mera gratia a residendi obligatione est exemtus, eum fructibus et emolumentis praebendae suae oportet acquiescere.

§. 1134. Canonicis ius est constituendi vicarios, qui vices eorum expleant in actibus clericalibus, quos ipsi peragere ob impedimenta non possunt. Vicarii.

§. 1135. Eiusmodi vicariis eaedem sint qualitates necesse est, quae ad exsequendos actus ab iis suscipiendos requiruntur ex iure canonico.

§. 1136. In regula ius talem vicarium constituendi canonico competit illi, cuius vice fungi debet.

§. 1137. Quem cum vicario suo de certa redituum summa ex aequo pro vice supplenda oportet conuenire; at, nisi contrarium in conuentione expresse fuerit definitum, mandatum quoque pro lubitu potest reuocare.

§. 1138. Vicarii perpetui in capitulis, vbi sunt constituti, munere clericali separato funguntur, a quo remoueri tantum possunt ex iisdem causis et rationibus, ex quibus clerici alii.

§. 1139. Canonici intuitu personae et bonorum propriorum fruuntur iuribus clericorum praer gatiuis omnibus in genere; at iisdem quoque limitationibus sunt obnoxii. (§. 93. seqq.) Iura et officia canonicorum externa,

§. 1140. Licet in ordinem clericalem intrauerint, nihilo minus ipsis seruantur integra familiae iura omnia; et successionis in feuda et fideicommissa sunt capaces.

§. 1141. Canonici catholici res expeditorias (*Heergeräthe*) neque accipiunt neque relinquunt; vbi vero gerada cognatae (*Niftelgerade*) in vsu est, ibi eam a feminis cognatis suis lineae ascendentis hereditate possunt accipere.

Source : BIU Cujas

inprimis intuitu praebendarum.

§. 1142. In praebendis suis, canonicis sunt iura et officia cum vsufructu coniuncta omnia.

§. 1143. In primis ex praebendae reditibus aedificia ad eam pertinentia sarta atque tecta tueri eos oportet.

§. 1144. Refectiones impensas immodicas exigentes si suscipiendae sunt, capitulo approbante, contrahi potest sortis debitum, quod, vsuris eius ex reditibus praestitis, in diebus (terminis) certis praefinitis est exsoluendum.

§. 1145. Eiusmodi vsuras et pensiones, quibus dies certi sunt praefixi, successorem in praebenda quoque praestare oportet pro tempore, quo emolumenta percipit.

§. 1146. Canonici creditoribus ius competit, ex praebendae reditibus satisfactionem petendi.

§. 1147. At possessori tamen praebendae, deficiente re familiari propria, certa competentiae summa concedenda est, secundum propiorem ordinis processualis determinationem.

§. 1148. De bonis quoque ex praebenda acquisitis canonici per vltimam voluntatem possunt disponere; et quidem sine vlla pontificis maximi aut episcopi venia (*Indult*).

§. 1149. Superiori clericali extero nulli licet, ius spolii in regni nostri praebendis sibi arrogare.

§. 1150. Canonici heredibus competunt quoque fructus et emolumenta anni deseruiti (*Sterbejahres*) a defuncto nondum percepti.

§. 1151. Initium et finis anni huius vltimi definiuntur anno capitulari, quolibet loco obseruantia introducto.

§. 1152. Qui fructus ad annum deseruitum pertineant, singulorum capitulorum statutis et constitutionibus quoque est definitum.

§. 1153.

Source : BIU Cujas

§. 1153. Reditus, ad praebendam ſeparatam non pertinentes, heredibus tunc tantum competunt, ſi defunctus adhuc vixit poſt mediae noctis horam ante diem, quo cedunt.

§. 1154. Si praedium ruſticum aut fundus alius ad praebendam pertinet; ſeparatio fructuum, meliorationum, deteriorationum etc. inſtituitur ſecundum praecepta in titulo de vſufructu data. (P. I. Tit. XXI. §. 111. ſqq.)

§. 1155. At vero adminiſtratio per anni oeconomici vltimi tempus reliquum in regula competit nouo praebendae poſſeſſori.

§. 1156. Fructus et emolumenta anni vltimi quoque cedunt praebendam reſignanti, niſi reſignatio ad ea ſimul expreſſe fuerit extenſa.

§. 1157. Anni gratiae (*Nachjahre*) in canonicatibus in regula locum non habent.

§. 1158. In capitulis, in quibus ſunt vſu et conſuetudine recepti, omnia definienda ſunt ſtatutis, et iis deficientibus obſeruantia introducta.

De capitulis feminarum clericalium ſaecularium.

§. 1159. De membris capitulorum feminarum clericalium ſaecularium in regula valent omnia, quae de canonicis ſaecularibus ſunt praecepta; exceptis iis, vbi ſexus diſcrimine exceptiones ab iſtis praeceptis fundantur.

## Sectio Decima Octaua.

### *De monachis et ordini religioſo addictis.*

Requiſita ad ordinem monachorum et monialium.

§. 1160. Nemini licet, inſciis et non approbantibus iis, quorum conſenſus ad vitae genus eligendum ex legibus eſt neceſſarius, ad vitam monachalem ſe deſtinare.

§. 1161. Subditus regius ſexus maſculini aut feminini nullus recipiatur in coenobium, regno inſcio et non approbante.



Source : BIU Cujas

§. 1162. Ante finitum annum viceſimum quintum maſculus nullus, et ante finitum annum viceſimum primum femina nulla ad faciendum votum monaſticum admittatur.

§. 1163. Votum contra praecepta antecedentia (§. 1160. 1161. 1162.) factum ab initio eſt nullum.

§. 1164. Collegium aut coenobium, contra haec praecepta agens, afficiatur multa pecuniaria fisco ſoluenda, ſi res ita ferat, ad centum vsque aureos; atque his violationibus pertinaciter iteratis pro re nata plane aboleatur.

§. 1165. Parentes aut tutores, qui liberos aut curandos contra praecepta §. 1161. 1162. votum facere ſinunt, commiſerunt multam pecuniariam fiſco ſoluendam, ſi res ita ferat, ad centum aureos vsque, aut carceris poenam proportionatam.

§. 1166. Perſonas maritatas in coenobium recipere plane non licet, et deſponſatas non niſi partis alterius conſenſu impetrato aut a iudice ſuppleto.

§. 1167. Obaerati ordinem monaſticum amplectendo creditorum ſuorum iura in perſonis aut bonis ſuis, irrita reddere nequeunt.

§. 1168. Qui bonis alienis adminiſtratis, adminiſtrationis rationem nondum poſuerunt, ſtatum monaſticum eligendo neque huic obligationi ſe poſſunt ſubducere, neque ſententiae iudicis competentis ſaecularis.

§. 1169. Habilitas candidati interna ad eum ſtatum diiudicanda eſt ex ordinis regulis.

Annus probationis ſ. nouitiatus.

§. 1170. Veram receptionem in monaſterium antecedat neceſſe eſt annus probationis ſeu nouitiatus, cui ſub nullo praetextu quidquam detrahendum.

Votum.

§. 1171. Finito nouitiatus anno fit receptio votum monaſticum ſolenniter faciendo.

§. 1172. Quidquid legitimam voluntatis declarationis validitatem reddit irritam, idem quoque votum monaſticum vi ſua priuat.

Source : BIU Cujas

§. 1173. Neque cleri superioribus ius competit, vllum, ne clericum quidem saecularem, sub disciplinae clericalis praetextu ad vitam monasticam adigendi.

§. 1174. In casibus omnibus, vbi secundum principia antecedentia voti monastici susceptio nulla est atque inualida, solennis eius abolitio a dioecesios episcopo tempore quouis potest peti.

§. 1175. Qui si petito deferre denegat, regno competit ius, rem cognoscendi, et pro re cognita declarationem nullitatis intuitu externorum voti effectuum enuntiandi.

§. 1176. Qui fuit religiosus, deinde reuertitur ad regni ciuis alius iura et rationes omnes.

§. 1177. Si votum ab initio declaratur nullum; effectus huius declarationis retrotrahitur vsque ad temporis momentum voti, quod nullum fuit, facti.

§. 1178. At vero, si quis tantum ex causis aliis a cleri superioribus voto liberatur; ciuiles huius dispensationis effectus initium tantum capiunt inde a die dispensationis secutae.

§. 1179. Cleri superioribus non competit ius, sub voti suscepti praetextu vim inferendi vllius conscientiae; limitibus circumscribendi electionem liberam confessionis, cui se velit addicere; aut in monasterio detinendi inuitum.

Obligationes clericales.

§. 1180. Obligationes et exercitationes clericales monachorum et monialium ordinis regulis sunt definitae.

§. 1181. Quae regulae regno inscio et non consentiente mutari nequeunt.

Iura intuitu rei familiaris, durante probationis anno.

§. 1182. Personae, monachorum aut monialium ordini se consecraturae, dum annus probationis non est exactus, libere possunt disponere, aliorum regni ciuium instar, de re sua familiari.

§. 1183. Coenobio, cuius membra esse cupiunt, proportione necessitatis alimentorum, redituum par-



Source : BIU Cujas

tem chirographo poſſunt ad vitae dies deſignare, non tamen vltra centeſimas quatuor de totius rei familiaris ſubſtantiae omnis ſumma.

§. 1184. At vero, ſi animum de voto ſuſcipiendo mutant; ipſis ius competit, reuocandi omnes probationis anno de re familiari ſua factas diſpoſitiones, cum vita monaſtica, quam intenderant, coniunctas aut ad eam pertinentes.

De dotibus clericalibus.

§. 1185. Vbi ingrediendo monaſterium dos clericalis ex conſuetudine ſolet conſtitui, haec conſuetudo in poſterum quoque obtineat.

§. 1186. Quae vero conſuetudo neque ad monaſteria ſatis dotata eſt extendenda, neque ad mendicantium monaſteria.

§. 1187. Neque eiusmodi dos thalerorum quingentorum ſummam ſuperet.

§. 1188. Maiores ſummae conſtitui tantum poſſunt accedente expreſſa regni approbatione, cognitione circumſtantiarum praeuia, pro ſingulari monaſterii indigentia, et expenſis maioribus, ad alendum conuentualem requiſitis.

§. 1189. Ordinibus religioſis aegrotorum curam gerentibus conferri poſſunt dotes maiores, atque legata et donationes, ad certam ſummam non reſtrictae.

§. 1190. At in his quoque, ſi ſumma thaleros excedit quingentos, expreſſa regni approbatio eſt neceſſaria.

§. 1191. Sub dote clericali non continentur ſumtus nuptiarum et inſtructionis ſic dictarum ſacrarum.

§. 1192. Qui tamen quoque nunquam excedant thalerorum quingentorum ſummam.

§. 1193. Pretium rerum et effectorum (*Effecten*), perſonae vitam monaſticam amplectenti in proprium vſum datorum, ſub antecedentium ſummarum nulla continetur.

§. 1194. At gemmae tamen et res pretioſae, ſub iſtis rebus et effectis comprehenſae, poſt perſonae mo-

Source : BIU Cujas

naſticae deceſſum non monaſterio cedunt, ſed proximis eius heredibus, tunc exiſtentibus.

§. 1195. Si monaſterium acceptauit reditus §. 1183 permiſſis maiores, aut dotem maiorem, aut inſtructionis (*Ausſtattung*) et nuptiarum ſumtus quingentis thaleris maiores, regno inſcio et non approbante; fiſco cedit ſumma integra, et monaſterium praeter ea poenae loco ſoluere oportet duplum iuſto plus acceptorum.

§. 1196. Si ſaeculares bonorum monaſterialium adminiſtratores eiusmodi dotem, aut inſtructionis et nuptiarum ſumtus immodicos acceperunt; hi poena iſta afficiuntur, et monaſterium amittit tantum accepta.

§. 1197. Si eiusmodi adminiſtratores eiusmodi collatorum ſummam in rationibus omiſerunt, aut celarunt; triplicem ſummam poenae loco ſoluere eos oportet.

§. 1198. Si ſumma et poena commiſſa a monaſterio aut eius adminiſtratoribus exigi nequit, tenentur ii, a quibus praeſtita eſt ſolutio legibus contraria.

§. 1199. Voto monaſtico facto monachi et moniales in negotiis ſaecularibus omnibus habentur pro mortuis. Iura externa, voto facto.

§. 1200. Inhabiles ſunt ad dominium aut alia iura acquirenda, ad ea poſſidenda, et ad diſponendum de iis.

§. 1201. In ſucceſſionibus et delationibus aliis in eorum locum ſuccedunt ii, quibus eiusmodi delatio cederet, ſi illi plane non amplius exiſterent.

§. 1202. Neque voto monaſtico nondum dicto iis ius eſt, de eiusmodi delatione futura diſponendi, et ex ea ſibi reſeruandi aliquid ad tempus vitae monaſticae.



Source : BIU Cujas

§. 1203. Parentes liberis, votum monaſticum profeſſis, non obligantur ad aliquid relinquendum; et neque hi neque monaſterium ex parentum hereditate petere poſſunt hereditatis portionem aut legitimam.

§. 1204. Si parentes eiusmodi liberis in vltimae voluntatis diſpoſitione, in ſe ex iure valida, aliquid deſignarunt; monaſterium, dum clericus viuit, eius ſummae vſuras quatuor de centenis accipit: at eo defuncto de ſorte monaſterio cedit tantum, quantum illi ex legibus poteſt legari; reſiduum vero teſtatoris heredibus.

§. 1205. At parentibus tamen licet, in vltimae voluntatis diſpoſitione interdicere, ne ſumma ex legibus alias licita monaſterio cedat.

Iura externa voto relaxato.

§. 1206. Si votum monaſticum relaxatur tanquam ab initio nullum; is, qui fuit religioſus, repetere poteſt ea, quae monaſterium ingrediens ex re familiari coenobio ſoluit, attamen ſine vſuris.

§. 1207. Atque etiam poſcere poteſt, vt ea, quae ipſi durante vita ſua monaſtica ſunt delata, ipſi reſtituantur ab iis, in quos deficiente ipſo ſecundum §. 1201. ſunt translata.

§. 1208. Quatenus vero his imputari nequit nullitatum, quae in eo recipiendo acciderunt, participatio aut cooperatio, religioſo ex monaſterio egredienti non competit ius, fructuum et emolumentorum perceptorum reſtitutionem poſcendi; quin potius acquieſcere eum oportet iis, quae de ſorte adhuc re vera ſuperſunt, aut quatenus detentor inde adhuc re vera eſt locupletatus.

§. 1209. At vero, ſi quis voto monaſtico in ſe valido aliis ex cauſis liberatur; neque repoſcere poteſt, quae monaſterio ſunt ſoluta, neque vindicare ea, quae durante vita eius monaſtica ipſi ſunt delata.

Source : BIU Cujas

## Sectio Decima Nona.

### *De membris ordinum equeſtrium clericalium.*

§. 1210. Equites ordinis Teutonici et Melitenſis habentur clerici, et votis ſunt obſtricti.

§. 1211. At obligati non ſunt ad vitam communem coenobialem.

§. 1212. Ordinis officia et obligationes ſingulares definitae ſunt ordinis ſtatutis.

§. 1213. At ſubditus regius nullus, ordinem equeſtrem amplectendo ſuſcipere poteſt obligationes, regni legibus contrarias.

§. 1214. Intuitu eorum iurium perſonalium externorum et rei familiaris de iis valent omnia, quae in ſectione decima ſeptima de canonicis ſaecularibus ſunt ſancita.

§. 1215. At res tamen expeditorias accipiunt et relinquunt, in prouinciis, vbi obtinent; in geradam autem non ſuccedunt, canonicorum inſtar.

§. 1216. In commendis ſuis et earum reditibus eadem habent iura, quae canonici ſaeculares in beneficiis (praebendis) ſuis.

§. 1217. Sacerdotes ad ordinem equeſtrem pertinentes aliis monachis et religioſis ſunt aequiparandi.

## Sectio Viceſima.

### *De proteſtantium capitulis, coenobiis, ordinibus equeſtribus, eorumque membris.*

§. 1218. Proteſtantium capitulis et coenobiis, vi originis et fundationis ſuae, iura competunt ſocietatum clericalium.

Iura, quae iis ſunt ſocietatum clericalium inſtar;

§. 1219. Tanquam corpora in primis diiudicantur ex ſuis ſtatutis et obſeruantiis introductis; deinde vero ex iisdem legibus, ex quibus capitula eiusdem generis catholica.

inſtar corporum.



Source : BIU Cujas

Iura principis.

§. 1220. Regnanti, eorum intuitu, competunt iura omnia, quae epiſcopis, aut aliis cleri ſuperioribus intuitu capitulorum catholicorum eiusdem generis ſunt conceſſa.

§. 1221. At contra proteſtantium capitulis, licet per ſe dignitatem collegiorum cathedralium habeant, non tamen licet, vllam ſibi arrogare participationem rerum, ad eccleſiam aut dioeceſin pertinentium.

Membro-ſingulorum iura.

§. 1222. Iura et officia perſonalia externa eorum, qui membra ſunt capitulorum, coenobiorum et ordinum equeſtrium proteſtantium, neque reſpectu ad regnum, neque ad incolas reliquos mutantur receptione in eiusmodi ſocietatem.

§. 1223. Iidem neque votis adſtricti ſunt, neque ſimilium capitulorum catholicorum regulis et praeceptis, ad cultum diuinum ſpectantibus.

§. 1224. Quae vero hoc reſpectu in capitulo vno aut altero in ſpecie ab iis obſeruanda ſint, vnice definienda ſunt capituli ſtatutis et conſuetudinibus.

§. 1225. De modo, praebendam aut locum conſequendi, et de iuribus et obligationibus, eius reſpectu praebendato competentibus et incumbentibus, in regula valent praecepta de capitulis catholicis eiusdem generis praeſcripta.

§. 1226. Intuitu requiſitorum ad receptionem; temporis explorationis (nouitiatus); obligationis reſidentiae; et conferendorum plurium eidem perſonae beneficiorum, regnanti in caſibus omnibus ius diſpenſandi competit, niſi leges ſingulares aut pacta obſtent.

De ſuccedendi ſpe (expectatiuis).

§. 1227. Et regnans et capitulum ſpem poſſunt dare ſuccedendi (expectatiuam) in praebendas atque locos, qui poſtea ipſis ad concedendum aperiuntur.

Source : BIU Cujas

§. 1228. Ex pluribus expectantibus in regula beneficium primum, conceſſioni collatoris eiusdem apertum, competit illi, qui habet ſpem ſuccedendi (expectatiuam) caeteris priorem.

§. 1229. Si in ſtatutis tempus eſt definitum, intra quod, exorta vacantia expectans debeat comparere; eo tempore neglecto ius eius in hoc caſu amittitur.

§. 1230. Quamdiu ſpem ſuccedendi habens (expectiuatus) nondum eſt immatriculatus, reuocari ſpes ſuccedendi poteſt.

§. 1231. Caeterum de eo caſu, ſi plures ſuccedendi ſpem habentes petunt praebendam, conceſſioni eiusdem collatoris apertam, valent eadem, quae in caſu ſimili de ſpe ſuccedendi (expectatiuis) in feudum ſunt praecepta. (P. I. Tit. XVIII. §. 458. ſeqq.)

§. 1232. Et hic quidem immatriculatio eſt loco inueſtiturae euentualis.

---

# TITVLVS DVODECIMVS.

## De ſcholis et academiis.

§. 1. Scholae et academiae ſunt regni inſtituta, quibus intenditur iuuentutis inſtitutio in cognitionibus atque ſcientiis vtilibus. Definitio.

§. 2. Eiusmodi inſtituta non condantur, niſi regno conſentiente et approbante.

§. 3. Qui inſtitutum iuuentutis educandae priuatum ſeu penſionis ſic dictum cupit condere, eum oportet inſtantiae illi, cui cura ſcholarum et iuuentutis educandae eo loco demandata eſt, ſe huic negotio probare idoneum, atque proponere ſuam et educationis et inſtitutionis normam, quae approbetur. De inſtitutis ad educandam iuuentutem priuatis.



Source : BIU Cujas

§. 4. Quae ſcholae et educationis inſtituta priuata quoque ſubſunt curae huius inſtantiae, cui ius eſt, et obligatio, notitiam habendi rationis et modi, quibus iuuentus tractetur et alatur, educatio eius phyſica et moralis curetur, et ipſa in ſcientiis neceſſariis inſtituatur.

§. 5. Confuſiones et abuſus noxios in his cognitos hanc inſtantiam indicare oportet inſtantiae, cui in prouincia ſcholarum et iuuentutis educandae cura demandata eſt, quae eos propius examinet, et aboleat.

§. 6. Ruri et in vrbibus minoribus, vbi ſunt ſcholae publicae, ſcholae ſic dictae clandeſtinae absque ſingulari venia nullae tolerentur.

De educatione domeſtica.

§. 7. Parentibus quidem licet, ſecundum determinationes, titulo ſecundo expoſitas, liberos in ſuis aedibus inſtituendos et educandos curare;

§. 8. At ii, qui quaeſtum faciunt in aedibus priuatis per horas docendo, habilitatem et facultatem ſuam docendi probent inſtantiae §. 3, a qua teſtimonium facultatis et habilitatis impetrent neceſſe eſt.

De ſcholis publicis.

§. 9. Scholarum et educationis inſtituta publica omnia regni curae ſubſunt, cuius examinationibus et viſitationibus ſubmittere ſe quouis tempore debent.

§. 10. Nemini ob fidei confeſſionem diuerſam denegetur aditus ad ſcholas publicas.

§. 11. Iuuentus, quae in confeſſione alia, ac in ſchola publica traditur, ex regni legibus debet inſtitui, nequit cogi, vt inſtitutionibus in religione interſit.

I. De ſcholis minoribus. Earum inſpectio et directio.

§. 12. Scholae minores, primae iuuentutis inſtitutioni deſtinatae, directioni ſubſunt loci cuiusque magiſtratus iurisdictionem exercentis, quem adhibere in ea oportet clericos eccleſiae, cuius eſt ſchola.

§. 13. Antiſtites eccleſiae vniuerſitatis cuiusque ruri et in vrbibus minoribus, et his deficienti-

Source : BIU Cujas

bus ſculteti et iudicia, atque politiae curam habentes, obligantur, vt ſub magiſtratus et cleri directione curam ſuſcipiant externae inſtituti ſcholaſtici conſtitutionis, et ordinis in eo introducti conſeruandi.

§. 14. Et denuntiare eos oportet defectus, negligentias et ordinis turbationes omnes cognitos magiſtratui et clerico, qui eos propius cognoſcant et aboleant.

§. 15. Magiſtratum et clericum ordinationes ſcholaſticas a regno datas aut approbatas oportet obſeruare; et proprio aufu nihil agere et introducere iis contrarium.

§. 16. Si de applicandis praeceptis generalibus latis intuitu ſcholae, ipſorum curae commiſſae, dubitant; antiſtes clericalis dubitationes iſtas inſtantiae ſcholis in prouincia praepoſitae denuntiet neceſſe eſt.

§. 17. Eiusdem inſtantiae eſt decidere, ſi inter magiſtratum et antiſtitem ſcholae clericalem non conuenit de diſpoſitione aut ordinatione vna vel altera in ſchola inſtituenda.

§. 18. Aedificia ſcholaſtica iisdem fruuntur iuribus praerogatiuis, quibus aedificia eccleſiaſtica. (Tit. XI. §. 170. ſqq.) Inſtitutorum ſcholaſticorum iura externa.

§. 19. De ſcholarum fundis et reliquis bonis in regula valent quoque omnia, quae de bonis eccleſiaſticis ſunt ſancita. (Tit. XI. §. 193. ſeqq. Sect. IX.)

§. 20. At bona et fundi ſcholarum minorum (vulgarium) a iurisdictione ordinaria non ſunt exemti.

§. 21. Regni ſcholae, intuitu donationum et legatorum non ſunt ſubiectae limitationibus, eccleſiis et ſocietatibus clericalibus praeſcriptis. (P. I. Tit. XI. §. 1075.)

Source : BIU Cujas

Conſtitutio magiſtrorum ſcholaſticorum.

§. 22. Magiſtrorum ſcholaſticorum conſtitutio in regula competit magiſtratui iurisdictionem exercenti.

§. 23. Per quem hoc ius exerceatur intuitu ludimagiſtrorum, in praediis domanialibus aut regiis aliis conſtituendorum, prouinciae cuiusque conſtitutionibus eſt determinatum.

§. 24. At nusquam ludimagiſter conſtituatur et aſſumatur, qui non antea, examine inſtituto, accepit teſtimonium habilitatis ad eiusmodi munus.

§. 25. Hinc magiſter ſcholaſticus conſtituendus nouus omnis inſpectori dioeceſeos aut archipresbytero eſt indicandus, et, ſi habilitatis teſtimonio nondum eſt inſtructus, eidem ad examinandum praeſentandus.

Eorum iura et obligationes.

§. 26. Magiſtri ſcholarum minorum forum priuilegiatum non habent, ſed ſubſunt loci magiſtratui iurisdictionis ordinario.

§. 27. Cui, adhibito ſcholae antiſtite clericali, quoque cura competit de eorum muneris functione, qui etiam in vindicandis delictis, eiusmodi vulgaribus ſcholae magiſtris in munere imputandis, iura habet eadem, quae ratione miniſtrorum (officialium) eccleſiaſticorum cleri ſuperioribus conceſſa ſunt.

§. 28. At contra quoque intuitu magiſtrorum ſcholaſticorum, ſi munere debeant priuari, locus eſt tituli antecedentis praeceptis.

Victus.

§. 29. Vbi nullae ſunt fundationes in vſum ſcholarum minorum, alimentatio praeceptorum omnibus incumbit patribus familias loci cuiusque, absque discrimine, an liberos habeant, an minus, et absque confeſſionis fidei diſcrimine.

§. 30. Si tamen in vſum incolarum diuerſarum fidei confeſſionum eodem loco ſcholae minores plures ſunt conditae; incolarum quisque tantum obligatus eſt ad alendum confeſſionis ſuae ludimagiſtrum.

Source : BIU Cujas

§. 31. Collationes, ſiue in pecunia conſiſtant, ſiue in praeſtationibus naturalibus, inter patres familias proportione poſſeſſionum et quaeſtuum ex aequo diſtribuantur, et a iurisdictionis magiſtratu imperentur neceſſe eſt.

§. 32. Quibus collationibus praeſtitis contribuentium liberi a ſoluendo mineruali in perpetuum ſunt immunes.

§. 33. Praediorum ruſticorum domini obligantur, vt adiuuent pro neceſſitate ſubditos ſuos, qui ſoluendae collationi debitae in totum aut ex parte per aliquod tempus ſunt impares.

§. 34. Conſeruatio aedificiorum ſcholaſticorum et aedium ludimagiſtrorum, tanquam onus commune, ferenda eſt absque diſcrimine ab incolis omnibus, ad eiusmodi ſcholam delegatis. Aedificia ſcholaſtica.

§. 35. At membrum tamen vniuerſitatis adiunctae alienae ad conſeruanda aedificia ſcholaſtica dimidium tantum confert eorum, quae claſſis eiusdem incola loci, quo eſt ſchola.

§. 36. Ad aedificanda et reficienda aedificia ſcholaſtica magiſtratus vrbium, et praediorum ruſticorum dominos, gratis exhibere oportet materiam, in praedio aut vrbis camerae fundo, vbi ſchola viget, natam aut perceptam, quatenus eius extat quantitas ſufficiens, et ea ad aedificandum eſt neceſſaria.

§. 37. Vbi ſcholae aedificium ſimul eſt aeditui domicilium, in regula conſeruandum eſt modo eodem, qui de aedificiis parochialibus eſt praeſcriptus.

§. 38. At nullum tamen vniuerſitatis membrum, ob fidei confeſſionis diuerſitatem, ſubtrahere ſe poteſt obligationi, ad conſeruanda eiusmodi aedificia conferendi.

§. 39. Vniuerſitates in regula ſunt obligatae, vt aduehant nouum ſcholae magiſtrum. Vniuerſitatis obligatio, nouum magiſtrum ſcholae aduehendi.

§. 40. Quae obligatio quoque extenditur ad perſonas, ad familiam ludimagiſtri pertinentes, atque ad

Source : BIU Cujas

veſtimenta, lintea, ſupellectile et libros, quos ſecum affert.

§. 41. At intuitu tamen loci diſtantiae locum habet eadem reſtrictio ad iter duorum dierum, quae de parochis, ab eccleſiae vniuerſitate aduehendis.

§. 42. Obtinet quoque praeceptum tit. XI. §. 525. intuitu ſcholae magiſtrorum.

Obligatio parentum liberos in ſcholam mittendi.

§. 43. Incolam omnem, qui neceſſariam liberorum inſtitutionem in aedibus ſuis curare non poteſt, aut recuſat, eos, ſimul ac quintum annum ſunt egreſſi, mittere in ſcholam oportet.

§. 44. Liberi diutius a ſchola non poſſunt retineri, neque poteſt eorum inſtitutio ſcholaſtica, ob impedimenta obuenientia, per aliquod tempus differri, niſi magiſtratus et clericalis ſcholae antiſtes approbent.

§. 45. In commodum iuuentutis, quae ob negotia domeſtica per horas ordinarias, certis anni temporibus, quae negotiis neceſſariis deſtinata ſunt, ſcholam non amplius ſine interruptione frequentare poteſt, diebus ſolis, et horis a laboribus vacuis, et temporibus idoneis aliis, inſtitutio ſpecialis eſt conſtituenda.

§. 46. Inſtitutio ſcholaſtica eſt continuanda, vsque donec iuuenis, ex confeſſionarii ſententia, percepit ſcientias, ordinis ſui homini ratione praedito neceſſarias.

Obligationes inſpectorum ſcholarum.

§. 47. Scholarum inſpectores ad id attendere oportet, vt ſcholae magiſter munere ſuo fide et diligentia fungatur.

§. 48. His magiſtratu auxiliante ad id eſt attendendum, vt liberi, ſecundum determinationes antecedentes (§. 43. ſqq.) in ſcholam mittendi omnes, ſi opus fuerit, ad frequentandas horas docendo deſtinatas adigantur vi atque poenis, parentibus negligentibus inflictis.

Paſtoris obligationes.

§. 49. Paſtor loci obligatur, vt factis concurrat ad obtinendum inſtituti ſcholaſtici finem, non inſpi-

Source : BIU Cujas

ciendo ſolum, ſed etiam docendo et ſcholae magiſtrum, et iuuentutem.

§. 50. Diſciplina ſcholaſtica nunquam extendatur vsque ad tractationes malas, iuuentutis valetudini modo vel remotiori nocituras. Diſciplina ſcholaſtica.

§. 51. Scholae magiſtrum, pueri vel puellae mores malos inueteratos, aut magnam ad vitia et libidines propenſionem, caſtigationibus modicis ſatis reprimi poſſe deſperantem, de iis ad magiſtratum et clericalem ſcholae antiſtitem oportet referre.

§. 52. Qui deinde, adhibitis parentibus vel tutoribus, rem propius explorent, et iuſta emendandi media diſponant neceſſe eſt.

§. 53. Sed neque in eiusmodi mediis diſponendis excedere licet fines, diſciplinae parentali praeſcriptos.

§. 54. Scholae et gymnaſia, in quibus iuuentus ad literas liberaliores, vel quoque ad artes et quaeſtus ciuiles, inſtitutione in ſcientiis literariis neceſſariis aut vtilibus, debet praeparari, externis fruuntur corporationum iuribus. II. De ſcholis literariis et gymnaſiis.

§. 55. Quae quidem iura exercent collegia ſcholaſtica ſecundum ordinationem ſcholaſticam loci cuiusque introductam.

§. 56. Eiusmodi ſcholae ſubſunt directioni propiori inſtantiae, cui a regno ſcholarum atque educationis cura demandata eſt, et cui in primis ad id eſt attendendum, vt inſtituendi modus recte componatur, et ſchola ſit ſub cura perpetua.

§. 57. De aedificiis, fundis et bonis eiusmodi inſtitutorum valent omnia, quae intuitu eccleſiarum earumque bonorum in titulo antecedente ſunt praecepta.

§. 58. At gymnaſia tamen et ſcholae ſic dictae reales intuitu donationum et legatorum limitationibus, ſocietatibus eccleſiaſticis praeſcriptis, non magis ſunt ſubiectae, ac ſcholae minores.

Source : BIU Cujas

§. 59. Vbi ius ſcholarum praeceptores et inſpectores conſtituendi non forſan competit perſonis aut corporationibus certis, vi fundationis, aut priuilegii ſpecialis, ibi regno competit.

§. 60. Atque etiam, vbi immediata eiusmodi ſcholarum inſpectio, aut ius praeceptores conſtituendi, perſonis priuatis aut corporationibus certis eſt conceſſa, ibi tamen neſcia et non approbante inſtantia, cui rerum ſcholaſticarum cura in prouincia demandata eſt, neque praeceptores noui poſſunt conſtitui, neque mutari inſtituti ſcholaſtici eſſentialia, et modus inſtituendi.

§. 61. Inſpectores eligantur neceſſe eſt ſcientiis ſatis inſtructi, probis moribus conſpicui, et recte iudicandi facultate praediti.

§. 62. Quos inſpectores oportet iuuenes, vitae genus, ſcientias literarias exigens, eligentes et eum in finem ad academiam profecturos, ſi animi atque ingenii facultatibus ad comparandam ſibi eruditionem ſolidam non praeſtant, ſeuere dehortari, ne ſtudiis dent operam; atque eorum parentes aut tutores omni opera eo perducant, vt eiusmodi mediocris ingenii iuuenes ad quaeſtus vtiles alios eligendos commoueant.

§. 63. Contra vero iuuenes, inſignibus animi et ingenii facultatibus praeſtantes, ad proſequenda ſua ſtudia ſunt excitandi et adiuuandi.

§. 64. Indigenarum nemo, qui ſcholam publicam frequentauit, ex ſchola dimittatur ſine ſcientiarum acquiſitarum et vitae bene actae teſtimonio, a praeceptoribus et ſcholae inſpectoribus ſubſcripto.

§. 65. Gymnaſiorum et ſcholarum maiorum aliarum praeceptores habentur regni officiales, et in regula foro priuilegiato fruuntur.

§. 66. Minerual non ſolutum, vti intuitu ſcholarum minorum collatio ad ſcholae magiſtros alendos praeſtanda, in concurſu creditorum de parentum bonis

Source : BIU Cujas

bonis exorto, fruitur praelationis iure, in ordinatione concurſus creditorum propius definito.

§. 67. Academiae fruuntur iuribus corporum priuilegiatorum omnibus. III De academiis.

§. 68. Quarum conſtitutio interna, et ſenatus academici eiusque praeſidis iura in curandis et adminiſtrandis rebus communibus, definita ſunt academiae cuiusque priuilegiis et ſtatutis a regno approbatis. Interna conſtitutio.

§. 69. Ad tranquillitatem et ordinem in academiis ſeuere conſeruandum ſenatui academico iurisdictio de membris omnibus et docentibus et diſcentibus eſt commiſſa. Iurisdictio.

§. 70. Quae iurisdictio quoque extenditur ad academiae officiales, atque ad familiam et famulos conductitios eorum omnium, qui ipſi (pro ſuis perſonis) ei ſunt ſubiecti.

§. 71. Quae tamen iurisdictio tantum eſt perſonalis, et in regula nequit extendi ad fundos, ab iſtis perſonis poſſeſſos.

§. 72. Quae ſi ad fundos quoque debeat extendi, aut ſi praeter perſonas ante dictas perſonae quoque aliae ei debeant eſſe ſubiectae; eiusmodi extenſio expreſſis priuilegiis, aut aliis iuris rationibus, ſeparatim probetur neceſſe eſt.

§. 73. Profeſſores et ordinarii et extraordinarii, docentes et officiales academiarum omnes fruuntur iuribus officialium regiorum omnibus, excepto foro. (Tit. X. §. 104. ſeqq.) Profeſſorum iura.

§. 74. Studioſorum receptio in academiae membrorum numerum fit inſcriptione in album (matriculam). Receptio ſtudioſorum.

§. 75. Semel inſcriptus membrum academiae manet, dum in eius ſede commorans ibi non eligit ordinem alium, aut vitae genus, quo iurisdictioni alii ſubiicitur.



Source : BIU Cujas

§. 76. Qui eum in finem academiam petit, vt literis ac ſtudiis det operam, eum coram ſenatus academici praeſide, ad inſcribendum nomen, oportet comparere.

§. 77. Inſcribendus teſtimonium ſcholaſticum ſecum allatum (§. 64.) producat neceſſe eſt.

§. 78. Qui ſi eiusmodi teſtimonium, inſtitutione priuata vſus, non apportauit; rectorem ablegare eum oportet ad commiſſionem, ad examinandos eiusmodi aduenas nouos conſtitutam.

§. 79. Qui in hoc tentamine in ſcientiis, quibus aduenas inſtructos eſſe oportet, nondum ſatis profeciſſe iudicatur, vel eſt reiiciendus, vel inſtruendus inſtitutione neceſſaria, ad ea ſupplenda, quae deficiunt.

§. 80. Rectorem ſtudioſo aduenae omni leges academicas et ad politiam loci ſpectantes oportet notificare, et eum admonere de iis rite obſeruandis.

Cura de eorum ſtudiis et moribus gerenda.

§. 81. Inſcriptione facta, ſtudioſus matriculam facultatis decano producat neceſſe eſt.

§. 82. Decanum, qui animaduertit, ſtudioſum quendam facultatis ſuae parum eſſe diligentem, aut moribus diſſolutis, de eo referre ad ſenatum academicum oportet.

§. 83. Quem ſenatum academicum operam dare oportet, vt ſtudioſum corrigat ſeueris admonitionibus; quibus fruſtra adhibitis, de re certiores facere parentes eius aut tutores, atque eos, a quibus literarum ſtipendia accipit.

De diſciplina academica.

§. 84. Studioſos omnes quam exactiſſime morem oportet gerere et generalibus prouinciae ac loci politiae legibus, et praeceptis atque ordinationibus ſpecialibus, ad diſciplinam academicam ſpectantibus.

§. 85. In primis ſeuere puniantur ſtudioſorum pugnae, heluationes et exceſſus alii, qui ſunt offenſioni publicae, aut tranquillitatem et ſecuritatem communem turbant.

Source : BIU Cujas

§. 86. Rector aut prorector in primis, et poſt eum ſenatus academicus, regno tenentur de turbationibus exortis omnibus, quae praecaueri maiore attentione et cura adhibita potuiſſent.

§. 87. Carceris poena ſtudioſis iis tantum temporibus et horis eſt infligenda, quibus poena non impediuntur, quo minus collegia frequentent.

§. 88. Atque ſic eſt inſtituenda, vt plane priuentur ſocietate omni, et commoditatibus vitae ſolitis.

§. 89. Exceſſus graues iterati, contumacia erga ſenatum academicum, atque eius officiales ad exercendam diſciplinam academicam conſtitutos, ſollicitationes, factionum conglobationes, et aliorum deprauationes puniantur relegatione.

§. 90. De relegatione decreta parentes aut tutores puniendorum ſtatim ſunt certiores reddendi; ipſi autem in cuſtodia detinendi, vſque donec illi de iis neceſſaria diſponunt.

§. 91. De relegatione decreta omni referendum eſt, adiuncta ſententia, ad collegium academiae praepoſitum; quo pro re nata academias reliquas poſſit monere de eiusmodi homine non recipiendo, donec eius morum emendatio ſatis eſt probata, atque etiam dare notitiam collegio (*Departement*), a quo relegatus, pro facultate, cui eſt addictus, munus conferendum in poſterum poteſt expectare.

§. 92. Relegatus neque in loco ipſo neque in eius vicinia ſub praetextu vllo toleretur.

§. 93. Iurisdictio vicina omnis obligatur, vt requiſitione ſenatus academici facta eum ex ditione ſua expellat.

§. 94. Exceſſus graues, licet relegationis poenam nondum fundent, nihilo minus carceris poena, nunquam vero multa pecuniaria ſola coërceantur.

§. 95. Neque relegatio, neque carceris poena ſecundum leges commiſſa, redimi pecunia poteſt.



Source : BIU Cujas

§. 96. In delictis veris, a ſtudioſis commiſſis, iurium criminalium obſeruantur praecepta.

Iura ſtudioſorum in rebus ſuis priuatis.

§. 97. In rebus ſuis priuatis ſtudioſi in regula manent ſubiecti legibus ſoli natalis vel patriae.

§. 98. Dum ſtudioſi adhuc ſunt ſub patria poteſtate vel tutorum cura, qua defectum facultatis eorum, pacta obligatoria ineundi, obtinent generalia legum praecepta.

In primis intuitu facultatis mutua ſ. debita contrahendi.

§. 99. Studioſus, ſiue adhuc ſit ſub poteſtate patria vel tutelari, ſiue non ſit, dum eſt academiae ciuis, non poteſt valide contrahere debita vel fideiubere, iudicio academico neſcio et non conſentiente.

§. 100. Conuictus pretii, mercedis lotricis, capillamentorum contextoris et tonſoris ne fides habeatur vltra menſem vnum; mercedis pro habitatione, lecto et operis famularum non vltra trimeſtre; medicamentorum et mercedis medicorum non vltra annum dimidium; et honorarii pro collegiis ad ſummum tantum vsque ad collegium finitum.

§. 101. Sartores et ſutores credere tantum poſſunt vsque ad thaleros decem, et bibliopegi non niſi ad tres; neque fidem extendere vltra menſem vnum.

§. 102. Honorarium pro inſtitutione in linguis et corporis exercitiis ſoluendum vltra tres menſes credi non licet.

§. 103. Creditores in antecedentibus (§. 100. 101. et 102.) nominatos omnes, ſolutione elapſo termino praefixo non praeſtita, nomina (credita) ſua intra dies ſaltem octo, in iudicio oportet exigere, ſub iuris iactura.

§. 104. Debita ſtudioſi priuata alia omnia ſunt nulla, actionem non fundantia.

§. 105. Inualida quoque ſunt pacta, quibus cautio aut fideiuſſio pro iſtis debitis eſt praeſtita.

§. 106. Pignora pro iis data gratis ſunt reddenda.

Source : BIU Cujas

§. 107. Si ciuis academicus eiusmodi debiti inualidi partem ſoluit; parentes aut tutores condicere ſolutum fiſci auxilio poſſunt.

§. 108. Si quis ſtudioſo pecuniam, aut res pecuniae valorem habentes ad expenſas inutiles, vel adeo ad luxuriam et beluationes dedit mutuas, aut alio modo credidit; praeter crediti iacturam adhuc puniatur integra eiusdem ſumma fiſco pendenda.

§. 109. Si debitor eiusmodi debitum totum vel eius partem ſoluit; fiſco ius competit, praeter poenam, ſolutum quoque a creditore exigendi.

§. 110. At vero, ſi ſtudioſus pecuniis ad victum ipſi deſtinatis non transmiſſis, aut aliis, quos euitare non potuit, caſibus cogitur, vt ad vitam ſuſtentandam ſumat mutuum; vna cum creditore coram iudicio academico compareat, et huius conſenſum petat neceſſe eſt.

§. 111. Quod iudicium debitoris neceſſitatem et indigentiam declaratam, atque reliquas rei circumſtantias, oportet accurate explorare, et ſi de iis nihil ſit monendum, conſenſum notare ſub inſtrumento exhibendo.

§. 112. In primis ad id attendendum eſt, ne mutui contrahendi ſumma excedat debitoris indigentiam praeſentem veram.

§. 113. In regula iudicio academico conſentire non licet, in debiti a ſtudioſo contrahendi ſummam, quae maior eſt parte quarta ſummae, ad annuum victum huic deſtinatae.

§. 114. Quod ſi igitur ciuis academicus eiusmodi conſenſum petit, ante omnia modo fide digno indicare eum oportet, quantum ipſi ad victum in academia ſit deſtinatum.

§. 115. Si circumſtantiae ſingulares iudicio academico cauſam praebeant, fidem ſtudioſo habendam ad ſummam maiorem extendendi; factum et eius rationes in conſenſu expreſſe debent notari.



Source : BIU Cujas

§. 116. Simulac conſenſus eſt interpoſitus, iudicium debitoris parentes vel tutores de facto certiores reddat neceſſe eſt.

§. 117. Conſenſus ipſe ſemper tantum ad certum tempus eſt interponendus, et quidem non ad tempus longius, ac opus eſt, vt parentibus aut tutoribus neceſſarium detur temporis ſpatium, de ſolutione diſponendi ea, quae ſunt neceſſaria.

§. 118. Quo termino elapſo creditorem, cui interea non eſt ſatisfactum, rem indicare oportet iudicio academico, ſub iuris ſui iactura.

§. 119. Deinde iudicium oportet magiſtratum, cui debitoris parentes vel tutores ſubſunt, transmiſſo inſtrumento requirere, vt eos ad exſoluendum debitum, ſi res ita ferat, executiue compellat.

§. 120. Iudicia in terris regiis omnia tenentur, ad morem gerendum eiusmodi requiſitionibus de exigendo debito, ſub legitimo conſenſu contracto, nullis admiſſis litium ambagibus.

§. 121. Si parentes vel tutores exceptiones graues debito ſe poſſe opponere putant; eos oportet ſummam apud iudicium requiſitum deponere, et contra creditorem in iudicio academico probare exceptiones.

§. 122. Quo celerrimo iuris auxilio creditoribus, quorum nomina conſenſu munita ſunt, praeſtito, creditoribus non licet, debitorem ipſum, dum adhuc literis actu nauat operam, turbare executionibus.

§. 123. Si literarum ſtudioſus non amplius ſub parentibus aut tutoribus eſt conſtitutus; creditor legitimis executionis mediis in debitoris ipſius perſonam et bona vti poteſt.

§. 124. Eiusmodi debitorem, ſi academia deceſſit creditoribus, quorum nomina conſenſu munita ſunt, ſatisfactione non praeſtita, arreſto perſonali perſequi licet creditoribus, vbicunque deprehenditur.

Source : BIU Cujas

§. 125. Iudicio academico, pro opera, in eiusmodi cauſis praeſtanda, aequum determinabitur praemium in ſportularum taxa, ei praeſcribenda.

§. 126. At contra quoque creditori eiusmodi de nomine (debito) tenebitur iudicium academicum ipſum, ſi contra religionem et officium conſenſerit in debita inutilia et immodica, aut ſi alias colluſione cum literarum ſtudioſo vllum perduxerit, vt illi pecuniam dederit mutuam.

De teſtimoniis academicis.

§. 127. Studioſum omnem, academiam relicturum a profeſſoribus oportet diligentiae, et ſcholarum ex ordine frequentatarum teſtimonia petere, et academici ſenatus praeſidi tradere.

§. 128. Quem eorum veritatem appoſito academiae ſigillo affirmare et ſimul notare oportet, an in decedentis vitae atque morum praeiudicium, dum in academia verſatus eſt, aliquid innotuerit.

§. 129. Indigena omnis, qui ad ſubeundum munus aut ad exercendam ſuam ſcientiam alio modo idoneum ſe cupit praeſtare, eiusmodi teſtimonium academiae regiae producat neceſſe eſt.

---

# TITVLVS DECIMVS TERTIVS.

## De regni iuribus et obligationibus generatim.

Principia generalia

§. 1. Iura et obligationes omnes regni erga ſuos ciues et incolas tutela fruentes in eius principe continentur.

§. 2. Praecipua regni principis obligatio eſt, tranquillitatem et ſecuritatem tam externam quam internam conſeruandi, et quemque contra vim et turbationes in iure ſuo tuendi.



Source : BIU Cujas

§. 3. Eiusdem est, curare de institutis, quibus incolis media praebeantur et occasiones, facultates et vires suas excolendi, easque ad promouendas res suas adhibendi.

§. 4. Hinc regni principi competunt praerogatiuae et iura omnia, quae ad hos fines obtinendos requiruntur.

Maiestatis iura.

§. 5. Regni defensionem contra hostes exteros ordinare; bella gerere; pacem facere; foedera et pacta cum imperiis (statibus) exteris iungere, est regni principis folius.

§. 6. Ius leges ferendi et generales politiae ordinationes praescribendi, eas abrogandi, et declarationes de iis cum vi legis dandi, est ius maiestatis proprium.

§. 7. Priuilegia tanquam exemtiones ab eiusmodi legibus dare, euectiones ad dignitatem maiorem, munera publica et honores concedere, est regni principis folius.

§. 8. Sententiae, capitis supplicium aut carceris poenam decennalem vel longiorem vel poenam duriorem constituentes, absque expressa regni principis confirmatione non possunt exequendo peragi.

§. 9. Ius, ex causis grauioribus delicta ignoscendi; inquisitiones abolendi; delinquenti in totum aut ex parte condonandi; poenam ergastuli, vel ad locum munitum damnatorum, vel aliud supplicium durius in poenas mitiores commutandi, a regni tantum principe immediate potest exerceri; quatenus hoc ius intuitu quorundam delictorum aut poenarum generum non expresse demandauit collegio (instantiae) cuidam, ipsi subordinato.

§. 10. At eiusmodi delictorum abolitione, aut secuta delinquentis aggratiatione, nunquam laedantur tertii iura priuata, ex delicto ipso bene quaesita.

Source : BIU Cujas

§. 11. Quin potius huic, etiamſi inquiſitio criminalis contra accuſatum fuerit abolita, nihilo minus licet, facti veritatem, quatenus ad ius ſuum fundandum requiritur, proceſſus ciuilis via probare.

§. 12. Ius monetas, menſuram, et pondus definiendi, ad iura maieſtatis pertinet.

§. 13. Societates omnes, in regno iam exiſtentes et oriundae, et inſtituta publica omnia, principis curae ſunt ſubiecta, pro fine tranquillitatis, ſecuritatis et ordinis communis.

§. 14. Quo regni princeps obligationibus ipſi incumbentibus poſſit ſatisfacere, et erogare impenſas in eum finem neceſſarias, ei conceſſi ſunt reditus certi et iura vtilia.

§. 15. Ius, ad ſatisfaciendum regni neceſſitatibus onera imponendi ſingulorum ciuium bonis priuatis, perſonis, quaeſtui, productis, aut conſumtioni, ius eſt maieſtatis.

§. 16. Quatenus regni officialibus vi muneris incumbit obligatio, curandi res et negotia certa, ad regni iura et obligationes pertinentia (§. 7.), his, ſi fines mandati non excedunt, aeque obtemperandum eſt, ac principi ipſi.

§. 17. Cauſae, ad principis perſonae et familiae eiusque gentis iura ſpectantes, ex familiae conſtitutionibus et pactis definiuntur. Iura principis eiusque familiae priuata.

§. 18. Actus et negotia earundem priuata alia ex regni legibus ſunt diiudicanda.



Source : BIU Cujas

# TITVLVS DECIMVS QVARTVS.

## De regni reditibus et iuribus fiſci.

Definitio fiſci.

§. 1. Genera omnia regni redituum, ex iure onera publica (ſteuras) imponendi, ex eminenti regni dominio, regalibus vtilibus, et aliis regni tributis fluentium, ſub appellatione fiſci continentur, et iura habent praelationis ſingularia.

Ius onera publica (ſteuras) imponendi.

§. 2. Iuri onera publica (ſteuras) imponendi, tanquam regni maieſtatis iuri (Tit. XIII. §. 15.), omnes ii ſunt ſubiecti, qui regni patrocinio et tutela perſonae, patrimonii, aut quaeſtus ſui fruuntur.

§. 3. Quibus incolarum aut poſſeſſionum claſſibus immunitas ab vno genere aut alio onerum regno praeſtandorum competat, pro diuerſitate prouinciarum, in harum legibus ſpecialibus eſt determinatum.

§. 4. Incolae, corpora vel vniuerſitates ſinguli, immunitatem ab oneribus eius claſſis, cuius ſunt, in regula conſequi tantum poſſunt pactis aut priuilegiis expreſſis.

§. 5. Quatenus eiusmodi immunitas praeſcriptione poſſit acquiri, ſuo loco eſt ſancitum. (P. I. Tit. IX. §. 656-659.)

§. 6. Exemtiones eiusmodi expreſſe aut tacite acquiſitae omnes diiudicandae ſunt ex praeceptis introductionis §. 54-58. 62-72.

Source : BIU Cujas

§. 7. Eiusmodi exemtionibus membris eiusdem claſſis reliquis non imponantur maiora onera.

§. 8. Qui tale priuilegium, membris reliquis onerosum, pro se allegat, contra eum stat sub-et obreptionis praesumtio.

§. 9. Lites de distribuendis oneribus publicis, ex iure fleurali fluentibus, inter contribuentes exortae, si deficiunt definitiones sufficientes, pactis, consuetudinibus obseruatis, vel legibus specialibus fundatae, diiudicantur ex regulis communionis sine pacto expresso exortae. (P. I. Tit. XVII. Sect. I.)

§. 10. Lites de immunitatibus exortae dirimantur legibus antecedentibus (§. 2-8); caeterum autem iis, quae latae sunt de allegata exemtionis causa.

§. 11. Fundi singuli, reditus, et iura, quorum dominium seperatim regno, et vtilitas ex iis percipienda exclusis caeteris regni principi competit, vocantur domania seu bona cameralia. Domania.

§. 12. Ea quoque bona, quorum reditus alendae regnantis familiae destinati sunt, pro domaniis sunt habenda.

§. 13. Omnia, quae personae ex regnantis familia comparcendo, aut alio modo, valide acquisiuerunt, pro bonis habentur priuatis, dum ab acquirente aut eius heredibus expressa incorporatio nulla est facta, et quatenus de iis aliud non est definitum familiae pactis et gentis constitutionibus.

§. 14. Idem valet de bonis et rebus, quas princeps ipse acquisiuit comparcendo, aut vllo acquirendi modo alio, cui locus quoque est ratione personarum priuatarum.

§. 15. At vero, si ille imperans, qui eo modo fuit primus acquirens, de rebus immobilibus, tali modo ab ipso acquisitis, neque inter viuos neque mortis causa disposuit; res istae incorporatae sunt habendae regni domaniis.

Source : BIU Cujas

§. 16. Domania eatenus tantum ad poſſeſſorem priuatum valide poſſunt peruenire, quatenus regno de iis alio modo indemnitas eſt praeſtita.

§. 17. In primis poſſunt cum praediis aliis permutari, in locationem conductionem perpetuam concedi, aut pro canone perpetuo inter ſubditos diſtribui ad poſſeſſionem, iure hereditario transferendam.

§. 18. Caeterum, ſi domanium perſonae priuatae, indemnitate praeſtita, eſt conceſſum, valet praeſumtio, indemnitatem fuiſſe aequam (proportionatam).

§. 19. Qui vero ſciens acquiſiuit domanii poſſeſſionem, nulla eiusmodi indemnitate praeſtita, eſt malae fidei poſſeſſor habendus. (P. I. Tit. VII. §. 10. ſqq. §. 40. 41. 42.)

§. 20. Feuda, quae ad regni principem ab eius vaſallis redeunt, et praedia emphyteutica, princeps quouis tempore iterum poteſt aliis concedere.

§. 21. Viae publicae et militares, flumina natura ſua nauigabilia, litus, et portus ſunt in communi regni dominio. (Tit. XV. Sect. I. II.)

§. 22. Eodem quoque refertur ius excluſiuum, occupandi certa rerum nullius genera. (Tit. XVI.)

§. 23. Idem ex iure communi valet de iure, bona commiſſa confiſcandi, multas pecuniarias magnas infligendi, et emigrationis gabellam exigendi. (Tit. XVII.)

Regalia minora.

§. 24. Iura vtendi antecedentium generum rebus, quae ſunt in regni dominio (§. 21. 22. 23.), regalia vocantur minora.

§. 25. Hoc commune regni dominium ipſum domaniis prorſus eſt aequiparandum.

§. 26. At iura vtilitatem percipiendi ſeu regalia minora ſingula a perſonis priuatis et vniuerſitatibus acquiri poſſunt et poſſideri.

Source : BIU Cujas

§. 27. Si regnum ex eiusmodi regalibus minoribus conceſſionis tempore vtilitatem iam percepit, locum de iis habent praecepta §. 16-19., quae de domaniis.

§. 28. Cui regni princeps eiusmodi ius vtendi conceſſit, is ad ius defendendum iure petere fiſcale auxilium poteſt.

§. 29. At vero poſſeſſori priuato non licet, extendere vtilitatis perceptionem, ex iuribus a regno ipſi conceſſis, vltra vtilitates, a regno ipſo ex eiusmodi regalibus conceſſionis tempore perceptas.

§. 30. Si modus et limites iuris vtendi in conceſſione ipſa expreſſe ſunt definiti; poſſeſſor priuatus ius ſuum, ſub nullo praetextu, alio modo, aut ambitu latiori poteſt exercere.

§. 31. In genere eiusmodi conceſſio ſemper intelligenda eſt adiecta limitatione ad locum deſtinatum, aut ad facta vel caſus poſitos.

§. 32. At intra hos fines determinatos valet praeſumtio, regale competere poſſeſſori priuato excluſis caeteris, et regnum renuntiaſſe exercitio ſimultaneo.

§. 33. Si iuris fines in conceſſionis documento non clare ſunt determinati; de iis interpretandis valent omnia, quae de interpretandis priuilegiis ſunt praeſcripta. (Introd. §. 54-58.)

§. 34. Si regnum poſſeſſori priuato praedium „cum regalibus omnibus“ aut „cum regalibus“ in genere, absque determinatione propiore, conceſſit; ſub iis tantum intelliguntur regalia minora ea, quae aliis eiusdem generis praediis in eadem prouincia, aut in eodem tractu (diſtrictu), more ſolito ſunt conceſſa.

§. 35. De regalium praeſcriptione valent omnia, quae de praeſcriptione contra fiſcum in genere ſunt praeſcripta. (P. I. Tit. IX. §. 629. ſqq.) De regalium et domaniorum praeſcriptione.

Source : BIU Cujas

§. 36. At contra, domaniorum dominium ne per eiusmodi praeſcriptionem quidem regno poteſt eripi.

§. 37. Quin potius, tale dominium ſibi vindicantem, licet pro eo ſtet poſſeſſio, contra fiſcum oportet indicare et probare titulum ſeu modum legitimum, quo nititur ipſius poſſeſſio.

§. 38. At locus tamen ſit praeſcriptioni per poſſeſſionem ex anno 1740 quoque in domaniis. (P. I. Tit. IX. §. 641. ſqq.)

§. 39. Praeſumtio poſſeſſionis ex titulo legitimo ſtat quoque pro eo, qui eſt in domanii poſſeſſione quieta annorum quadraginta et quatuor.

§. 40. In qua poſſeſſione tam diu igitur eſt defendendus, vsque dum non potuit erui, in alienatione prima vel plane titulum legitimum nullum fundamento fuiſſe, vel in domanio alienando praeceptum §. 16. non fuiſſe obſeruatum.

§. 41. Qui praeterlapſis annis viginti, inde a die ſeparationis a domaniis ſecutae computatis, tale praedium bona fide acquiſiuit, huic, licet fiſco ius repetendi in ſe competat, proſunt praecepta P. I. Tit. XV. §. 24. ſqq.

§. 42. Si non contenditur de domanii dominio, ſed tantum de ſingulis eius pertinentiis, aut ſeruitutibus et aliis iuribus, quae praefectura domanialis contra tertium, aut hic contra illam ſibi vindicat; intuitu domaniorum quoque locus eſt principiis generalibus de praeſcriptione contra fiſcum. (P. I. Tit. IX. §. 629. ſeqq.)

§. 43. Quod idem valet de litibus inter praedium domaniale et aliud priuatum de finibus oriundis.

Iura fiſcalia.

§. 44. Modus regni reditus diuerſos exigendi et adminiſtrandi a regni principe pendet.

Source : BIU Cujas

§. 45. Regno in ſuam ſecuritatem, in bonis officialium fiſci, domaniorum praefectorum et conductorum colonorum, ius competit praelationis, in ordinatione concurſus creditorum propius definitum. I) Iura praelationis fiſci ſeu aerariorum publicorum in bonis officialium aerarii, praefectorum domaniorum, et conductorum colonorum.

§. 46. Sub aerarii ſ. fiſci officialibus hic intelligendi ſunt aerarii praefecti (*Rendanten*), rationum exemplar duplum (antigraphum) conficientes (*Controlleur*), arcarii (*Caſſirer*), aerarii ſcribae, et famuli aut nuntii.

§. 47. Ius praelationis fiſco competens ad omnia debitoris extenditur bona, quae adhuc in eius dominio ſunt eo tempore, quo contra eum actio iudicialis eſt inſtituta de obligatione ipſi incumbente, reſtituendi ea, quae deficiunt.

§. 48. Ad tertium bonae fidei poſſeſſorem rei, quae fuit in bonis officialis fiſci, onus huius praelationis iuris, vna cum re, tunc tantum tranſit, ſi res eſt immobilis, et ſi poſſeſſoris anterioris qualitas, tanquam fiſci officialis, praefecti vel conductoris coloni domaniorum, in libro hypothecario expreſſe eſt notata.

§. 49. At contra, talis fiſci debitor cum omnibus bonis iſtis, quae tempore §. 47. notato in eius ſunt dominio, tenetur de omnibus, quae ex muneris adminiſtratione ſiue conductionis contractu fiſco ab ipſo praeſtanda ſunt aut reſtituenda.

§. 50. In debitoris bonis fiſco non praeferuntur, niſi debitores priuati illi, qui bona ſua propria repetunt; aut qui oppignoratione valida rerum mobilium, vel eiusmodi intabulatione in bonis immobilibus, ius reale ſunt conſecuti.

§. 51. Validitas oppignorationis, arreſto generali aut ſpeciali omnibus debitoris bonis aut certis eorum partibus nondum impoſito, ab eo factae, diiudicanda eſt ex iisdem principiis, quae in ordinatione concurſus creditorum in eum caſum ſunt praeſcripta, ſi debitor communis, ante vel poſt motum concurſum creditorum, de bonis ſuis diſpoſuit.

Source : BIU Cujas

§. 52. In praeiudicium iuris praelationis fiſco competentis non valent, niſi intabulationes iudiciales illae, quae factae ſunt, antequam fiſci officialis munus, aut domaniorum praefectus praefecturam, aut conductor colonus conductionem in ſe ſuſcepit.

§. 53. Atque illae, quae in re immobili ſunt notatae, priusquam ea ad praefectum aut conductorem colonum peruenit.

§. 54. Denique illae, quas praefectus vel conductor colonus in ſuſcipiendo fundo, adminiſtrationis aut locationis conductionis ſuae tempore acquiſito, vna cum poſſeſſionis titulo in librum hypothecarium curauit referri.

§. 55. At poſterius tamen (§. 54.) valet tantum de reſiduis emtionis venditionis pretiis, aut de obligationibus aliis ex acquiſitionis pacto oriundis; atque etiam de legatis, aut oneribus, conditionibus, et praeſtationibus aliis, cum quibus ad praefectum vel conductorem colonum tranſiit praedium, iure ſucceſſionis delatum.

§. 56. Quidquid in antecedentibus §. 52. 55. de fundis ipſis eſt praeſcriptum, idem quoque valet de fundorum pertinentiis et inuentariis.

§. 57. Si collegium (camera) rerum bellicarum et domanialium (*Krieges- und Domainen-Cammer*), aut aliud collegium prouinciae ſupremum, praefecto vel conductori colono praepoſitum, in debitum intabulandum expreſſe conſenſit; fiſcus cum ſuo praelationis iure tali creditori intuitu huius fundi cedit.

§. 58. Si pro praefecto vel conductore colono cautio certa definita eſt conſtituta, et in eius fundis intabulata; fiſcus ſuo praelationis iure, intuitu huius fundi, vti tantum poteſt pro ſummae determinatae magnitudine; et in iis, quae praeter ea poſtulat, cedit creditoribus intabulatis omnibus.

§. 59.

Source : BIU Cujas

§. 59. Quo modo abuſus iuris praelationis fiſci ſint puniendi, et vindicandae deceptiones creditorum aliorum inde effectae, in titulo viceſimo eſt praeſcriptum. (Sect. VIII.)

§. 60. In bonis eius, qui negotium, ad regni aut fiſci reditus pertinens, tanquam mandatum ſeparatum et extraordinarium curat, regno tantum competit, ſi bona non ſufficiant, quartae claſſis ius praelationis, in ordine concurſus propius definitum.

§. 61. Fiſci priuilegium extendi tantum poteſt ad ea circulorum aeraria (*Kreiscaſſen*), quibus ſoluenda ſunt onera ſteuralia principi praeſtanda, at non ad aeraria vniuerſitatum et alia in regno publica, licet pars reditnum ex his aerariis ad fiſcum tranſeat.

§. 62. Officiales aerariorum camerarum principum familiae regiae (*Prinzliche Cammern*), intuitu iuris praelationis quoque, aerario (ſ. fiſco) competentis, aequiparantur officialibus fiſci regnantis.

§. 63. Idem valet de adminiſtratoribus et conductoribus colonis eiusmodi praediorum principum familiae regiae, quae ſecundum §. 12. ad regni domania referuntur.

§. 64. At contra, praefecti et conductores coloni eiusmodi praediorum principum familiae regiae, quae regni domaniis nondum ſunt incorporata, huic praelationis iuri fiſco competenti non ſunt obnoxii.

2 In bonis aliorum fiſci debitorum.

§. 65. Intuitu tributorum perpetuorum fixorum fiſco ius competit praelationis ante creditores alios omnes, propter tributa annorum duorum poſteriorum reſidua, ſecundum propiorem ordinationis concurſus determinationem.

§. 66. Intuitu poſtulatorum aliorum omnium, vndecunque ſint orta, exceptis multis pecuniariis



Source : BIU Cujas

ſolis, fiſco ius competit praelationis claſſis quartae, in iisdem legibus determinatum.

§. 67. Intuitu multarum pecuniariarum decretarum fiſcus cedit debitoris creditoribus reliquis omnibus.

§. 68. At vero, ſi probari poteſt, debitum tantum fuiſſe contractum ad irritam reddendam poenam, et quidem ſciente creditore; hunc cedere fiſco oportet.

§. 69. Res confiſcatas regnum tanquam proprias ſibi vindicat.

§. 70. At vero, eiusmodi quoque res ad fiſcum tranſit cum oneribus omnibus, confiſcationis tempore ei inhaerentibus.

§. 71. Vbi ſecundum leges ſingulares pretium ſuccedit in locum rei alias confiſcandae, fiſco huius pretii intuitu ius competit praelationis claſſis quartae.

§. 72. Menſa feneraticia publica, et alia regni inſtituta negotiatoria, fiſci iuribus eatenus tantum fruuntur, quatenus ea ipſis priuilegio ſpeciali expreſſe ſunt conceſſa.

§. 73. Aerarium minus priuilegiatum ius nullum maius acquirit eo, quod eius reditus deſtinati et aſſignati ſunt aerario magis priuilegiato.

§. 74. Quatenus perſona priuata, cui nomen (poſtulatum) fiſcale eſt ceſſum, in fiſci iura ſuccedat, et quatenus fiſcus, qui nomen priuatum accipit, in eo exigendo iuribus ſuis praelationis poſſit vti, diiudicandum eſt ex generalibus de ceſſionibus praeceptis. (P. I. Tit. XI. §. 402 406.)

§. 75 Quatenus in ſpecie iura praelationis fiſci in praeſcriptione, intuitu rerum et iurium, quae fiſcus perſonae priuatae ceſſit, aut a perſona priuata accepit, fiſco competant, ſuo loco eſt definitum. (P. 1. Tit. IX. §. 635-640.)

Source : BIU Cujas

§. 76. Intuitu vſus, vtilitatis, et adminiſtratio- 3. In adminiſtratione domaniorum et regalium. nis domaniorum et regalium, in regula regno eadem tantum competunt iura, quae domino priuato omni.

§. 77. Iura praerogatiua regni ſingularia, in rebus 4. In negotiis ſingularibus. et negotiis certis, legibus expreſſis definita ſint neceſſe eſt.

§. 78. De obligatione praeſtandi onera genera- 5. In litibus. lia, quibus omnes regni incolae, aut membra certae eorum claſſis omnia, ex regni conſtitutione tenentur (§. 2. 3.), nulla datur actio.

§. 79. At vero, ſi quis ex cauſis ſpecialibus immunitatem ab eiusmodi tributis ſibi aſſerit (§. 4-8.), aut ſi in determinanda rata ſua praeter iuſtum et aequum ſe eſſe praegrauatum affirmat (§. 9.); ideo legitime eſt audiendus.

§. 80. At lite tamen pendente tributa exacta, ſaluo iure ſuo, praeſtare ille debet, qui de praegrauatione queritur, in caſibus omnibus; atque etiam exemtionem ſibi aſſerens, niſi ſaltem ex annis duobus in exemtionis poſſeſſione verſetur.

§. 81. Lites omnes inter fiſcum et perſonas priuatas de iuribus et obligationibus, quae eiusmodi oneribus generalibus non fundantur, iuris via ordinaria, regni legibus ſunt cognoſcendae et decidendae.

§. 82. In primis cuique, quocum fiſcus pacta iniit, aut alia egit negotia ſingula, lite exorta ius eſt petendi, vt de iis legitime audiatur, et cognoſcatur.

§. 83. Reſidua quoque, quae fiſcus vi onerum generalium publicorum iure poſcit, fiſcum per officiales ſuos via iuris oportet exigere, ſimulac horum intuitu de iure praelationis agitur contra tertium.

§. 84. At fiſcus tamen in litibus ſuis omnibus foro fruitur priuilegiato, et immunitate ab ſportulis iudicialibus alias ſolitis.



Source : BIU Cujas

§. 85. Si regni, aut fiſci officiales, perſonas priuatas alias litibus fiſcalibus fundamento deſtitutis ex induſtria vexant; his ſumtus in lites erogatos ex propriis reſtituere illos oportet.

---

# TITVLVS DECIMVS QVINTVS.

## De regni iuribus et regalibus intuitu viarum publicarum, fluminum, portuum et maris litorum.

### Sectio Prima.

*De viis publicis et militaribus.*

Definitio. §. 1. Viae, quae ab alio regni fine ad alium, aut ab vrbe, a praefectura curſorum publicorum, aut portorii alia, ſiue ad aliam, ſiue ad maria et amnes praecipuos ducunt, vocantur viae publicae aut militares.

Regni iura. §. 2. Absque regni venia ſpeciali de eiusmodi viis diſponere nemini licet.

§. 3. Ne tunc quidem, ſi, quae diſpoſuit, in ſe non noceant peregrinantium vſui viae publicae.

§. 4. At contra regno ius competit, vias publicas et militares commutandi, et in locum alium transponendi, prout ipſi videtur commodo publico eſſe vſui.

§. 5. At tum tamen indemnes praeſtet neceſſe eſt dominos fundorum, per quos eſt via transpoſita.

§. 6. Si via, neceſſitate ineuitabili non vrgente, in alium locum transpoſita, poſſeſſor priuatus prorſus priuatur iure vtili, a regno expreſſe ipſi reſpectu ad hanc viam conceſſo, aut ſi hoc ius haud mediocriter deminuitur; de indemnitate ei praeſtanda va-

Source : BIU Cujas

lent eadem, quae de abolendis priuilegiis sunt praescripta. (Introd. §. 70. 71.)

§. 7. Viarum publicarum et militarium vsus liber cuique permittitur ad iter faciendum et ad res suas transportandas.

§. 8. At vero vtilitates aliae omnes, quae ex eiusmodi viis possunt percipi, secundum ius commune pertinent ad regalia minora.

§. 9. Fructus et emolumenta, ex arboribus ad vias publicas positis percipienda, in regula percipit ille, qui posuit arbores.

§. 10. Si alius, ac ille, qui primus posuit arbores, conseruare eas debet, huic cedit arborum vtilitas.

§. 11. Pro emolumentis, quae regno ex viis publicis competunt, regni est curare, vt viae conseruentur tutae et commodae. Regni obligatio.

§. 12. De damno, ex hac obligatione neglecta orto, tenentur ii, qui in cura viarum, a regno ipsis demandata, culpam latam aut leuem admiserunt.

§. 13. Incolae tractus ad viam siti ex iure communi obligantur ad praestandas operas, manu et iumentis perficiendas, in conseruandis et reficiendis viis, ad regni ordinationem. Viarum conseruatio.

§. 14. Quae obligatio extenditur ad incolas omnes, per quorum tractum (districtum), circulum, aut parochiam eiusmodi via publica panditur, et qui ex legibus, aut prouinciae constitutionibus, ad operas communes praestandas sunt obligati.

§. 15. Vbi legibus prouincialibus aut ordinationibus viarum specialibus obligatio vias publicas conseruandi propius aut alio modo est definita, ibi in posterum quoque ad eas vnice est attendendum.

§. 16. In nouis viis construendis regnum operas manu et iumentis praestandas exigere quoque potest ab iis incolis, qui secundum prouinciae constitutio- Viarum nouarum institutio.



Source : BIU Cujas

nem ad operas in viis conſtruendis praeſtandas in genere ſunt obligati, et commodum ex noua via capiunt.

In primis viae ſtratae.

§. 17. In inſtituendis viis ſtratis (*Chauſſeen oder Dammſtraſsen*), loco viarum publicarum ordinariarum, incolae ad operas viales obligati opem tantum eo modo debent ferre, quo eos in inſtituenda via publica ſolita operas praeſtare oporteret.

§. 18. Obligatur quisque, vt regno cedat ſolum ad eiusmodi viam ſtratam inſtituendam, dilatandam, aut recta ducendam neceſſarium, atque materiam neceſſariam, quae eſt in agris vicinis.

§. 19. Quorum tamen indemnitas a regno ipſi eſt praeſtanda.

§. 20. Ad quam indemnitatem praeſtandam regnum iure poteſt in primis impendere ſolum, aut eius pretium, eo acquiſitum, quod via ſtrata noua non deſiderat viae prioris ordinariae latitudinem omnem, aut, quod via ſtrata rectius ducta, pars viae prioris reſtat.

§. 21. At de eiusmodi tamen ſoli compendiis, in quadam agrorum vniuerſitate factis, diſponi tantum poteſt ad indemnes praeſtandos poſſeſſores fundorum eiusdem agrorum vniuerſitatis.

§. 22. Salua quoque manent iura ſua in ſolo parcendo acquiſito illi, qui poteſt probare, illud pertinere ad fundum ſuum proprium, et abuſiue tantum priſtinae viae fuiſſe adiunctum.

§. 23. De talibus viis ſtratis more ſolito conſeruandis valent omnia, quae de conſeruandis viis ſunt praecepta. (§. 13. 14. 15.)

§. 24. At contra, ad refectiones maiores, absque culpa incolarum ad operas viales praeſtandas obligatorum exortas, hi tantum operas eodem modo praeſtare obligantur, quo in viis inſtituendis. (§. 17.)

Source : BIU Cujas

§. 25. Viarum publicarum vſum ſecundum §. 7. omnibus liberum quemque ita exercere oportet, ne alius impediatur, quo minus via aeque vtatur, neque rixis et vel adeo factis violentis de decedendo cauſa praebeatur. Praecepta de decedendo de via.

§. 26. Aurigas et ruſticos, et alios iter facientes omnes, nulla dignitatis et ordinis ratione habita, de via cedere oportet curribus veredariis ordinariis et extraordinariis, ſiue ſequentibus, ſiue obuenientibus, vt ſine difficultate praetereant, ſimulac veredarius corniculi ſonitum edit.

§. 27. Quibus caſibus exceptis de via cedere oportet currus et rhedas vacuos, aut perſonis tantum onuſtos, curribus omnibus, mercibus et rebus oneratis, ad quos quoque referendae ſunt rhedae, quibus riſci (*Koffer*) aut ſarcinae aliae ſunt impoſiti.

§. 28. Si currus duo onuſti aut vacui ſibi obueniunt, vtrumque ad dextram de via dimidia oportet cedere.

§. 29. Si alter ad dextram cedere nequit, alter ſolus cedat neceſſe eſt.

§. 30. Spatio ad cedendum deficiente, in caſu §. 27. illum, qui ad cedendum eſt obligatus, et in caſu §. 28. illum, qui alterum primus conſpexit, loco apto currum tam diu oportet ſiſtere, vsque donec currus alter praeteriit.

§. 31. Si currus de monte aut loco praecipiti edito deuehitur, alius autem eundem montem aut locum praecipitem editum petit; hunc ſemper oportet cedere, ſiue magis onuſtus ſit, ſiue minus.

§. 32. Ad vias cauas aut anguſtas alias vtrumque oportet currum antea ſiſtere, et ſigno claro, corniculo, ſcutica, aut alio modo dato, tam diu expectare, vsque donec ipſi certum eſt, alium currum nullum cauas vias aut anguſtas iam intraſſe.

§. 33. Si via caua ſeu anguſta eſt tam longa, vt ſigna data ab alio ſine ad finem alium clare audiri



Source : BIU Cujas

aut animaduerti nequeant; iis locis, quibus ſpatium eſt cedendi, de nouo eſt expectandum, et ſignum reiterandum.

§. 34. Exceptis curribus veredariis, currus antecedens omnis currui poſt eum ſequenti et citius eunti, ſi hic antecedentem praeterire aliter nequit, et ſpatium permittit, ſigno dato in tantum debet cedere, in quantum requiritur, vt poſterior iter poſſit continuare.

§. 35. Qui his praeceptis neglectis alteri damnum infert, damnum pro gradu culpae, ipſi imputandae, reſarciat neceſſe eſt. (P. I. Tit. VI. § 11. ſqq.)

§. 36. Si damnum ſentiens culpa ſua propria damno praebuit cauſam; locum habent praecepta Tit. VI. §. 18. ſqq.

§. 37. Aurigae loco ſeruorum ſecundum praeceptum P. II. Tit. VIII. Sect. XV. tenentur; at alii famulorum domini tantum ſecundum praeceptum P. I. Tit. VI. §. 61. ſqq.

## Sectio Secunda.

### *De fluminibus, portibus et litoribus.*

Definitio. §. 38. Emolumenta ex fluminibus natura nauigabilibus percipienda ad regni regalia referuntur.

§. 39. Flumina priuata in praeiudicium et detrimentum eorum, qui adhuc fuerunt domini, commutari in flumina nauigabilia nequeunt.

§. 40. Si regno videatur bono publico profutura fluminis priuati commutatio in flumen nauigabile; dominis praeſentibus pro emolumentis inde amiſſis, et oneribus inde auctis, plenam indemnitatem aſſignet neceſſe eſt.

§. 41. Caeterum commutando flumen priuatum in flumen nauigabile nondum amittuntur domini iura, quatenus ea poſſunt cum fluminis deſtinatione praeſente conſiſtere.

Source : BIU Cujas

§. 42. Regnum dominum fluminis priuati non nauigabilis poteſt quidem cogere, vt fluminis vſum ad ligna per aquas agenda permittat;

§. 43. Attamen curet neceſſe eſt, vt eiusmodi domino plena praeſtetur indemnitas.

§. 44. Vſus aquae fluuialis ex fluminibus publicis hauriendo, lauando, et aquando animalia cuique licet. Aqua fluuialis.

§. 45. At quemque tamen animalia aquari ex flumine cupientem vti oportet locis, ad aquandum et merſandum iam adhibitis.

§. 46. Aquae ductus ex fluminibus publicis abſque ſpeciali regni venia non licet inſtituere, neque absque eiusmodi venia ad ea exſtruere lauatoria (*Waſchhäuſer*) aut balnea. Aquae ductus.

§. 47. In eiusmodi fluminibus ſub conditionibus a regno definitis nauigare licet, cui libet. Nauigatio.

§. 48. In prouinciis aut locis, vbi nautarum collegia et ſocietates ſunt introductae, alii eiusdem prouinciae, aut eiusdem loci, incolae a nauigatione oneraria abſtineant neceſſe eſt.

§. 49. Rates in fluminibus nauigabilibus agendi ius, ſecundum ius commune, reſeruatum eſt regno, quo inſcio illud exercere perſonis priuatis non licet. Ius gruiae.

§. 50. Pontones et nauigia plana, (pramas) in vſum proprium habere quilibet eiusmodi fluminis accola poteſt. Pontones et nauigia plana. (*Prahmen*)

§. 51. At ius, pontones et nauigia plana ad traiiciendum pro pretio habendi, ad regni regalia pertinet.

§. 52. Pontes nouos in fluminibus publicis facere nemini absque ſpeciali regni venia licet, ne in proprio quidem ſolo. Pontes.

§. 53. Obligatio, pontes in fluminibus publicis conſeruandi, in regula ei incumbit, qui vtilitatem ex flumine eo loco percipit.

§. 54. Pontes in fluminibus priuatis vnice, aut praecipue tamen, eum in finem facti, vt peregrinan-



Source : BIU Cujas

tes poſſint transire, ab iis conſeruandi ſunt, qui ad viam reficiendam ſunt obligati.

Ripae. §. 55. Fluminum publicorum ripae in regula ſunt dominorum fundorum fluminibus immediate adiacentium.

§. 56. Quidquid ripae accreſcit, vel ſolo adhaerente, accreſcit ripae dominis. (P. I. Tit. IX. §. 225-241.)

§. 57. Publicorum fluminum riparum domini impedire nequeunt nauigantes, quo minus vtantur via in ripis, vbi naues ſunt funibus trahendae (*Leinpfades*), et naues ad eas appellant, et deligent, et onera, in caſu neceſſitatis, per tempus aliquod ad ripam exponant.

§. 58. At vero, ſi inde ripa ipſa aut eius munimentum laeditur; aut ſi domino ripae vtilitas auferetur, vel deminuitur; a damni auctoribus eius reparationem poteſt poſcere.

§. 59. Quatenus, ad damnum ipſi datum reſarciendum, contra nauigantes peregrinos aut incognitos iure pignerandi poſſit vti, diiudicandum eſt ex generalibus de pignerationibus principiis. (P. I. Tit. XIV. Sect. IV.)

§. 60. Quae in antecedentibus de riparum vſu, nauigantibus permittendo, et de indemnitate, pro vſu iſto domino praeſtanda, praecepta ſunt, ad rates lignarias (*Holzflöße*) quoque poſſunt applicari.

§. 61. Nemini in ſua ripa aliquid licet exſtruere, quo fluminis curſus in nauigationis praeiudicium impeditur, reſtringitur, aut alio modo commutatur.

§. 62. Hinc nemo quoque ad flumina publica, aut in iis, opera exſtruat, niſi rem antea regno indicauerit, et eius approbationem impetrauerit.

Aggeres. §. 63. Ordinaria riparum munimenta, atque aggeres, quibus agri tantum, eas ripas proxime adia-

Source : BIU Cujas

centes, ab inundationibus defenduntur, in regula a riparum dominis conferuentur neceſſe eſt.

§. 64. Ad exſtruendos et conferuandos aggeres principales, quibus tractus totus ab inundationibus debet defendi, conferre oportet dominos fundorum omnium, aggeribus defenſorum.

§. 65. Collationis modus et quota definiendi ſunt ex pactis extantibus, aut ordinationibus de aggeribus et ripis latis; quibus vero deficientibus proportione damni imminentis, quod aggere auertitur.

§. 66. Si neceſſitas, aggerem nouum ducendi oritur ex opere (apparatu), a regno in ſuum ſingulare commodum in flumine aut prope illud inſtituto; regnum aggeris exſtruendi et conſeruandi impenſas curet neceſſe eſt, accolis onere nouo nullo impoſito.

§. 67. In quibus fluminibus publicis inſulae natae regno cedant, aut a ripae dominis poſſint occupari; pro obſeruantiae, quae adhuc obtinuit, diuerſitate in legum prouincialium codicibus definitur. (P. I. Tit. IX. §. 242. ſqq.) Inſulae.

§. 68. Prout inſulae in flumine natae regni ſunt aut ripae poſſeſſorum, alueus quoque a flumine derelictus illi aut his cedit. (ibid. §. 270.) Alueus.

§. 69. Regnum quoque, vti poſſeſſor priuatus omnis obligatur, vt alueum ſibi delatum, aut eius pretium, impendat ad ſubditos eos indemnes praeſtandos, quorum fundis nouo fluminis alueo detrimentum eſt illatum. (ibid. §. 271.)

§. 70. Regno, ſi ripam perfodiendo flumini alium curſum dedit, in caſibus omnibus competit ius, de alueo derelicto disponendi.

§. 71. At in his quoque caſibus regnum oportet plenam indemnitatem praeſtare et canalis derelicti accolis, et iis, per quorum fundos canalis nouus eſt ductus, vti in viis publicis.

Source : BIU Cujas

§. 72. Quam eandem indemnitatem poſcere quoque poſſunt, quibus piſcandi ius competit, ſi in canali derelicto ius piſcandi exercere non amplius poſſunt, neque canalis nouus eiusdem generis piſcationem iis praebet.

Ius piſcandi.

§. 73. Piſcatio in publicis fluminibus ad regalia pertinet.

§. 74. Cui piſcandi ius, limitibus certis non praeſcriptis, a regno eſt conceſſum, hoc ius eousque tantum poteſt exercere, quousque eius ad ripam poſſeſſio extenditur.

§. 75. Cui ius piſcandi in vſum domeſticum tantum eſt conceſſum, piſcationem neque elocare poteſt, neque piſcium captorum commercium facere.

§. 76. At vero, ſi piſcatio in vſum domeſticum non certis perſonis determinatis ſed fundo eiusque poſſeſſoribus eſt conceſſa; piſcatio fundi conductori, vna cum fundo ſimul in eum vſum poteſt cedi.

§. 77. Caeterum determinationes generales de iuribus vtilitatem percipiendi, perſonae aut familiae cuidam conceſſis, aut cum munere coniunctis, applicari quoque poſſunt ad ius piſcandi eo modo conceſſum. (P. I. Tit. XIX. §. 22-28.)

§. 78. Ambitus quoque, fines, et reſtrictiones iuris piſcandi omnis ſuo loco ſunt definitae. (P. I. Tit. IX. §. 170-192.)

Obligatio regni.

§. 79. Regnum pro vtilitate, quam ex fluminibus nauigabilibus percipit, obligatur, ad curanda ea, quae ad nauigationis ſecuritatem et commoditatem ſunt neceſſaria.

Portus et litora maris.

§. 80. Portus et litora maris, et quae ad haec mare alluit aut eiicit, ſecundum ius commune ſunt regni propria.

§. 81. At regnum tamen renuntiat iuri naufragorum bona diripiendi (*Strandrecht*), in eorum, qui naufragium fecerunt, fauorem.

Source : BIU Cujas

§. 82. Loci cuiusque magistratus, et officiales ad obseruandum litus constituti, curare obligantur, vt res in litus eiectae seruentur, et restituantur dominis.

§. 83. Neque personae priuatae vlli licet, sibi arrogare eiusmodi res in litus eiectas a se inuentas.

§. 84. Quin potius intuitu earum locus est praeceptis, in P. I. Tit. IX. §. 19. sqq. de rebus inuentis datis.

§. 85. Rerum in litus eiectarum domini obligantur, vt praeter impensas erogatas soluant aequam pro seruatis naufragorum bonis mercedem (pretium seruaticium *Bergelohn*), in ordinationibus litoralibus cuiusque prouinciae propius definitam.

§. 86. Res in litus eiectae, quarum dominus nullus comparet, regno cedunt. (§. 80.)

§. 87. In nationes exteras, ius litorale adhuc exercentes, idem ius regnum expresse sibi reseruat, ad indemnes praestandos subditos suos, naufragii calamitatem passos.

## Sectio Tertia.

### *De iure vectigalium s. portorii.*

§. 88. Ius ab iis, qui portibus, fluminibus, viis, pontibus et pontonibus vtuntur, tributum certum definitum exigendi, vocatur ius vectigalium s. portorii (*Zollgerechtigkeit*). Definitiones.

§. 89. Vectigal proprie sic dictum (*Zoll*) soluitur de rebus et mercibus; at tributum pro pontium (*Brückenzoll*), pontonum (*Fährzoll*), et viarum vsu (*Wegegeld*) non soluitur, nisi de personis, animalibus et curribus, ponte, pontone aut via vtentibus.

§. 90. Portorium et pecuniam pro pontis et viae vsu nemini licet exigere, nisi illi, cui ius ea exigendi a regno est concessum, aut commissum. Principia de concessione et acquisitione

Source : BIU Cujas

iuris vectigalis.

§. 91. Regnum solum definire tantum potest vectigalia et tributa pro portuum, viarum et pontium vsu, et eorum indicem (*Tarif*) praescribere.

§. 92. Ratione iuris nullum inde discrimen, vtrum tributum in indice definitum sit pecunia, an parte certa mercium portorio obnoxiarum.

§. 93. Sine indice, a regno praescripto, neque portorium exigi potest, neque pecunia pro viarum aut pontium vsu.

§. 94. Cui secundum §. 51. ius competit, nauigium planum (pramam) habendi, eum determinationem pecuniae pro traiectu exigendae a regno oportet expectare.

§. 95. Quam diu regnum eam nondum definiuit, eius definitio in casu quouis singulo dependet ab eius, cui ius competit nauigium planum habendi, et eorum conuentione, qui hoc nauigio plano cupiunt vti.

§. 96. Quamdiu ille, cui ius est, nauigium planum habendi, indice a regno nondum est instructus, peregrinantes impedire nequit, quo minus vel eodem in loco vtantur aliis ad traiiciendum mediis.

§. 97. Pontium et viarum priuatorum vsus permittatur nemini, in praeiudicium portoriorum regni, aut eorum, quibus regnum ius tribuit exigendi portoria.

Tributorum mutationes.

§. 98. Portoria et tributa, pro viarum, nauigiorum planorum et pontium vsu, a regno semel definita, auctoritate propria augere non licet priuatis, portorii iure gaudentibus.

§. 99. Neque eiusmodi tributorum augmentum, a regno constitutum, possessoribus priuatis iam tribuit ius, eadem ratione augendi portoria, aut tributa priuata, pro pontis vsu ipsis concessa.

§. 100. At vero, in quantum eiusmodi augmentum tantum fundatur mutatione modi monetarum

Source : BIU Cujas

(*Münzfuſſes*), poſſeſſor priuatus iure poteſt petere, vt ei concedatur eorundem tributorum exactio.

§. 101. Immunitates a portoriis fundari non poſſunt, niſi legibus prouincialibus expreſſis, aut priuilegiis vel pactis ſeparatis. Exemtiones a portoriis.

§. 102. Regno quoque ius competit, immunitates a portoriis generales, a ſe in commercii fauorem conſtitutas, extendendi ad immunitatem a portoriis priuatis.

§. 103. Attamen de indemnitate, priuato, cui ius eſt portorii, tunc competente, valent omnia, quae de abolendis et limitandis priuilegiis in genere ſunt praecepta. (Introd. §. 70. 71.)

§. 104. Quidquid in regni, aut ſummi principis, et eius aulae vſum proprium transportatur, in regula immunitate fruitur a portoriis quoque priuatis, niſi leges prouinciales et conſtitutiones ſpeciales aliud iubeant.

§. 105. Quae vero immunitas, regno et principi ſummo competens, non poteſt cedi perſonis priuatis, in harum tantum fauorem, cum detrimento priuatorum aliorum, quibus portorii ius competit.

§. 106. Eodem modo immunitates a portoriis ſingulae, aut ſic dictae literae immunitatem a portoriis dantes (*Freypäſſe*) non valent, niſi in regni teloniis; at non in praeiudicium priuatorum, portorii iure gaudentium.

§. 107. Cui portorii ius competit, illi telonium ipſi deſignatum in alium locum transferre non licet, ſine regni approbatione. Portoria ſecundaria.

§. 108. In iter facientium commoditatem poſſunt inſtitui telonia ſecundaria, quatenus fieri absque tertii praeiudicio poteſt.

§. 109. At priuatis tamen, quibus portorii ius competit, non eſt ius, ea inſtituendi regno inſcio.

Source : BIU Cujas

Obligatio iter facientium, telonium non praetereundi.

§. 110. Nemini licet, in detrimentum portorii, iter facientes a via portorio obnoxia abducere, neque iisdem in iis obeundis impedimenta opponere.

§. 111. Nulli merces vectigali obnoxias secum portanti licet, intra portorii tractum (districtum) decedere via ordinaria portorio obnoxia, neque quaerere diuerticula ad euitanda telonia.

§. 112. At vero, qui via ordinaria, ad domum suam ducente, viae portorio obnoxiae partem quidem transit, at non telonium ipsum praeterit, non obligatur ad praestanda portoria.

§. 113. Neque licet, diuerticulum quaerere in regni aut portorio inuestitorum praeiudicium, vbi ad conseruandum vias publicas aut pontes constituta tantum est pecunia pro viae aut pontis vsu.

§. 114. Cui itaque permissum est, vt in suam commoditatem vias aut pontes nouos faciat, huic non licet permittere, vt iisdem in praeiudicium regni aut priuatorum, quibus portorii ius competit, abutatur quisquam.

§. 115. Iter faciens omnis obligatur, vt in telonio, vel nulla facta requisitione, ad praestandum portorium compareat, et merces secum portatas bona fide indicet.

§. 116. Neque ab obligatione in telonio comparendi liberatus est, cui immunitas portorii competit; quem quoque portitore petente, quae asserit, probare oportet.

Obligationes eius, cui portorii ius competit.

§. 117. Omnes, quibus portorii ius competit, ea parent necesse est, quibus telonium cuique innotescat, et quae iter facientium visum effugere non facile possint.

§. 118. Sic quoque illum, cui portorii ius competit, curare oportet, ne inique retardentur, sed promte dimittantur, qui comparent ad soluendum por-

Source : BIU Cujas

portorium, et penſionem pro viae et pontonis aut pontis vſu.

§. 119. Publicani, officio ſuo in his non ſatisfacientes, non ſolum puniantur legibus de portoriis latis, ſed compellantur etiam ad reſarciendum damnum omne, ex retardatione ipſorum culpa exortum.

§. 120. Ne quis in detrimentum eius, cui portorii ius competit, telonium praeteruehatur, aut res portorio obnoxias celet. Portorii defraudationes.

§. 121. Qui intra telonii tractum (diſtrictum) diuerticula quaerendo telonium eſt praeteruectus, portorii defraudator eſt habendus.

§. 122. Ne quis poſſit excuſare ignorantiam, in viis ad telonium ducentibus tabulae portorii (*Zollſtangen*) ſolitae ponantur et perpetuo conſeruentur.

§. 123. Quidquid de praeteruehendis teloniis praeceptum eſt, idem quoque valet intuitu penſionis, pro viarum atque pontonum et pontium vſu a regno definitae.

§. 124. Qua ratione portorii defraudationes in regni detrimentum conſulto commiſſae confiſcando et modis aliis ſint puniendae, in legibus criminalibus eſt ſancitum.

§. 125. Portorii defraudationes, in priuati, cui portorii ius competit, praeiudicium commiſſae, ſecundum priuilegii praeceptum ſunt vindicandae.

§. 126. In quo ſi poena nulla eſt ſancita, neque in legibus prouincialibus praeceptum vllum praeſcriptum; portorii defraudatorem oportet vel ſoluere penſionis praeſtandae ſummam decemplicem pro portorio, vel pro ſua electione rem, circa quam defraudatio eſt commiſſa, cedere illi, cui ius exigendi portorii competit.

§. 127. Si poena in priuilegio definita durior eſt ea, quam leges generales aut prouinciales ſanciunt, priuilegium, aeque ac lex, rite promulganda.



Source : BIU Cujas

§. 128. Multae ob portorii defraudationes soluendae semper cedunt ei, cuius iura defraudando sunt laesa.

§. 129. Qui, ne pecuniam pro viae et pontis vsu soluat, diuerticula quaerit illicita, eum oportet soluere, nisi poena alia legibus sancita sit, pensionis debitae quadruplum, et pecuniam pro pignoratione.

Cui ius competat, cognoscendi de portorii defraudationibus, et

§. 130. Priuato omni, portorii exigendi iure gaudenti, ius competit, portorii defraudatores intra portorii sui tractum detinendi, pignerandi, et poenam legitimam ab iis sumendi.

§. 131. Magistratus et iudicia intra eum tractum omnes obligantur, vt ei, cui ius exigendi portorii competit, permittant pignerationem defraudatoris portorii in sua iurisdictione, atque eum adiuuent contra vim, a defraudatore forsan oppositam.

§. 132. Simulac defraudator defraudationem negat, aut alias prouocat, vt legitime audiatur; res a loci, quo telonium est, iudice competente est legitime cognoscenda, et de ea sententia ferenda.

§. 133. Atque etiam extra portorii tractum ille, cui portorii ius competit, defraudatores potest persequi, et, vt detineantur, a loci, quo deprehenduntur, iudiciis petere.

§. 134. Litis de contrauentione exortae cognitio et decisio tunc pertinet ad iudicium loci, vbi defraudans est deprehensus.

§. 135. At petere tamen potest ille, cui ius exigendi portorii competit, vt res in suo iudicio agatur, et deficiente securitate alia huic iudicio tradatur defraudator, arresto detinendus.

de litigiosis portorii iuribus.

§. 136. Si ius portorii et pensionis pro pontis aut viae vsu sibi asserenti de iure ipso lis mouetur, cognitio et decisio pertinet ad collegium, cui cura iustitiae in prouincia administrandae est demandata.

Source : BIU Cujas

§. 137. Si contrauentionis cauſa in ius vocatus ſibi competere aſſerit immunitatem a portorio ex fundamento priuilegii ſpecialis aut generalis eorum, qui ſunt ſui ordinis; res quoque diiudicanda eſt et decidenda a regni collegio, cui cura iuſtitiae in prouincia adminiſtrandae eſt demandata.

§. 138. Detentor priuatus omnis iuris portorii et penſionis pro pontis, pontonis vel viae vſu exigendae obligatur, vt ſuis ſumtibus conſeruet in ſtatu ſecuro et idoneo vias, pontones et pontes intra tractum ipſi aſſignatum. Eorum, quibus ius portorii competit, obligationes.

§. 139. Damnum iter facientibus ex obligatione hac neglecta datum omne praeſtare oportet eum, cui ius portorium aut pecuniam pro pontis vſu exigendi competit.

§. 140. Non tamen imputari ipſi poteſt damnum, mero caſu, aut culpa et imprudentia iter facientium propria exortum.

## Sectio Quarta.

### *De regali poſtarum.*

§. 141. Regno ius competit excluſis caeteris, poſtas et naues nundinales inſtituendi, earumque curſum ordinandi. Notio poſtarum regalis.

§. 142. Quo regnum iſta inſtituta conſeruare in vtilitatem communem poſſit, et de vtilitate ex iis percipienda ſit ſecurum, nemini quidquam licet tentare, quod immediate faciat ad diminuendos poſtarum reditus.

§. 143. Literae obſignatae aut occluſae omnes, ad quas quoque referuntur obſutae, atque etiam farcinae omnes, pondo quadraginta et pauciorum, non transmittantur, niſi curſu publico (poſta). Iura poſtis competentia, excluſis caeteris, transportandi literas et res;

§. 144. Nemini licet, literas ab aliis collectas, in praeiudicium redituum poſtarum, ſuo literarum inuolucro incluſas transmittere.



Source : BIU Cujas

§. 145. Atque hic ii tantum excipiuntur, qui negotiorum ſuorum propriorum cauſa aut ex aliis cauſis ſingularibus et grauioribus ſunt coacti, eiusmodi literas alienas adiungere ſuis.

§. 146. Neque licet, ſarcinas plures, diuerſis accipientibus, vel eidem accipienti a diuerſis transmittentibus deſtinatas, ponderis dicti curſu publico transmittendi, ſub vno eodemque inuolucro colligere et eo modo defraudare curſum publicum.

§. 147. Cuilibet quidem licet, literas aut faſciculos ſuos curſu publico transmittendos per nuntios aut vecturas proprios transmittere;

§. 148. At nemini licet, ea occaſione, literas aut ſarcinas alienas curſu publico transmittendas accipere procurandas.

§. 149. Quod non magis licet iter facientibus.

§. 150. Si quis ob circumſtantias aut cauſas ſingulares vti velit iter faciente, auriga aut nauis magiſtro ad transportandas literas aut ſarcinas curſu publico transmittendas; eum id indicare oportet curſus publici praefecturae, cui de portorio pro curſu publico ſoluendo ſatisfaciat.

§. 151. Iter facienti, aurigae aut nauis magiſtro literas aut faſciculos curſu publico transmittendos non licet accipere, antequam ipſi ſit ſatis certum, hoc fieri conſenſu praefecturae curſus publici.

iter facientes.

§. 152. Qui ad iter vno milliari longius ab vrbe, vbi inſtituta eſt curſus publici praefectura, auriga conducto cupit vti, eum id indicare curſus publici praefecturae oportet, et in legitimationem ſuam ſchedulam ſolitam (*Poſtzettel*) redimere.

§. 153. In locis, vbi res curſoria (poſta) nuntios tantum habet, vecturis conductis eiusmodi ſchedula opus non eſt.

§. 154. Quae neque requiritur, ſi quis equis ſuis alterum aut res eiusdem gratis transportat.

Source : BIU Cujas

§. 155. A locis, vbi non ſunt rei curſoriae ſtationes (poſtae), transmiſſio literarum et rerum permiſſa eſt indiſtincte per occaſionem electam quamlibet, at tantum vsque ad praefecturam rei curſoriae proximam in via ſitam.

§. 156. Quo modo contrauentiones intuitu poſtarum commiſſae ſint puniendae, in ſpecialibus rei curſoriae (poſtarum) ſtatutis eſt ſancitum. Contrauentiones intuitu poſtarum.

§. 157. Curſus publici magiſtris et curatoribus cum iis, qui ad transportandum perſonam ſuam aut res ſuas curſu publico vtuntur, eadem intercedit ratio, quae nauium magiſtris cum peregrinantibus et nauis ad merces transportandas conductoribus. (Tit. VIII. §. 1620. ſqq. et 1742. ſqq.) II. Ratio curſus publici praefecturarum ad iter facientes et conductores in genere;

§. 158. Curare eos oportet, vt idonei ſint equi et vehicula, et certi atque periti rei aurigariae praefecti (aurigarii *Schirrmeiſter*) atque veredarii.

§. 159. Quae ad externam curſus publici ſecuritatem diſponenda ſunt, ea petant neceſſe eſt a collegio, cui haec cura demandata eſt.

§. 160. Praefectos militum, qui ſunt cum imperio, et magiſtratus ciuiles iis ad ſecuritatem curſus publici externam conſeruandam, ſi opus fuerit, opem ferre oportet.

§. 161. Curſus publici praefecturae obligatae ſunt ad accipiendas et transportandas literas et res, praeceptis conuenienter ipſis traditas. ad conductores in ſpecie

§. 162. Ad accipiendum merces, centum pondo pondus ſuperantes, puluerem pyrium, et animalia viua curſus publici praefecturae non obligantur. 1. in accipiendo;

§. 163. Traditio fiat neceſſe eſt in praefectura curſus publici, magiſtro curſus publici, aut officialibus inferioribus ad accipiendum conſtitutis.

§. 164. In locis, vbi curſus publici praefecturae aut curatores non ſunt, literae et res tradi poſſunt rei aurigariae praefectis (*Schirrmeiſtern*) pertranſeuntibus, aut, his deficientibus, veredariis.



Source : BIU Cujas

§. 165. Ad accipiendas literas et res, nimis ſero traditas, curſus publici praefecturae non obligantur.

§. 166. Traditio fiat neceſſe eſt ſaltem horas duas ante, quam abeunt veredi, et ſi hi noctu aut die ſequente mane ante horam nonam proficiſcuntur, vsque ad veſperi antecedentis horam octauam.

§. 167. Literae ad ſtatus adminiſtros, praeſides collegiorum, et conſiliarios arcanorum principis conſiliorum participes (*geheime Cabinettsräthe*) datae a curſus publici praefecturis in regno non accipiantur, niſi ſoluto pretio pro curſu publico.

§. 168. Idem obtinet, ſi quis in rebus ſuis priuatis ad regni collegia literas et faſciculos transmittit.

§. 169. Qui ſigillo publico in rebus ſuis priuatis abutitur ad celandas contrauentiones intuitu curſus publici, commiſit multam pecuniariam aut poenam corporis afflictiuam arbitrariam. (Tit. XX. §. 35.)

§. 170. Literae rite inſcriptae et obſignatae ſint; res transmittendae rite ſignatae, conuaſatae et munitae; alioqui curſus publici praefecturae non obligantur ad eas recipiendas.

§. 171. De pecuniis paratis, et de literis, pecuniam aut gemmas continentibus, transmittentes petere poſſunt teſtimonium de pecuniis et pretioſis curſui publico traditis typis expreſſum, a curſus publici magiſtro ſubſcribendum.

§. 172. Curſus publici praefecturas curare oportet, vt literae et res ab ipſis acceptae ſine mora et ſecuro transportentur, at tempore interiecto rite cuſtodiantur.

2. in via; §. 173. Si literae aut res ad ſtationem in via ſitam apertae aut laeſae afferuntur, curſus publici praefectura obligatur, vt damnum vlterius, quan-

Source : BIU Cujas

tum fieri poteſt, praecaueat, et eiusmodi res curſui publico commiſſas meliorem in modum conuaſando aut curſus publici ſigillo apponendo muniat.

§. 174. Apertura, noua conuaſatio et munitio rerum, curſui publico commiſſarum, quae eiusmodi caſu factae ſunt neceſſariae, fiant neceſſe eſt iter facientibus aut teſtibus aliis praeſentibus; et ſumtus earum accipientem oportet reſtituere, ſimulac non patet, laeſionem culpa officialium curſus publici eſſe factam.

§. 175. Porro cauſae aperturae aut laeſionis iter facientibus aut teſtibus praeſentibus diligenter ſunt indagandae, atque magiſtri aut curatores curſus publici, et antecedentis et ſubſequentis ſtationis, de facto ſunt certiores reddendi.

§. 176. Si literae laeſae ſigillo curſus publici iterum fuerunt obſignandae; curſus publici officialem in parte exteriore propria manu notare oportet cauſam, et teſtes, quibus praeſentibus facta eſt obſignatio.

§. 177. Curſus publici officiales curare oportet, vt literae et res recte tradantur accipientibus, ad quos ſunt miſſae. 3. in retrahendo;

§. 178. Eos, ad quos literae aut res ſunt miſſae, has ſine mora oportet accipere et redimere.

§. 179. Si quis literas aut res accipere et redimere non poteſt aut recuſat, res eius periculo iacent; neque obligatur curſus publici praefectura ad curam earum vlteriorem vllam.

§. 180. Quin potius praefectura, redemtione pertinaciter recuſata, de portorio ipſi competente, et transmittentem poteſt conuenire, et ex rebus ipſis ſatisfactionem petere.

§. 181. Si accipiens nequit explorari, curſus publici praefectura, diebus quatuordecim exactis, ſeparatam ſchedulam aut indicationem de re conficiat neceſſe eſt, quam in curſus publici manſione, aut ad eam publice affigat.



Source : BIU Cujas

§. 182. Et ſimul debet tentare, vt requiſitione loco transmiſſionis inſtituta ſibi comparet notitiam propiorem.

§. 183. Quod ſi fruſtra eſt factum, et intra tres menſes poſt affixionem factam nullus comparet accipiens; literae aut ſarcinae curſus publici praefecturae ſupremae (*General-Poſtamt*) ſunt transmittendae.

§. 184. At vero, ſi res, quarum accipiens explorari nequit, putredini aut corruptioni celeri alii ſunt obnoxiae; curſus publici officiales eas poſſunt tradere, diebus octo praeterlapſis, loci inſtituto pauperibus alendis inſeruienti.

4. intuitu obligationis ratione rerum acceptarum.

§. 185. Curſus publici praefecturae ad praeſtandas literas et res curſui publico praeceptis conuenienter traditas aeque obligantur, ac nauium magiſtri.

§. 186. Praeſtare easdem oportet culpam circa res iſtas ab officialibus curſus publici et veredariis commiſſam omnem.

§. 187. At a praeſtatione liberantur, ſi poteſt erui, damnum aut detrimentum mero caſu aut facto infolito fuiſſe exortum, quos praeuidere et praecauere curſus publici officiales non potuerunt.

§. 188. Atque etiam intuitu literarum ſimplicium non oneratarum, ſi iſtae ex rei curſoriae domo fuerunt petitae, et curſus publici officialis iureiurando poteſt confirmare, ſe bona fide ex parte ſua egiſſe.

§. 189. At contra is, qui literas aliorum commercium literarum agentium his inſciis depoſcit, aut vel adeo intercipit, afficiatur multa pecuniaria thalerorum quinquaginta vsque ad centum, aut proportionata poena corporis afflictiua.

§. 190. Ceſſat quoque praefecturarum regiarum curſus publici praeſtatio, ſi poteſt probari, damnum

Source : BIU Cujas

aut detrimentum accidiſſe in extera curſus publici praefectura, per quam veredi debuerunt transire.

§. 191. Tum contra exteram curſus publici praefecturam eiusque praepoſitos agere oportet damnum ſentientem, cui vero non denegabit auxilium curſus publici praefectura ſuprema (*General-Poſtamt*).

§. 192. Si literae aut ſarcina accipienti probe munitae et obſignatae ſunt traditae, cognito pondere congruo; a curſus publici praefectura non praeſtantur, quae literis aut ſarcinis recluſis deficiunt rerum ſummae aut numero in inuolucro notato.

§. 193. At vero, ſi pecunia aut notae menſae feneraticiae publicae in manſione (domo) curſus publici, praeſente poſtarum magiſtro, aut curſus publici officiali ad res accipiendas conſtituto ſunt obſignatae, ſigillo curſus publici appoſito; curſus publici praefectura praeſtat ſummam in inuolucro notatam integram.

§. 194. Tunc vero literae quoque aut ſarcina aperiantur neceſſe eſt praeſente curſus publici officiali loco eo, quo res retraduntur.

§. 195. Si vaſa numaria, facci numarii, aut faſciculi pretioſi, pondere ſunt accepti; ante retraditionem a curſus publici praefectura denuo ſunt ſtatera examinandi.

§. 196. Si pondus non parum differt; vas, faccus, aut faſciculus, in curſus publici domo, praeſente magiſtro curſus publici et accipiente, vel perſona fide digna ab hoc electa, eſt aperiendus et reuiſendus.

§. 197. Protocollum in hoc actu a curſus publici praefectura confectum fundamenti loco ponendum eſt in diiudicando, vtrum ſit aliquid, et quid ſit praeſtandum?

§. 198. In caſu quolibet curſus publici praefecturae non praeſtant plura, ac declarata ſunt, dum curſui publico res eſt tradita.



Source : BIU Cujas

§. 199. Qui declarat pauciora, damni casu existente non potest petere, nisi reparationem eorum, quae summae declaratae deficiunt; et praeter ea a fisco puniatur pretii celati parte decima.

§. 200. Si quis ex vna causa aut alia dubitat, gemmarum aut rerum pretiosarum transmissarum pretium literis aut sarcinae adscribere; eum oportet in tradendo literas aut sarcinam declarare pretium cursus publici magistro, qui illud in librum cursus publici referat.

§. 201. Si quis dolo res leues et pretii parui pro gemmis aut rebus pretiosis declarauit, aut alias declaratione maiori falsa rem cursoriam in periculum adducere est conatus; existente iactura damnum ab eo solo est ferendum, et ipse tanquam fraudator est puniendus. (Tit. XX. Sect. XV.)

§. 202. Literae aut fasciculi, quibus tantum est annotatum, gemmas, res pretiosas, pecuniam, mensae feneraticiae publicae notas, et res eiusmodi alias in iis esse inclusas, certo pretio aut summa non simul declarata, a cursus publici praefecturis non accipiantur, excepto casu §. 200.

§. 203. Quod si nihilo minus fuerit factum, iactura secuta eum, qui eiusmodi literas aut fasciculos cursui publico tradidit, summam plene oportet probare, neque admitti potest ad confirmationem iuratam solam.

§. 204. Cursus publici officiales reticere oportet commercia literarum aduectarum et transmissarum, neque aperire vlli, quocum quis literarum habeat commercium.

§. 205. Cursus publici officialis, qui proprio ausu literas soluit, aut intercipit, damnum omne resarciat, munere priuetur, et inhabilis sit ad fungendum in regno in posterum muneribus et honoribus omnibus; at praeter ea adhuc afficiatur multa pecuniaria aut poena corporis afflictiua pro modo

Source : BIU Cujas

delicti, facto in ſe tentati aut actu commiſſi, et ex praeceptis legum criminalium ad hoc delictum ſpectantium.

§. 206. Iter facientes, qui curſu publico cupiunt vti, ordinem ſuum et nomen curſus publici praefecturae loci, ex quo proficiſcuntur, fideliter indicent neceſſe eſt. Ratio curſus publici praefecturarum ad iter facientes.

§. 207. Quod qui recuſat facere, ad curſum publicum non admittitor.

§. 208. Tempore praefinito ad proficiſcendum parati ſint neceſſe eſt, neque poſtulare poſſunt, vt veredi maneant, vsque donec veniunt.

§. 209. Si culpa ſua et mora remanent, perdunt mercedem pro curſu publico in anteceſſum ſolutam.

§. 210. In curſu publico ordinario electio locorum competit proficiſcentibus, quorum nomina ante aliorum nomina in librum ſunt relata.

§. 211. Qui curſu publico aduecti profectionem continuant, antecedunt tranſitus loco intabulatos.

§. 212. Dimidiam tantum vecturam ſoluentes cedunt reliquis omnibus, nulla temporis aut loci intabulationis ratione habita.

§. 213. Si loci non ſufficiant accipiendis proficiſcentibus, qui comparuerunt, omnibus; ex iisdem praeceptis eſt definiendum, quinam ex his debeant cedere.

§. 214. In praeiudicium curſus publici redituum proficiſcenti nulli licet, ſub poena in curſus publici ordinationibus definita, ſecum portare literas aut ſarcinas, pecunias aut res obſignatas, aliis tradendas.

§. 215. In itinere proficiſcentes tranquillitatis et ordinis amantes ſe gerant neceſſe eſt, nec quidquam agant, quo retardatio poſſit oriri aut damnum perſonis et rebus, vehiculo impoſitis.

BIBLIOTECA CUJAS PARIS

Source : BIU Cujas

§. 216. Iter facientium nullus poſtulare poteſt, vt poſta ſui cauſa interrumpatur, aut viam faciat aliam, a curſus publici praefectura non imperatam.

§. 217. Curſus publici vehiculum ſub praetextu, perſonarum in eo vectarum aliquam eſſe comprehendendam, in itinere non detineatur, ſed comites tantum ſequantur vehiculum vsque ad ſtationem proximam, vbi ſecure fieri comprehenſio poteſt.

§. 218. In ſtatione vero curſus publici officialibus non licet reſiſtere iis, quae inſtantia de eiusmodi comprehenſione diſpoſuit, neque conari, ea reddere irrita.

§. 219. Iter faciens omnis ipſe obligatur ad res ſuas obſeruandas.

§. 220 At vero, ſi curſus publici officialis ad eiusmodi res cuſtodiendas in ſpecie et expreſſe ſe obligauit, hunc eas praeſtare oportet.

Iura poſtarum praerogatiua ſingularia.

§. 221. Temporibus, quibus veredi per vias curſus publici vel plane non poſſunt, vel non ſine difficultate tranſire; poſtis vehentibus, equitantibus, et extraordinariis licet, diuerticulis vti, et viis per agros factis (*Feldwege*).

§. 222. In eiusmodi caſu neceſſitatis per prata quoque non ſepta et agros incultos poſſunt tranſire, atque nemini licet, eas foſſa fodienda aut modis aliis impedire aut retardare.

§. 223. At fundorum tamen dominis licet, ſe ab abuſu defendere vectibus remiſſariis obſeratis; quorum tamen claues tradere eos oportet curſus publici praefecturae vtrinque ſitae.

§. 224. Veredarii per prata ſepta aut agros cultos tranſeuntes, dominos plane indemnes praeſtent, et praeterea puniantur grauiter.

§. 225. At poſtam ipſam retinere et pignerari licet nemini, ne ex eiusmodi quidem cauſa.

Source : BIU Cujas

§. 226. De iure poſtarum praerogatiuo intuitu deceſſionis de viis, ſi aurigae et ruſtici, aut iter facientes alii eas ſequuntur aut iis obueniunt, Tit. XV. §. 26. ſancita ſunt neceſſaria.

§. 227. Inſtrumentis et equis ad rem curſoriam pertinentibus ob debita non imponatur arreſtum.

§. 228. Atque detineri tantum quoque poteſt ſalarium officialium rei curſoriae ob debita, ad comparandum equos, vehicula, et inſtrumenta rei curſoriae, vel pabulum contracta.

## Sectio Quinta.

### *De iure molendinorum.*

§. 229. Ius molas aquaticas et natatiles ad flumina publica et in iis exſtruendi reſeruatum eſt regno. Molendina ad flumina publica exſtructa.

§. 230. Cui regnum conceſſit ius molendinum habendi in flumine nauigabili, is quam accuratiſſime obſeruet neceſſe eſt in exercendo iure ſuo priuilegii ſui verba concepta (tenorem), et ordinationes molarias generales aut prouinciales a regno datas.

§. 231. Qui ſi vti iure ſuo velit exſtruendo molam nouam, quae hactenus nondum extitit; eum oportet indicare propoſitum ſuum collegio, cui cura politiae regionis eſt demandata (*Landes Policeyinſtanz*), eiusque praeceptis morem gerere.

§. 232. Idem obtinet, ſi mola vetus collapſa huius generis denuo debeat exſtrui, aut in molendini exiſtentis ſtructura praeſenti aliquid mutari.

§. 233. Molendina ad flumina priuata, et molendina vento agitanda in prouinciis domino quidem omni liceat in fundo ſuo exſtruere, niſi contrarium legibus aut conſtitutionibus ſpecialibus determinatum eſt; Molendina ad flumina priuata, et molendina vento agitanda.

§. 234. At ius tamen molendina exſtruendi eatenus tantum ei competit, quatenus eo vti absque laeſione iurium tertii poteſt.

Source : BIU Cujas

Quid iuris sit, in exstruendis molis nouis aut mutandis veteribus.

§. 235. Hinc quemlibet, cui ius molam habendi competit, absque discrimine, siue velit molendinum nouum exstruere, siue collapsum restituere, siue in alium locum transferre, siue in aliud genus commutare, siue lapidibus seu rotis pluribus instruere, collegio, cui regionis politiae cura demandata est, propositum oportet indicare, descriptionem exstructionis, quam intendit, exhibere, atque eius praeceptum vlterius expectare.

§. 236. Collegium, cui cura politiae regionis demandata est, antequam rem approbat, de ea audiat necesse est vicinos, quibus ius molendinorum competit, atque alios, quibus noua exstructione, vel mutatione damnum possit dari.

Cui ius contradicendi competat, vel non competat.

§. 237. In praeiudicium molendini bannarii iam existentis, non permittatur molendini alius exstructio, aut eiusdem mutatio vel ampliatio.

§. 238. Atque etiam molae nouae exstructio eatenus non est permittenda, quatenus inde molendina iam existentia aqua priuantur ad molendum necessaria, aut aqua in eorum praeiudicium refrenatur (*zurückgestauet*).

§. 239. Qui ex harum causarum legitimarum vlla nouae molae exstructioni contradicit, ideo via iuris legitime est audiendus.

§. 240. Cui ius cogendi competit, non tamen potest contradicere exstructioni molendini alius, ac eius generis, in quo ipsi ius est cogendi.

§. 241. Decrementum putatiuum eorum, qui voluntarie molam frequentant, nulla est causa sufficiens exstructioni nouarum molarum contradicendi.

§. 242. Si tamen in loco quodam et tractu molendinorum iam ea est copia, quae molendis frumentis ad vsum incolarum necessariis sufficit; iis, qui noua molendina non in vsum proprium solum, sed potius in praeiudicium molendinorum iam existen-

Source : BIU Cujas

tium cupiunt exſtruere, deneganda eſt molendinorum exſtruendorum venia a collegio, cui cura politiae regionis demandata eſt.

§. 243. Exaltationes trabis prope ripam (*des Fachbaums*) et mutationes pali terminalis prope aquam (*des Sicherpfahls*) non poſſunt inſtitui, niſi ſub cura et inſpectione collegii, cui cura politiae regionis demandata eſt, adhibitis vicinis, quorum intereſt, atque eatenus tantum, quatenus his inde nullum infertur damnum. Leges politiae in rebus molendinariis.

§. 244. At contra, ſi non ſit ſatis magna aquae copia, trabis prope ripam exaltationes mobiles tam diu ſunt licitae, quamdiu inde nullum infertur damnum vicinis in ſuperiore aut inferiore parte iacentibus, tam molitoribus, quam fundorum poſſeſſoribus.

§. 245. Cui non eſt ius molendini, ſed molam exſtruendi tantum venia a regno aut priuato, cui ius molendinarium competit, conceſſa, huic non licet, absque expreſſa concedentis venia, rotam nouam exſtruere, neque molendinum in alius generis molendinum commutare.

§. 246. Molendinum iam exiſtens aqua priuare non licet vicino, per cuius fundos fluit aqua ad molendum neceſſaria. (P. I. Tit. XXII. §. 3.)

§. 247. Neque vlli ius competit, molam vento agitandam (alatam) priuare vento neceſſario plantando altas arbores, vbi eiusmodi arbores adhuc non fuerunt poſitae.

Source : BIU Cujas

# TITVLVS DECIMVS SEXTVS.

## De iuribus regni in bonis et rebus nullius.

Principia generalia.

§. 1. In rebus, quae adhuc in nullius fuerunt dominio, regno ius ad poſſeſſionem competit praecipuum.

§. 2. Res nullius, quas regnum expreſſe ſibi reſeruauit, absque eius conſenſu occupari ab alio nullo poſſunt.

§. 3. Res immobiles, in quibus nemo adhuc ius acquiſiuit, aut quae a priſtino domino ſunt dereliƈtae, ſunt regni reſeruatum.

§. 4. Idem valet de hereditatibus, in quibus nulli alii competit ius hereditarium.

§. 5. Atque etiam de animalibus vtilibus terrenis, in ſtatu libertatis naturalis adhuc degentibus.

§. 6. Denique de theſauris naturae ſubterraneis, in quibus nemini adhuc ius ſingulare eſt conceſſum.

§. 7. Res aliae, ab initio res nullius, aut poſtea res nullius faƈtae, a regno non expreſſe ſibi reſeruatae, absque eius conſenſu ſpeciali occupari quoque a perſonis priuatis poſſunt.

### Sectio Prima.

### *De regni iuribus in fundis domino vacantibus.*

De fundis, qui ab initio ſunt nullius.

§. 8. Fundos, qui adhuc in nullius fuerunt dominio, regnum poteſt occupare ſibi, vel etiam concedere aliis, qui eorum ſint domini (proprietarii), aut vtilitatem ex iis percipiant.

§. 9.

Source : BIU Cujas

§. 9. Qui eiusmodi fundorum dominium conſenſu regni tacito acquiſiuiſſe aſſerit, probet neceſſe eſt poſſeſſionem quietam annorum quadraginta et quatuor, aut anni 1740 poſſeſſionem.

§. 10. Qui ex eiusmodi fundo vel per tempus tantum breuius fructus percepit, eos retinet, quatenus regno non contradicente ſunt percepti.

§. 11. At non poteſt poſcere reſtitutionem impenſarum in fundum colendum factarum.

§. 12. Si dominus fundum deſernit, animo eum derelinquendi expreſſe aut tacite declarato; de eiusmodi fundo valent eadem, quae de rebus ab initio nullius ſunt praecepta. De fundis derelictis ſ. deſertis.

§. 13. Si eiusmodi voluntatis declaratio nequit probari, et priſtini domini domicilium eſt cognitum; iudicem citare oportet fiſco petente, termino pro re nata praefigendo, eiusmodi dominum, qui determinate declaret: an fundi dominio velit renuntiare.

§. 14. Si dominus inobedienter voluntatem declarare recuſat, aut pertinaciter moratur; fundus, tanquam res nullius, ſententia legitima eſt fiſco adiudicandus. (P. I. Tit. IX. §. 16. 17.)

§. 15. Si eius, qui hactenus fuit eiusmodi fundi derelicti dominus, domicilium eſt incognitum; huius intuitu valent eadem, quae de bonis abſentis aut eius, de cuius vita et domicilio nihil innotuit, (*Verſchollenen*) generatim ſunt praecepta. (Tit. XVIII. Sect. I. VIII.)

## Sectio Secunda.

### *De iuribus regni in hereditatibus heredibus vacantibus.*

§. 16. Si defunctus neminem relinquit, cui ex legitimis voluntatis declarationibus, aut vi legum, In quibus caſibus hereditas tan-



Source : BIU Cujas

quam herede vacua regno cedat.

ius hereditarium competit; eius hereditas regno cedit.

§. 17. Si heres, voluntatis declaratione valida vocatus, heres esse non potest, aut recusat, aut iure hereditario, tanquam eo indignus, priuatur; existente nemine, qui secundum defuncti dispositionem aut secundum leges in eius locum succedere posset, hereditas quoque cedit fisco.

§. 18. Hinc regno nondum tribuitur ius, hereditatem iure petendi eo solo, si heres legitimus aut voluntatis declarationibus vocatus ad hereditatem acquirendam est inhabilis vel ea indignus. (P. I. Tit. XII. §. 36. sqq. §. 599. et 605. sqq.)

§. 19. In quibus casibus delinquentis hereditas, exclusis eius heredibus, a regno confiscetur, ius criminale definit.

Quatenus ius hereditates vacantes occupandi exerceri possit a personis priuatis;

§. 20. Ius regni in hereditatibus vacantibus personis moralibus vel personis priuatis aliis eatenus tantum competit, quatenus possunt probare, se ius illud a regno modo legitimo acquisiuisse.

§. 21. Quatenus quis certae determinatae hereditatis dominium, vi praescriptionis per possessionem, contra fiscum possit acquirere, diiudicandum est ex principiis de praescriptione contra fiscum generalibus.

a) piis corporibus;

§. 22. Piis corporibus ius succedendi in personarum in iis educatarum, aut ad mortem vsque alitarum, hereditatem herede vacantem contra fiscum vel tum quoque reseruatur integrum, si significatio praescripta defuncto non est facta. (Tit. XIX.)

b) socio.

§. 23. Si re aut iure ab imperante pluribus communiter concessis, honorati communionem seruarunt; rata vnius eorum defuncti, heredibus nullis relictis, accrescit reliquis.

De proclamatione hereditatum here-

§. 24. Priusquam regnum hereditatem tanquam apertam sibi vindicat, antea omnes ii, quibus ius in hereditatem competat, publice sunt citandi, ad ius

Source : BIU Cujas

fuum declarandum et probandum. (P. I. Tit. IX. §. 471. ſqq.) dibus vacantium.

§. 25. Fiſco, intuitu eiusmodi hereditatis ſunt iura omnia, et obligationes omnes, quae ſunt heredi priuato. Iura et obligationes fiſci intuitu eiusmodi hereditatis

§. 26. Si fiſcus ſecundum §. 17. ſuccedit in locum heredis teſtamentarii hereditatem repudiantis, aut non habilis, aut indigni; ex teſtamento eum oportet praeſtare omnia, ad quae praeſtanda heres vocatus, re vera heres factus, ex legibus foret obligatus.

§. 27. Heres legitimus, qui publicata praecluſionis ſententia, at intra ſolitum tamen praeſcriptionis tempus, adhuc comparet, iura habet eadem, quae abſens, de cuius vita et domicilio nihil innotuit, ſi publicata, qua mortuus eſt declaratus, ſententia redit. (Tit. XVIII. Sect. VIII. §. 847. ſqq.) Iura heredis praecluſi.

§. 28. Si defunctus bona poſſedit in locis diuerſis, vbi diuerſis inſtantiis competit ius, hereditates vacantes occupandi; cuique eorum, quibus ius competit, cedunt res mobiles et immobiles, tempore mortis defuncti in eius diſtrictu extantes. Quomodo priuati plures concurrant ad hereditatis vacantis occupationem.

§. 29. At ſortes elocatae ei competunt, cui ius eſt, loco domicilii defuncti vltimo occupandi hereditates heredibus vacantes.

## Sectio Tertia.

### *De regali venatico.*

§. 30. Ius feras venationi aptas inueſtigandi et occupandi, vocatur ius venandi. (P. I. Tit. IX. §. 107-175.) Definitio.

§. 31. Quae ferae ad feras referantur venationi aptas, ſeu ſint obiectum liberae ferarum occupationis, in prouinciae cuiusque legibus definitur. Quae ferae ſint venationi aptae.

§. 32. Deficientibus determinationibus aliis ad ius venandi, a quo excluſi ſunt caeteri, referuntur



Source : BIU Cujas

quadrupedes ferae, et ferae volucres, quatenus cibus ex vtrisque solet parari.

§. 33. Ferae aliae in regula sunt obiectum liberae ferarum occupationis.

§. 34. Huc pertinent quoque lupi, vrsi, et eiusmodi ferae rapaces noxiae aliae.

§. 35. Attamen eiusmodi feras (§. 33. 34.) in syluis et tractibus venaticis inuestigare non licet iis, quibus non competit ius in iis venandi, et multo minus iisdem licet, earum venationes instituere.

§. 36. Quae ferarum genera neque agi possint, neque alias capi, specialibus legibus et edictis expresse definitum sit necesse est.

Venatio maior, media, et minor.

§. 37. Ad venationem maiorem solito tantum referuntur cerui, apri, vri, alces, aues phasianae et tetraones.

§. 38. Vbi leges prouinciales mediam venationem nullam definiunt, ibi ferae reliquae omnes referuntur ad venationem minorem.

Concessio regalis venatici personis priuatis facta.

§. 39. Ius venandi ad regalia minora pertinet, et a personis priuatis acquiri et exerceri non aliter potest, ac de regalibus in genere est praeceptum. (Tit. XIV. §. 26-35.)

§. 40. Sub iure venandi, praediis equestribus more solito concesso, in regula tantum intelligitur venatio minor.

§. 41. Cui venatio simpliciter tantum est concessa, ei tantum ius competit venationem minorem exercendi.

§. 42. Hinc qui venationem maiorem sibi vult arrogare, eius acquisitionem modo legitimo factam speciatim probet necesse est.

§. 43. Qui vero, de venationibus omnibus, aut de omnibus venationum generibus, aut adeo vel tantum de venationibus in numero plurali, est inuestitus, is iure quoque potest venationem maiorem petere.

Source : BIU Cujas

§. 44. Quatenus alicui venandi ius competit, exercere ius ſuum poteſt modis feras venandi aut capiendi in ſe licitis omnibus. Limitationes iuris venandi,

§. 45. At tempus pariendi, feris parcendi, et eas ſuſtentandi accurate eſt obſeruandum ab omnibus, quibus venandi ius competit. 1) intuitu temporis, quo venari licet;

§. 46. Determinatio temporis feris parcendi intuitu diuerſorum ferarum generum, et exceptiones intuitu quorundam earum generum, reſeruantur legibus prouincialibus.

§. 47. Horum temporum determinatio in immediatis principis ſummi tractibus venaticis vnice dependet a determinatione collegii, cui cura politiae regionis eſt demandata.

§. 48. Deficientibus aliis determinationibus tempus feris parcendi in genere a primo die Martii incipit, et die Auguſti viceſimo quarto finitur.

§. 49. Feris rufis vetulis et grauidis a die primo Nouembris vsque ad diem Auguſti viceſimum quartum eſt parcendum.

§. 50. In ſyluis, feras maiores alentibus, venatio, quae magnis fit retibus et canibus venatoriis, permittitur tantum a die Auguſti viceſimo quarto vsque ad diem Octobris vltimum.

§. 51. Ceruos, capreolos, apros, anates mares telis petere per annum integrum licet.

§. 52. Attagenes mares (*Haſelhähne*) vsque ad diem Aprilis vltimum, tetraones mares (*Auerhähne*) vsque ad vltimum Maii, et lagopodes mares (*Birckhähne*) vsque ad diem Iunii decimum quintum iaculis poſſunt peti.

§. 53. Anatibus et anſeribus feris, perdicibus ruſticulis (*Schnepfen*) aliisque auibus migrantibus parcendum tantum eſt incubationis tempore, a primo Maii die vsque ad Iunii viceſimum quartum.



Source : BIU Cujas

§. 54. Teneros lepores telo petere, et cygnos teneros capere tantum non licet a die primo Martii vsque ad vicesimum Iunii.

§. 55. Vrsi, lupi, et ferae rapaces noxiae aliae tempore quouis possunt telis peti.

§. 56. Vrsorum et luporum venatio, quae retibus fit et transitu hominum, admittitur quoque temporibus clausis.

§. 57. Volucrium venationi aptarum oua nido detrahere nunquam licet.

2) intuitu modi exercitii.

§. 58. Ne illi quidem, cui venandi ius competit, collocare licet telum, quo fera ipsa illud tangendo se interficiat. (*Selbſtgeſchoſs*)

§. 59. Pedicas vulpinas (*Fuchseiſen*) aut laqueos (*Schlingen*) in locis tantum remotis ponere licet, et ea quidem cautione, ne iis hominibus aut animalibus detur damnum, absque priorum culpa lata. (P. I. Tit. IX. §. 152. 153.)

§. 60. Absque speciali regni venia nemini licet, loca septa (*Gehege*) constituere in vicinorum praeiudicium, et ad impediendam ferarum viam; aut loca, in quibus ferae insilientes detinentur (*Einſprünge anlegen*); aut fines noctu pannis cingere. (*verlappen*)

§. 61. Exceptis tendiculis, setis equinis instructis (*Dohnen*), laquei, casses, et retia (*Garnſäcke*) ad capiendas feras pennigeras prorsus interdicuntur.

§. 62. Perdices cassibus perdicalibus sic dictis (*Treibzeuge*) capere licet.

§. 63. At ex omni tamen perdicum nido, aut ex catena omni, ex nouem tantum perdicibus constante, gallina vetula et tener gallus sunt dimittendi; at si constat ex perdicibus nouem pluribus, praeter hos tenera adhuc gallina est dimittenda.

De canibus, in tractibus venaticis alienis.

§. 64. Nemini licet in tractus venaticos alienos emittere canes, non oneratos fustibus, qui eos impediunt, quo minus feras inuestigent, et persequantur.

Source : BIU Cujas

§. 65. Canes vulgares fuſtibus non oneratos et feles in tractibus venaticis vagantes quilibet poteſt interficere, cui venandi ius competit, et dominum ſoluere oportet praemium venatoribus dandum.

§. 66. Si canes venatorii et vertagi, durante venatione ab eo, cui venandi ius competit, in ſuo tractu inſtituta, fines tantum transgrediuntur, eos interficere non licet; at ſtatim ſunt reuocandi.

§. 67. Canes venatorii, non data opera prope fines ſoluti, ſed caſu tantum fines transgreſſi, capi poſſunt, et domino reddendi ſunt ſolutis pro cane quouis octo groſſis pro pigneratione.

§. 68. Quomodo contrauentiones venaticae ſint puniendae, in iure criminali eſt praeſcriptum, et in legibus venaticis prouincialibus propius definitur.

## Sectio Quarta.

### *De regali metallico.*

A) Generatim. Foſſilia ad regale metallicum pertinentia.

§. 69. Foſſilia omnia, ex quibus metalla et ſemimetalla poſſunt erui, pertinent deficientibus legibus prouincialibus ſpecialibus ad regale metallicum, excluſis caeteris.

§. 70. Atque etiam omnes gemmae et aliae lapidum ſpecies, §. 73 et 74 non exceptae.

§. 71. Et omnia ſalium genera cum muriae fontibus, praecipue ſal foſſile, ſal nitrum, vitriolum, et alumen; atque et inflammabilia, vti ſulphur, plumbum graphicum (*Reiſsbley*), bitumen ſ. pix mineralis, carbones foſſiles, lignum foſſile (carbones *Braunkohlen* dicti).

§. 72. At contra, foſſilia alia, quae forma naturali ſua non mutata ſtatim ad vſum oeconomicum, in artibus, opificiis aut aedificando ſolent adhiberi, cedunt fundi et ſoli domino; aut praedii domino, ſi



Source : BIU Cujas

huic ex legibus prouincialibus ius praerogatiuum in iis competit. (P. I. Tit. IX. §. 94. fqq.)

§. 73. In ſpecie ad regalia non referuntur marmor, porphyrites, granites et baſaltes, lapis ſerpentinus, calx, gypſum, lapis arenaceus, terra vſtibilis (turfa), argilla, lutum, marga, creta fullonia, vmbra, ochra, et terrae tinctoriae aliae, quatenus ex his poſterioribus non poſſunt erui metalla aut ſemimetalla.

§. 74. Quod quoque valet de lapidum generibus, ſecundum §. 70. ad regale metallicum pertinentibus, ſi vel iacent in agris, vel arando vomere euelluntur, vel operum oeconomicorum aliorum occaſione ſparſim inueniuntur.

Iura intuitu foſſilium ad regale non pertinentium.

§. 75. Foſſilia non regalia poſſunt ii, quorum ſunt ſecundum §. 72, absque conceſſione ſpeciali inueſtigare, atque vtilitatem ex iis vendendo aut alio modo percipere.

§. 76. Quibus tamen in vtilitate ex iis percipienda nihil licet agere, quod communibus politiae legibus de rebus metallicis eſt contrarium.

§. 77. Si quis eiusmodi foſſilium culturam plane negligat; cogi poteſt, vt ius ſuum pro ſatisfactione aequa ſiue regno ipſi cedat, ſiue aliis, foſſilia iſta colere cupientibus.

§. 78. At exploratum ſit neceſſe eſt, commodum regno ipſi aut ciuibus eius aliis inde oriundum longe ſuperare incommodum aut detrimentum, quod dominus ſentit iſta dominii ſui limitatione. (P. I. Tit. VIII, §. 30.)

De inueſtitura metallica et cura (inſpectione) de cultura metallica.

§. 79. Qui colere cupit venarum cumulum (*Stockwerk*), ſtratum metalliferum (*Erzlager*), venam metallicam (*Gang*), aut venam dilatatam (*Flötz*) foſſilium, ſecundum §. 69. 70. et 71. ad regale metallicum pertinentium, de iis rite inueſtitus ſit neceſſe eſt.

§. 80. Machinae ad aera lauanda (*Waſchwerke*) et contundenda (*Pochwerke*), atque foſſae et aquae ductus

Source : BIU Cujas

ſub dio, non comprehenduntur in fodinae inueſtitura, ſed ſeparatim petantur et concedantur neceſſe eſt.

§. 81. Idem obtinet de fodinarum aut cuniculorum derelictorum aquis.

§. 82. Inueſtitum omnem oportet ſuo in fodina dominio vti ſecundum politiae metallicae principia; in quo ſe nequit ſubtrahere collegii metallici curae (*inſpectioni*) et directioni.

§. 83. At vero collegii metallici eſt, eius rationes et conſilia audire, et eum ſemper adhibere in decernendis praeparatoriis grauioribus, et ſumtus maiores exigentibus.

§. 84. De cura ſpeciali, de conſortibus (conſociatis) fodinam colentibus adhibenda, infra §. 272. neceſſaria ſunt ſancita.

§. 85. Officinas excoctorias ſ. metallicas nemini licet exſtruere absque conceſſione collegii metallici, ipſi praepoſiti. Officinarum excoctoriarum exſtructio.

§. 86. Vbi regnum metallorum emtionem ſibi non reſeruauit, aut modo legitimo alio acquiſiuit, ibi officinae excoctoriae priuatis quoque poſſunt concedi.

§. 87. At vero, quamdiu officinae excoctoriae, in tractu quodam iam exiſtentes, ſufficiunt coquendis metallis effoſſis aut effodiendis ex fodinis adiacentibus, non vltra tres horas ſeu milliare vnum cum dimidio diſtantibus; nullae concedantur inueſtiturae nouae.

§. 88. Officinarum excoctoriarum exſtructio ſub cura collegii metallici fiat neceſſe eſt; et de ea inueſtitura ſpecialis eſt petenda.

§. 89. Petitori (*Muther*) primo in primis danda eſt conceſſio officinae excoctoriae exſtruendae.

§. 90. Atque etiam nouarum officinarum excoctoriarum exſtructioni eatenus tantum eſt locus, quatenus iis prouincia non priuatur ligno comburendo, ad ciuium neceſſitatem et continuandas fabricas in ea iam exiſtentes neceſſario.



Source : BIU Cujas

§. 91. In quo tamen diiudicando ratio quoque habenda est terrae vtilibilis (turfae) et carbonum fossilium in ea prouincia copiae, qua ciuium necessitati et fabricis continuandis potest prospici.

§. 92. Inuestitus omnis, cui non est officina excoctoria propria, obligatur, vt officina vtatur, a collegio metallico ipsi assignata.

§. 93. At cogi tamen nequit, vt officina vtatur excoctoria vltra tres horas seu milliare vnum cum dimidio distante a suis fodinis aut machinis, quibus aera contunduntur.

§. 94. Si collegio metallico videatur necessarium, vt plures, quibus non est officina excoctoria propria, in eadem officina aera excoquant; eius est, ordinem in negotio obseruandum definire, et taxationem (taxam) metallorum necessariam instituere.

De metallorum emtione.

§. 95. In argento et auro omni, a dominis fodinarum inuestitis effosso, regno competit ius protimiseos, ex iure regali numos cudendi.

§. 96. De metallis et fossilibus aliis competit proprietariis ius liberum, pro occasione oblata in terris nostris aut extra regni fines ea vendendi, quatenus leges prouinciales nihil excipiunt.

§. 97. At contra non licet, sine regni concessione speciali, sub poena graui, extra regni fines exportare aera, ferri mineras, et in genere metallum rude seu materiam rudem, ex quibus demum praeparando et elaborando eruuntur metalla aut fabricata mineralia.

De decimis.

§. 98. De metallis et fossilibus ad regale metallicum pertinentibus omnibus, quae inuestiti eruunt, regno competunt decimae.

§. 99. Ad sumtus, in eruenda metalla et fossilia impendendos, nihil confert regnum, ob decimas ei competentes.

Source : BIU Cujas

§. 100. Hinc de foſſilibus eductis, quae, qualia ex terra ſunt effoſſa, ſine praeparatione vlla alia poſſunt vendi, decimae ſunt in natura praeſtandae, aut ſoluendum eſt pretium pro iis acceptum, nulla facta deductione, et ſine mora.

§. 101. At contra, in metallis et foſſilibus, quorum producta igne aut alio modo praeparata demum reddenda ſunt vendibilia, regnum proportione decimarum confert ad expenſas faciendas in aera contundenda, lauanda, et in officina excoctoria et alio modo praeparanda.

§. 102. Deficientibus ordinationibus prouincialibus ſpecialibus fodinam colentes per ſex annos a decimis praeſtandis ſunt immunes; exceptis tamen carbonibus foſſilibus, ad quos haec immunitas non extenditur.

§. 103. Praeter decimas inueſtitos oportet ſoluere de fodinis aut cuniculis, qui coluntur, canonem trimeſtrem, in legibus prouincialibus definitum, ad ſuſtentandum collegium metallicum.

De canone trimeſtri de fodinis ſoluendo, et de pecunia receſſuali in recognitionem. (*Quatember- und Receſsgeld*).

§. 104. Atque etiam de fodina qualibet, ſiue colatur, ſiue non colatur, et de poſſeſſione metallica qualibet alia, ab eius domino trimeſtribus ſingulis ſoluenda eſt collegio metallico pecunia receſſualis, in iisdem legibus praeſcripta.

§. 105. Si inueſtitus non ſoluit pecunias receſſuales per trimeſtria quatuor, atque adeo per annum integrum, licet fuerit ſemel admonitus; dominium eius metallicum redit ad regnum, et alteri poteſt concedi.

B) Si regale metallicum competit perſonae priuatae.

§. 106. Regale metallicum in certo diſtrictu exercendum, aut ad certum quoddam obiectum limitatum, acquiri poteſt et poſſideri, vti regalia minora alia, a perſonis priuatis et ab vniuerſitatibus. (Tit. XIV. §. 24. ſqq.)

§. 107. Cui regale metallicum eo modo competit, ei quoque competunt regni iura, iſti inhaeren-

Source : BIU Cujas

tia omnia, quae in inueſtitura aut legibus prouincialibus non ſunt expreſſe excepta.

§. 108. In quo tamen regali exercendo ſemper manet ſubiectus regni curae ſupremae, legibus politiae circa res metallicas communibus, et collegii metallici deciſionibus; et obligatus quoque eſt ad praeſtandum onera §. 103. et 104. definita.

c) Ratio inter regale metallicum et fundi dominum.

§. 109. Fundi dominum fodinas colentibus concedere oportet ſolum et fundum ad fodinam ipſam, ad cuniculos, ad aceruos terrae e fodina egeſtae (*Halden*) et vias, et ad aedificia ſub dio exſtruenda neceſſarium; atque etiam aquam, quae requiritur ad agendas machinas hydraulicas, et machinas, quibus aera contunduntur atque lauantur, et officinas excoctorias.

a) Obligatio domini fundi.

§. 110. Quin et lacus, piſcinae et molendina culturae metallicae cedant neceſſe eſt, ſi opus eſt ad eam continuandam.

§. 111. Fundi dominum ligna, ad aedificia exſtruenda, et in carbones redigenda (*Kohlenholz*), quatenus ea ex ſyluis ſuis vendit, fodinae fociis in primis oportet cedere, at ſoluto tamen eodem, quo alienis ea vendit, pretio.

§. 112. At contra, fundi domino praeſtanda eſt ſecundum praecepta partis primae Tit. VI. §. 7. plena indemnitas eorum omnium, quae ad colendum et continuandum opus metallicum ceſſit, aut amiſit.

b) Iura eius. Indemnitas.

§. 113. De fundo et ſolo ceſſo, dominum oportet eo acquieſcere, vt ipſi vtilitas percipienda annua, ſecundum praecepta dicta eruenda, quouis anno tam diu compenſetur, vsque donec ſolum iterum eſt in eum ſtatum reſtitutum, quo rite ex eo percipi poſſit vtilitas.

§. 114. Deficiente determinatione legali de indemnitate, fundi et ſoli domino praeſtanda, hic et inueſtiti ſeparatim inter ſe conueniant.

Source : BIU Cujas

§. 115. Qui ſi amice inter ſe conuenire nequeunt; collegium metallicum indemnitatem ex aequo determinat, adhibitis taxatoribus rei peritis.

§. 116. a) Si vna pars aut altera iſta determinatione acquieſcere recuſat; ei licet petere, vt a iudicio metallico legitime audiatur, et de re cognoſcatur.

§. 116. b) Si quis aedificia, aquae ductus, piſcinas, areas ad inſolationem aptas (*Bleichen*), et eiusmodi alia in diſtrictu, vbi res metallica iam tam propinque colitur, vt huius culturae extenſio vlterior ad iſta inſtituta noua praeuideri facile potuerit, nihilo minus exſtruxit, licet ſibi a collegio metallico non aſſignari curauerit locum, quo ea ſine ipſius periculo poterant exſtrui; ei non competit ius petendi reparationem damni, ex rei metallicae cultura continuata his inſtitutis oriundi.

§. 117. Fundi domino porro datur, nulla metallorum aut foſſilium ratione habita, portio fodinae hereditaria (*Erbkux*). Portio fodinae hereditaria.

§. 118. Quae proprietarii portio a fundo et ſolo, quo res metallica colitur, non poteſt ſeparari, neque ſeparatim alienari.

§. 119. Quis diuiſo dominio portionem hereditariam accipiat, diiudicandum eſt ex praeceptis partis primae Tit. IX. §. 94.; et quatenus praedii dominus intuitu huius iuris antecedat fundi dominum, ex legibus prouincialibus.

§. 120. Portio fodinae hereditaria eius eſt, in cuius fundo et ſolo eſt fodinae caput.

§. 121. Si fodinae caput ſitum eſt in confinio, atque adeo in vicinorum duorum fundo ſimul; fodinae portio hereditaria diuiditur proportione inter vtrumque fundi dominum, collegii metallici cognitione.

§. 122. Fundi dominus portione fodinae hereditaria non obligatur, vt quidquam conferat ad expenſas aut onera ad opus metallicum praeſtanda.

Source : BIU Cujas

§. 123. At vero, si ipsi competit ius culturae simultaneae ad fructus dimidios; conferre eum oportet, si ius suum exercet, pro rata, quam in fodina habet, ad sumtus in portionem fodinae hereditariam impendendos.

Ius simultaneae culturae ad fructus dimidios.

§. 124. At vero iuri, fodinam ad fructus dimidios colendi, tunc tantum locus est, si leges speciales prouinciales fundi domino hoc ius expresse addicunt.

§. 125. In quo casu fundi dominus, antequam inuestitura alii conceditur, est audiendus, an iure suo velit vti.

§. 126. Ad declarandam voluntatem semper ei praefigendus est terminus sufficiens, nunquam tamen trimestri breuior, inde a die prouocationis insinuatae.

§. 127. Quem terminum si praeterlabi sinit, nulla facta declaratione, aut si iuri suo simultaneae culturae fodinae renuntiat; ius suum postea nunquam arrogare sibi potest in consociatorum, fodinam colentium, aut regni praeiudicium.

Iura et obligationes dominorum fodinarum.

§. 128. Res metallica et a personis singulis et a societatibus potest exerceri.

a) De dominio in fodina in genere.

§. 129. Personae plures, rem metallicam suis operis manuariis exercentes, vocantur proprietarii fodinae singulares (*Eigenlöhner*).

§. 130. Proprietariorum huius generis societas constare non potest ex personis octo pluribus; quarum quatuor saltem operas propria manu praestare oportet; alioqui pro fodinae sociis (*Gewerke*) sunt habendi.

§. 131. Proprietarii communes, aream, de qua sunt inuestiti, non ipsi colentes et administrantes, vocantur consociatio fodinam colentium (*Gewerkschaft*).

§. 132. Eiusmodi consociationis membra singula vocantur socii (consortes) fodinae (*Gewerke*), et fossilium area, quam colunt, vocatur fodina (*Zeche oder Grube*).

Source : BIU Cujas

§. 133. Rei metallicae poſſeſſio conceſſa omnis diuiditur in centum et viginti octo portiones (*Kuxe*).

§. 134. Praeter eas fundi domino aſſignantur portiones duae tanquam portio hereditaria; et, ſi leges prouinciales nihil excipiunt, portiones duae eccleſiae et ſcholae, ſub cuius dioeceſi fodina eſt ſita; et totidem foſſorum pauperum aerario.

§. 135. Conſors fodinae (*Intereſſent*) vnus et idem portiones fodinae plures poteſt poſſidere; atque etiam quaelibet fodinae portio in partes plures poteſt ſubdiuidi, quae tamen portionis octante non ſint minores.

§. 136. Extranei aeque ac ciues, in regno degentes, nulla fidei confeſſionis ratione habita, rei metallicae culturae participes eſſe poſſunt, in qua cum his fruuntur iuribus plene aequalibus.

§. 137. In ſpecie eorum portiones metallicae, vti harum prouentus, immunes ſunt ab omni confiſcatione, gabella et detractu.

§. 138. At contra, rei metallicae officiales, ſub poena confiſcationis, nullam tanquam ſocii fodinae partem habeant, niſi expreſſe conſentiente collegio rei metallicae et excoctoriae ſupremo (*Bergwerks- und Hütten-Departement*).

§. 139. Qui conſenſus tantum detur in certum fodinae portionum numerum, quartam fodinae partem nunquam excedentem.

§. 140. Rei metallicae officiali nulli licet, fodinas litigioſas aut alia ad fodinas pertinentia (*Berggebäude*) ſibi acquirere.

§. 141. Nemini competit ius, ad inueſtiganda foſſilia, ſecundum §. 69. 70. et 71. ad regale metallicum pertinentia, foſſas agendi (*ſchürfen*), niſi a collegio metallico acceperit teſtimonium, de permiſſione foſſas agendi datum (*Schürfſchein*). Immediata eius acquiſitio. De foſſis foſſilium inueſtigandorum cauſa agendis.

§. 142. Fundi dominus eum, qui impetrauit teſtimonium de permiſſione, ad inueſtiganda foſſilia foſſas

Source : BIU Cujas

agendi, neque arcere poteſt, neque impedire; niſi ipſe eiusmodi teſtimonio de permiſſione foſſae agendae antiquiori fuerit inſtructus.

§. 143. Eiusmodi teſtimonia non dentur in totas praefecturas (*Aemter*) et iurisdictiones, ſed tantum in montes aut valles certos, quoad nomen, ſitum, tractum et fines quam accuratiſſime determinatos.

§. 144. Quae teſtimonia per annum et ſex hebdomadas valent inde a die, quo ſunt expedita; et valore ſuo cadunt, niſi ante delapſum hunc terminum eorum prolongatio a collegio metallico fuerit quaeſita.

§. 145. Qui teſtimonium accepit de data permiſſione in ſolo alieno foſſis agendis foſſilia inueſtigandi, eum oportet coram proprietario cum illo ante comparere, et huic locum, vbi foſſas velit agere, accurate indicare, atque de tempore cum eo deliberare.

§. 146. Qui ſi inter ſe conuenire nequeunt, teſtimonii eiusmodi detentor antea collegii metallici decisionem imploret et expectet neceſſe eſt.

§. 147. In iis locis, quibus exſtructa ſunt aedificia, habitationi aut vſui oeconomico deſtinata, et quatuor pedes rhenanos ab eorum circuitu, foſſam ad inueſtiganda foſſilia agere non licet; niſi ſecundum praeceptum partis primae Tit. VIII. §. 30. fundi dominus ſententia collegii metallici fuerit condemnatus, vt plena indemnitate ei praeſtita foſſam agi patiatur.

§. 148. Pomariis conſitis et hortis olitoriis in foſſis foſſilium cauſa agendis prorſus parcendum eſt, niſi in teſtimonio de permiſſione dato eorum expreſſa facta fuerit mentio.

§. 149. In agris et pratis foſſa ad foſſilia inueſtiganda eo tempore eſt agenda, quo frugibus inde nullum infertur damnum.

§. 150. Si foſſam agendo nihil detegitur; foſſam agentem (*Schürfer*) eam iterum oportet replere, locum planum reddere, et reſarcire damnum ex foſſa acta

Source : BIU Cujas

acta datum omne, et reſtituere fructus interceptos, ſi opus fuerit, ſecundum collegii metallici definitionem.

§. 151. At contra, cumulo venarum (*Stockwerk*), ſtrato (*Lager*), vena (*Gang*), aut vena dilatata (*Flötz*) detecta, foſſa acta, licet rei metallicae cultura nondum ſtatim continuetur, aperta maneat neceſſe eſt.

§. 152. Quam ſi fundi dominus absque collegii metallici conſenſu repleuit; foſſa eius ſumtibus de nouo eſt aperienda, et praeter ea commiſit decem thalerorum multam, in foſſorum pauperum fauorem.

§. 153. Fundi domino competit ius, indemnitatis ipſi competentis ſecuritatem petendi, ſi cauſae arreſti imponendi exiſtunt legales.

§. 154. Qui accepto teſtimonio de data permiſſione foſſas ad foſſilia inueſtiganda agendi cumulum venarum, ſtratum metalliferum, venam aut venam dilatatam primus denudauit (*erſchürft hat*), ei ius competit petendi, vt detecti operis metallici cultura intra certum diſtrictum ipſi in primis, prae aliis omnibus, concedatur. De primi inuentoris iure.

§. 155. Quo tamen iure intra quatuor hebdomadas, inde a denudationis factae tempore computatas, eum oportet ſub iuris iactura vti; et petitionem (*Muthung*) ſcriptam in collegio metallico rite deponere.

§. 156. Ambitus areae vel tractus, fodinae cultori deſignandi, ad quem inuentoris primi ius extenditur, deficientibus legibus prouincialibus ſingularibus, in venis (*auf ſtreichenden Gängen*), in cumulis venarum et in ſtratis metalliferis, amplius quindecim gradus inclinantibus, (*Fallen* dicunt noſtrates), eſt orgyiarum (*Lachter*) quadraginta et duarum, longitudine dimetiendarum; in venis et ſtratis metallicis, gradus quindecim nondum inclinantibus, area quadrata orgyiarum quadraginta et duarum; et in venis dilatatis (*Flötzen*) aut loturis (*Seifenwerken*), nulla inclina-



Source : BIU Cujas

tionis ratione habita, area quadrata orgyiarum quinquaginta.

§. 157. At inuentori tamen, si expresse petit, praeter fodinae caput (*Fundgrube*) praecipue concedantur: in venis, cumulis venarum, et stratis metalliferis, amplius quindecim gradus inclinantibus, et venarum instar seu longitudine dimetiendis, tractus (*Maafsen*) duodecim, quorum cuiusque longitudo (*Feldeslänge*) est viginti et octo orgyiarum; in venis et stratis metalliferis, quindecim gradus nondum inclinantibus, et area quadrata dimetiendis, areae quadratae viginti, quarum quaelibet est viginti et octo orgyiarum; at in venis dilatatis aut loturis, inclinationis nulla ratione habita, tot areae quadratae, quot in fodina continua commode possunt coli, ad areas quadratas mille et ducentas vsque, quarum quaelibet est orgyiarum quatuordecim.

De petitione.

§. 158. Si venae metallicae inuentor secundum §. 154. sqq. iure suo non vtitur; in eius locum succedit, qui primus venam aut venam dilatatam petit.

Ratio petitorum plurium erga se inuicem.

§. 159. Venae metallicae inuentor praefertur ei, qui cuniculo vel fossa latente venam tantum transiit (*überfahren hat*).

§. 160. In fodinis derelictis (*aufläfsigen Zechen*) pro inuentore habetur, qui curauit, vt fodina declaretur pro libera.

§. 161. Quo excepto petitori priori cedit posterior, et prioritas diiudicatur ex collegii metallici praesentato.

Obligationes ex petitione.

§. 162. Et inuentorem et petitorem diligentiam omnem et continuam operam in eo collocare oportet, vt venam aut venam dilatatam petitam denudent, id est, vt cuniculis et fossis agendis appareat aes nouiter inuentum.

§. 163. Qui intra hebdomadas quatuor post approbationem impetratam opus non inchoat, aut in-

Source : BIU Cujas

choatum non ſine interruptione continuat, iure ſuo priuatur, et opus habetur deſertum.

§. 164. Inuentori aut petitori dilatio aequa tum tantum nequit denegari, ſi collegio metallico denuntiat et probat cauſas graues, operis metallici initium faciendum impedientes.

§. 165. At neque in eiusmodi circumſtantiis collegio metallico competit ius, ter ſaepius concedendi dilationes.

§. 166. Si ſunt conſortes plures; dilatio tantum poteſt concedi, ſi de dilatione petenda conuenit inter omnes.

§. 167. Si quis conſortium plurium ea, quae ad ſumtus operis ab ipſo ſunt conferenda, non praeſtat intra quatuor hebdomadas, prouocatione a collegio metallico facta, iure ſuo excidit in conſortium reliquorum fauorem.

§. 168. Simulac vena, vena dilatata, aut ſtratum eſt denudatum, res eſt denuntianda collegio metallico, et eius expectanda cognitio, an opus cultura ſit dignum.

§. 169. Si cauſa cognita collegium metallicum tulit ſententiam, adeſſe venam, cumulum venarum, ſtratum vel venam dilatatam, cultura dignam atque liberam; inuentorem aut petitorem intra hebdomadas quatuor, ſub iuris iactura, inueſtituram oportet petere. Inueſtitura.

§. 170. In inueſtitura cumuli venarum, ſtrata, venae aut venae dilatatae conceſſae, quoad fines accurate determinentur, et inueſtito iuſto ordine aſſignentur neceſſe eſt.

§. 171. Regno competit ius, diſtrictus ſupra aut infra fodinae caput in tractu vel area quadrata ſitos, quatenus inuentori aut petitori primo in iis ſecundum §. 156. et 157. nullum eſt ius praerogatiuum, concedendi aliis, rem metallicam exercere cupientibus, qui nouam colant fodinam.



Source : BIU Cujas

Dimenſio. §. 172. Inueſtitus curare poteſt, vt areae ipſi conceſſae in ſuperficie ipſi admetiantur a collegio metallico, cui non licet denegare dimenſionem.

§. 173. Si collegio metallico dimenſio videtur neceſſaria, inueſtitum eam concedere oportet.

§. 174. Fodinis adiacentibus quoque ius competit petendi, vt fodinae alteri iniungatur dimenſio, ſi probant, earum ex dimenſione intereſſe.

§. 175. At contra, ab inueſtito ſolo dependet, an areae metationem iudicialem (*Erbbereiten*) ſeu dimenſionem ſolennem quoque velit petere.

§. 176. Si fodina recentior fert prouentus diſtribuendos, antiquior autem nullos; illa primo, at ſaluo huius iure, dimenſionem poteſt petere.

§. 177. Fodinae caput ſemper a puncto originis ſ. capitis dimetitur, et in venis quidem ſecundum earum curſum (*Streichen*), latus dimidium alterum ſurſum, alterum deorſum; at contra, in areis quadratis, ſecundum crucis extenſiones duas, angulo recto ſe inuicem ſecantes.

§. 178. Collegio metallico tunc tantum licet ab hac regula recedere, ſi ex eius ſententia ab altero fodinae inuentae latere cum vtilitate fodi nequit, et ab alterius lateris fodinarum adiacentium poſſeſſoribus nihil opponitur, quod ſit veritate fundatum.

§. 179. In arearum dimenſione arbitrio inueſtiti relinquitur, an eam ſurſum petat an deorſum, iuxta fodinae caput primo dimenſum.

§. 180. Dimenſionis punctum a quo, in regula eſt locus ille, vbi vena aut ſtratum primo fuit denudatum, quem locum inueſtitus ſ. conceſſionarius (*Lehnträger*) monſtret neceſſe eſt.

§. 181. Si metallariorum ſitula et funis (*Kübel und Seil*) ibi ſunt in fodinam immiſſi; ſuculae (*Rundbaum*) pars media conſtituit punctum a quo.

§. 182. Exorta dubitatione: an hic puteus ſit verus venae inuentae locus; inueſtitus ſ. conceſſiona-

Source : BIU Cujas

rius, aut fodinae procurator ſ. adminiſtrator, admittitur ad praeſtandum iusiurandum, digitis ſuculae impoſitis.

§. 183. Fodina ſi eſt inchoata cuniculo; cuniculi oſtium eſt punctum a quo.

§. 184. Vbi alius cuniculo vel foſſa venam aut venam dilatatam tranſiit, geometra ſubterraneus (*Markſcheider*) locum inuenti denotat ſub dio, eumque deſignat ſaxo terminali (*Lochſtein*), quod conſtituit punctum a quo.

§. 185. In arearum dimenſione fodinae caput ſemper conſtituit punctum a quo, et qui areis tantum eſt inueſtitus, eum oportet veros agnoſcere fines eos, iuxta quos fodinae praeiacentis caput dimetiendo eſt conſtitutum.

§. 186. In dimetienda venae quadratura (*Vierung*) dimetiendi puncta ſunt fimbriae (*Salbänder*) eius; et ſi vena dilatata eſt dimetienda, tegmen et fundamentum (*Dach und Sohle*).

§. 187. Si vena diuiditur in venulas (*Trümme*), in quadratura manentes, punctum a quo eſt in medio venularum; ſi vero extra ſpatium illud excedunt, punctum a quo conſtituit venula illa, quam optat inueſtitus.

Obligationes ex inueſtitura generales: Cultura continua.

§. 188. Inueſtitura metallica omnis conceditur ſub conditione, dominio rei metallicae conceſſo, ſub eiusdem iactura, vtendi in finem, qui intenditur.

§. 189. Hinc fodinae (*Berggebäude*) cultura haud interrupte eſt continuanda, vti officinae fabriles, canales (*Waſſerläufe*) et eiusmodi alia conceſſa, in eum finem ſunt adhibenda, in quem ſunt conceſſa.

§. 190. Alioqui fodinae, areae etc. a fundi domino in culturam emtae, cedunt imperanti in liberam diſpoſitionem; at areae non emtae redeunt ad fundi dominum.

§. 191. Ad fodinas colendas in genere neceſſe eſt, vt foſſores continuo adhibeantur.



Source : BIU Cujas

192. Fodinae rite cultae habendae tantum sunt illae, in quibus fossores operas agunt subterraneas; non vero si operas praestant sub dio, nisi aqua sit exantlanda, aut aëris circulatio promouenda, aut terra et saxa super vena iacentia sint remouenda.

§. 193. In fodinae capite omni vnus saltem fossor, et vector (trahens *Schlepper*) vnus adhibeatur necesse est, qui quotidie per octo horas pensum s. operam vnam praestent, sub cura iusta.

§. 194. Si fodinae caput est aere fecundum (*fündig*), et ita apertum, vt aquae fossis tectis deriuentur; inuestitus conseruare ius suum in fodina potest, fossore vno, et vectore (trahente) vno, quotidie in vlla fodinae parte adhibendo.

§. 195. In fodinis proprietariorum singularium (*Eigenlöhnerzechen*) diebus hebdomadae tribus saltem, quouis die per horas quatuor, opus tractetur necesse est.

§. 196. Machinae ad contundenda aera, in quibus neque codaces sunt neque capita pili ferrea, aut quae per tres annos ad contundenda aera non sunt adhibitae, sunt res nullius.

§. 197. Atque etiam aquae ad fodinae culturam concessae, quibus per annum integrum post factam inuestituram canales non sunt exstructi.

§. 198. Ad amittendum dominium metallicum ob fossores non adhibitos requiritur, vt collegium metallicum reperiat in fodina ter per hebdomadam integram, aut in proprietariorum singularium fodina per hebdomadam integram, operariorum numerum iustum non fuisse adhibitum; vt regiistraturas conficiat, de fodina ob operarios in ea non inuentos declarata libera; et vt in libro iudiciali metallariorum (*Bergbuche*) notet, fodinam esse declaratam liberam et defertam.

§. 199. Eodem modo procedendum est intuitu machinarum, quibus aera lauantur et contunduntur.

Source : BIU Cujas

§. 200. Petitor nouus a collegio metallico poteſt petere, vt fodina ob foſſores non adhibitos libera declaretur et deſerta.

§. 201. Si collegium metallicum cognitione praeuia inuenit, inueſtitum ob impedimenta eſſentialia, quae ex eius culpa non ſunt exorta, et quae idem non potuit remouere, non potuiſſe foſſores in fodina adhibere, neque machinis, quibus aera contunduntur, aut areis et aquis vti; collegium inueſtito, ſi petat, dilationem poteſt concedere, intra quam, licet fodinam non colat, iure ſuo non excidit.

§. 202. Quam dilationem, licet ad certum tempus ſit conceſſa, collegium metallicum oportet renuntiare inueſtito, antequam rei metallicae dominio poteſt priuari.

§. 203. Dilationis conceſſae tempore currente nihilo minus pecuniae receſſuales conſtitutae ſecundum §. 103. trimeſtri quouis ſunt ſoluendae.

§. 204. Si dilationis termino adhuc currente alius comparet, qui fodinam, licet impedimenta obſtent, nihilo minus cupit colere; inueſtito dilatio renuntietur et ſignificetur neceſſe eſt, dilationem nouam termino elapſo non dari.

§. 205. Si inueſtitus renuntiatione facta et termino elapſo fodinam non colit; fodina ſine mora concedenda eſt eam colere cupienti, qui comparuit.

§. 206. Nemini licet, fodinam raptorie (*auf den Raub*) agere, hoc eſt: haud oeconomice excidendo ſuperiores venae aut ſtrati partes, et remouendo neceſſaria fodinae et cuniculi fulcra (*Bergfeſten*), licet metalla in ſe contineant, difficiliorem reddere aquae deriuationem, liberam aëris circulationem, et ſaxorum deiectorum remotionem (*Bergloſung*); atque vlteriorem culturae iuſtae continuationem impedire, vel adeo reddere impoſſibilem. Si fodina raptorie agitur.



Source : BIU Cujas

§. 207. Neque magis licet, cuniculi ſolum perfringere aut excidere (*unterwerket werden*), niſi collegium metallicum permiſerit; in quo tamen caſu ſaltem ſpatium intermedium integrum orgyiarum quatuor vel ſex remaneat neceſſe eſt, aut ad promouendum aquarum effluxum aquae ductus ex ligno conficiantur.

§. 208. Fodinam raptorie agens punitur iactura foſſilium, hoc modo illicito effoſſorum.

§. 209. Qui a collegio metallico admonitus nihilo minus denuo fodinam raptorie agit; eo ipſo priuatur iure ſuo ex inueſtitura quaeſito.

Expletio ſaxis iniectis.

§. 210. Qui in fodina cuniculos profundiſſimos aut foſſas tectas (*Strecken*) aut alia loca cu it derelinquere, contignatione obſtruere, aut ſaxis iniectis explere, eum oportet propoſitum ſuum antea indicare collegio metallico, et inſpectionem ocularem petere.

§. 211. Qui eo neglecto fodinam, cuniculum aut foſſam tectam obſtruit, aut ſaxis iniectis explet, ſaxa iniecta eiiciat, et poena graui afficiatur.

§. 212. Inueſtitus qui aliorum fodinas aut opera ſub dio deſtruit, ſaxa terminalia mouet, aut ſigna in fodinae profundo inciſa (*Erbſtufen*) delet, praeter damni reparationem ſeuere puniatur, aut vel adeo pro re nata, pro dolo, cuius erit conuictus, et pro damni dati magnitudine priuetur in fiſci fauorem ſuis, quas in fodina habet, portionibus.

Obligationes erga metallicos.

§. 213. Metallicis merces in parata pecunia, at non in mineris, materia aut alimentis eſt praeſtanda, et quidem ſine mora eſt ſoluenda, ſecundum conſignationes impenſarum pro fodina factarum, ex paratiſſimis fodinae pecuniis, die mercedis ſoluendae quouis.

§. 214. Fodinarum domini obligantur, vt curam habeant metallariorum, qui operas ipſis praeſtando in morbum ſunt delapſi aut laeſi.

§. 215. Eiusmodi operario, deficiente legum prouincialium ſanctione ſingulari, merces eſt ſoluenda,

Source : BIU Cujas

ſi eſt fodina impenſis adhuc onerata (*Zubuſszeche*), vel etiam fodina, cuius prouentus ad impenſas faciendas tantum ſufficiunt (*Freybauzeche*), ſeu fodina, quae impenſas factas refundit (*Verlagszeche*), per hebdomadas quatuor; et per hebdomadas octo, morbo tamdiu durante, ſi eſt fodina, ex qua deductis impenſis prouentus diſtribuendi ſuperſunt (*Ausbeutezeche*).

§. 216. Morbo diutius durante, metallico aegroto aut laeſo alimenta praeſtanda ſunt ex foſſorum pauperum aerario (*Knappſchaftscaſſe*).

§. 217. Sumtus in curandum metallicum laeſum aut calamitate oppreſſum impenſi, et ſumtus funebres ex foſſorum pauperum aerario ſunt ſoluendi.

§. 218. Metallici vidua petere quoque poteſt mercedem gratuitam, §. 215. definitam.

§. 219. Commoda metallicis laeſis aut calamitate oppreſſis ſupra deſtinata ceſſant, ſi quis ſibi damnum aut mortem intulit data opera, aut culpa lata, extra operas metallicas.

§. 220. Si damno aut morti cauſam praebuit tertii dolus aut culpa lata; hic aerarium pauperibus metallicis inſeruiens et fodinae dominos indemnes praeſtet neceſſe eſt.

§. 221. Si inueſtitura conceditur de cuniculo, quo aliorum fodinae aquis liberentur et aëris circulatio in iisdem promoueatur, definiuntur tantum locus, quo debeat incipi, et iuga montium, in quos debeat agi. Obligationes domini cuniculi ſingulares.

§. 222. Eiusmodi cuniculi domino ius competit, cuniculum a puncto in inueſtitura definito inceptum in montes inueſtitura definitos agendi, et eundem pro lubitu in ramos alios plures diuidendi.

§. 223. In regula cuniculi principales omnes horizontaliter (*ſohlig*) agantur neceſſe eſt; niſi reſpectu cuniculi canalium, a ſolo in altum aſcendentium (*Anſteigens der Waſſerſeigen*), exceptiones ſingulares in ordinatione metallica prouinciali fuerint definitae.



Source : BIU Cujas

§. 224. Cuniculi domino sub iuris sui iactura non licet, absque expresso iudicii metallici consensu cuniculum ita agere, vt iusto altius surgat, neque canalem ita ducere, vt in eo maneant articuli fundi seu gradus (*Gesprenge*).

§. 225. Graduum (articulorum fundi *Gesprenge*) in cuniculo venia, praeter circumstantias singulares concedatur tantum in fossis latentibus ad latus directis (alis *Flügelörter*), quae ad paucas quasdam fodinas, et in primis ad tales tendunt, quae vel praecipue cuniculo indigent, vel in quibus sunt aera nouiter inuenta pauca, et altius sita.

§. 226. Quae venia data a collegio metallico in libris iudicialibus metallicis annotatur.

§. 227. Area, in qua cuniculi dominus caedere potest fossilia, quae in ea inueniuntur, est orgyiae vnius cum quarta eius parte, a cuniculi canali in altitudinem dimetiendae, et eius latitudo est quinque orgyiae octantium, aut ea, qua cuniculus inde ab ostio est actus.

§. 228. Extra hos fines cuniculum agenti rei metallicae nullum dominium competit, nisi expresse de eo fuerit inuestitus.

§. 229. Si cuniculi dominus extra hos terminos supra, vel infra, vel iuxta cuniculum opus qualecunque cupit agere; in primis a collegio metallico eam veniam impetret, quae venia quoque in libros iudiciales metallicos referatur necesse est.

§. 230. Cuniculi domino ius est, a iudicio metallico petendi veniam, opus extra limites agendi, et puteos ad promouendam aëris circulationem instituendi, si alias aëris defectu, aut molesta rerum effossarum extractione impediatur, quo minus longius extendat cuniculum.

§. 231. Idem ius petendi ei competit, si cuniculus agitur in fodinas, quarum locus profundissimus cuniculi imum nondum attingit.

Source : BIU Cujas

§. 232. Antequam conceditur venia inſtituendi puteos ſpiritales (*Lichtlöcher*) ad promouendam aëris circulationem aptos, collegium metallicum cuniculum conſcendat, et inſpectione oculari cognoſcat, quibus cuniculus indigeat.

§. 233. Si cuniculi dominus impetrauit veniam, eum in latus extendendi (*Auslenken*) et puteos ſpiritales inſtituendi; intuitu directionis et amplitudinis eum oportet eos prorſus ducere iuxta iudicii metallici praecepta, et nunquam vltra putei amplitudinem.

§. 234. Cuniculi domino primi inuentoris iura competunt in ſtrata et venas nemini adhuc conceſſas, quas cuniculo rite tranſit.

§. 235. Sub cuniculi ſui dominii iactura eſt obligatus, vt directione vlla cuniculum ſemper agat vlterius, niſi cognitione praeuia collegium metallicum operis intermiſſionem conceſſerit.

§. 236. At cuniculi tamen dominium ſaluum ſibi poteſt conſeruare, ſi terminos incultorum cuniculi locorum, ad quae foſſores ſunt progreſſi, ſigno inciſo a collegio metallico notandos curat (*verſtufen läſst*).

§. 237. Locorum terminis, ſigno inciſo ita notatis, cuniculi domini ius, illum illimitate extendendi (§. 222.) his locis tollitur, et extra hos limites ius nullum ei competit.

§. 238. Inde a locorum terminis, ſigno inciſo notatis, cuniculus poteſt concedi fodinis aliis aut nouis petitoribus.

§. 239. Fodinae praeiacentes praecipuo gaudent iure, de cuniculo inueſtituram petendi prae aliis petitoribus; et ex fodinis pluribus ea eſt praeferenda, quae loco cuniculi ſigno notato eſt propior.

§. 240. Fodinae praeiacentes, quae cuniculum a locis ſigno notatis, aut a fodinae adiacentis terminis (*Markſcheide*), fodina quaeque in area ipſi conceſſa, volunt agere, inueſtitura ſeparata non indigent,

Source : BIU Cujas

ſed tantum obligantur, ad indicandum propoſitum ſuum iudicio metallico.

§. 241. Si cuniculus loco, qui ſigno inciſo eſt notatus, ſiue inueſtitura facta (§. 238.), ſiue praeuia propoſiti eum extendendi denuntiatione collegio metallico facta (§. 240.), vlterius eſt actus; et ſi neque ſecundus cuniculi dominus, neque fodinarum remotiorum ſocii, eum in fodinas longius diſtantes agendo volunt extendere; loci terminus iterum ſigno inciſo poteſt notari.

§. 242. Atque tum primo cuniculi domino ius competit praecipuum, inueſtituram petendi.

§. 243. Ex eiusmodi inueſtituris (§. 238. ſqq.) oriuntur iura et obligationes eaedem, quae ex inueſtitura de cuniculo prima.

§. 244. Si cuniculi dominus in fodinas praeiacentes cuniculum agere omittit; his fodinis, et petitoribus nouis aliis, competit ius, a collegio metallico petendi, vt cuniculus eo loco ſigno notetur.

§. 245. Quo facto collegium metallicum cuniculi domino aequum praefigat terminum, ad cuniculum in fodinas eo indigentes agendum; quo termino quoque fruſtra praeterlapſo, locum notet ſigno inciſo.

§. 246. Ex cuniculi loci vnius notatione, ſigno inciſo facta, nondum ſequitur iactura iuris in cuniculi locis reliquis, eo ſigno non notatis.

§. 247. Si cuniculi dominus prorſus non curat cuniculum vlterius agendum, aut ſigno inciſo notandum; collegium metallicum cuniculum conſcendit, ſigno inciſo notat loca, ad quae foſſores ſunt progreſſi, et declarat, facta in libro iudiciali annotatione, cuniculi dominum dominio ſuo priuatum.

§. 248. Quo facto cuniculus inueſtitura concedi poteſt aliis, qui ſuccedunt in domini primi iura et obligationes omnes.

Source : BIU Cujas

§. 249. Fodinis praeiacentibus et petitoribus nouis ius eſt rogandi, vt cuniculus declaretur defertus.

§. 250. In quo caſu fodinae praeiacentes iisdem gaudent iuribus, quae ipſis §. 239. conceſſa ſunt in locis cuniculi ſingulis, ſigno inciſo notatis.

§. 251. Si eiusmodi cuniculus dereliƈtus ſaxis corruentibus eſt obrutus; fodinis, in quas cuniculus iam erat aƈtus, et quarum inueſtitura antiquior eſt inueſtitura nouo cuniculi domino conceſſa, competit ius, cuniculum per totam fodinae ſuae aream exantlandi, et cuniculi domino tum nihil ſoluunt praeter mercedem pro aquis ademtis ſ. receptis.

§. 252. Cuniculi dominus ſub dominii ſui iaƈtura obligatur ad conſeruandum cuniculum in eo ſtatu, ne ſaxis corruentibus obruatur.

§. 253. Dominium in fodina omne inueſtitura conceſſum, hinc portiones quoque metallicae (*Bergtheile, oder Kuxe*), ad bona referuntur immobilia. Acquiſitio mediata. In genere.

§. 254. At contra, fodinae fruƈtus pertinent ad bona mobilia, ſimulac pro fodinae ſociorum rata ſunt diſtributi, licet a ſociis nondum ſint accepti.

§. 255. Quae in partis primae Tit. X. §. 6-20. de mediata dominii fundorum acquiſitione in genere ſunt praeſcripta, valent quoque de fodinarum dominio.

§. 256. Hinc mutationes circa poſſeſſionem accidentes omnes iudicio metallico ſunt notificandae; libro metallariorum antigrapho (*Berggegenbuche*) noui poſſeſſoris nomen, prioris nomine deleto, eſt inferendum; et nouae ſunt traditionis literae ad librum antigraphum (*Gewährſchein*) redimendae.

§ 257. In inferendo noui poſſeſſoris nomine, deleto nomine prioris, in regula obſeruantur omnia, quae in ordinatione ad libros hypothecarios ſpeƈtante de conſignatione (intabulatione) tituli poſſeſſionis praeſcripta ſunt.

Source : BIU Cujas

§. 258. At vero, si tantum fodinae portiones singulae, vel adeo singularum fodinae portionum partes tantum minores, ab vno possessore in alterum translatae, sunt transcribendae; iam sufficit, si collegium metallicum in genere tantum est consecutum notitiam certam legitimam translationis, a partibus decretae.

§. 259. Quae translatio, quo modo conuenientissimo, commodissimo, et iis, quorum interest, quam minime onerose possit fieri, his si opus fuerit, pro re nata, suppeditandum est a collegio metallico.

§. 260. In genere, si emtor, licet venditor non compareat, producit contractum iusta fide munitum, in quo in eum fodinae portionis dominium est translatum, nominis deletio et insertio potest fieri, vel venditore non adhibito.

§. 261. Si sponte alienatae sunt fodinae partes, de quibus symbolae adhuc soluendae restant, nomen nouum non potest inferi, nisi vel venditor eas ante dominii sui renuntiationem soluit, vel emtor declarauit, se esse soluturum symbolas residuas.

§. 262. Si de fodinae partibus successione delatis symbolae residuae adhuc sunt praestandae; nouo possessori de iis non exhibentur traditionis literae ad librum antigraphum, antequam soluit symbolas adhuc praestandas.

§. 263. In translatione omni vllius in fodina dominii, secundum notas in libro metallariorum antigrapho (*Berggegenbuche*) consignatas iuribus realibus obligati, haec iura realia in nouis traditionis literis plene exprimantur necesse est.

De dominio communi.

§. 264. Quidquid metallariorum more petitur et inuestitura conceditur, communi quoque dominio potest possideri.

Quomodo possit acquiri.

§. 265. Concessionarium (*Lehnträger*), qui fodinae dominio se esse inuestitum probat, declarare oportet ad librum antigraphum, se personas, qua-

Source : BIU Cujas

rum nomina ſunt exprimenda, in dominium commune recipere.

§. 266. Dominii communis iura conſors omnis tantum acquirit inſerendo ſuo nomine libro antigrapho; et a collegio metallico accipit ad librum antigraphum traditionis literas, nominis ſui inſertionem factam probantes.

§. 267. Verus fodinae partis dominus is tantum eſt habendus, qui talis in libro antigrapho eſt conſignatus.

§. 268. Rationes, quae dominis communibus inter ſe inuicem intercedunt, diiudicandae ſunt ex pacto inter eos inito, et eo deficiente ex principiis generalibus partis primae Tit. XVII. Iura et obligationes dominorum communium.

§. 269. Conceſſionarius (*Lehnsträger*) conſociationem fodinam colentium repraeſentat in cauſis omnibus, ad inueſtituram de dominio et eius conſeruationem ſpectantibus.

§. 270. In primis adhibendus eſt in addicenda et dimetienda fodina.

§. 271. At ipſum quoque curare oportet, vt ſymbolae rite praeſtentur.

§. 272. Fodinae conſortes obligantur ad reddendam collegio metallico de fodinae oeconomia rationem, in conſignationes menſium (*monatliche Anſchnitte*) ſeu rationes ſpeciales duodecim, et deinde in rationem generalem redigendam; et ad ſoluendas pro eius reuiſione iuſtas ſportulas.

§. 273. Quae rationes quo modo ſint conficiendae, et quibus terminis reddendae, in ordinationibus prouincialibus de rebus metallicis (*Bergordnungen*) eſt ſancitum.

§. 274. Symbola menſe tertio quoque, pro ſumtibus operis requiſitis, a collegio metallico conſtituitur et indicitur. Intuitu ſymbolarum.

§. 275. In ſymbolis conſtituendis ratio habenda eſt fodinae portionum, inter ſocios diuiſarum.

Source : BIU Cujas

§. 276. Eodem modo proceditur, si trimestri adhuc currente, ob non sufficientes symbolas solutas, ad opus continuandum nouae symbolae indicendae sunt a fodinae rationibus praefecto (*Schichtmeister*), approbante collegio metallico.

§. 277. At vero de fodinae portionibus secundum §. 134. immunibus (*Freykuxen*) symbolae nullae sunt exigendae, sed harum ratae a sociis fodinae reliquis sunt praestandae.

§. 278. Consors omnis obligatur, ad soluendam sine recusatione vlla symbolam, a collegio metallico imperatam, intra quatuor hebdomadas, inde a die, quo est indicta.

§. 279. Ignorantiae aut absentiae exceptio prodesse socio nulli potest contra effectus solutionis neglectae noxios.

§. 280. Qui trimestris tertii spatio, inde a die symbolae soluendae elapso, plures debet, ac vltimi trimestris symbolas, statim priuatur suis fodinae portionibus, facta rationibus praefecti, aut symbolas exigentis denuntiatione.

§. 281. Ad quam priuationem non opus est, vt fodinae socius morans solenniter audiatur, aut expresse sententia feratur; sed sufficit decretum a collegio metallico concipiendum.

§. 282. Eiusmodi fodinae portionem, domino carentem, iudicium metallicum non interrogatis reliquis, quorum interest, in fodinae consociationis fauorem potest vendere; vel etiam pro solutis symbolis residuis concedere socio fodinae symbolis soluendis obsequenti, qui semper alieno est praeferendus.

§. 283. Possessor pristinus ad portionis fodinae, qua fuit priuatus, possessionem non iterum est admittendus, nisi consentiente consociatione, et solutis symbolis residuis.

§. 284. Quamdiu fodinae portiones, quae consociationi accreuerunt, possessoribus certis nondum sunt iterum

Source : BIU Cujas

iterum conceſſae, ſymbolae de iis ſoluendae imperantur reliquis fodinae ſociis.

§. 285. Qui ex ſociis reliquis ſymbolam partis deuolutae rite imperatam ſecundum praeceptum §. 280. non ſoluit, iure ſuo in ea excidit.

§. 286. Si conſociationis numerus eum in modum deminuitur, vt ſymbolas fodinarum portionum deuolutarum ſoluere non poſſit aut nolit; et ſi his portionibus deuolutis non poteſt alio modo proſpici; fodina vniuerſa cedit imperanti in liberam diſpoſitionem.

§. 287. Idem obtinet, ſi ſocii fodinae omnes partibus ſuis renuntiarunt, aut eas ob moram in ſoluendis ſymbolis (*Retardat*) amiſerunt.

§. 288. Quo facto collegium metallicum in libro antigrapho (*Gegenbuche*) delere oportet nomina eorum, qui huc vsque fuerunt ſocii.

§. 289. Cum iactura dominii fodinarum et fodinae partium tolluntur ſimul iura realia, quae ſocii habuerunt, omnia.

§. 290. Fodinarum deſertarum ſociis cedunt tamen foſſilium copiae omnes, trans tigillum in latere oſtii putealis ſummum traiectae, antequam fodina declarata fuit pro deſerta; atque etiam bona mobilia omnia, quae ſub dio poſſederunt.

§. 291. Quae tamen foſſilium copiae et bona mobilia alia imperanti quoque cedunt, niſi a ſociis, ante elapſum annum vnum, poſtquam fodina pro deſerta fuit declarata, fuerint a fodina remota, aut niſi de iis remouendis a collegio metallico dilatio fuerit petita et impetrata.

§. 292. Debita ob fodinae culturam contracta a ſociis, quorum dominium in fodina ceſſat, actione perſonali nequeunt repeti.

§. 293. At vero a fodinae ſociis, licet dominium in fodina non amplius habeant, ſuppeditatori refundendae ſunt impenſae, ſociorum mandato in



Source : BIU Cujas

mutui modum in totum opus metallicum et officinas excoctorias aut fodinas, atque etiam in portiones singulas factae, solutis symbolis imperatis.

§. 294. Idem valet de debitis, a rationibus praefecto (*Schichtmeister*) vi specialis mandati sociorum fodinae contractis.

§. 295. Quatenus creditores, quorum nomina in libro hypothecario sunt consignata, contra debitoris personam possint agere, et ex eius bonis reliquis satisfactionem petere, diiudicandum est praeceptis partis primae Tit. XX. §. 43. sqq.

Intuitu prouentuum fodinae.

§. 296. Si sumtus in fodinae culturam impendendi, vel omnes vel ex parte, sociorum adhuc symbolis sunt conferendi; fodina vocatur symbolis onerosa. (*Zubusszeche*)

§. 297. Si fructus ex fossilibus effossis et venditis percepti sufficiunt ad fodinam colendam, et ad eius culturam continuandam; fodina vocatur, cuius sumtus fructibus compensantur. (*Freybauzeche*)

§. 298. Fodina, quae deductis impensis, in culturam sequentem faciendis, prouentus fert residuos, vocatur fodina impensas refundens (*Verlagszeche*), quamdiu ex fructibus his residuis sensim sensimque symbolae ante praestitae refunduntur sociis, et extinguuntur debita, ad opus continuandum collegio metallico consentiente contracta.

§. 299. At contra fodina, quae refusis sumtibus suppeditatis, et deductis expensis ad culturam sequentem necessariis, prouentus fert residuos, vocatur fodina prouentum ferens (*Ausbeutezeche*).

§. 300. Determinatio temporis et quanti impensarum refundendarum, aut fructuum distribuendorum, pendet a collegii metallici arbitrio.

§. 301. Dum non extat aerarii residuum, ad sumtus in fodinam per annum saltem impendendos sufficiens, neque impensarum suppeditatarum refusioni locus est, neque fructuum distributioni.

Source : BIU Cujas

§. 302. Neque prouentus diſtribuantur, antequam quantitas, ſingulis fodinae portionibus in libro antigrapho conſignatis ſoluenda, thalerum ſaltem conſtituit vnum.

§. 303. Prouentus maiores ſocii tunc demum poſſunt petere, ſi ex collegii metallici arbitrio officioſo ſupponendum eſt, eiusmodi diſtributionem temporis quoque ſucceſſu, per annum ſaltem vnum, poſſe continuari.

§. 304. Caeterum prouentus diſtribuuntur inter ſocios omnes pro rata portionum, ad fodinam pertinentium, numeratis ſimul portionibus priuilegiatis (*Freykuxe*).

§. 305. At contra, dum adhuc fodina impenſas tantum refundit, portiones priuilegiatae (ab impenſis immunes) lucrum petere poſſunt nullum.

§. 306. At ſimul ac lucri diſtributio exiſtit, a collegio metallico portionum priuilegiatarum dominis eſt denuntianda.

§. 307. Ius conducendi et dimittendi fodinarum et officinarum excoctoriarum operarios, fodinae praefectos, et officiales metallicos alios, vnice competit collegio metallico. Ratione metallariorum;

§. 308. Membra conſociationis fodinam colentium, atque eorum parentes, liberi, fratres, fratrum filii, aut famuli, non praeficiantur vni eidemque fodinae, aut fodinae eiusdem rationibus.

§. 309. Neque fodinae praefectus cum fodinae rationibus praefecto tam arcto agnationis vel cognationis vinculo, aut neceſſitudine alia, coniunctus ſit, vt inde fodinae ſociis aut operi metallico in genere damnum poſſit oriri.

§. 310. Rei metallicae, et officinae, et fodinae omni praefectus rationibus conſtituatur neceſſe eſt. praefecti rationibus in ſpecie.

§. 311. Fodinae ſociis eſt ius, perſonam ad hoc munus idoneam deſignandi, quam collegium metal-



Source : BIU Cujas

licum habilitate cognita et probata confirmat et iure-iurando adſtringit.

§. 312. Collegio metallico ius competit, praefectum rationibus, ob latam negligentiam et fidem malam munere priuandi, vel non adhibitis fodinae ſociis.

§. 313. Fodinae ſocii poſſunt petere, vt a munere remoueantur rationibus praefecti, ſi negligentiae latae aut perfidiae poſſunt conuinci.

§. 314. Rationibus praefecti habendi ſunt mandatarii ſociorum fodinae generales, in rebus omnibus ad rei metallicae culturam ſpectantibus, et locum obtinent praecepta partis primae Tit. XIII. §. 37. et ſqq.

§. 315. In ſpecie nomine fodinae ſociorum, ſub cura metallicorum iuratorum, ineunt pacta cum foſſoribus, et de materia conſignata ad rem metallicam neceſſaria cum venditoribus; exigunt pecunias in fodinam colendam impendendas; vendunt fodinae foſſilia producta, et res ad inuentarium pertinentes fodinae inutiles, pro pretio ab collegio metallico definito; quatenus fodinae ſocii ipſi de iis non diſpoſuerunt.

§. 316. Soluunt quoque ex fodinae ſociorum pecuniis ſumtus, a collegio metallico in impenſarum pro fodina factarum conſignatione approbatos; ſportulas etiam, ad quas praeſtandas ſocii ex inueſtitura ſunt obligati.

§. 317. At contra, ſine mandato ſpeciali iis non competit ius, renuntiandi dominio partis areae fodinae, ſpatiorum, aquarum etc. aut debita in fodinam contrahendi.

§. 318. Singulis menſibus eos oportet conſignationibus impenſarum pro fodina factarum, et rationibus ſpecialibus, ſecundum praecepta collegii metallici, rationem acceptorum et expenſorum reddere; et puniuntur tanquam falſarii, ſi data opera non notant in conſignatione pecunias acceptas.

Source : BIU Cujas

§. 319. At contra non obligantur, excepto dolo, ad praeſtanda ea, quae in conſignationibus et rationibus exhibitis notarunt, et in impenſarum conſignationibus iam ſunt approbata, aut in rationibus ſpecialibus reuidendis non reprehenſa.

§. 320. Quin potius fodinae ſocios, ſi ex impenſis inutilibus aut immodicis damnum ſibi fuiſſe illatum putant, agere contra eos officiales metallicos oportet, qui in impenſarum in fodinam factarum conſignatione, aut in rationibus reuidendis, eiusmodi impenſas admiſerunt.

§. 321. Inualida eſt remiſſio, quam rationibus praefecti de iis, quae ab ipſis ſunt reſtituenda, literis patentibus priuatis impetrant a ſingulis fodinae ſociis.

§. 322. In venditione fodinae portionum aut partium neque locus eſt iuri retractus aut protimiſeos ex lege, neque actioni ex fundamento laeſionis (pretii). De fodinae portionum venditione.

§. 323. Si de ſymbolis in contractu nihil eſt expreſſe determinatum; venditorem ſoluere oportet ſymbolam vltimam iam indictam, antequam nomen eius in libro antigrapho eſt deletum; emtorem contra ſymbolas poſt nominis eius inſertionem imperatas.

§. 324. Pecuniae, ad refundendos ſumtus ſuppeditatos, aut ad fodinae fructus diſtribuendos, ante inſertionem nominis emtoris factam conſtitutae, deficiente conuentione expreſſa competunt venditori, licet adhuc ſint in aerario ſic dicto decimarum.

§. 325. Nomen emtoris libro antigrapho inferatur neceſſe eſt intra quatuor ſaltem hebdomadas poſt pactum.

§. 326. Si emtor intra hunc terminum nominis ſui inſertionem neque impetrauit, neque collegio metallico actionem de nomine inferendo obtulit; venditori a pacto reſilire licet, niſi emtor argumentis fide dignis poſſit docere, ſe absque culpa ſua fuiſſe



Source : BIU Cujas

impeditum, quo minus in termino praefixo nominis infertionem quaefiuerit.

§. 327. Caeterum de mora in curanda nominis infertione commiſſa locum obtinent praecepta partis primae Tit. XI. §. 97. ſqq.

De oppignoratione bonorum metallicorum.

§. 328. Dominium metallicum valide poteſt oppignorari obſeruatis praeceptis partis primae Tit. XX. §. 390. ſqq.

§. 329. Si creditor debeat ius reale acquirere; oppignoratio in collegio metallico declaretur, et in librum antigraphum referatur (intabuletur) neceſſe eſt.

§. 330. In qua intabulatione procedendum eſt ſecundum ordinationis hypothecariae praecepta.

§. 331. Creditor hypothecarius ius ſuum reale amittit, ſi fodina et officina excoctoria, aut fodina, fit libera, aut ſi fodinae pars ob ſymbolas non ſolutas declaratur pro deſerta.

§. 332. Dominium metallicum oppignoratum, ſi iudicialiter eſt vendendum, et nullus eſt eius emtor, creditori in ſolutum adiudicetur duarum tertiarum pretio.

§. 333. Creditorem ex ſumma, pro qua dominium metallicum oppignoratum ei eſt adiudicatum, in primis praeſtare oportet tributa imperanti ſoluenda, et ſoluere debita metallica, prioritatis iure reſpectu ipſius munita.

§. 334. Si tum, deducto nomine ipſi debito, aliquid adhuc eſt reſiduum, hoc reſiduum eum oportet deponere in collegio metallico.

De arreſto metallico.

§. 335. De debitis, ad rem metallicam non pertinentibus, neque actio datur neque arreſtum in collegio metallico.

§. 336. Ne arreſtum quidem, omnibus debitoris bonis impoſitum, extenditur ad eius bona metallica, neque ad fructus, quorum diſtributio nondum eſt conſtituta.

Source : BIU Cujas

§. 337. At vero, ſi obaerati ſodinae ſocii iudex competens a collegio metallico arreſtum bonis metallicis imponendum requirendo petit; huic requiſitioni mos eſt gerendus, et executio peragenda, at absque praeiudicio creditorum metallicorum propriorum, licet poſteriorum.

§. 338. Quo caſu excepto bonis metallicis, et fructibus, quorum diſtributio nondum eſt conſtituta, arreſtum tantum poteſt imponi ob hypothecas metallicas, et ob debita alia, ex rei metallicae cultura oriunda.

§. 339. Eiusmodi arreſto impoſito et admiſſo eum, qui arreſtum impetrauit, curare oportet ſolutionem ſymbolae ad ſodinam conferendae, et canonis trimeſtris, et pecuniarum receſſualium.

§. 340. Si ea ſolutione neglecta dominium metallicum oppignoratum eſt commiſſum; hic non ſolum iure ſuo excidit, ſed dominum quoque indemnem praeſtet neceſſe eſt.

§. 341. Licet de ſodinae ſocii bonis concurſus ſit exortus; nihilo minus tamen bona eius metallica, et fructus, quorum diſtributio nondum eſt conſtituta, ad concurſus maſſam non ſunt trahendi. De concurſu de bonis metallicis exorto.

§. 342. Quin potius de iis proceſſus liquidationis ſeparatus inter creditores metallicos in iudicio metallico eſt formandus.

§. 343. Ordo, quo creditores metallici locantur, hic eſt:

1) foſſorum merces reſidua, at non vltra annos duos, inde a die concurſus exorti computandos;
2) eodem modo ſumtus pro contundendis et excoquendis metallis ſoluendi;
3) decimae et tributa alia imperanti ſoluenda, itidem tantum intuitu reſidui duorum annorum, inde a die concurſus moti computandorum:



Source : BIU Cujas

4) nona metalli pars (*Neunte*) et tributa alia, eadem limitatione;

5) debita, quae probari poſſunt ob factas in fodinam impenſas, et mutua, collegio metallico approbante ſumta, at eatenus tantum, quatenus anno vltimo ſunt exorta;

6) hypothecae intabulatae, ſecundum intabulationis factae tempus;

7) ii, qui poſſunt probare ad opus metallicum colendum et dominium metallicum conſeruandum ſe materiam exhibuiſſe, operas praeſtitiſſe, aut ſuppeditaſſe pecunias, in hunc finem quoque impenſas, pro pecuniae ſuppeditatae aut pacti celebrati tempore;

8) tributa imperanti ſoluenda no. 3. denominata, ex tempore biennio longiore.

§. 344. Si ſatisfactione creditoribus metallicis praeſtita de rei metallicae poſſeſſae venditae pretio exacto adhuc aliquid ſupereſt; reſiduum exhibendum eſt concurſus communis iudici, qui illud inter creditores reliquos diſtribuat.

Rationes dominorum metallicorum inter ſe inuicem; 1) in genere

§. 345. Fodina et cuniculus omnis obligatur ad concedendum fodinae aut cuniculo alii omni, iubente collegio metallico, vſum puteorum, foſſarum tectarum, aut cuniculorum ſuorum, ad extrahendas res effoſſas, praeſtito cenſu, pro vſu putei, foſſae tectae, aut cuniculi, a iudicio metallico determinato.

§. 346. Aquae, quibus cuniculos agendo via eſt recluſa (*erſchroten*), a collegio metallico concedi quidem poſſunt petenti;

§. 347. Eiusmodi tamen inueſtitura ſemper intelligitur conceſſa ſub ea reſeruatione, ne rei metallicae et conſociationibus fodinam colentium ſit detrimento.

§. 348. Atque etiam conſociationibus fodinam colentium ius competit praecipuum in eiusmodi cu-

Source : BIU Cujas

niculorum et fodinarum aquis, ad praeparandas mineras et mouendas machinas suas; quas aquas eum in finem reuocare quoque possunt, licet iam alii antea fuerint concessae.

§. 349. Inuestitus omnis obligatur ad obseruandum in colendo venam aut venam dilatatam suam terminos, in inuestitura et dimensione ipsi assignatos. 2) pluriu fodinarum inter se inuicem.

§. 350. Areas superiores et inferiores ipsi assignatas transgredi ipsi non licet, neque in iurium regni praeiudicium, neque in aliorum inuestitorum detrimentum.

§. 351. Atque etiam accurate obseruet necesse est venae latitudinem vel quadraturam, in inuestitura determinatam.

§. 352. Inuestiturae metallicae omnes concedun- De prioritur saluis iuribus prioribus, et inuestiturae posterio- tate in area res prioribus cedant necesse est. s. tractu fodinae.

§. 353. Prioritas in area venae in specie tribuit praerogatiuam, si venulae plures exeunt ex vena principali; in quo casu consociatio venae principalis, et ex pluribus consociationibus earum omnium prior, potest venularum vnam eligere, et de ea in primis inuestituram petere.

§. 354. Atque si consociatio, opus in vena sua continuando, consociationis alius fodinam intrat (*mit ihr durchschlägig geworden*).

§. 355. In primis tum, si venae vel venae dilatatae principales duae in vnam coniunguntur (*scharen*).

§. 356. Atque etiam, si vena principalis altera alteram venam principalem oblique transit (*überfährt*), licet opus in vena altera nondum productum sit ad punctum, quo altera eam transiit.

§. 357. Tum quoque, si venarum duarum planities erga se inuicem inclinant, atque se inuicem tangunt (*durchfallen*).



Source : BIU Cujas

§. 358. Atque prioritas in tractu fodinae quoque decidit, si inter duas fodinam colentium consociationes contenditur de vsu aquae, ad fodinae opus et contundenda aera vtrisque haud sufficientis; in quo casu aetate posterior canalibus tum demum et non aliter potest vti, nisi quatenus aetate prior aqua non indiget, aut huic iterum adduci potest aqua, non deminuta aquagii decliuitate.

Quomodo prioritas in tractu fodinae probetur.

§. 359. Ad prioritatem requiritur, vt prior sit in legitimo et antiquiori dominio venae, aut venae dilatatae, et tractus, de quibus prioritatem poscit; atque vt argumentis probet, venam litigiosam esse partem venae vel venae dilatatae, inuestitura ipsi concessae.

§. 360. Dominium legitimum fundatur inuestitura rite acquisita, et probatione, adimpletas fuisse obligationes, sub dominii iactura impositas.

§. 361. Dominii prioritas computatur ex die, quo fuit inuestitura concessa.

§. 362. Si altera pars, quae inuestituram iam petierat, antequam pars altera fuit inuestita, post hanc demum est inuestita; praesentatum prius petitionis rite factae dat prioritatem.

§. 363. Si pars altera inuentoris iura habens, antequam altera est inuestita, postea demum inuestituram est consecuta; prioritatis iuribus fruitur, licet serius inuestituram petierit.

§. 364. Prioritas non extenditur vltra tractum in inuestitura expressum, et ex eadem in libro antigrapho consignatum; et si punctum litigiosum est extra hunc tractum situm, priori ius nullum in illud competit.

§. 365. Venam ad punctum litigiosum eandem esse, non aliam, ac eam, in qua priori competit prioritas, probandum est per fossas transuersas inde a venae capite, monstratis venae fimbriis pendentibus et iacentibus, quae possunt dignosci.

Source : BIU Cujas

§. 366. Probationem nullam efficiunt aperturae ſolae, in ſolius geometrae ſubterranei vſum per ſaxa factae, non denudatis veris venae cruſtis (fimbriis).

§. 367. Vena ſi fuerit compreſſa et in directionis lineae ſuae quadratura iterum inuenta; haec vena iterum reperta habetur pro eadem, quae ante fuit compreſſa, atque eſt prioris.

§. 368. Si vena poſterioris incidit in prioris quadraturam; hic prioritate in vena gaudet, dum eſt in ſua quadratura.

§. 369. Si fodinae opus nondum eſt eo vsque productum, vt rationes §. 359. ſqq. ex eo clare appareant; ſingularis probatio fodiendo eſt inſtituenda.

§. 370. Prior probandi media tantum ducit in fodinae tractu, quo fuit inueſtitus.

§. 371. A venulae electione, in caſu §. 187. continuando probationis opere facta, recedere non licet.

§. 372. In venis, quas poſterior cuniculo aut foſſa latente tranſiit, prior ius ſuum praerogatiuum probat, ſi eas in tractu ſuo intra ſpatium ſeptem orgyiarum, perpendiculariter de caeſpite dimetiendarum, ita denudat, vt monſtret venae fimbrias et partes pendentes atque iacentes, et ſi geometrae ſubterranei indicio probat, venam denudatam habere eandem verſus ventos cardinales directionem, atque habet vena, quam tranſiit poſterior cuniculo vel foſſa latente.

§. 373. Partem probantem, ſi probationem ſuam vel opere ante facto, vel fodiendi labore inſtituto, putat eſſe perfecte abſolutam, a collegio metallico oportet petere fodinae conſcenſionem.

§. 374. Conſcenſione inſtituta probans in fodina docet, adeſſe §. 359. ſqq. requiſita; et pars aduerſa obligatur, vt de rationum adductarum veritate ſe declaret.

Source : BIU Cujas

§. 375. Si collegio metallico plura adhuc probationis opera videantur neceſſaria; ea ſunt ad eiusdem praecepta exequenda.

§. 376. Si partis alterius dominium atque iura ſunt probata; parti alteri, ſi eſt in puncti litigioſi poſſeſſione, opus in eo, parte aduerſa petente, a collegio metallico eſt interdicendum.

§. 377. In regula lite adhuc pendente opus continuatur a rationibus et fodinae praefectis, ſpeciatim conſtitutis et iureiurando adſtrictis; pecunia ad fodinam colendam ſuppeditanda, a parte victrice deinde refundenda, a litigante vtroque exigitur, ſecundum §. 274. ſqq.; et eius reſiduum deponitur apud collegium metallicum.

§. 378. Eiusmodi tamen fodinae opus, ex collegii metallici arbitrio, vsque ad cauſae deciſionem in totum quoque poteſt intermitti; in quo parti aduerſae ius contradicendi non competit.

§. 379. Quatenus culturae opus ad probationem eſt neceſſarium, fodina quidem colitur iuxta partis, cui probatio incumbit, inſtitutionem; at tamen ſecundum praeceptum collegii metallici, adminiſtrantibus praefectis rationibus et fodinae ſpecialibus §. 377.

§. 380. Foſſilia ante collegii metallici interdictum trans tigillum oſtii putealis ſummum traiecta ſunt partis eius, quae eas traiecit, niſi fuerit malae fidei poſſeſſor; at foſſilia poſtea extracta cedunt ei, cui adiudicatur dominium tractus litigioſi.

§. 381. In cognoſcendis et decidendis eiusmodi litibus officiales metallici, in litigioſarum fodinarum altera vtra partes habentes, a munere abſtineant neceſſe eſt; niſi pars aduerſa de iis adhibendis expreſſe conſentiat.

§. 382. Si officialium metallicorum, qui poſſunt admitti, numerus ea ratione nimis deminuitur; par-

Source : BIU Cujas

tes poſſunt petere, vt cauſa cognoſcatur et decidatur a iudicio metallico vicino.

§. 383. In operibus omnibus in areae conceſſae latus agendis fodinae poſſeſſoribus eſt optio, vtrum hoc opus ipſi velint ſuſcipere, an collegium metallicum cuniculi domino eam veniam debeat concedere. 3) fodinarum erga cuniculos.

§. 384. Metalla et foſſilia eiusmodi opere effoſſa in area, per inueſtituram conceſſa, eius ſunt, cuius ſumtibus opus peragitur.

§. 385. Putei ſpiritales, iudicii metallici venia in aream nemini inueſtitura conceſſam acti, tranſeunt, ſi area iſta ad fodinam colendam inueſtitura concedi-tur, in fodinae poſſeſſorum dominium.

§. 386. Qui tamen poſteriores ſunt obligati ad concedendum cuniculi domino liberum eorum vſum, et ad eos tam diu rite conſeruandos, dum cuniculi dominus iis ſecundum collegii metallici ſententiam indiget.

§. 387. Fodinae omni incumbit obligatio, domino cuniculi omni legitime inueſtito permittendi, vt cuniculum per illam haud impeditus agat. Iura cuniculorum generalia.

§. 388. Atque eidem etiam concedendi liberum puteorum vſum ad extrahenda foſſilia et ſaxa; et ad demittendum in puteum ligna atque materiam aliam culturae metallicae neceſſariam, ſi funiculo et vaſe vtitur propriis.

§. 389. Fodina omnis in eam profunditatem acta, vt cuniculo inchoato neceſſe non ſit tectum perfringere (*ohne Ueberbrechen*), quo in illam agatur, cuniculi domino debet permittere, vt in ea opus incipiat (*anſitze*), et cuniculo obuiam agat foſſam latentem.

§. 390. Fodina quidem ipſa foſſam latentem obuiam poteſt agere; at tum eam oportet cuniculi domino petenti concedere foſſilia cuniculo excisa

Source : BIU Cujas

(*Stollenhieb*), refusis impensis in ea excidenda factis, quatenus huic competit ius fossilium cuniculo excidendorum.

§. 391. Fodinae, quae in cuniculi iam acti vicinia coluntur, sunt obligatae, vt secundum collegii metallici sententiam siue fodinae fulcra relinquant intacta, siue suis sumtibus ea parent, quibus cauetur, ne cuniculus corruat.

§. 392. Intuitu fodinarum puteorum dominum cuniculi suis sumtibus oportet aquaeductibus aut modo alio ea parare, quae eum in finem requiruntur, vt neque fodinarum opus impediatur, neque cuniculi aquae in fodinarum locum profundissimum defluant.

§. 393. Si putei infra cuniculum tum demum tenduntur, postquam huius canales per ea loca iam rite sunt facti; fodinis incumbit obligatio, suis sumtibus parandi ea, quae requiruntur §. 392.

§. 394. Cuniculi dominus omnis obligatur ad recipiendas in cuniculum, quem agit, aquas affluentes omnes.

§. 395. Fodinae omni ius competit, in opere suo parandi ea, quibus efficitur, vt aquae per cuniculum profluant, aut exantlentur.

§. 396. Fodinae nulli licet impedire, quo minus fodinarum aliarum aquae ad cuniculum profluant, et parentur ea, quae eum in finem sunt necessaria, et iniiciantur aquaeductus etc.

§. 397. At fodina potest petere, vt a cuniculi domino parentur ea, quibus cauetur, ne isto aquarum profluxu impediatur eius cultura.

§. 398. Fodinae omni, cuniculo praeiacenti, ius competit petendi, vt cuniculi dominus declaret, vtrum cuniculum velit in eam agere, nec ne.

Source : BIU Cujas

§. 399. Si cuniculi dominus declarat, se nolle cuniculum agere in fodinam praeiacentem; haec potest notandum curare cuniculi terminum signo inciso. (§. 236. sqq.)

§. 400. Sin vero cuniculi dominus declarat, se velle cuniculum in fodinam praeiacentem agere; haec, si ad sumtus separatim confert, potest petere, vt in isto cuniculi loco adhibeantur plures operarii, quo celerius agatur cuniculus.

§. 401. In quo casu cuniculi domino est optio, an cuniculum suis sumtibus celerius velit agere, an fodinae collationibus.

§. 402. Quas collationes si accipit; hae fodinae temporis successu ipsi tam diu tantum soluunt canonis pro cuniculi vsu praestandi dimidium, vsque donec eo modo restitutum est dimidium impensarum a fodinis collatarum.

§. 403. Fodinae interea liberae declaratae et nouis petitoribus concessae cuniculi domino ob impensas, a prioribus fodinae sociis ad cuniculum celerius agendum collatas, nequeunt deminuere canonem, pro cuniculi vsu praestandum.

§. 404. Praeter haec cuniculorum iura generalia cuniculi dominus, requisita certa adimplendo, ius acquirit, a fodinis adhuc petendi fossilia cuniculo excisa, et nonam metalli partem.

§. 405. Ius fossilia cuniculo excisa sibi habendi est ius, cuniculi domino competens, fossilia in cuniculi terminis §. 227. inuenta excidendi, et in suam vtilitatem conuertendi.

De iure fossilia cuniculo excisa sibi habendi. (*Stollenhieb*)

§. 406. Cuniculi domino, cuniculum suum per aream, qua fodina quaedam est inuestita, in fossas latentes ad latus directas (ramos, alas, *Flügelörter*) plures agenti, et in ramis vno pluribus cuniculum excidendo aera detegenti, est electio, cuius rami fossilia excisa sibi velit habere.

Source : BIU Cujas

§. 407. Foſſilia ramis reliquis exciſa cedere eum oportet fodinae, eas petenti, refuſis ipſi impenſis in excidenda foſſilia factis.

§. 408. At vero, ſi in fodina ſunt loca profunda plura, et aquae non poſſunt per vnum cuniculi ramum ex reliquis locis profundis ſimul deriuari et remoueri; cuniculi domino competit quoque ius ſibi habendi foſſilia exciſa ramis reliquis, quos ad fodinae loca profunda reliqua agit.

Pars quarta impenſarum in cuniculum agendum.

§. 409. Fodinae, in quarum area per inueſtituram conceſſa foſſilibus deficientibus non poteſt exerceri ius, foſſilia cuniculo excidendi, cuniculi domino iuris iſtius loco ſoluunt quartam partem (*vierten Pfennig*) impenſarum, in cuniculum per eas fodinas vlterius agendum factarum, inde a loco, quo primum ſaxa areae fodinae perforauit, ad eum locum vsque, quo fodinae aream iterum relinquit.

§. 410. Ad quas impenſas quoque pertinent ſumtus facti in puteos ſpiritales, et in foſſas latentes transuerſas (*Durchſchläge*) ad promouendam fodinarum communicationem actas.

§. 411. At contra, his impenſis tantum annumerantur mercedes praefecto fodinae et foſſoribus ſolutae, materiae in rem metallicam verſae, et ſumtus fabriles; non vero impenſae ſub dio factae.

§. 412. In fodinis omnibus, vbi cuniculi domino ius competit, foſſilia cuniculo excidendi, ei eſt electio, vtrum hoc iure velit vti, an petere quartam impenſarum partem.

§. 413. Quae impenſarum pars quarta ſemper demum ſoluitur cuniculi domino exigente, atque adeo non de iis impenſis, quas cuniculi dominus fecit ante tempus, quo partem petiit quartam.

§. 414. Pro electione tacita iuris foſſilia cuniculi ſibi habendi habetur, ſi cuniculi dominus quartam impen-

Source : BIU Cujas

impenſarum partem non petens cuniculum agendo aera aut foſſilia effodit.

§. 415. At cuniculi domino, principio partem quartam impenſarum in cuniculum factarum accipienti, licet, quartae huic parti, dum agit cuniculum, renuntiare, et exercere ius foſſilia excidendi.

§. 416. Fodinis, impenſarum in cuniculum factarum partem quartam reſtituentibus, ius competit, repetendi foſſilia, a cuniculi domino in earum area exciſa, refuſis impenſis in ea excidenda factis.

§. 417. Pars nona foſſilium eſt pars nona metallorum et foſſilium aliorum ex fodina effoſſorum et extractorum omnium, quae ſuperſunt fodinae, deductis decimis imperanti praeſtandis. Pars nona foſſilium.

§. 418. Pars nona praeſtatur de metallis et foſſilibus iis omnibus, quae facta cuniculi cum fodinae locis (§. 423. 424.) praeſcriptis communicatione trans tigillum oſtii putealis ſummum traiiciuntur, licet antea in fodina fuerint exciſa.

§. 419. Cuniculi dominus accipit nonam partem ſiue metallorum et foſſilium ipſorum, ſiue eorum pretii, pecunia numerata ſoluendi, prout decimae imperanti praeſtantur ſiue in metallis et foſſilibus ipſis, ſiue in pecunia parata.

§. 420. Metallorum et foſſilium nonae partis dimidiae vbique eadem habetur ratio, quae partis nonae totius.

§. 421. In caſibus omnibus, vbi cuniculi domino ius competit exigendi metallorum et foſſilium partem nonam, aut partem nonam dimidiam, quae autem praeſtari nequit foſſilibus deficientibus; cuniculi domino competit merces pro aquis ademtis ſeu receptis, a collegio metallico definienda. Merces pro aquis ademtis ſeu receptis.

§. 422. Partem metallorum foſſiliumque nonam et mercedem pro aquis ademtis ſeu receptis cuniculi dominus inde ab eo demum tempore accipit, quo



Source : BIU Cujas

ius eas petendi denuntiat, simul probans, se ius acquisiuisse, canones pro cuniculi vsu exigendi.

Requisita intuitu iurium singularium cuniculo competentium.

§. 423. Ad acquirenda iura §. 405. sqq. cuniculus

a) a collegio metallico rite sit concessus, et

b) legibus conuenienter actus;

c) canali suo ad ea fodinarum loca profundissima procedat, quibus opera fiunt ad fossilia inuenta effodienda;

d) profunditatem ibi habeat, legibus determinatam (*Erbteufe*) et

e) aquarum effluxum ex fodinis et aëris circulationem in iisdem promoueat; atque ideo inde ab ostio (ore) vsque ad fodinam quamlibet in eo statu sit necesse est, vt aquae sine impedimento ex eius ostio effluant.

§. 424. Cuniculi inuestitura non concessi, et ii, qui absque collegii metallici venia aliter ac secundum praecepta §. 223-252. sunt acti, cuniculorum iuribus non gaudent.

§. 425. Non est necesse, cuniculum iis locis, quibus effodiuntur fossilia, ad punctum procedere profundissimum; modo iustam habeat profunditatem legibus praescriptam (*Erbteufe einbringt*).

§. 426. Cuniculi dominus partem fossilium nonam non accipit, antequam cuniculus actus est ad loca, quorum (§. 423. c) et 424.) facta est mentio.

§. 427. Cuniculus fodinae areae vniuersae aquas deriuans, et aëris circulationem suppeditans, licet tantum sit actus ad ea loca, quibus aes est inuentum, nihilo tamen minus de tota confociationis metallicae area fossilium exciforum accipit partem nonam integram, in quantum ea perforata aquas ei adimit atque aëris circulationem suppeditat.

Source : BIU Cujas

§. 428 Profunditatis legitimae (*Erbteufe*) menſura eſt decem orgyiarum cum ſpithama (*Spanne*) iis in locis, ad quos procedit cuniculus.

§ 429. Quae profunditas non computatur a tignis ſummis, putei oſtium cingentibus (*Hängebank*), ſed inde a caeſpite vsque ad cuniculi canalem.

§. 430. Cuniculus, cuius oſtium non eſt apertum, vt metallariis ingreſſus et egreſſus per eum non amplius pateat, et cuius canalis non rite eſt expurgatus, vt aquae inde reprimantur, de fodinis, quibus inde damnum datur, damno durante, canonem non accipit.

§. 431. At cuniculi tamen domino non nocet, ſi ipſi cuniculi oſtium perit, et eius aquae, accedente collegii metallici approbatione, per cuniculum profundiorem in diei lucem effluunt.

§. 432. Fodinae, quae cuniculo ad deriuandas aquas non vtuntur, ideo non liberantur a praeſtandis iis canonibus, quos cuniculi dominus ex ſua parte iure poteſt poſcere.

§. 433. Cuniculus, qui veniam graduum (articulorum fundi *Geſprengen*) rite impetrauit (§. 224.), inde ius acquirit, canones pro cuniculi vſu exigendi.

§. 434. Cuniculus, qui in fodinae aream penetrauit, atque fodinae vniuerſae aquas adimit et auram ſuppeditat, at cuius canalis ad ea loca nondum eſt actus, quibus foſſilia exciduntur, accipit tantum partis foſſilium nonae dimidium, vsque donec canalis ad ea loca peruenit.

§. 435. Si effodiuntur metalla in duobus fodinae locis profundiſſimis, in quorum vnum tantum cuniculus penetrauit, ex hoc tantum ipſi praeſtatur pars metallorum nona.

§. 436. Sin vero loco profundiſſimo alteri ſimul aquas adimit, et aëris circulationem ſuppeditat, ex hoc ſimul nona foſſilium pars dimidia cuniculi domino competit.



Source : BIU Cujas

§. 437. Si in aream fodinae actus eſt cuniculus, in quem autem aquae non decidunt per aperturas ex cuniculo in fodinam factas, ſed per cauernas (*Klüfte*) aut canales ligneos quadrangulos (*Lotten*); cuniculi dominus, vsque dum apertura per faxa rite eſt facta, partem foſſilium nonam dimidiam tantum accipit.

§. 438. Si cuniculus, licet non fuerit actus in aream fodinae inueſtitura conceſſam, huic tamen aquam adimit, et aërem ſuppeditat, ita vt aquae effluxus et aëris circulatio mediate promoueatur per fodinas alias; de iſta fodina cuniculo ſoluitur merces pro aquis ademtis ſeu receptis.

§. 439. De aquis omnibus, in cuniculum decidentibus per cuniculi loca, ſigno inciſo notata et ab aliis vlterius acta, cuniculi domino ſoluitur merces pro aquis ademtis ſeu receptis quoque ab iis, qui eiusmodi cuniculi loca vlterius egerunt.

§. 440. Ac ille etiam, qui talia cuniculi loca vlterius egit, a fodinis, quibus aquam adimit et aërem ſuppeditat, ſub iisdem circumſtantiis, quibus primus cuniculi dominus, poſcere poteſt partem nonam integram aut dimidiam, aut mercedem pro aquis ademtis ſeu receptis.

§. 441. Eodem modo cuniculus ſuperior cuniculo inferiori, aquas illius recipienti et deriuanti, mercedem dat pro aquis ademtis ſeu receptis, niſi inferior ad iuſtam menſuram profundius actus cuniculum ſuperiorem iuribus ſuis priuauerit, et ea in ſe transtulerit (*enterbt*).

§. 442. Si ob montium decliuitatem ceſſat profunditas legibus determinata, qua cuniculus in fodinam fuit actus; de ea parte, qua profunditas legitima deſiit, pro cuniculi vſu accipit tantum canonis partem dimidiam.

§. 443. Cuniculus, qui antea iuſta profunditatis menſura ſub fodinae puteum fuit actus, et perdita iſta profunditate legibus determinata locum profun-

Source : BIU Cujas

diſſimum attigit putei fecundi aut fodinae fecundae, et loco poſteriori aquas quoque deriuat; canonem plenum ibi quoque poteſt poſcere, vbi profunditas iſta legitima deficit.

§. 444. Si cuniculus nullibi iuſta profunditatis menſura in fodinam penetrat, at nihilo minus aquas eius deriuat, et aërem ei ſuppeditat; cuniculi dominus canonem legibus definitum nequit exigere, at accipit de hac fodina pro cuniculi vſu mercedem (*Stollenſteuer*), a collegio metallico definiendam.

§. 445. Si fodinarum impenſae, ad deriuandas aquas et auram ſuppeditandam faciendae, cuniculo acto valde minuuntur; et ſi vel plane non poteſt, vel ſumtibus multo maioribus impendendis tantum effici, vt cuniculus ab eiusmodi loco profundo incipiat, quo in fodinam penetret profunditatis menſura legibus determinata; cuniculi domino, iubente collegio metallico, plenum cuniculi ius poteſt concedi, licet profunditas iuſta deficiat.

§. 446. Si fodinarum ſocii cum dominis cuniculorum, menſuram profunditatis iuſtae non habentium, de cuniculorum iuribus in genere pacifcendo conueniunt; haec pacta, ſi a collegio metallico confirmantur, valent quoque contra fodinarum defertarum petitores poſteriores.

§. 447. Fodinae, domino cuniculi, licet iuſta profunditate in fodinam non penetret, impenſarum, in cuniculum factarum, partem quartam praeſtantes ideo alia cuniculi iura ei non concedunt; at contra iure gaudent, ad promouendam culturam ſuam propriam opus ex cuniculo incipiendi.

§. 448. Quae in antecedentibus de ratione, fodinis cum cuniculis intercedente ſunt ſancita (§. 383. ſqq.), in eo quoque caſu valent, ſi quis foſſas tectas ad cauitates ſubterraneas (cryptas *Kalkſchlotten*) aut ex iis agit, quibus iuſta profunditate fodinis praeiacenti- De canalibus ad cauitates ſubterraneas.



Source : BIU Cujas

bus aquas adimit, atque ſi reliquis cuniculi domini requiſitis gaudet.

De machinis, quibus aquae fundus exantlantur.

§. 449. Eadem quoque valent, ſi machinis igne (vaporum elaſticorum vi) motis aut hydraulicis aliis (*Waſſerhaltungsmaſchinen*) fodinae ſiccantur, et aura iisdem ſuppeditatur.

§. 450. Qui eiusmodi machinas ſumtibus ſuis exſtruit et conſeruat, atque etiam foſſas tectas (*Grund- oder Waſſerſtrecken*) ex antliae puteo (*Kunſtſchachte*), profunditate §. 428. ſqq. determinata, in fodinas agit, et reliquis cuniculi domini requiſitis eſt inſtructus, inde ius acquirit, exigendi canones §. 405-423. definitos, iuxta collegii metallici in caſu quouis determinationem.

§. 451. In hoc caſu nona ſoluenda nunquam ſit minor parte nona, et nunquam maior parte quinta foſſilium protractorum, deductis decimis imperanti praeſtandis.

§. 452. Remotiores quoque fodinae puteo antliae immediate non connexae, ſi iis, quod probari poteſt, aqua adimatur cauernis, aquas ipſis ademtas ad antliae puteum deducentibus, obligatae ſunt ad praeſtandum partis nonae dimidium, aut canonem, a collegio metallico ſuperiori pro portione determinandum.

4) Cuniculorum erga ſe inuicem.

§. 453. Ratio cuniculorum plurium, in aream eandem actorum, tam inter ſemet *ipſos*, quam erga fodinas, aeque ac ratio cuniculi erga fodinam quamlibet, vnice determinatur ſecundum qualitates, quibus in fodinae cuiusque area coëunt ſeu concurrunt.

§. 454. Ex cuniculis pluribus, quorum vnus tantum ſecundum requiſita §. 423. certis cuniculi iuribus gaudet, hic ſemper praefertur.

§. 455. Si cuniculus eas conſequitur praerogatiuas, quibus caeteri ſuis priuantur iuribus; caeteri nunquam tenentur ad reſtituenda ante percepta.

Source : BIU Cujas

§. 456. Cuniculum, cui ius plenum competit, cuniculi foſſilia ſibi habendi, aut impenſarum in eum factarum partem quartam repetendi, et nonam foſſilium partem integram exigendi, iuribus ſuis priuare nequit cuniculus ſecundus, niſi hic ad iuſtam menſuram profundius fuerit actus.

§. 457. Cuniculus ſuperior ab inferiori ſuis priuatur iuribus, ſi inferior ad iuſtam menſuram orgyiarum ſeptem in altitudinem deſcendens ea efficit, quae requiruntur, ad acquirenda iura foſſilia cuniculo exciſa ſibi habendi, aut partem impenſarum factarum quartam repetendi, et partem nonam integram vel dimidiam exigendi. De modo, quo cuniculus ſuperior iuribus priuatur ab inferiori.

§. 458. Quae ſeptem orgyiae inde a cuniculi ſuperioris ſolo vsque ad inferioris ſolum dimetiuntur ad perpendiculum, et quidem iis locis, ad quae cuniculi ex legibus ſunt agendi (§. 423. c. 427.)

§. 459. In caſibus omnibus, vbi cuniculo merces pro aquis ademtis ſeu receptis aut canon pro eius vſu praeſtatur, cuniculi dominus his iuribus excidit, ſimulac cuniculus alius aquas easdem loco profundiori deriuat.

§. 460. Cuniculi duo, ſimul ex oppoſito in fodinam eandem acti, accipiunt ambo, vsque dum apertura eſt facta, foſſilia exciſa, aut quartam impenſarum partem.

§. 461. Quorum ſi alter agitur ad locum profundiorem, et neuter iam ad locum ſuum proceſſit; inferior ſuperiorem priuat iure foſſilia excidendi et quartam impenſarum partem repetendi.

§. 462. Si ſuperior, fodinis petentibus aut iisdem ad impenſas conferentibus, in earum aream agitur, iuribus ſuis non poteſt priuari, niſi cuniculo ſecundo.

§. 463. Si cuniculi ſuperioris domino in caſibus §. 434. et 435. tantum praeſtatur pars nona dimidia, at inferior in fodinam penetrauit ſine eiusmodi vi-



Source : BIU Cujas

tio vllo; cuniculi inferioris dominus poteſt poſcere, vt collegium metallicum cuniculi ſuperioris domino praefigat terminum, intra quem, niſi obſtent impedimenta absque ipſius culpa exorta, ſub partis illius nonae dimidiae iactura medeatur his vitiis.

§. 464. In caſibus §. 436. et 437. cuniculus ille, qui prior acquirit ius, nonam integram ſibi habendi, alterum priuat iure partem nonam integram aut dimidiam exigendi.

§. 465. Ex cuniculis pluribus, ſimul, et in eadem profunditate, at non ex oppoſito, in eandem fodinam actis, in omnibus praefertur ille, qui primus penetrat in conſociationis fodinae aream.

§. 466. Si ſecundum praecepta antecedentia neque profunditas altior decidit, neque tempus, quo cuniculus penetrauit ad fodinae aream; locum habent prioritatis iura praerogatiua.

§. 467. Quotiescunque cuniculus cuniculum alium ſiue ob altiorem profunditatem, ſiue ex legibus priuat iuribus foſſilia excidendi, quartam impenſarum partem repetendi, aut nonam foſſilium partem exigendi; cuniculi domino iuribus priuato ſeruantur omnia, quae, antequam alter conſecutus eſt ius praerogatiuum, acquiſiuerat foſſilibus cuniculo exciſis, et quarta impenſarum in cuniculum factarum parte exacta, et foſſilium trans tigillum oſtii putealis ſummum traiectorum parte nona integra aut dimidia, quam poſcere iure poterat.

Ratio machinarum aquas exantlantium ad cuniculum.

§. 468. Quae hic §. 453. ſqq. de ratione cuniculorum inter ſe ſunt ſancita, valent quoque de machinis aquam exantlantibus, et de cuniculis.

§. 469. Eiusmodi machinae cuniculum quoque iuribus priuant, ſi iis altitudine ſeptem orgyiarum deſcendente exantlantur aquae, et fodinae in eadem profunditate aquae adimuntur et aura ſuppeditatur; et reliqua quoque adſunt requiſita, ad acquirenda iura cuniculi neceſſaria.

Source : BIU Cujas

§. 470. Quae orgyiae ſeptem dimetiuntur inde a cuniculi ſolo vsque ad faſtigium (*Firſte*) foſſarum tectarum (*Grund- oder Waſſerſtrecken*) ex antliae puteo actarum.

§. 471. Si cuniculus machinarum igne motarum aquas adimit et deriuat; cuniculi domino praeſtatur canon pro vſu cuniculi aut merces pro aquis ademtis et receptis, a collegio metallico ſuperiori definienda.

§. 472. Officina excoctoria omnis de metallis et foſſilibus omnibus in ea excoctis et lotis, aut limis (*Schlichen*), accipit mercedem aut canonem, pro excoquendis metallis a collegio metallico definiendum. §. Fodinarum et cuniculorum ad officinas excoctorias.

§. 473. Officinae excoctoriae ab officinis aliis neque abalienent operarios, neque lignorum aut materiae alius neceſſariae pretium augeant.

§. 474. Quilibet ſcorias ſuas in officina, in qua excoquendo ſunt ortae, poteſt liquefacere, aut iis tanquam additamentis vti.

§. 475. At eiusmodi ſcoriae a domino derelictae cedunt imperanti; neque vlli licet, eas ſibi arrogare absque collegii metallici approbatione.

§. 476. Dominis licet, additamenta maſſae excoquendae, ligna et carbones ſibimet ipſis comparare, ſi de iis inter ipſos et officinas excoctorias non conuenit.

§. 477. Quantam metalli copiam ex foſſilibus aut limis pondere exhibitis producere et dominis exhibere debeat officina, definiendum eſt explorationibus metallicis, ante excoctionem inceptam inſtitutis.

§. 478. Si officinae excoctoriae rationarius ſpecialis (*Hüttenſchreiber*), qui eſt officinae explorator metallorum, et explorator metallorum (*Bergprobierer*) de metallo, quod foſſilibus ineſt (*Gehalt*) inter ſe conſentiunt; metallum eo modo cognitum rationis inſtituendae normam conſtituit.



Source : BIU Cujas

§. 479. Quae explorationes ſi inter ſe, vel iteratae, diſcrepant, vtrisque praeſentibus inſtituenda eſt foſſilium ſeu limorum officinae exhibitorum portione, eum in finem reſeruata, exploratio tertia ſeu ſic dicta deciſiua (*Schiedsprobe*), inter priorem vtramque decidens.

§. 480. Si vel haec exploratio ab vtraque differt, metalli copia, ab officina ex foſſilibus exhibitis producenda, definienda eſt ſectione (fractione) facta explorationum duarum maxime concordantium.

---

# TITVLVS DECIMVS SEPTIMVS.

## De regni iuribus et officiis ad ſingularem ſubditorum tutelam.

Principia generalia.

§. 1. Regnum obligatum eſt ad curandam ſecuritatem ſubditorum, intuitu eorum perſonarum, bonae famae, iurium, et rei familiaris.

§. 2. Hinc regno ius competit, disponendi ea, quae ſunt neceſſaria, ad iuſtitiam adminiſtrandam, ad proſpiciendum iis, qui ſibi ipſi praeeſſe nequeunt, atque ad praecauenda et punienda delicta.

### Sectio Prima.

### *De iurisdictione.*

Iurisdictio in genere.

§. 3. Regni officium, ſecuritati ſubditorum, eorum perſonarum, et rei familiaris proſpiciendi, cauſa eſt et fundamentum iurisdictionis generalis et ſupremae regno competentis.

Iurisdictio ciuilis.

§. 4. Iurisdictionis ciuilis obiectum eſt cognitio et deciſio litium, de iuribus et dominio oriundarum.

Source : BIU Cujas

§. 5. Attamen ad iurisdictionem ciuilem quoque pertinet ius, actus non litigiosos iudicialiter perficiendi, confirmandi et fide publica muniendi.

§. 6. Ad iurisdictionem criminalem pertinet ius cognoscendi et puniendi delicta. criminalis,

§. 7. Vtriusque iurisdictionis fines secundum diuersas prouinciarum constitutiones propius sunt definiti.

§. 8. Iniuriae reales symbolicae et leues in regula a iurisdictione ciuili sunt cognoscendae et decidendae. (Tit. XX. §. 569. 571. 628.)

§. 9. Iurium regni vtilium laesiones poenis dignae referuantur iudiciis, ad eas cognoscendas et puniendas speciatim constitutis.

§. 10. Politiae est, disponere ea, quae sunt necessaria ad conseruandum publicam tranquillitatem securitatem, et ordinem, et ad auertendum pericula regni incolis omnibus (publico) aut singulis eius membris imminentia. politiae.

§. 11. Eiusmodi legum politicarum violationes politia cognoscit et poena coërcet, simulac cum iis non est coniunctum delictum, dolo aut culpa commissum.

§. 12. In casu quolibet, quo est turbata tranquillitas et securitas publica, quae politiae curae est praecipuae, ius primae apprehensionis et praeuiae cognitionis competit politiae iurisdictioni.

§. 13. In qua vero cognitione si patet, praeter legis politiae violationem, simul admissum esse delictum dolosum aut culposum; politiam iurisdictioni ordinariae relinquere oportet dispositionem vlteriorem.

§. 14. Iudicia ordinaria a politia quoque adhibenda sunt in casibus omnibus, vbi quis vitam vi amisit, et in genere simulac ad fundandam inquisitionem criminalem sequentem facti violenti existentia

Source : BIU Cujas

et natura inſpectione oculari, aut rei peritorum inſpectione legaliter ſunt determinandae.

§. 15. Lites (proceſſus) et inquiſitiones fiſcales proprie ſic dictae ad politiae iurisdictionem non pertinent.

§. 16. Determinationes propiores finium inter iurisdictionem politicam et criminalem vel ciuilem reſeruantur legibus prouincialibus et ſingularibus politiae ordinationibus.

§. 17. Ius exequendi ſententiam, vires rei iudicatae nactam, in regula competit iurisdictioni illi, a qua cauſa eſt cognoſcenda et decidenda.

Iurisdictio regni ſuprema.

§. 18. Iurisdictio in regno generalis et ſuprema imperanti competit, et tanquam ius maieſtatis alienari nequit.

Conceſſio iurisdictionis perſonis priuatis facta.

§. 19. Exercitium iurisdictionis de diſtrictibus, rebus, perſonis, aut factis certis, aliis quoque poteſt committi.

§. 20. Eiusmodi iurisdictionem priuatam a regno acquirere poſſunt perſonae, familiae, corporationes et vniuerſitates, vti regalia minora alia.

§. 21. Quae quoque poteſt eſſe coniuncta cum fundorum certorum poſſeſſione.

§. 22. Nemo eorum, quibus iurisdictio priuata competit, in exercenda ſua iurisdictione, ſupremae regni curae ſe poteſt ſubtrahere.

Iurisdictio patrimonialis.

§. 23. Vbi iurisdictionis ius cum praediorum certi generis poſſeſſione in genere eſt coniunctum, aut praediis quibusdam ſpeciatim conceſſum, ius illud vocatur iurisdictio patrimonialis.

§. 24. Iurisdictio patrimonialis cum dominio fundi, cui eſt conceſſa, ad quemuis tranſit poſſeſſorem ſequentem.

§. 25. Quatenus praediorum nobilium poſſeſſores ordinis ciuici iuribus honorificis, cum iurisdictione coniunctis, poſſint vti, diiudicandum eſt ex

Source : BIU Cujas

verbis conceptis (tenore) conceſſionum, quibus ipſis poſſidendi facultas eſt data. (Tit. IX. §. 59.)

§. 26. Iurisdictionis iura vtilia exerceri poſſunt a quouis poſſeſſore fundi, cui iurisdictio inhaeret.

§. 27. Iura honorifica poſſeſſori in libro hypothecario conſignato tamdiu manent, quamdiu poſſeſſionis titulus praedii nondum in alium eſt transſcriptus.

§. 28. Vidua, mariti praedium tanquam vidualitium poſſidens, particeps eſt iurium honorificorum cum hac poſſeſſione coniunctorum omnium.

§. 29. In genere de poſſeſſione et translatione iurium honorificorum, cum poſſeſſione coniunctorum, valent eadem, quae de iure patronatus reali ſunt praecepta. (Tit. XI. §. 598. ſqq.)

§. 30. Qui iurisdictione in genere tantum eſt inueſtitus, ei in regula iurisdictio tantum ciuilis competit.

§. 31. At vero, iurisdictione ſuperiore (alta) et inferiore (baſſa), aut iurisdictionibus omnibus inueſtitus habet quoque iurisdictionem criminalem et iura cum ea coniuncta.

§. 32. Perſonae nobiles, regni officiales, et clerici iurisdictioni priuatae in regula non ſunt ſubiecti.

§. 33. Neque extenditur priuata iurisdictio ad bona nobilia, eccleſiaſtica et parochialia, et ea, quae cum his habent iura aequalia.

§. 34. Res et negotia, in quibus fiſcus pro parte aut ſocio eſt habendus, iurisdictioni priuatae non ſubſunt.

§. 35. Iurisdictionis dominum priuatum, qui de eiusmodi perſonis, rebus et negotiis iurisdictionem ſibi aſſerit, legitimam eius acquiſitionem ſeparatim docere oportet.

§. 36. In genere praecepta ordinationis proceſſus, in titulo de foro, applicantur quoque ad exemtiones certarum perſonarum, rerum aut negotiorum a iurisdictione patrimoniali.

Source : BIU Cujas

Si plures iurisdictionis patrimonialis sunt participes.

§. 37. Vbi iurisdictio patrimonialis inter plures praedii eiusdem possessores est diuisa, ibi, lite de finibus iurisdictionis cuique competentis exorta, melioris iuris praesumtio stat pro parte, quae iurisdictione superiore et inferiore simul est inuestita.

§. 38. Si socii omnes iurisdictione iure aequali et absque determinatione vlteriore sunt inuestiti; in regula obligantur, vt ad eam administrandam iudicium commune (*Gesammtgericht*) constituant.

§. 39. At vero si in inuestiturae instrumento expresse fuerit determinatum, praeuentioni inter eos locum esse debere; praeuentio in posterum quoque obtinet.

§. 40. Si iurisdictio de praedio quodam possessoribus pluribus, at in diuersis tamen districtibus, est concessa; hi districtus pro totidem diuersis iurisdictionis districtibus sunt habendi.

Quatenus iurisdictio patrimonialis extendatur ad totam vniuersitatem,

§. 41. Iurisdictionis dominus iurisdictioni suae subiectos vocare in suum iudicium potest; tunc tamen prorsus abstineat necesse est ab omni concursu in dirigenda et decidenda lite.

§. 42. Quae de singulis iurisdictioni subiectis sunt praecepta, valent quoque de totis vniuersitatibus, quatenus leges prouinciales aliud nihil definiunt.

§. 43. Iurisdictioni subiecti, si contra eos coram iurisdictionem habentibus instituitur actio, non obligantur, vt se extra iurisdictionis sistant districtum.

ad dominum iurisdictionis ipsum, et

§. 44. Iurisdictionis dominus inuitus vocari in sua iudicia propria nequit.

§. 45. Neque cogere potest iurisdictioni suae subiectos, vt actiones suas contra eum iudiciis ipsius offerant.

ad eius familiam.

§. 46. Quae de iurisdictionis domino sunt praecepta, applicanda quoque sunt ad eius liberos, coniugem, et personas alias ad eius familiam pertinentes.

Source : BIU Cujas

§. 47. Officiales domeſtici et oeconomici, famuli et conductores, iurisdictioni patrimoniali ſunt ſubiecti, niſi aduerſentur leges prouinciales aut pacta ſingularia.

§. 48. Actus et cauſae, de quarum fide publica (vidimatione) ſola agitur, pro partium arbitrio a iudice quocunque poſſunt expediri. De iurisdictione in rebus non controuerſis.

§. 49. At iudicia tamen, quae tantum ad expedienda certa negotia ſunt conſtituta (fora ſpecialia cauſae), ab expediendis eiusmodi actibus eatenus excluduntur, quatenus actus non immediate ſpectat ad eiusdem generis negotium.

§. 50. Cui ius competit, eiusmodi actus non litigioſos expediendi et fide muniendi (vidimandi), ideo nondum habet iurisdictionem. (Tit. VIII. §. 82. 83. 84.)

§. 51. Quatenus iuſtitiae commiſſarii actus, fidem publicam (vidimationem) requirentes, poſſint expedire, in ordinatione proceſſus eſt determinatum.

§. 52. In iudiciis ii tantum actus perficiantur neceſſe eſt, de quibus leges expreſſe iubent.

§. 53. Quatenus ad actus, ad alienationem aut oppignorationem fundi, aut ad onus reale perpetuum fundo imponendum pertinentes, eum in finem, vt referantur in librum hypothecarium, requiritur reiterata agnitio ſolennis, ſiue ſecundum praecepta ordinationis hypothecariae, ſiue ſecundum leges ſingulares, haec proclamatio (*Verlautbarung*) fiat neceſſe eſt coram inſtantia librum hypothecarium habente.

§. 54. Quatenus actus, ad naues et apparatum nauale m ſpectantes, in iudiciis maritimis et nauticis ſeparatis ſint expediendi, ſuo loco eſt determinatum. (P. I. Tit. XX. §. 300. ſqq. P. II. Tit. VIII. Sect. XI.)

§. 55. Actus, qui in ſe quidem ad cauſam litigioſam nullam pertinent, at antequam perficiuntur, iu-

Source : BIU Cujas

dicialem tamen cognitionem requirunt, non possunt expediri, nisi coram iudice competente.

§. 56. In primis datio tutorum, familia erciscunda, confirmatio vnionis prolium, et mansionis redituum in praedio reseruatorum pertinent ad solum iudicem personae ordinarium; at voluntariae subhastationes et adiudicationes bonorum immobilium ad iudicem rei sitae.

§. 57. Pacta, quibus communio bonorum inter coniuges debet introduci, aut excludi iis locis, quibus ei locus est ex legibus prouincialibus aut statutis, coram iudice personali ordinario sunt celebranda. (P. II. Tit. I. Sect. VI.)

§. 58. Donationes, si iis donationum iudicialium vis esse debeat, coram donatoris iudice competente sunt faciendae. (P. I. Tit. XI. §. 1089. 1092. 1094. 1095.)

§. 59. Actus, qui, cum in iudicio sint expediendi, tantum coram iustitiae commissario (§. 52.) aut, cum coram iudice competente sint absoluendi, coram iudice alio (§. 53-58.) sunt peracti, habentur pro actibus fide publica prorsus non munitis, aut prorsus non in iudicio peractis; et catenus tantum valent, quatenus actus, de quo quaeritur, tanquam actus mere priuatus producere potest effectus legales.

§. 60. Si iudex actum, quem iure expedire in se potest, extra iurisdictionis suae districtum expediuit; procedendum est secundum praecepta tituli duodecimi partis primae §. 73. sqq.

Determinationes propiores iurisdictionis ciuilis et criminalis.

§. 61. Vbi nulla sunt constituta politiae iudicia separata, ibi ciuilem iurisdictionem habenti quoque est obligatio, legum politiae violationes et delicta leuiora cognoscendi et puniendi.

§. 62. Leuiora huius generis delicta sunt ea, de quibus leges ad summum tantum dierum quatuordecim

Source : BIU Cujas

cim poenam carceris, aut operis conſtituerunt, aut multam pecuniariam ad quinque thaleros vsque.

§. 63. Ad iurisdictionem ciuilem quoque pertinent hominum plebeiorum delicta alia, ſecundum leges caſtigatione tantum modica, aut expoſitione publica, at non infamante, vindicanda.

§. 64. Quatenus famulorum liberorum, vel eorum, qui operas ſuas locare coguntur, aut operariorum delicta leuiora a patrefamilias aut praedii domino quolibet poſſint vindicari, ſuo loco eſt determinatum. (Tit. V. Tit. VII. §. 77. 80. 81. Tit. VIII. §. 227. ſqq.)

§. 65. In delictis quoque grauioribus, ſi abſens eſt iudex criminalis, aut a loco nimium remotus, obligatur quilibet iurisdictionem habens, vt diſponat ad eruenda vera et deprehendendum auctorem neceſſaria omnia, quae moram non patiuntur.

§. 66. At vltra hos fines, ſine mandato expreſſo, ciuili iudici nulli licet, iurisdictionem criminalem ſibi arrogare; ſed eum oportet iudici competenti ſine mora tradere inquiſitum.

§. 67. Sententia omnis, poenam criminalem veram infligens, ante publicationem et executionem ad ſuperius prouinciae iudicium eſt transmittenda. Limitationes iurisdictionis priuatae criminalis.

§. 68. Poenae criminales verae hic vocantur, quae excedunt modum politiae poenarum §. 62. definitarum.

§. 69. Sententiae ſecundum praeceptum §. 67. tunc quoque ſunt transmittendae, ſi leges de facto ipſo, quod inquiſitionis fuit obiectum, poenam ergaſtuli, condemnationem ad locum munitum (*Feſtungsſtrafe*), aut poenam criminalem duriorem conſtituunt; licet in reum poena leuior aut plane nulla re vera ſit decreta.



Source : BIU Cujas

§. 70. In litibus de iniuriis, quibus de satisfactione priuata et poena publica simul cognoscitur, transmissio sententiae praeuia non est necessaria.

§. 71. Cadauere inuento, acta transmittenda sunt, licet mortis modus violentus nullus eruatur, aut nemo existat, in quem inquisitio de facto locum habeat.

§. 72. In quibus casibus sententiae criminales supremo regni imperanti exhibendae sint, suo loco est praeceptum. (Tit. XIII. §. 8.)

Iurisdictionis exercitium.

§. 73. Ex inuestitura cum iurisdictione nondum sequitur ius exercitii iurisdictionis proprii.

§. 74. Qui iurisdictionem sibi conceſſam ipse cupit exercere, is muneri isti se reddat idoneum necesse est modo, in legibus ad obtinendum iudicis munus in genere praescripto; et facto examinis periculo, regno seperatim adstringatur sacramento ad huius muneris functionem.

§. 75. Qui iurisdictionem suam propriam ipse exercet, in rebus suis propriis iudex esse nunquam potest; sed eas causas, ex quibus ipsius aut familiae suae personarum interest, relinquere eum oportet iudicio prouinciae superiori, quod de iis cognoscat et decidat. (§. 41. sqq.)

§. 76. Qui iurisdictionem suam ipse administrare non potest aut recusat, administratorem constituat necesse est, a regno, examine antea instituto, ad eiusmodi munus iudiciale idoneum cognitum.

§. 77. Tali administratori iurisdictionis administratio in genere per installationem ordinariam est demandanda; neque hic tantum adhibeatur in casibus singulis obuenientibus pro itineris victusque per dies singulos sumtibus. (*Diäten*)

§. 78. Iurisdictionis dominum oportet eum iurisdictioni subiectis rite praesentare, et iis praesentibus iureiurando adstringere ad iurisdictionis ad-

Source : BIU Cujas

miniſtrationem iuſtam et integram, ſine vllo partium ſtudio, ad regni leges.

§. 79. Iurisdictionis dominus priuatus omnis obligatur, vt iudicio prouinciae ſuperiori indicet eum, quem iurisdictionis adminiſtratorem elegit, et vel probet eius habilitatem ſecundum §. 76. vel eum ſiſtat ad examinationem neceſſariam.

§. 80. In locis, vbi deſunt homines idonei, qui fungi iurisdictionis adminiſtrationibus ſingulis poſſunt, iurisdictionis dominos conuenire inter ſe oportet de conſtituendo communi iurisdictionis adminiſtratore.

§. 81. Actus iurisdictionis, a iudice qualitatibus neceſſariis non praedito (non rite qualificato) expediti, ſunt nulli.

§. 82. Iurisdictionis dominus, officia ſua in iudiciis rite conſtituendis negligens, aut alias eorum reſpectu ſuſcipiens actus, quos expediendi ius ei non competit, poena afficiatur, et reſarciat damnum datum omne.

§. 83. Superiori prouinciae iudicio ius quoque eſt et obligatio, dominum iurisdictionis priuatum, qui iudiciis ſuis iurisdictionis adminiſtratorem qualitatibus requiſitis praeditum (rite qualificatum) praeficere negligit, iuſſis poenalibus cogendi, vt officio ſuo ſatisfaciat.

§. 84. Quae ſi fuerint irrita; iudicium ſuperius ipſum oportet eiusmodi iurisdictionis adminiſtratorem denominare, et eius ſalarium pro negotiorum ambitu determinare.

§. 85. Qui iurisdictione ſua ad opprimendos iurisdictioni ſubiectos abutitur, praeter poenam alias iam commiſſam, iurisdictione pro ſua perſona declaretur perpetuo priuatus. Iurisdictionis abuſus.

§. 86. Tunc iurisdictionis exercitium, dum reus adhuc eſt in praedii, cui iurisdictio inhaeret, poſſeſſione ciuili, cedit regno, et iurisdictio adminiſtratur



Source : BIU Cujas

ab administratore, a superiori prouinciae iudicio constituto.

§. 87. Quatenus iurisdictionis emolumenta non sufficiunt ferendis eius oneribus, deiectum iurisdictionis dominum, quae deficiunt, conferre ex propriis oportet.

§. 88. Si plures sunt iurisdictionis socii; regnum tantum in eius locum succedit, qui secundum §. 85. iurisdictione est priuatus.

§. 89. Corporationis aut vniuersitatis membra, quae eiusmodi iurisdictionis abusum commiserunt, amittunt ius suffragii in eligendo iudice.

Obligatio iurisdictionis ad praestationem.

§. 90. Iurisdictionis dominus, iudicia sua secundum legum praecepta rite constituens, non obligatur ad praestanda eorum facta et omissa.

§. 91. Partibus vero de damno oriundo tenetur, si iudiciorum dispositiones praeoccupat, aut ea impedit, quo minus officia sua adimpleant.

§. 92. Atque etiam, si a iudicio admonitus impensas ad iustitiam ordinario administrandam necessarias suppeditare, aut ea, quae necessaria sunt, disponere recusat aut negligit. (§. 102. 103.)

§. 93. In primis, si ad exercendum iudicium, ad seruandum acta, libros hypothecarios et pecunias, documenta et res alias, in iudicio deponendas, non assignat locum conuenientem et ex legum praeceptis satis tutum. (§. 104.)

§. 94. Porro, si non curat carceres idoneos ad detinendum in custodiam traditos ob delictum ciuile et criminale. (§. 105.)

§. 95. Atque etiam, si in eligendis iis, quibus depositorium cum eius clauibus est committendum, culpam, licet leuem tantum, committit.

§. 96. Et si in iis casibus, vbi depositoria curae supremi iustitiae administrandae collegii immediatae non subsunt, minus rite instituit aerariorum reuisionem et rationum acceptionem.

Source : BIU Cujas

§. 97. In genere in casibus omnibus, si non tempestiue detulit ad iustitiae administrandae collegium prouinciale confusiones, facta regulis contraria, aut moras in administranda iurisdictione illicitas, quarum notitiam ad eum peruenisse infitiari nequit.

§. 98. Caeterum iudex inferior omnis ratione negotiorum muneris subest directioni regni et iudicii superioris, a regno ipsi praepositi. Rationes iudicum inferiorum ad regnum.

§. 99. Qui iudicis officio fungitur, de muneris administratione coram iudiciis praepositis aut regni collegiis tantum potest in ius vocari, et ab his tantum contra eum inquisitio institui, et poena aut muneris priuatio decerni.

§. 100. Diuersa iudiciorum superiorum genera, eorumque fines determinati sunt in ordinationibus de instantiis latis (*Ressortreglement*). Iudicia superiora.

§. 101. Iurisdictionis ordinariae ambitus, et casus, vbi exceptiones ab ea locum habent, in processus ordinatione sunt praescripti.

§. 102. Qui iurisdictionis ius exercet, eum quoque ferre oportet impensas, ad sustinenda iudicia rite composita necessarias. Iurisdictionis onera.

§. 103. Iustitiae officiali omni proportione negotiorum suorum constituatur certum salarium, at nunquam pro salario ei assignentur sportulae.

§. 104. Loco ad actus iudiciales expediendos destinato omnia sint requisita necesse est, secundum ordinationes regiastraturae et depositorii.

§. 105. Cui iurisdictio criminalis competit, curet necesse est, vt carceres sint tuti, et valetudini deprehensorum innocui.

§. 106. Quatenus inquisitus facultatibus propriis est destitutus, eatenus iurisdictione inuestitum oportet illi suppeditare alimenta necessaria, et ferre processus et executionis impensas reliquas omnes.

§. 107. Alimenta familiae inquisiti ad onera iurisdictionis criminalis non referuntur.



Source : BIU Cujas

§. 108. Ad subleuandum collatione communi iurisdictionis impensas et onera, in antecedentibus exposita, pluribus iurisdictione inuestitis licet, sciente collegio, cui iustitia prouinciae administranda demandata est, coniunctiones et associationes inire.

§. 109. Ad custodiendos custodiae traditos, vbi opus fuerit, iurisdictioni subiecti sunt obligati.

§. 110. At vero, si iurisdictionis dominus non curauit carceres idoneos, secundum praeceptum §. 105. vt ex ea causa sola detenti custodiendi sint per tempus diebus octo longius; iurisdictioni subiectos indemnes praestet necesse est.

§. 111. Iurisdictioni subiectos aduehere et reducere oportet iudicem et inquisitorem, quotiescunque fuerit opus.

§. 112. At iurisdictionis dominum, si iustitiarium ex loco remoto elegit, necessitate nulla vrgente, vecturas ex propriis curare oportet.

Emolumenta iurisdictionis.

§. 113. Ad compensanda iurisdictionis onera, iurisdictione inuestitis, secundum diuersas prouinciarum constitutiones, concessa sunt iura et emolumenta definita.

§. 114. Iurisdictionis, intabulationis, et confirmationis sportulae, atque etiam multae pecuniariae, thalerorum quinque summam non excedentes, pertinent ad iurisdictionis ciuilis reditus.

§. 115. Vbi politiae iudicia separata non sunt constituta, ibi multae pecuniariae solis politiae legibus determinatae, absque summae discrimine, iudiciis cedunt ciuilibus.

§. 116. Honorarium protectionis (*Schutzgelder*) et laudemium solito ad iurisdictionis ciuilis emolumenta pertinent.

§. 117. Pecuniae pro personarum et rerum dimissione soluendae fluunt ex iure domini fundi.

§. 118. Ad iurisdictionis criminalis reditus, praeter sportulas iudiciales solitas, pertinent quoque de-

Source : BIU Cujas

cumae auenae seu auena sic dicta iudicialis, et deuolutio rerum furto ablatarum, quatenus earum dominus nequit erui.

§. 119. Multae pecuniariae, in legibus de certis delictorum generibus constitutae, et a regno suis poenarum aut pauperum aerariis non speciatim reseruatae, sunt iurisdictionem criminalem habentis.

§. 120. Si lex electionem multae pecuniariae aut poenae corporis afflictiuae iudicis arbitrio relinquit; illa, licet in instantia superiore demum fuerit decreta, cedit iurisdictionis criminalis domino instantiae primae.

§. 121. At vero, si lex poenam tantum definit corporis afflictiuam, quae ex mera tantum gratia commutatur in multam pecuniariam; haec fisco cedit.

§. 122. At contra, si poena corporis afflictiua legibus statuta mutatur in multam pecuniariam, ex ea causa, quod legem violans pro singulari corporis constitutione poena corporis afflictiua nequit affici; multa pecuniaria cedat aerario, pauperibus alendis in eius domicilii loco inseruienti.

§. 123. Quatenus conductionum mercedes carnificum et excoriatorum ad iurisdictionem criminalem aut supremam imperantis referendae sint, ex specialibus prouinciae cuiusque constitutionibus pendet.

§. 124. In genere iudicio nulli ius competit, sportulas alias aut plures exigendi, ac regnum expresse approbauit atque constituit.

§. 125. Regno reddatur ratio sportularum iudicialium omnium, et omnium a collegiis, quibus cura iustitiae in regno demandata est, acceptorum ad eas pertinentium, et in primis impendantur determinatis salariis, atque etiam aliis iustitiae administrationis necessitatibus.

§. 126. Ad iurisdictionis supremae iura vtilia regno reseruata in primis pertinent bona ob delictum



Source : BIU Cujas

quoddam confiſcata; poenae fiſcales, et emigrationis gabella et cenſus (*Abfahrtsgelder*) de bonis et hereditatibus extra regnum exportandis ſoluendi.

## Sectio Secunda.

### *De emigrationibus, et cenſibus emigrationis et detractionis.*

Principia generalia de emigrationibus.

§. 127. Subdito regni nulli licet, regno inſcio, ſupremae iurisdictioni ſe ſubducere emigrando.

§. 128. De militiae adſcriptis (*Cantoniſten*), regimento cuidam obligatis, valent praecepta tituli decimi §. 48. ſqq.

§. 129. Patribus orbi, absque ſpeciali regni conſenſu, in terras exteras non deducantur.

§. 130. Quae regni incolarum claſſes, praeter antecedentes, regni venia emigrandi ſpeciali indigeant, in legibus prouincialibus definitur.

§. 131. Peregrini, qui in terris noſtris quidem commorati, in iis neque munere ſunt functi, neque fundos emerunt, neque quaeſtus ciuicos fecerunt, ex regno decedere quouis tempore pro arbitrio poſſunt.

§. 132. Iis quoque extraneis, qui in terris noſtris re vera ſedem fixam collocarunt, licet, intra annos decem primos poſt aduentum ſuum emigrare; at, quod ceperunt, emigrandi conſilium regno indicare eos oportet.

§. 133. Iis, qui literis humanitatis et artibus liberalibus nauarunt operam, ſi vel alias ſpeciali emigrandi venia indigeant, non debet hac denegata venia eripi oblata occaſio, in terris exteris rebus ſuis melius proſpiciendi.

§. 134. Quae venia neque deneganda eſt feminis, ad hanc claſſem ſpeciali emigrandi venia indigentem pertinentibus, ſi in terris exteris nubendo rebus ſuis poſſunt proſpicere.

Source : BIU Cujas

§. 135. Aliis quoque eiusdem classis afferentibus, quaestu, quem sibi instituerunt, alimenta in terris nostris non posse comparari, regnum vel det quaestus exercendi occasionem, vel expetitam emigrandi veniam concedat necesse est.

§. 136. In casibus omnibus, vbi familiae capiti emigratio licet, aut permittitur, secum abducere potest vxorem suam et liberos, in sua potestate adhuc constitutos, et famulos in regnum secum adductos, qui adhuc sunt in eius ministerio.

§. 137. Famuli indigenae non participant libertatem aut impetratam emigrandi veniam patrifamilias competentem, sed diiudicantur ex qualitate personali propria.

§. 138. Peregrinae, nostris incolis nuptae, maritis mortuis, semper, et absque casuum discrimine, reuerti in patriam possunt.

§. 139. Qui indicatione praescripta omissa, et regni venia necessaria non impetrata, emigrare conatur, arbitrariam multam commisit pecuniariam, aut poenam corporis afflictiuam.

§. 140. Qui censum emigrationis regno competentem huic intendit subtrahere, eum poenae loco soluere oportet eius quadruplum.

I. De emigrationis censu. (*Abfahrtsgeld*)

§. 141. Qui emigrandi libertate sua aut impetrata venia cupit vti, eum de bonis suis indigenis regno in regula decem pro centum, tanquam emigrationis gabellam oportet soluere.

§. 142. Vbi cum rebus publicis exteris ideo pacta et obseruantiae singulares vigent, ibi iis in posterum quoque est standum.

Quae bona et res emigrationis gabellae non sint subiectae.

§. 143. De bonis, ex prouincia regia alia in aliam tantum transportatis, regni fisco gabella emigrationis non soluitur.

§. 144. Reditus bonorum immobilium, vsurae, pecuniae pro alimentis soluendae, atque reditus annui alii, gabellae emigrationis non sunt obnoxii.



Source : BIU Cujas

§. 145. At vero, si regni vasalli possessiones habentes (possessionati) absque expressa eius venia emigrant, reditus bonorum suorum immobilium extra regni fines consumentes; de his quoque reditibus emigrationis censum soluere eos oportet.

§. 146. Si de eo quoque cum ea ditione, in quam emigrans se contulit, pacta singularia aut consuetudines bene partae obtinent; iis est standum.

§. 147. Si subditi extranei sortes in terris nostris elocarunt; de hac pecunia eo modo in regnum adueda, si exportatur, gabella nulla soluitur.

§. 148. Extranei, qui domicilio in regno non constituto fundos emerunt, quos postea alienarunt, soluti emtionis venditionis pretii fine gabella exportare tantum possunt, quantum in fundos emendos et meliorationes substantiae factas de bonis suis exteris se impendisse possunt probare.

§. 149. Peregrini, qui in terris nostris tantum sunt commorati, vel per decem annos nondum sedem fixam in iis collocarunt (§. 131. 132.), non obligantur ad censum emigrationis soluendum de bonis secum allatis.

§. 150. Peregrinae quoque in nostris terris nuptae, in patriam reuertentes, emigrationis gabellam tantum soluunt de bonis in terris nostris acquisitis.

Quae ad bona gabellae obnoxia sint referenda aut non referenda.

§. 151. Quidquid regni incola bonis suis indigenis extra terras nostras acquisiuit, annumeratur bonis eius indigenis.

§. 152. Lucrum quoque negotiationum exoticarum, ex bonis suis indigenis institutarum, emigrantis rationibus potest inferri.

§. 153. Indigenam emigrantem, qui possessiones suas exteras (§. 151. 152.) aliunde ac bonis indigenis acquisiuisse asserit, assertionis huius veritatem probare oportet.

Source : BIU Cujas

§. 154. Suppellectilia atque inſtrumenta oeconomica lignea et vulgaria alia; veſtimenta et linteamina; eſculenta et potulenta proprio emigrantis vſui deſtinata, in computanda gabella non computantur.

§. 155. Idem valet de libris, bibliothecis, operum artis et rerum naturalium collectionibus, emigrantis vſui proprio deſtinatis.

§. 156. Emigrans obligatur, vt rem familiarem fideliter, et, ſi viſum fuerit, iureiurando indicet. Quomodo bonorum ſumma ſit eruenda.

§. 157. Si fiſcus dubitat de veritate pretii ſimul indicati omnium bonorum aut nonnullarum eorum partium; ei petere licet iudicialem eorum aeſtumationem.

§. 158. De bonis e regno exportandis in gabella computanda deducenda ſunt debita vera et certa, inde ſoluenda.

§. 159. Si emigrans bona poſſidet in terris exteris cenſui emigrationis non obnoxia, valet praeſumtio, debita extera intuitu bonorum exterorum fuiſſe contracta.

§. 160. Ad cenſum emigrationis ſoluendum emigrans, ſimul ac ipſe ex regno decedit, eſt obligatus, atque a regni arbitrio ſolo pendet, an velit ſecuritate idonea praeſtita ſoluendi moram concedere, vsque donec quoque exportantur bona reſidua. Quo tempore cenſus emigrationis ſit ſoluendus.

§. 161. Hereditates incolae regni, ad ſubditum extraneum deuolutae, detractus iuri ſubſunt, ſi ex regno exportantur. II. De detractione ſ. detractu. (*Abſchoſs*)

§. 162. Idem valet de dotibus, legatis et omnis generis donationibus, quae ex indigenae bonis extraneo ſunt collatae.

§. 163. Si extranei defuncti bona indigena, ad extraneum alium hereditate aut legato deuoluta, ex regno debent exportari; ea detractui eatenus tantum ſunt ſubiecta, quatenus hereditatem relinquentem ipſum, ea bona ex terris noſtris exportaturum, cenſum emigrationis de iis ſoluere oportuiſſet.

Source : BIU Cujas

§. 164. Quid iuris sit, si hereditas detractioni subiecta est vendita, suo loco est definitum. (P. I. Tit. XI. §. 507. 510.)

§. 165. Quae de gabella s. censu emigrationis §. 141. 142. 143. 144. 151. 152. 153. sunt praecepta, valent quoque in regula de detractione.

§. 166. At contra, bonorum partes, secundum §. 154. 155. emigrationis censui non obnoxiae, in regula nullo modo a detractione sunt immunes.

§. 167. Si indigena hereditatem reliquens, dum adhuc viueret, liberorum suorum vnum aut alium in terris exteris domicilium collocantem rebus necessariis instruxit, ex eius hereditate indigena semper, et absque discrimine casuum, praestatur census s. gabella emigrationis aut detractionis, quam regnum de pecuniis, oeconomiae in terris exteris institutae impensis, potest exigere.

§. 168. Si ad hereditatem relictam bona pertinent indigena, et exotica iuri detractus non obnoxia, cuius hereditatis coheredes et indigenae et exteri sunt participes; heredibus de hereditate diuidunda sic inter se conuenire licet, vt bona extera extraneis, et bona indigena indigenis, in portionem hereditariam assignentur.

§. 169. Tunc bona indigena ad hereditatem relictam pertinentia detractioni eatenus tantum sunt obnoxia, quatenus ad exaequandos heredes exteros adhuc aliquid ex regno est exportandum.

§. 170. Gabella detractionis statim est soluenda, simulac heres extraneus declarauit voluntatem suam, se in nostris terris sedem fixam non esse collocaturum.

§. 171. Eo vsque, et vsque dum tota hereditas relicta nondum exportatur, heredem extraneum de tota gabellae detractionis summa securitatem oportet praestare.

§. 172. Quo modo res publicae aliae intuitu hereditatum, legatorum, dotium et donationum in

Source : BIU Cujas

noſtras terras transportandarum ſe gerunt, eodem modo tractentur et ſubditi noſtri in earum terras migrantes, aut hereditates etc. in eas transportandae.

§. 173. Quatenus respublicae exterae ſubditorum noſtrorum ibi defunctorum hereditates relictas, quae in earum ſunt terris, ſibi arrogant, eatenus ex regni noſtri parte retorſionis ius locum habeat.

III. Conceſſio iuris gabellae emigrationis et detractionis, perſonis priuatis facta.

§. 174. Quae de acquiſitione et vſu regalium minorum in genere, intuitu perſonarum priuatarum ſunt praecepta, iis quoque locus eſt de iure gabellae emigrationis et detractionis.

§. 175. Iuris detractus, magiſtratibus et iurisdictionis dominis conceſſi, obiecta et fines diiudicandi ſunt ex verbis conceptis priuilegiorum, et poſſeſſionis ſtatu legitime praeſcripto.

§. 176. In iure, de bonis ex iurisdictione ſua ad loca alia, in terris regiis ſita, transportandis gabellam emigrationis aut detractionis exigendi, in poſterum tantum tueantur ii magiſtratus et iurisdictionis domini, qui ante annum 1777. fuerunt in huius iuris poſſeſſione, priuilegiis aut legitima praeſcriptione fundata.

§. 177. Caeterum caſus et genera bonorum, quae ab emigrationis aut detractionis gabella regno ſoluenda ſunt immunia, ex his iisdem legibus in regula diiudicanda ſunt, intuitu quoque priuatorum, quibus idem ius competit.

§. 178. At vero, ſi regnum cum rebus publicis exteris de mutua gabellae emigrationis aut detractionis immunitate pacta init, in iis ineundis ſemper habeatur ratio neceſſaria iurium priuatorum, quibus hoc ius competit.

§. 179. Si vno eodemque loco, quo alter iurisdictione ſuperiore (alta), at alter tantum inferiore (baſſa) eſt inueſtitus, vtrique iurisdictionis domini de iure gabellae emigrationis aut detractionis inter ſe contendunt; pro illo ſtat praeſumtio.

Source : BIU Cujas

§. 180. Magiſtratus iurisdictionis priuatus gabellam emigrationis aut detractionis de iis tantum bonis poteſt exigere, quae re vera ſunt in eius iurisdictionis finibus.

§. 181. Ad quae tamen bona quoque referuntur ſortes, ab emigrante aut hereditatem relinquente, licet ſub alia iurisdictione, elocatae.

§. 182. De iis autem bonis, de quibus in caſibus §. 151. 152. et 167. regnum in emigrationibus, aut exportandis hereditatibus gabellam emigrationis aut detractionis poteſt exigere, priuatus, cui hoc ius competit, ius non habet, exigendi gabellam emigrationis aut detractionis, ſi iurisdictioni ſuae ſubiectus, aut eius hereditas relicta, in aliam tantum terrarum noſtrarum iurisdictionem tranſit.

§. 183. Quatenus in ſe locus eſt emigrationis aut detractionis gabellae, quam priuatus, cui ius competit, ſecundum principia antecedentia nequit exigere, ea regno eſt ſoluenda.

Source : BIU Cujas

# TITVLVS DECIMVS OCTAVVS.

## De tutela et cura.

§. 1. Perſonae, quae rebus ſuis ipſae proſpicere nequeunt, ſpeciali regno curae et proſpicientiae ſubſunt. Principia generalia.

§. 2. Quae tamen proſpicientia ad eiusmodi perſonas eatenus tantum extenditur, quatenus non amplius ſunt ſub patria poteſtate et cura, aut cura paterna ipſis prodeſſe nequit.

§. 3. Tutores vocantur ii, quibus regnum curandorum ſuorum curam intuitu rerum et negotiorum eorum omnium demandauit.

§. 4. Curatorum nomen eſt iis, qui curandis a regno conſtituti ſunt vel tantum ad perſonas eorum curandas, aut educandas, vel tantum ad expedienda negotia et res certas.

§. 5. Aſſiſtentes (*Beyſtände*) vero vocantur ii, quos quis aſſumit adiutores in certis negotiis, quae ſolus ſecundum ſingularia legum praecepta ſuſcipere non poteſt aut non audet.

### Sectio Prima.

### *De perſonis, quibus tutores vel curatores ſunt conſtituendi.*

§. 6. Ad regni curandos referuntur in primis infantes, pupilli et minores. (P. I. Tit. I. §. 25. 26.) Tutores conſtituendi ſunt, 1. pupillis et minoribus;

§. 7. Quibus omnibus tutores a regno ſunt conſtituendi.

Source : BIU Cujas

§. 8. Tutela de eiusmodi perſonis ordinanda eſt, ſi eae vel plane non veniunt in patriam poteſtatem, vel ſimulac iſta poteſtas morte finitur.

§. 9. Quid iuris ſit, patria poteſtate, antequam liberi maiorennitatem ſunt adepti, paternae voluntatis declaratione aut lege ſublata, in ſectione quarta tituli ſecundi eſt praeceptum. (Tit. II. §. 255. ſqq.)

§. 10. In caſibus omnibus, vbi iam nato propter aetatem minorem tutor eſt adiungendus, embryoni curator eſt conſtituendus.

§. 11. Quod fiat neceſſe eſt, ſimulac delata eſt feminae grauiditas vera, vel etiam tantum praeſumta. (Tit. II. §. 26. ſqq. §. 614. ſqq.)

2. furioſis et mente captis; §. 12. Furioſis et mente captis, ſub patris aut mariti cura non conſtitutis, a regno tutores ſunt dandi.

§. 13. Quis pro furioſo aut mente capto ſit habendus, iudicem oportet, medicis rerum peritis adhibitis, indagare et determinare. (P. I. Tit. I. §. 29. 30.)

3. prodigis; §. 14. Prodigis quoque, ſententia iudicis talibus, regnum tutores conſtituat neceſſe eſt. (ibid. §. 33.)

4. ſurdis et mutis ſimul; §. 15. Surdis et mutis ſimul natis, atque iis, qui annum decimum quartum nondum egreſſi in ſtatum hunc peruenerunt, tutor eſt a regno conſtituendus, ſimul ac ſub patria poteſtate non amplius ſunt conſtituti.

§. 16. Qui annum decimum quartum jam egreſſi ſurdi et muti ſunt facti, iis tunc tantum tutores ſunt conſtituendi, ſi mentem ſuam ſignis, quae poſſunt ab omnibus intelligi, exprimere nequeunt, atque adeo ad res ſuas curandas prorſus ſunt incapaces.

§. 17. At contra iis, quibus linguae et auditus defectus facultatem mentem exprimendi, et rebus ſuis proſpiciendi, difficiliorem tantum reddit, tutor nullus conſtituatur ipſis inuitis.

§. 18.

Source : BIU Cujas

§. 18. At obligantur tamen, vt adhibeant in actibus iudicialibus actorem ſ. aſſiſtentem.

§. 19. Abſentibus, quorum domicilium eſt incognitum, regnum ad bona eorum relicta conſeruanda, et ad res eorum reliquas curandas, tutores conſtituat neceſſe eſt. 5. Abſentibus.

§. 20. Tutor tunc eſt conſtituendus, ſi per annum integrum de abſente nihil innotuit.

§. 21. At tutor tamen conſtituendus quoque eſt ante elapſum annum primum, ſi caſus maioris momenti accidunt, in quibus res abſentis curandae nullam patiuntur moram.

§. 22. Si abſentis domicilium quidem eſt cognitum, at nuntius tamen eſt allatus, aut praeſumtiones ſunt probabiles, abſentem impediri inuitum, quo minus negotia ſua ipſe curet, ei quoque tutor eſt conſtituendus.

§. 23. Qui mandatarium ad curandas et expediendas res ſuas conſtituit, tutore nullo indiget.

§. 24. At abſenti tamen curator conſtituendus eſt in caſibus et rebus, ad quos mandatum datum non extenditur.

§. 25. Si mandatarius per annos tres a mandante nuntium nullum accepit; abſentis agnati aut cognati poſſunt petere, vt tutor conſtituatur abſenti.

§. 26. Hic exceptioni tunc tantum locus eſt, ſi mandatarius pacto legitimo abſentis heres eſt denominatus.

§. 27. Si mandatarius moritur; mandato renuntiat; rem male adminiſtrat; aut alias in eiusmodi rerum aut ſtatus diſcrimen peruenit, quod abſenti, ſi ipſi ſit notum, reuocandi mandati non ſine probabilitate cauſam praeberet, praeceptis §. 25. 26. quoque eſt locus.



Source : BIU Cujas

Curatores conſtituendi ſunt: 1. perſonis ante denominatis, ſub patria poteſtate adhuc conſtitutis;

§. 28. Si perſonae ante denominatae ſub patria poteſtate adhuc ſunt conſtitutae; regnum in iis tantum caſibus et rebus ad curam earum gerendam obligatur, vbi earum et patris commoda colliduntur.

§. 29. Quod ſi igitur pater cum eiusmodi liberis pacta velit inire, aut ſuſcipere negotia alia, quibus liberi ipſi debeant obligari, vel certis in eum iuribus priuari; regnum liberis ad ea oportet curatorem conſtituere.

§. 30. Quod idem fiat neceſſe eſt, ſi circa dotem liberis aſſignatam mutatio debeat fieri.

§. 31. Atque tum, ſi mutari debeant aut oppignorari fideicommiſſa, ad quae liberi a primo conſtituente ſimul ſunt vocati.

§. 32. Quibus in caſibus embryonibus, quorum ex fideicommiſſo intereſt, curatores ſint conſtituendi, ſuo loco eſt praeceptum. (Tit. IV. §. 95.)

§. 33. Diuortii lite (proceſſu) inter parentes liberorum adhuc minorennium exorta, liberis curator eſt conſtituendus.

§. 34. In primis vero liberis minorennibus ſub patria poteſtate adhuc conſtitutis curator eſt conſtituendus, ſi inter eos et patrem ſeparatio intuitu bonorum maternorum aut ipſorum peculii debeat fieri.

§. 35. Pater, ad vota alia progrediens, adigendus eſt, vt ſeparationem inſtituat inter ſe et liberos.

§. 36. Atque in caſibus omnibus, vbi ſecundum legum praecepta ad ſecuritatem de liberorum peculio praeſtandam eſt obligatus. (Tit. II. §. 179. ſqq.)

§. 37. Si eiusmodi liberis aliquid ſub expreſſa conditione, vt pater ab eius adminiſtratione excludatur, fuerit legatum, aut modo alio collatum; iis intuitu bonorum, eo modo delatorum, curator ſpecialis conſtituatur neceſſe eſt.

Source : BIU Cujas

§. 38. Et ii quoque, quos liberis legitimam oportet relinquere, patrem priuare poſſunt huius legitimae adminiſtratione.

§. 39. Vxores maiorennes in regula tutoribus a regno conſtitutis non indigent, licet in eum perueniant ſtatum, quo perſonis aliis tutor neceſſario eſſet conſtituendus. 2. vxoribus maiorennibus

§. 40. Tunc maritus, dum rebus ſuis ipſe praeeſſe poteſt, intuitu bonorum eiusmodi vxoris reſeruatorum, pro eius tutore eſt habendus.

§. 41. At vero, ſi de bonis illatis debeant diſponi ea, ad quae diſponenda leges expreſſum vxoris conſenſum requirunt; ad ea diſponenda vxori curator ſpecialis eſt conſtituendus. (Tit. I. §. 232. ſqq.)

§. 42. Idem fiat neceſſe eſt, ſi in diſpoſitione de bonis reſeruatis intereſſe mariti et vxoris commoda colliduntur.

§. 43. Bona vxoris ex lege morganatica adminiſtrationi mariti non ſubſunt.

§. 44. Hinc in caſibus omnibus, vbi perſonae aliae ſub tutela ſunt conſtituendae, tutor ſpecialis a regno ei eſt conſtituendus.

§. 45. In eligendo tutore conſtituendo iudicium tutelare, pro re nata, mariti quoque poteſt habere rationem.

§. 46. Tutorem habenti tunc tantum curator datur, ſi inter curandum et tutorem, in propriis tutoris rebus, negotium eſt expediendum. 3. perſonis, quibus tutor iam eſt datus;

§. 47. Regnum quoque curando ad negotia, quae praecipuam ſupponunt rei ſcientiam, a tutore non expectandam, conſtituere poteſt curatorem ſpecialem, ea ſcientia praeditum.

§. 48. Orta inter curandos plures, communem tutorem tantum habentes, ob intereſſe maius colliſione, parti vtrique ad hoc negotium expediendum curator eſt conſtituendus.



Source : BIU Cujas

4. Ignotis aut impeditis, quorum interest.

§. 49. Si casus obueniunt, vbi adhuc incertum est, quis ille sit, cuius ex re aut negotio quodam interfit; ignotis etiam, quorum interest, curator est dandus.

§. 50. Idem fieri debet, si in negotio moram non patiente aliquis, cuius interest, in se cognitus impeditur, quo minus iura sua satis cito ipse obseruet.

Personae, quae assistentes s. actores (*Beyſtände*) sibi debent eligere.

§. 51. Ad personas, quae certa negotia, adhibito tantum assistente, possunt expedire, referuntur:

1. feminae maiorennes innuptae;
2. vxores maritatae, neque tutore neque curatore indigentes;
3. caeci, aut morbo perpetuo laborantes;
4. surdi et muti simul, tutore non indigentes; (§. 17.)
5. personae, quae plane non possunt legere, vel scripta non legere, vel scribere ipsae nequeunt.

§. 52. In quibus negotiis eiusmodi personae assistente indigeant, de negotiis singulis huc pertinentibus in legibus est definitum.

§. 53. Vbi leges expresse non sanciunt, vt assistens adhibendus sit iuris peritus, ibi potest eligi masculus omnis, facultate et iure res suas administrandi gaudens.

§. 54. Assistens vel eligendus est ab eo ipso, qui eo indiget, vel huic, si eligere non potest aut recusat, adiungendus est a iudice, coram quo actus est perficiendus.

§. 55. Caeterum in eligendo et accipiendo assistente neque iudiciali confirmatione opus est, neque solennitatibus aliis separatis.

Source : BIU Cujas

## Sectio Secunda.

### *De iis, quibus tutorum et curatorum datio competit et incumbit.*

§. 56. Si liberi ob aetatem minorem sub tutela sunt constituendi; de ista tutela curare oportet iudicem, cuius foro pater pro sua persona vel tempore mortis fuit subiectus, vel subest tempore casus euenientis. Cuius sit, tutores et curatores constituere impuberibus et minoribus; atque

§. 57. Si pater mortis tempore forum personale habuit duplex, sub iurisdictione superiore et inferiore (alta et bassa), tutoris datio competit priori.

§. 58. Si iudicium vtrumque eiusdem est qualitatis, tutorem constituendi ius et obligatio est illi, in cuius iurisdictionis districtu pater mortis tempore habitauit.

§. 59. In quo casu (§. 58.), si pater, cuius liberis curator constituendus est, adhuc viuit, curator constituendus est ab eo horum fororum iudice, qui primus fuit rogatus.

§. 60. Si curator constituendus est ad administrandum fundum, in districtu alterius vtrius horum iudiciorum (§. 58.) situm, praeferendum est iudicium rei sitae.

§. 61. Quod attinet ad liberos minorennes, qualitatis liberorum ex matrimonio ad manum dextram susceptorum non factos participes, matris forum personale determinat ius et obligationem tutorem constituendi.

§. 62. Obligatio parentum ignotorum liberis expositis tutorem constituendi, incumbit iudicio inferiori loci, vbi sunt inuenti.

§. 63. In iis casibus, vbi non ob minorennitatem, sed ex aliis causis legalibus tutor vel curator alicui est constituendus, iudex fori personalis ad eum constituendum est obligatus. iis, qui ex aliis causis sub tutela sunt constituendi;



Source : BIU Cujas

§. 64. Si talis homo forum perſonae habet duplex, tutoris vel curatoris datio iudicio ſuperiori competit.

§. 65. Si iudicium vtrumque eiusdem eſt qualitatis, tutoris vel curatoris datio competit illi, in cuius diſtrictu domicilium habet eo tempore, quo caſus incidit.

§. 66. Si eo tempore loco tertio eſt commoratus, praecepta §. 59. 60. locum obtinent.

§. 67. Si iurisdictionis exercitium de perſonis, forum perſonae priuilegiatum in ſe habentibus, iudicio inferiori in perpetuum eſt delegatum; huic quoque competit ius tutorem dandi.

peregrinis; §. 68. Peregrinis, qui in eo ſunt, vt in terris noſtris ſedem figant, at in iis ſedem fixam nondum habent, aeque ac liberis, poſt mortem ipſorum forſan relictis, ſi opus fuerit, a iudicio prouinciae ſuperiore tutores ſunt conſtituendi.

§. 69. At ſuperiori tamen prouinciae iudicio licet, pro re nata, iudicio quoque inferiori rem demandare.

§. 70. Si peregrinus, pro ordine ſuo ad exemtos non referendus, de loco, quo in terris noſtris domicilium velit collocare, voluntatem ſuam iam perſpicue declarauerat; ius tutorem conſtituendi huius loci iudicio competit.

§. 71. Aliis peregrinis, qui vel ipſi in eum peruenerunt ſtatum, vt tutore indigeant, aut liberos relinquunt in eo ſtatu verſantes, curator conſtituendus eſt a iudicio loci, quo ipſi aut eorum liberi eo tempore degunt.

§. 72. At vero, eiusmodi curatoris officium tantum extenditur ad curandorum perſonae, et bonorum, quae ſecum habent, curam per tempus aliquod, vsque dum domicilii exteri iudicio caſus poteſt indicari, et ab hoc vlterius diſponi.

Source : BIU Cujas

§. 73. Si talis extraneus peregrinans (§. 71.) accenſetur exemtis; inferius loci, quo in terris noſtris eſt commoratus, iudicium ſine mora quidem oportet tutorem vel curatorem conſtituendum curare, niſi iudicium ſuperius eodem eſt loco;

§. 74. Sed iudicio prouinciae ſuperiori ſtatim caſum denuntiare, atque huic diſpoſitionem vlteriorem relinquere.

§. 75. Patre ex ordine militari mortuo, tutelae militibus. liberorum ab eo relictorum iudicia ciuilia proſpiciunt.

§. 76. Iudicio illi, cui pater exauctoratus ex propiore ordinationis proceſſus determinatione fuiſſet ſubiectus, incumbit officium liberis eius tutorem conſtituendi.

§. 77. Ad curatorem liberis militum, qui adhuc ſub patria ſunt poteſtate, conſtituendum iudicia militaria ſunt obligata.

§. 78. At ſimulac cum curatelae adminiſtratione ſimul bonorum adminiſtratio eſt coniuncta, iudicia ciuilia, a quibus, patre mortuo, tutor eſſet conſtituendus (§. 76.), curatelae directionem oportet ſuſcipere.

§. 79. Quibus tamen licet, ad gerendam adminiſtrationem eligere curatorem ſpecialem loco eius, quem iudicium militare ad rem regulandam conſtituerat, et eum praeſentare iudicio militari, quod eum iureiurando adſtringat.

§. 80. Milite in bello mortuo, iudicia militaria curae bonorum mobilium in bellum ſecum ductorum ſubtrahere ſe nequeunt, vsque donec ea bona, aut pretium inde exactum, ſecure poſſint tradi iudicio ciuili, cui obligatio tutorem conſtituendi incumbit.

§. 81. Iudex tutorem vel curatorem conſtituens, Cui iudici directio tutelae competat. dirigit tutelam de bonis omnibus in ſua iurisdictione, et extra eam.



Source : BIU Cujas

§. 82. Si curandus fundos et bona possidet in prouincia regia alia; iudicem rei, petente iudicio tutelari, oportet curatorem specialem constituere, et curam immediatam suscipere.

§. 83. Si curandi indigenae bona et fundos in terris exteris possident; iudex exterus rei sitae est rogandus, vt bona et fundos eos administret, eorumque reditus tradendos curet tutori indigenae, qui rationes eorum reddat eosque exhibeat.

§. 84. Idem quoque vice versa, si scilicet curandi exteri in terris nostris bona et fundos possident, ab indigena iudice rei obseruandum est, at saluo tamen retorsionis iure.

§. 85. Mutatio domicilii curandorum, aut eorum parentum, mutationem in dirigenda tutela nullam efficit.

§. 86. Si tamen curandorum rationes exigunt, vt directio tutelae committatur loci commutati iudici; hic ad eam suscipiendam obligatur.

§. 87. Quodlibet quoque iudicium, a quo liberis, patre adhuc viuo, curator tantum fuit constitutus, vlteriorem huius curatelae directionem ei iudicio debet relinquere, cui incumbit officium, patre defuncto his liberis tutorem constituendi.

§. 88. Si cui ex ordine militari, aut eius liberis, tutor vel curator a iudicio militari fuit constitutus; iurisdictione postea alio etiam modo, ac morte, prorsus cessante, tutelam vel curatelam vlterius dirigendam illud iudicium oportet suscipere, ad quod pater secundum §. 76. reuertitur.

§. 89. Si praeter hunc casum curandorum pater, quo viuo liberis curator specialis fuit constituendus, domicilium aut forum commutat; nihilo minus curatelae directio ei iudicio est relinquenda, quod eam constituit, nisi pater expresse postulat, vt cedatur iudicio loci, quo praesens habet domicilium.

Source : BIU Cujas

§. 90. Vt perſonis iis, quae ſibimet ipſae praeeſſe nequeunt, tutores conſtituantur, ex officio curare oportet et iudicem loci, quo degunt, et iudicium, cui ius competit, tutorem conſtituendi. Qui ad tutores petendos ſint obligati.

§. 91. Si iudex loci non ſimul eſt iudex tutelae; vtroque iudicio non vno eodemque loco verſante, iudicem loci caſum, qui accidit, ſtatim indicare oportet iudici tutelae.

§. 92. Talium perſonarum cognati, coniuges, parens ſuperſtes, iudici denuntient exiſtentiam caſus, in quo ſecundum leges tutor eſt conſtituendus, et tutoris conſtitutionem vrgeant neceſſe eſt.

§. 93. Parochi, iudicia pagana, et alii, quibus denuntiatio mortuorum, tanquam officium eſt iniunctum, obligantur, vt denuntient magiſtratui, ſi defunctus relinquit perſonas tutoribus indigentes. (Tit. VII. §. 67. Tit. XI. §. 478-480.)

§. 94. Neque huic obligationi ſe poſſunt ſubtrahere collegii opificum ſeniores, et conciues alii, quibus cum patre curandi, aut cum curando ipſo, tanquam negotiationis ſociis, aut ex cauſa alia, propior interceſſit neceſſitudo.

§. 95. Si ille, cui eiusmodi denuntiatio incumbit, ignorat iudicium, cui ius tutorem conſtituendi competit; ſufficit, ſi res tantum denuntiatur iudici vlli, ſiue loci, ſiue in propinquo verſanti.

§. 96. Qui ſi quoque ignorat, quis tutorem debeat conſtituere, caſum iſtum ſtatim ad prouinciae iudicium ſuperius referat neceſſe eſt.

§. 97. Minorum, furioſorum aut mente captorum cognati, qui, poſtquam caſus in eorum peruenit notitiam, negligunt denuntiationem iis incumbentem, curandis praeſtant damnum omno inde datum.

§. 98. Propinquior prae remotiore in primis damnum praeſtat, et plures aeque propinqui ex partibus aequalibus.



Source : BIU Cujas

§. 99. Eodem modo cognati, officium furioſo tutorem petendi negligentes, tertio quoque praeſtant damnum, ex hac omiſſione, a furioſo datum, quatenus damni reparationi in genere eſt locus, et laeſo modo nullo alio damnum poteſt refarciri. (P. I. Tit. VI. §. 41. 44.)

§. 100. Cognati, ſiue gradu, quarto remotiore, cum curando coniuncti, ſiue cum eo non eodem loco degentes, tunc tantum praeſtant damnum, ſi denuntiationem omiſerunt doloſe animo impediendi, quo minus tutor conſtituatur.

§. 101. Si minorennibus patre mortuo tutor eſt conſtituendus; matrem oportet diutiſſime intra ſex hebdomadas poſt mortem mariti liberis tutorem petere.

§. 102. Quod ſi negligit, non ſolum praecipue prae cognatis omnibus praeſtat liberis damnum omne, ex tutela non data exortum, ſed a tutela etiam prorſus excluditur.

§. 103. Quid iuris ſit, ſi viduus aut vidua, ad nouas progrediatur nuptias, ſeparatione a liberis prioris matrimonii nulla facta, neque eum in finem petito tutore vel curatore iis conſtituendo, ſuo loco eſt definitum. (Tit. I. §. 18. ſqq. §. 1013. ſqq.)

§. 104. In iis caſibus, vbi perſonae maritatae tutor vel curator eſt conſtituendus, coniux alter ad faciendam denuntiationem neceſſariam praecipue prae aliis omnibus eſt obligatus.

§. 105. Reliqui omnes, ſecundum §. 93. 94. ad denuntiandum obligati, denuntiatione omiſſa, ob officium neglectum pro re nata, et proportione damni inde orti, afficiuntur poena fiſcali thalerorum quinque ad quinquaginta vsque.

§. 106. Si perſonarum ad denuntiandum obligatarum aliqua rem re vera denuntiat; ea denuntiatione facta liberat omnes ab obligatione refarciendi damni poſtea oriundi.

Source : BIU Cujas

§. 107. Iudex omnis, officia ſua in tutoribus vel curatoribus, curandis ſuis, rite conſtituendis negligens, ſemper poenam commiſit fiſcalem; et praeterea curando damnum omne praeſtat.

§. 108. Eadem damni praeſtatio et poena in iudicem inferiorem cadit, qui caſum, in ſua iurisdictione obuenientem, non denuntiat iudicio ſuperiori, cuius eſt de eo curare.

## Sectio Tertia.

### *De perſonis, ad munus tutoris ſuſcipiendum obligatis et idoneis.*

Ius iudicis generale, in tutoribus conſtituendis.

§. 109. Ciuis regni nullus tutelae a magiſtratu ipſi demandatae ſe poteſt ſubducere, absque cauſis ſingularibus et grauioribus.

§. 110. Electio perſonarum, quae tutores vel curatores debeant conſtitui, arbitrio relinquitur iudicis eius, cui tutelae vel curatelae conſtitutio incumbit. (§. 56. ſqq.)

§. 111. Huic ius competit, conſilia de perſona conſtituenda a cognatis aut collegii opificum ſenioribus expetendi.

De conſtituendo vno tutore pluribus curandis; et de conſtituendis pluribus tutoribus curando vni.

§. 112. Fratribus et ſororibus pluribus tutor communis vnus conſtitutus ſufficit.

§. 113. At quoque tutores plures perſonae vni poſſunt conſtitui.

§. 114. In caſu poſteriore a iudicis diſpoſitione pendet, vtrum et quomodo negotia inter hos plures tutores debeant diſtribui, an communiter ab iis curari.

Ratio tutorum plurium inter ſe inuicem.

§. 115. Tutores plures, ad curandi negotia communiter expedienda conſtituti, perſonam agunt moralem vnam.

§. 116. Quidquid igitur eorum vnus, aut plures, reliquis non adhibitis, ſuſcipiunt, curandum non magis obligat, ac ſi ab alieno fuiſſet actum.

Source : BIU Cujas

§. 117. Si inter tutores de negotio fuſcipiendo non conuenit; non vota decidunt plurima, ſed res iudicio tutelari proponenda eſt ad decidendum.

§. 118. Ratio, quae inter eiusmodi tutores intercedit (§. 115.), non mutatur, licet adminiſtrationem negotiorum diuerſorum inter ſe diſtribuant.

§. 119. Si iudex negotia inter plures tutores distribuit, nulli eorum negotia alterius coadminiſtrandi ius eſt aut obligatio.

§. 120. Tutor honorarius vocatur, qui tutelae adminiſtrationis verae non eſt particeps, ſed cui tantum cura de tutoribus adminiſtrantibus eſt demandata.

§. 121. Inter tutores plures, inter quos adminiſtratio a iudice eſt diſtributa, intercedit ratio tutorum honorariorum.

§. 122. Hinc eiusmodi tutori omni ſtatim, dum conſtituitur, in ſpecie iniungenda eſt obligatio, reliquorum adminiſtrationi inuigilandi, et ſuſpectum, ſi quid animaduertit, denuntiandi.

§. 123. Quae in antecedentibus (§. 115-122.) de tutoribus pluribus ſunt praecepta, valent quoque de curatoribus pluribus, qui curandis ad idem negotiorum, rerum aut bonorum genus ſunt dati.

§. 124. At contra curatorum plurium, ad diuerſa negotia aut bona adminiſtranda conſtitutorum, nullus eſt nexus.

De conſtituendo tutore in certum tempus, vel inde a certo tempore.

§. 125. Tutores, neceſſitate non exigente, a iudice non conſtituantur ad tempus certum tantum et determinatum.

§. 126. At vero, ſi pater praecepit, vt tutor a ſe denominatus vsque ad certum tantum tempus vel euentum tutoris munere fungatur; iudex ab hac diſpoſitione recedere tantum poteſt ex cauſis grauibus, curandi commoda manifeſto promouentibus.

Source : BIU Cujas

§. 127. Idem obtinet, ſi pater diſpoſuit, vt perſona a ſe denominata non niſi a certo euentu aut temporis momento tutela debeat fungi.

§. 128. Quae hic (§. 126. 127.) de patris diſpoſitione ſunt praecepta, valent quoque de diſpoſitione cuiuscunque, curandis aliquid legantis, et in denominando legati curatore eiusmodi reſtrictiones adiicientis.

Qui ad ſuſcipiendam tutelam ſint inidonei.

§. 129. Iudici tales tantum perſonas tutores eligere licet, in quibus non ſine ratione praeſupponendae ſunt qualitates requiſitae, vt curandorum commodis rite proſpicere poſſint et velint.

1. Intuitu tutelarum omnium;

§. 130. Qui rebus ſuis ipſe praeeſſe nequit, is neque alii vnquam, et ſub praetextu vllo, tutor vel curator poteſt conſtitui.

§. 131. Excluſi ſunt minorennes, licet in rebus ſuis propriis aetatis venia ipſis fuerit conceſſa.

§. 132. Atque licet a curandorum patre tutores fuerint denominati, ad tutelam actu gerendam demum admitti poſſunt, maiorennitatem conſecuti.

§. 133. Maiorennes, at ſub patria poteſtate adhuc conſtituti, conſentiente tantum patre tutelas poſſunt ſuſcipere.

§. 134. Qui in monaſterio vota ordinis religioſi fecerunt, tutores aut curatores eſſe nequeunt.

§. 135. Qui ob delicta grauia ſunt condemnati, aut vitam perditam et turpem agunt, omnibus notam, ad ſubeundum tutelae vel curatelae munus prorſus ſunt inidonei.

§. 136. Neque iis, qui perfidia aut negligentia maiori commiſſa, tutela ſunt priuati, tutelam aliam vllam deferre amplius licet.

2. Intuitu quarundam tutelarum.

§. 137. Chriſtiani non poſſunt tutores conſtitui perſonis, quae Chriſtianorum confeſſioni nulli ſunt addictae, neque vice verſa.

Source : BIU Cujas

§. 138. At omnino perſonae, diuerſam fidem profitentes, curatores poſſunt conſtitui in negotiis ſingulis, non niſi ad bona pertinentibus.

§. 139. Vitrici in regula priuignis non ſunt tutores conſtituendi, at in ſingularibus tamen caſibus, vbi ex iudicis arbitrio curandorum commodum haud mediocre inde eſt ſperandum.

§. 140. Maritus tutelam vxoris nondum maiorennis tunc demum poteſt ſuſcipere, ſi caſus tutoris dationis demum poſt nuptias conſummatas exiſtit, et bonorum vxoris ſecuritati ſatis eſt proſpectum.

§. 141. Quem curandorum pater a tutelae munere de ſuis liberis gerendo expreſſe excluſit, is neque a iudice poteſt eorum tutor conſtitui.

§. 142. Cuilibet quoque alii, curando legitima debita plus relinquenti, competit ius, certas perſonas determinandi, quae a tutelari adminiſtratione eorum, quae curando contulit, excludantur.

§. 143. Feminis, curandorum matre et auia germanis ſolis exceptis, tutelam vel curatelam demandare iudici non licet.

§. 144. Perſonas, quibuscum curandis aut eorum parentibus manifeſtae inimicitiae interceſſerunt, aut adhuc intercedunt, iudex tutores vel curatores curandis eligere nequit.

§. 145. Accuſationes grauium *delictorum* in iudicio factae; vis vitae aut *valetudini* illata; iniuriae *contumeliosae*; et lites de parte bonorum haud modiocri talium *inimicitiarum* fundant praeſumtionem legalem.

§. 146. Si eiusmodi diſcordiae iam ante plures annos interceſſerunt; a iudicis arbitrio pendet, quatenus pro re nata poſſit praeſumi, inimicitias ob reconciliationem factam aut temporis interuallum eſſe depoſitas.

Source : BIU Cujas

§. 147. Curandorum creditores et debitores, et in genere omnes, quorum iura curandorum iuribus aut commodis (intereſſe) repugnant, iudex tutores eligere nequit, dum de mutuarum praetenſionum veritate adhuc eſt dubitatio aliqua.

§. 148. Si eiusmodi dubitationes demum poſt tutelam ſuſceptam oriuntur; curando, ad eiusmodi rem et cauſam componendam, curator ſeparatus eſt conſtituendus.

§. 149. Curandi debitor, qui debitum per ſe liquidum, et cuius dies venit, ſoluere non poteſt aut recuſat, a iudice illi non eſt tutor conſtituendus.

§. 150. Nullus iudex, ſine cauſis in primis grauibus, curandis ſuis conſtituat tutorem, alienae iurisdictioni ſubiectum.

§. 151. Cauſae graues ſunt, ſi alienae iurisdictioni ſubiectus cum curando cognatione, aut communi commodo (intereſſe), propius eſt coniunctus.

§. 152. Aut ſi iudicio tutelari non ſunt perſonae idoneae in ſua iurisdictione propria.

§. 153. In quibus caſibus quodlibet iudicium in terris regiis legitime requiſitum, ſuae iurisdictioni ſubiectos compellere oportet ad ſubeundum tutelae munus ſub alienis quoque iurisdictionibus.

§. 154. Talis tutor iudicio tutelari ſubiicitur in negotiis et rebus omnibus, ad tutelam pertinentibus.

§. 155. Tutelas extra terras regias nemini licet ſuſcipere, iudice indigena neſcio et non approbante, ſub poena fiſcali pecuniaria, pro re nata definienda.

§. 156. Extranei in terris regiis forum ordinarium non habentes, curandis indigenis tutores tantum poſſunt conſtitui ex cauſis grauibus, curandorum commodi cauſa, et non niſi approbante ſuprémo iuſtitiae adminiſtrandae collegio (*Juſtizdepartement*).

Source : BIU Cujas

§. 157. Tales tutores quoque oportet in rebus omnibus ad tutelam pertinentibus expreſſe ſe ſubmittere iurisdictioni iudicii tutelaris, et conſenſum iudicis ſui exteri exhibere in forma fide munita.

Perſonae, ad munus tutelae ſuſcipiendum venia ſpeciali indigentes.

§. 158. Conductores et praefecti domaniorum regis atque principum, adminiſtratores bonorum, et quaeſtores pecuniarum et redituum, qui regis ſunt, aut principum, aut inſtituti publici alius, atque corporationum priuilegiatarum et piorum corporum, tutores non poſſunt conſtitui, ſine conſenſu expreſſo inſtantiae, cui ob conductionem aut adminiſtrationem iſtam ſunt ſubiecti.

§. 159. Quam veniam iudicium tutelare tunc demum accipiat, ſi cum tutela nulla plane bonorum adminiſtratio eſt coniuncta; aut ſi de ea praeſtari poteſt cautio ſeparata, ſufficiens, et conductioni aut aerario nullo modo obligata.

§. 160. Militibus absque praefecti regimento ſupremi aut eum ſequentis (*Chefs oder Commandeurs*) conſenſu tutelam ſuſcipere non licet.

§. 161. Officiales ciuiles, immediatis muneris praepoſitis inſciis et non conſentientibus, tutores non poſſunt conſtitui.

§. 162. Venia collegiorum regiorum conſiliariis petenda eſt a collegio ſupremo (*Departement*) collegio praepoſito; at vrbium dirigentibus et conſulibus a collegio prouinciae, cui muneris cauſa ſunt ſubiecti.

§. 163. Curatelas de actibus et negotiis ſingulis, quibuscum nulla bonorum adminiſtratio eſt coniuncta, perſonae dictae ſuſcipere quoque poſſunt absque venia ſpeciali.

Quae a perſonis antedictis obſeruanda

§. 164. Qui ex principiis antecedentibus vel prorſus, vel ſub quibusdam circumſtantiis et rationibus ad ſubeundum tutelae munus eſt inidoneus, iudici

Source : BIU Cujas

dici inhabilitatis ſuae cauſam indicet neceſſe eſt, ſi nihilo minus ad tutelam ſuſcipiendam vocetur. ſint, ſi ipſis demandatur tutela.

§. 165. Qui ſi tutor re vera eſt conſtitutus, iudicem oportet, ſimulac eius inhabilitas ipſi innotuit, eum a tutela ſtatim remouere, ipſum vero commoda aut praemia omnia inde percepta oportet reſtituere.

§. 166. Si a iudice expreſſe interrogatus, aut alias dolo et data opera inhabilitatem ſuam celauit; curando praeſtat culpam omnem, vel leuiſſimam.

§. 167. Praeter ea ille, qui creditoris rationem, cum curando ipſi intercedentem, iudicem fraude celauit, nomine ſuo in curandi fauorem priuatur.

§. 168. Curandi debitor in caſu eodem exceptionibus ſuis excidit, et ſummam, nomini vero aequalem, fiſco ſoluit pro poena.

§. 169. Si non apparet, eam rationem dolo et fraude fuiſſe celatam; locum tantum habet poena arbitraria vsque ad decimam nominis partem.

§. 170. Iudicem, qui perſonam ſecundum haec principia inidoneam ſciens aut culpa lata tutorem conſtituit, ipſum praeſtare oportet damnum omne, curando inde oriundum.

§. 171. Qui iudici inidoneum ſciens tutorem commendat, pro eo fideiuſſoris inſtar tenetur.

§. 172. In electione tutoris conſtituendi iudex in primis rationem habeat neceſſe eſt eorum, quos curandorum pater tutores denominauit. Qui praecipue tutores debeant conſtitui: 1. a parentibus denominati aut in teſtamento conſtituti;

§. 173. Tutori a patre denominato adminiſtratio competit bonorum curandorum omnium, ſiue ſint a patre, ſiue ab alio quoque delata.

§. 174. De tutore, quem mater denominauit liberis in tutela nondum conſtitutis, valent eadem, quae ſunt praecepta de eo, quem pater elegit.

§. 175. Quilibet quoque, curandis aliquid, ſiue inter viuos, ſiue mortis cauſa conferens, denominare iis poteſt, licet iam in tutela ſint conſtituti, curatorem ſeparatum, qui adminiſtret collata.



Source : BIU Cujas

§. 176. Talis tutor aut curator (§. 173-175.) denominari potest et per declarationem inter viuos, et per vltimam voluntatis dispositionem.

§. 177. In casu vtroque nulla requiritur solennitas; sed sufficit, dum modo denominantis voluntas iudici satis certo innotuit.

§. 178. Licet tutoris denominatio, per modum pacti cum persona electa sit facta; denominans nihilo minus tale pactum solus (vnilateraliter) quoque potest reuocare.

§. 179. At contra iudici non licet, a tutela excludere personas, a defuncto ad tutelam vocatas, ex ea causa sola, quod alii confessioni sunt addictae, iurisdictioni alienae subiectae, aut curandorum creditores vel debitores. (§. 137. 147. 150. sqq.)

§. 180. Cuius tamen praecepti est exceptio, si ex circumstantiis apparet, has eiusmodi personae rationes defuncto denominationis tempore fuisse incognitas.

§. 181. Feminae, exceptis curandi matre et auia germanis solis, neque a testatore, neque a iudice tutores possunt denominari.

§. 182. Si defunctus aliquem, quocum ei antea inimicitiae fuerunt, tutorem elegit; electio probat reconciliationem factam.

§. 183. Si defunctus maritum curandae huius tutorem denominauit; maritus excludi a tutela non potest, licet praestare non possit securitatem §. 140. praescriptam.

§. 184. In omnibus tamen casibus iudici ius competit, personam a testatore denominatam praetereundi, simulac exploratione religiose instituta cognoscit, eius constitutionem curando fore detrimento aut periculo.

§. 185. In qua exploratione in primis ratio habenda est exceptionum, quas mater curandorum

Source : BIU Cujas

nondum educatorum opponit perſonae a teſtatore denominatae.

§. 186. Tutore a patre non denominato, iudex in primis rationem habeat neceſſe eſt matris, ſi ad obeundam tutelam eſt idonea, et ad eam ſuſcipiendam parata. 2. matres;

§. 187. In quo tamen locus eſt iisdem, quae de tutore a patre denominato praecepta ſunt. (§. 184.)

§. 188. Neque mater ad nouas nuptias progrediens tutelam liberorum prioris matrimonii poteſt retinere.

§. 189. In quo legum praecepto ipſe curandorum pater ſua voluntatis declaratione neque inter viuos, neque mortis cauſa, mutare quidquam poteſt.

§. 190. Neque matrimonio nouo per diuortium diſſoluto mater tutelam liberorum prioris matrimonii de nouo poteſt ſuſcipere, ſimulac exiſtunt matrimonii ſubſecuti liberi.

§. 191. At vero, ſi ex nouo matrimonio per mortem diſſoluto nulli liberi ſunt procreati; prorſus a iudicis pendet arbitrio, vtrum matri tutelam liberorum prioris matrimonii denuo velit deferre.

§. 192. Matre deficiente, iudicem tutelam curandorum agnatis vel cognatis in primis oportet deferre. 3. agnati ac cognati;

§. 193. At agnatus vel cognatus tamen nullus obtrudere ſe poteſt iudici familiae ſuae curandorum tutorem.

§. 194. Neque iudex obligatur, vt ex agnatis vel cognatis tutorem eligens attendat ad gradus propinquitatem.

§. 195. Quin etiam, ſi de curatore abſenti conſtituendo agitur, iudici pro officio diiudicandum relinquitur, an, et quem agnatum vel cognatum curatorem velit conſtituere.



Source : BIU Cujas

§. 196. Liberi tutores dari tantum poſſunt parentibus ſuis, ſi furioſi ſunt aut mente capti, non vero, ſi ob prodigalitatem in tutela ſunt conſtituendi.

§. 197. Liberis illegitimis in regula alieni, ad familiam parentum non pertinentes, tutores ſunt dandi.

§. 198. Iudici tamen licet, parentum liberorum illegitimorum agnatos vel cognatos, tutores conſtituere, ſi petunt, et curandorum commoda inde promoueri poſſunt.

4. opificum collegii ſocii.

§. 199. Poſt agnatos vel cognatos in primis membra collegii opificum obligata ſunt ad ſuſcipiendam tutelam ſociorum collegii, aut liberorum ab iis relictorum.

Quid ſit iuris, ſi perſona ad tutelam vocata ſe excuſat.

§. 200. Perſonae, quibus ob denominationem defuncti aut familiae pacta ad gerendam tutelam in primis eſt obligatio et ius, a iudice praeteritae ſecundum propius ordinationis proceſſus praeceptum poſſunt petere, vt legitime audiantur, et de re cognoſcatur.

§. 201. Idem ius matri quoque et agnatis vel cognatis ad tutelam vocatis competit, ſi iudex, iis praeteritis, alienum conſtituit tutorem.

§. 202. Quicunque tutelam, vel curatelam, a magiſtratu ſibi delatam, absque graui et iuſta cauſa ſuſcipere recuſat, ad eam ſubeundam a iudice compellendus eſt multa pecuniaria, pro facultatum ſuarum ratione.

§. 203. Si iuſtas excuſandi cauſas affert; de iis ſecundum praeceptum ordinationis proceſſus legitime eſt audiendus.

§. 204. Quibus autem excuſandi cauſis reiectis, recuſantem reſarcire oportet damnum, per moram, in tutoris datione ortam, curando illatum.

§. 205. Si recuſans neque multis pecuniariis modicis impelli poteſt ad ſuſcipiendam tutelam, quam

Source : BIU Cujas

ſuſcipere absque cauſa iuſta recuſauit: curando tutor quidem alius eſt conſtituendus;

§. 206. At iudici tunc ius competit, huic honorarium ex recuſantis bonis aſſignandi, et in eius fundis cautionem pro nouo tutore intabulandam curandi.

§. 207. Atque etiam ſine cautione ille, qui tutelam ſuſcipere absque cauſa iuſta recuſat, pro tutore ipſius vice conſtituto tanquam fideiuſſor tenetur.

§. 208. Vi priuilegii ſpecialis ad tutelam ſuſcipiendam cogi nequeunt: Perſonae, quae de tutela ſuſcipienda excuſare ſe poſſunt.

1. omnes actu in regis exercitu militantes;
2. conſiliarii, in collegiis regiis ſedem et votum habentes;
3. dirigentes et conſules vrbium;
4. conductores et praefecti domaniorum regiorum;
5. adminiſtratores aerariorum regiorum aut publicorum aliorum haud mediocrium;
6. qui in cauſis publicis extra regnum degunt, aut in eo ſunt, vt regni cauſa extra terras regias mittantur; aut ab eiusmodi miſſionibus nondum anno plus ſunt reuerſi;
7. omnes, qui annum aetatis ſexageſimum exceſſerunt.

§. 209. Eadem immunitas iis prodeſt, qui perpetuis morbis ſic ſunt debilitati, vt tutelam delatam rite curare ipſi nequeant.

§. 210. Atque iis, qui liberos habent quinque aut plures, ex matrimonio ad manum dextram aut ad legem ſalicam procreatos, et adhuc in ſua poteſtate conſtitutos, aut adhuc alendos in ſuis aedibus degentes.

§. 211. Filii, qui actu in regis exercitu militant, aut ſtipendia militaria merentes pro patria vitam amiſerunt, in fauorem patris, tutelam ſuſcipere recuſantis, ſemper ſunt connumerandi.



Source : BIU Cujas

§. 212. Qui duas iam gerit tutelas, cum bonorum adminiſtratione coniunctas, aut vel vnam tantum, at negotiis permultis et grauibus coniunctam, ad ſuſcipiendas plures inuitus nequit compelli.

§. 213. Scholarum et gymnaſiorum docentes et academiarum profeſſores ordinarii, atque clerici, quibus cura animarum incumbit, cogi tantum poſſunt ad ſuſcipiendas tutelas liberorum agnatorum vel cognatorum et collegarum ſuorum.

§. 214. Si qua perſonarum priuilegiatarum antecedentium, licet priuilegio gaudeat, ſe ad ſuſcipiendam tutelam ſcriptis obligauit; priuilegium ſuum ad ſe excuſandum opponere non amplius poteſt.

§. 215. Quin potius ex iis illae, quae ad tutelam ſuſcipiendam ſpeciali praeſidum ſuorum venia ſecundum §. 158. ſqq. indigent, obligantur ad petendam eam veniam, et ad tutelam re vera ſuſcipiendam venia impetrata.

§. 216. Ius ſe excuſandi de tutela a iudice delata prodeſt quoque illi, quem curandorum teſtator tutorem denominauit.

§. 217. In genere cuilibet, qui in eo eſt ſtatu, vt non confidat, tutelae ſibi delatae ſe rite poſſe praeeſſe, ius eſt et obligatio, denuntiandi ſtatum iſtum iudici, qui eum propius diiudicet.

§. 218. Si tutori teſtamentario legatum eſt relictum; valet praeſumtio, eo legato reſpectu tutelae ſuſcipiendae ipſum eſſe honoratum.

§. 219. Talis legatarius ſi tutelam ſuſcipere non poteſt aut recuſat; amittit legatum, reſpectu tutelae ſuſcipiendae ipſi deſtinatum.

Source : BIU Cujas

## Sectio Quarta.

### *De tutoribus obſtringendis et confirmandis.*

§. 220. Tutor a iudice electus aut approbatus ad tutelam manu ſtipulata, iurisiurandi loco, eſt obſtringendus. Actus tutorem obſtringendi.

§. 221. Antequam obſtringitur, de obligationibus ipſi incumbentibus eſt monendus, aut, ſi opus fuerit, hae ſaltem generaliter ſunt ipſi notificandae et interpretandae.

§. 222. Deinde tutor confirmatione ſcripta eſt inſtruendus. Confirmatio. *(Beſtallung)*

§. 223. In qua confirmatione expreſſe ſcriptae ſint neceſſe eſt cauſae, quae tutelae anſam dederunt; curandi nomen; aetas, ſi adhuc eſt minorennis, ex teſtimonio baptismali; obligationes muneris tutelaris praecipuae, et reſtrictiones ſingulares, tutori in tutela gerenda forſan praeſcriptae.

§. 224. In iis caſibus, vbi leges cautionem exigunt, iudicem ex officio eam quoque praeſtandam curare oportet ante confirmationem, aut quam primum poteſt fieri, poſt confirmationem traditam. (§. 424. ſqq.)

§. 225. Facta demum confirmatione tutor ius acquirit et officium muneris adminiſtrandi.

§. 226. At tutori tamen iam denominato, licet nondum ſolenniter confirmato, ius quoque eſt et obligatio, curandi res curandorum, ſi eſſe periculum poſſit in mora.

§. 227. Qui absque iudicis mandato res certas curandorum expediendas ſubit, intuitu rerum iſtarum ſolarum tantum ſuſcipit tutoris officia. De perſonis, absque iudicis mandato officia tutelaria ſuſcipientibus.

§. 228. Sed iudici ſtatim rem denuntiare eum oportet, et ſi curandus in tutela nondum eſt conſtitutus, petere, vt ipſe tutor confirmetur, aut tutor alius conſtituatur.

§. 229. Quam denuntiationem ſi omittit, praeſtat damnum omne, quod deficiente cura tutelari



Source : BIU Cujas

ſentiunt curandi ex negotio ab ipſo inchoato, et ex iis, quae ſunt cum eo coniuncta.

§. 230. Si ad eas perſonas pertinet, quae ſecundum §. 90. ſqq. ad tutorem petendum ſunt obligatae; neglecta iſta denuntiatione praeſtat quoque damnum omne reliquum, curandis ex tutela non data ortum.

## Sectio Quinta.

### *De tutorum iuribus et obligationibus generatim.*

Principia generalia.

§. 231. Obligationes ac iura tutorum pertinent et ad perſonam, et ad iura atque bona curandorum.

§. 232. Tutorum cura de perſona curandorum ad horum ſalutem tam corporalem quam moralem extendatur neceſſe eſt.

§. 233. Cura bonorum extenditur ad eorum ſecuritatem et conſeruationem, et adminiſtrationem oeconomicam ordinariam, et augmentum.

§. 234. Cura bonorum tamen, exorta colliſione, poſtponenda eſt curae de ſalute perſonae futura.

Rationes inter tutorem et magiſtratum.

§. 235. Reſpectu horum omnium tutores pro regni mandatariis ſunt habendi.

§. 236. Hinc obligantur, vt in fungendo ſuo munere diligenter obſeruent legum praecepta, et iudicii tutelaris praeceptiones ſpeciales.

§. 237. Iudicio ius eſt et obligatio, eos in tutela gerenda dirigendi, et perpetuam eorum curam habendi.

§. 238. Quotiescunque intuitu curandorum perſonae aut bonorum mutatio alicuius momenti fieri debet, tutores eam indicare oportet iudicio, eiusque approbationem aut inſtructionem propiorem petere.

§. 239. Quod in primis tum fiat neceſſe eſt, ſi de actu aut caſu aliquo quaeritur, ex quo effectus dubii aut curando periculoſi poſſent oriri.

Source : BIU Cujas

§. 240. Intuitu curandorum tutores proxime succedunt in locum parentum. Rationes inter tutorem et curandum.

§. 241. Hinc curandus tutori suo debet pietatem, obedientiam et obsequium.

§. 242. At vero tutor de curandi persona arrogare sibi nequit iura plura, ac leges tribuunt patri de liberis, in potestate sua adhuc constitutis.

§. 243. Si curandus existimat, tutorem in iuribus de sua persona exercendis fines excedere, aut ea agere, quae commodis suis aduersentur; ei ius competit, iudicio tutelari rem denuntiandi.

§. 244. Curandus annum decimum octauum egressus potest poscere, vt tutor certiorem eum faciat de momenti maioris casibus, ad rei familiaris substantiam, aut praecipuas mutationes in ea administranda spectantibus, et suam de iis sententiam audiat.

§. 245. Tutor tamen non adstringitur hac curandi sententia.

§. 246. Si tutor non rogauit curandum de sententia, aut eius nullam habuit rationem; curando, si rebus suis male putat prospici, iudicio tutelari rem nuntiare licet.

§. 247. Curandus tutore non concurrente obligari tertio nequit.

§. 248. Si tutor consentire in actum recusat, quem profuturum sibi putat curandus; hic a iudicio tutelari potest petere, vt rem propius cognoscat, et tutoris consensum suppleat.

§. 249. De curandorum pactis, vltimae voluntatis dispositionibus, damnis illatis, et matrimoniis, determinationes necessariae suo loco sunt praescriptae. (P. I. Tit. V. §. 10. sqq. Tit. VI. §. 41. Tit. XII. §. 16. sqq. P. II. Tit. I. §. 49. sqq.)

§. 250. Ex actibus, a tutore solo, curando non accedente, susceptis, huic contra tertium iura et



Source : BIU Cujas

obligationes eatenus tantum oriuntur, quatenus tutor expreſſe, qua talis, actum perfecit, aut pactum iniit.

§. 251. At vero, ſi tutor negotium aliquod ſuo quidem nomine ſolo peregit, at ex cauſis connexis, tum iam exiſtentibus, et tertio cognitis patet, negotium eſſe verum tutelare; tertio eſt electio, vtrum tutorem malit conuenire, an ex curandi bonis ſatisfactionem petere.

§. 252. Sic quoque curandus iura contra tertium acquirit, ſi tutor quidem nomine ſuo proprio negotium tantum geſſit, at ex cauſis connexis perſpicue apparet, negotium re vera ad curandum ſpectaſſe, atque id tertio notum fuiſſe.

§. 253. Cum curando ipſo tutor neque pacta poteſt inire, neque actus perficere, quibus curandus ei obligetur.

§. 254. Si igitur tutori in rebus ſuis cum pupillo aliquid eſt agendum, illum oportet petere, vt ad negotium illud peragendum curator ſeparatus conſtituatur.

Damni reparationes et honoraria, quae tutori competunt.

§. 255. Tutori tamen munus tutelae, quo officioſe fungitur, nunquam ſit detrimento.

§. 256. Hinc tutor, ſi adimplendo ſua officia absque culpa ſua lata aut leui damnum eſt perpeſſus, quod alias non ſenſiſſet, poteſt petere, vt ſibi illud damnum ex curandi bonis reſarciatur.

§. 257. Tutor, quem in curandi cauſis oportet itinera neceſſaria facere, quibus in ſuo quaeſtu ſentit damnum, nullo modo euitandum, praeter reſtitutionem impenſarum in itinera factarum petere quoque poteſt ſumtus victus quotidianos (*Diäten*), pro ordinis ſui ratione.

§. 258. De damnis, quae tutor occaſione expediendorum negotiorum tutelarium ſola ſentit, valent eadem, quae in caſibus ſimilibus de damnis mandatarii ſunt praecepta. (P. I. Tit. XIII. §. 80. 81.)

Source : BIU Cujas

§. 259. Impenſae in curandi aut eius negotiorum vtilitatem factae omnes ex curandi bonis tutori ſunt refundendae.

§. 260. Tutor, qui ex impenſis talibus commodum proportionatum, curando oriundum, non ſine ratione poterat ſperare, earum refuſionem tunc quoque poteſt exigere, ſi vtilitas ſperata non eſt ſecuta, aut absque eius culpa iterum amiſſa.

§. 261. Eiusmodi expenſarum vſuras legitimas (§. 259. 260.) tutor eatenus poteſt petere, quatenus tempore, quo fuerunt faciendae, non fuit in bonis curandi pecuniae paratae ſufficiens copia, ſine tutoris culpa.

§. 262. Atque etiam mercedem poteſt exigere pro operis, quas ſua ſcientia, arte, aut opificio, curando praeſtitit, aeque ac alieni.

§. 263. At contra, ius ei non competit petendi honorarium pro laboribus et operis tutelaribus.

§. 264. At vero tutori, qui adhibita praecipua in bonis curandi adminiſtrandis prudentia et opera ea amplificauit, aut reditus eorum haud mediocriter auxit, honorarium proportioni conueniens denegare iudici non licet.

§. 265. Iudex quoque eiusmodi honorarium tutori poteſt aſſignare, ſi tutelae adminiſtratio difficilis eſt et moleſta, atque ex reditibus, deductis expenſis et educationis ſumtibus omnibus, ſumma ſupereſt haud mediocris.

§. 266. Vtrum et in quantum ex his principiis tutori honorarium concedendum ſit, in iudiciis tutelaribus prouinciae decidendum eſt per vota plurima duarum partium tertiarum.

§. 267. Quae vota plurima ſi non adſunt, collegium, cui cura pupillorum demandata eſt, antequam determinat honorarium, ad collegium iuſtitiae miniſtrorum ſtatus oportet referre.

Source : BIU Cujas

§. 268. Iudicia inferiora tutoribus non concedant honoraria, thaleros quinque per annum excedentia, absque consensu collegii, cui pupillorum cura in prouincia est demandata, a quo in determinando et concedendo honorario obseruandum est praeceptum §. 266. 267.

§. 269. Si testator curandorum tutori honorarium determinauit, haec determinatio sola valet.

§. 270. Si hereditatem relinquens tutori, respectu tutelae suscipiendae, legatum reliquit, tutor honorarium separatum nequit exigere. (§. 218.)

§. 271. In vtroque tamen casu tutori licet, praemium a testatore determinatum in adeundo tutelae munere repudiare, et iudici honorarii determinationem committere.

§. 272. Tutor absentis postulare potest honorarium proportioni conueniens, simulac ex bonorum reditibus, deductis expensis, residuum liquidum supereſt.

§. 273. In administrandis fundis hoc honorarium in thalerum vnum vsque ad tres pro centum, et in fortibus administrandis vsque ad thalerum vnum pro centum redituum potest determinari.

§. 274. Tutori furiosi aut mente capti eadem competunt iura (§. 272. 273.) et iudicium tutelare ei, in primis si tutela vltra annos decem continuatur, assignare maius adhuc honorarium potest.

Quid tutor praestare debeat pupillo.

§. 275. Tutor omnis obligatur, ad eum attentionis gradum in curandorum rebus adhibendum, quem bonus paterfamilias in rebus suis solet adhibere.

§. 276. Hinc eum praestare oportet culpam in iis admissam leuem omnem.

§. 277. Culpam leuissimam tutor tunc praestat, si causas, quae eum ex legibus ad tutelam suscipiendam reddunt inidoneum, a iudice rogatus, aut alias data opera celauit. (§. 166.)

Source : BIU Cujas

§. 278. Atque ſi negotia, quae ſingularem rei peritiam exigunt, proprio auſu ſubiit, rei perito non adhibito.

§. 279. Atque etiam, ſi ipſe rei peritus, qua talis, res curandorum curauit.

§. 280. Denique, ſi in caſibus, quibus iudicium tutelare ſecundum leges expreſſas de ſententia erat interrogandum, non interrogauit iudicium.

§. 281. Et ille quoque, qui res tutelares absque mandato gerit, ab eo temporis momento, quo denuntiationem §. 228. praeſcriptam iudici facere potuit et debuit, praeſtat culpam leuiſſimam, in cura earum rerum continuata commiſſam omnem.

§. 282. De damno caſuali tutor eatenus tantum tenetur, quatenus caſus curando non detrimento fuiſſet, niſi ex parte tutoris in obſeruandis ſuis officiis anteceſſiſſet culpa lata aut leuis. (Introd. §. 13.)

§. 283. Quatenus tutor negotia, a patre aut defuncto iam incepta, tantum continuat, non praeſtat damnum ex primis initiis ortum.

§. 284. At vero, ſi adminiſtratione a tutore iam ſuſcepta circumſtantiae inciderunt, aut innotuerunt, quae non ſine ratione coeptorum mutandorum cauſam poſſent praebere, culpam latam praeſtat tutor, qui eam mutationem neglexit.

§. 285. Idem obtinet, ſi curandus damnum ſentit, ex factis et negotiis tutoris, a tutela decedentis.

§. 286. At contra, tutor omnis de contutore ſuo obligatur, ſi tutelae adminiſtrationem conuentione tantum priuata cum eo diuiſit.

§. 287. Attamen ad indemnitatem curandis praeſtandam eatenus tantum obligatur, quatenus nequit praeſtari a contutore, qui proprie culpam commiſit.

§. 288. Tutores plures coniunctim adminiſtrantes curando tenentur in ſolidum.

Source : BIU Cujas

§. 289. Attamen non conuentus ſolum aduerſus eum, qui damnum actu dedit, ſed etiam, ſi nulli eorum imputari culpa maior poteſt, quisque aduerſus reliquos, agere pro rata poteſt.

§. 290. Tutelae adminiſtratione a curandorum teſtatore inter plures tutores diuiſa, quisque tantum praeſtat negotia curae ſuae commiſſa.

§. 291. Tutores honorarii, atque ii, inter quos iudex res tutelares curandas diuiſit, de tutoribus adminiſtrantibus tenentur, ſi in cura de iis gerenda culpam latam commiſerunt.

§. 292. In caſu omni eatenus tantum tenentur, quatenus curandus a tutoribus adminiſtrantibus indemnis praeſtari nequit.

§. 293. Heredes tutoris cuiusque obligantur tantum ad praeſtandam culpam a teſtatore commiſſam latam.

§. 294. Actione vero, teſtatore adhuc viuo, iam inſtituta, et lite conteſtata, heredes eundem culpae gradum praeſtare oportet, ad quem praeſtandum teſtator ipſe fuiſſet obligatus.

§. 295. Curandis in bonis tutorum, vti eorum, qui ſe tutores ſunt profeſſi, competit ius praelationis claſſis quintae, in ordinatione concurſus creditorum propius determinatum, de defectis omnibus ab iis praeſtandis.

§. 296. Defecta eruta in bonis debitorum immobilibus, vel absque ipſorum conſenſu, poſſunt intabulari.

§. 297. Quod ius praelationis intuitu eorum, qui actu ſunt tutores, initium capit inde a die approbationis, at aliorum intuitu inde a die, quo res pupillares curandas ſibi arrogarunt.

§. 298. Ad tutorum mere honorariorum bona non extenditur, niſi res pupillares actu adminiſtrandas ſuſceperunt.

Source : BIU Cujas

§. 299. Tutor nullus obligatur ad praeſtandos actus, quos iudicium tutelare ſuſcepit tutore non adhibito, vel adeo inuito.

§. 300. Idem obtinet, ſi tutor quidem ſecundum praeceptionem iudicii tutelaris actum ipſe expediuit, at ante indicauit iudicio actui contradicendi rationes.

§. 301. Iudex obligatur ad praeſtandam culpam leuem, in conſtituendo tutore aut in gerenda de iis cura (inſpectione) et directione commiſſam. Iudiciorum tutelarium obligatio praeſtandi.

§. 302. At iudex tamen tum demum tenetur, ſi nullus ſupereſt modus legitimus alius, quo indemnis praeſtetur curandus.

§. 303. Hinc iudex tum demum poteſt conueniri, ſi neque tutores, tutelam adminiſtrantes, neque honorarii, neque eorum heredes aut fideiuſſores, ad damnum curando datum reſarciendum ſunt obligati, aut reſarcire illud non poſſunt.

§. 304. Heredes iudicis, qua huius obligationem facta praeſtandi, diiudicandi ſunt ex iisdem legibus, ex quibus tutoris heredes. (§. 293. 294.)

§. 305. De damni praeſtandi obligatione membrorum collegii tutelaris plurium generalia valent legum praecepta. (Tit. X. §. 127. ſqq.)

§. 306. Succeſſores in officio culpam anteceſſorum tunc demum praeſtant, ſi, cum eam detegere, eiusque effectus noxios auertere potuiſſent, vnum aut alterum ex culpa lata omiſerunt.

§. 307. Atque ſucceſſores in officio in caſu omni tunc tantum tenentur, ſi curando ab anteceſſoribus in officio, aut eorum heredibus, damnum reſarciri nequit.

Source : BIU Cujas

## Sectio Sexta.

### *De tutorum officio alimentis et educationi curandorum prospiciendi.*

Alimenta curandorum.

§. 308. Tutoris est, in primis curare, vt curandi alantur et educantur.

§. 309. Si facultates curandorum, aut quae ipsi acquirunt, non sufficiunt, conferre oportet agnatos et cognatos, qui familiae nexu obligati sunt, ad ea, qui deficiunt, supplenda. (Tit. III. §. 14. sqq.)

§. 310. Quorum subsidium si quoque deest; tales curandi, quibus facultates deficiunt, in primis petere possunt, vt regnum ipsis succurrat communi subsidio, aut institutis pauperibus alendis destinatis.

Educatio.

§. 311. Minores pro ordine, bonis, et animi facultatibus ita sunt educandi, vt, quantum fieri potest, probi formentur et vtiles ciues.

§. 312. Si parentes de liberis educandis separatim disposuerunt; disposita tutori et iudicio tutelari sunt pro norma.

§. 313. At vero, si tutor putat, finem, quem sibi in praescribendo educationis modo proposuerunt parentes, non posse effici, ob defectum ingenii aut bonorum curandi, aut ob eius auersionem; aut curandum ob praecipuas animi facultates in finem adhuc meliorem posse educari; tutor obligatur, ad rem denuntiandam iudicio tutelari.

§. 314. Quod deinde, adhibito vno aut altero agnatorum vel cognatorum proximorum, eodem loco aut in eadem prouincia degentium, rationes istas diligenter indaget, et pro conscientia determinet necesse est, quae mutari possint in educationis modo, a parentibus praescripto.

§. 315. Patre mortuo, matri competit liberorum educatio.

§. 316.

Source : BIU Cujas

§. 316. Cui tamen recedere a patris praeceptis absque cauſis grauibus, et ſine iudicii tutelaris conſenſu, non magis licet, ac tutori.

§. 317. Educatio liberorum matri non eripiatur ex ea cauſa ſola, quod facta ſeparatione iuſta ad vota alia tranſiit.

§. 318. Poſt matrem auo aut auiae, et poſt auos agnatis collateralibus eſt ius praecipuum, et obligatio, tales curandos educandi.

§. 319. Iudicio tutelari tamen electio ex agnatis vel cognatis competit, atque id non obligatur, vt reſpiciat ad gradus propinquitatem.

§. 320. In caſibus quoque omnibus a magiſtratus iudicio officio conuenienti dependet, pupillorum educationem, matre et agnatis vel cognatis excluſis, tutori aut alieno committere.

§. 321. Cauſam, ob quam iudex a regula eo modo decedit, inſtantiae tantum ipſi praepoſitae, ſi exigatur, indicare eum oportet.

§. 322. Solum diſcrimen confeſſionis inter Chriſtianos non eſt cauſa ſufficiens, matrem aut agnatos vel cognatos propinquos alios ab educatione excludendi.

§. 323. At ſi liberi adhuc ſunt impuberes, magiſtratum diligenter vigilare oportet, vt accurate obſeruentur praecepta tituli ſecundi §. 76-85.

§. 324. In caſibus, vbi agnatorum vel cognatorum aliquem curando facultatibus deſtituto alimenta ſecundum §. 309. oportet praeſtare, hic neque poteſt priuari curandi educatione, ſi eam petit.

§. 325. In eo tantum caſu, ſi clare patet, curandi educationem, qua corpus aut mores, tali agnato vel cognato commiſſam, fore periculoſam, iudicio tutelari ius competit, educationem cum ſumtibus huius agnati vel cognati alteri quoque committendi.



Source : BIU Cujas

§. 326. At tutor, licet educatio ipſi non ſit commiſſa, nihilo minus obligatur, vt educationi inuigilet, et magiſtratui indicet educantium vitia ipſi cognita.

§. 327. In genere tutor de curandi domicilio, alimentis et educatione, ad iudicium tutelare, ſemel ſaltem quotannis, fideliter et officio conuenienter referat neceſſe eſt.

§. 328. Neque tutori, neque educatori absque conſenſu magiſtratus recedere licet ab dispoſitione magiſtratus ſemel facta, qua educationis modum et locum.

Electio vitae generis.

§. 329. Vitae genus, cui liberi ſunt deſtinandi, et ad quod ſunt praeparandi, determinari non poteſt, niſi magiſtratus conſenſu.

§. 330. Si pater de eo quid determinauit; qua mutationem in eo faciendam, locus eſt praeceptis §. 312-314.

§. 331. Si pater nihil determinauit, iudicium tutelare vnice obſeruare oportet praecepta tituli ſecundi §. 109. ſqq.

§. 332. At in omnibus tamen caſibus tutoris et matris, aut auorum, arbitrium ideo eſt audiendum.

§. 333. Si de eligendo vitae genere liberorum ſociorum collegii opificum agitur, ſeniores collegii opificum obligantur, vt iudici petenti conſilium ſuum et arbitrium ſubminiſtrent.

§. 334. Si curandus literis humanitatis debeat addici; iudicium tutelare ad praecepta tituli duodecimi §. 62. 63. 64. diligenter attendat neceſſe eſt.

Educationis ſumtus.

§. 335. Educationis ſumtus definiendi ſunt pro educandi modo, reſpectu facultatum determinato, et pro vitae genere, ad quod curandus debet praeparari.

§. 336. Tutorem, qui ſummam definitam excedit, absque conſenſu collegii, cui cura minorum eſt commiſſa, facti rationem reddere oportet.

Source : BIU Cujas

§. 337. Si rei familiaris reditus annui ad obtinendum finem propositum non sufficiunt, substantia rei familiaris quoque educationis sumtibus potest impendi.

§. 338. De curandorum nuptiis necessaria suo loco sunt praescripta. (P. I. §. 49. sqq.) Nuptiae.

§. 339. In determinandis et conferendis dotationis sumtibus eodem modo procedendum est, quo in educationis sumtibus.

§. 340. At tamen intuitu curandorum, facultatibus destitutorum, obligatio ad conferendum incumbit tantum agnatis vel cognatis lineae ascendentis, et fratribus ac sororibus iam collocatis.

§. 341. Furiosorum et mente captorum perpetua inspectio et cura ita est gerenda, vt neque sibimet ipsis neque aliis possint nocere. Cura furiosorum et mente captorum;

§. 342. Cuius inspectionis cura tutori incumbit, at inspectionem eos oportet gerere, quorum est eos educare.

§. 343. Attamen ad suscipiendam furiosorum inspectionem neque agnatus vel cognatus potest cogi, neque tutor, neque persona alia priuata.

§. 344. Si tutor aut agnati vel cognati occasionem aliam nullam inueniunt, eiusmodi personis prospiciendi; regni est, eas in institutum publicum recipere custodiendas.

§. 345. Ad mere furiosos et mente captos, facultatibus destitutos, quod attinet, impensas in inspectionem faciendas suppeditare eos oportet, qui illis alimenta praestare ex legibus debent, et curam suscipere ipsi recusant.

§ 346. Idem valet de mutis et surdis simul, si ob animi debilitatem, cum vitio corporis coniunctam, cura singulari indigent.

§. 347. Dum supersit spes, ratione non destituta, sanitatis s. valetudinis talium personarum resti-



Source : BIU Cujas

tuendae; medicamenta neceſſaria, quantum fieri poteſt, iis ſunt praebenda.

§. 348. Sanationis ſumtibus eadem ſunt iura, quae ſumtibus educationis.

prodigorum. §. 349. Prodigorum, licet maiorennium, tutorem oportet curam eorum perpetuam gerere; eos ad laborem et diligentiam vtilem admonere; et omnem operam in eo collocare, vt redeant ad frugem meliorem.

§. 350. Quam prodigalitatem ſi obſtinate continuant, tutori, at ſub directione et approbatione tantum collegii tutelaris, ius competit, curandum vel mediis coactiuis ad vitae rationem ordini et rationi conuenientem compellendi. (Tit. II. §. 86. ſqq.)

## Sectio Septima.

### *De cura rei familiaris curandorum.*

Inſtituta de ſecuritate. §. 351. In caſibus omnibus, vbi tutela eſt ordinanda, in primis curandum eſt, vt curandorum bona eruantur, eorumque ſecuritati proſpiciatur.

§. 352. Quae cura iudici incumbit omni, in cuius iurisdictionis diſtrictu eiusmodi ſunt bona, licet defunctus eius iurisdictioni non fuerit ſubiectus.

§. 353. Si iudicium, ſub cuius iurisdictione defunctus fuit, eodem eſt loco; huic ſoli tantum ius eſt et obligatio, bonorum, quae eodem ſunt loco, curam gerendi.

Obſignatio. §. 354. Iudicem bona mobilia, quae participant curandi, obſignare ſtatim oportet allato nuntio.

§. 355. Iudicia quoque pagana, abſente iuſtitiario, obſignare poſſunt hereditatem loco relictam.

§. 356. Quae tamen obſignationem factam ſtatim denuntiare oportet iuſtitiario, qui vlterius neceſſaria curet et ordinet.

Source : BIU Cujas

§. 357. Notariis ius non competit in mortis casu obsignationes suscipiendi, excepto casu, si iudex nullus est in propinquo, et ipsi ad obsignandum sunt rogati, aut si ipsis obsignatio a iudice est demandata.

§. 358. Mortuarum personarum earum, quae iurisdictioni militari subsunt, hereditas relicta ea, quam secum portarunt, a iudicio militari est obsignanda.

§. 359. Si defunctus in bello, aut ex statiuis delegatus, versabatur loco, quo iudicium nullum est militare; praefecto delegato incumbit, vt curam gerat hereditatis relictae, quam secum portauit defunctus.

§. 360. Si neque adest praefectus delegatus; iudicium loci ciuile ad eam curam suscipiendam obligatur.

§. 361. Quicunque obsignauit, nisi ipse sit iudex tutelaris, huic sine mora factam obsignationem denuntiet necesse est.

§. 362. Si ipsi facta est vltimae voluntatis dispositionis, in hereditate relicta existentis, denuntiatio, aut si eius apparent indicia; eam dispositionem adhibitis mortui agnatis vel cognatis, amicis, aut officialibus domesticis, in domo hereditaria praesentibus, eum oportet quaerere, et transmittere ad iudicem competentem, qui de eius publicatione disponat.

§. 363. Iudici obsignanti de inuenta hereditate relicta dispositionem sibi sumere in regula non licet.

§. 364. At tamen, si ob loci, quo est iudicium tutelare, distantiam, aut ob causas alias, iudicium tutelare disponere non satis celeriter potest, in casibus moram non patientibus eum oportet in curandorum vtilitatem disponere necessaria, et de iis quoque referre ad iudicium tutelare.

§. 365. Hinc res, diutius seruando perituras, aut pretium amissuras, statim publice alienare.

§. 366. Quod idem ipsi quoque incumbit intuitu rerum earum, quarum conseruatio cum sum-



Source : BIU Cujas

tibus haud mediocribus et manifesto inutilibus esset coniuncta.

§. 367. Atque etiam curare eum oportet, vt negotia, quae interrumpi natura sua fine curandi detrimento euidenti non possunt, ratione eadem, qua sunt inceptа, absque mutatione continuentur.

§. 368. Mercaturam, ad hereditatem relictam pertinentem, obsignare iudici non licet; sed eius continuationem disponenti a defuncto assumto committere eum oportet.

§. 369. Si talis disponens non existit, iudicem statim oportet constituere curatorem (inspectorem).

§. 370. Qui curator (inspector) iureiurando est adstringendus, et idem quoque obseruandum est intuitu disponentis, sacramento nondum adstricti.

§. 371. Si defuncti coniux est in domo hereditaria; obsignare non licet, nisi coniuge petente, aut expresse consentiente.

§. 372. Cuique licet, obsignationem hereditatis suae relinquendae interdicere.

§. 373. Quae tamen declaratio in scriptis, aut coram iudicio confecto protocollo, fiat necesse est.

§. 374. Neque iudex obsignationis interdictae rationem habeat, si circumstantiae apparent, quae hereditatem relictam exponunt periculo, quod non praeuidit defunctus.

§. 375. Quod in primis obtinet, si defunctus obsignationem prohibuit, expresse respiciens ad certam personam, cui cura et inspectio hereditatis relictae ab eo fuit commissa, quae vero tempore mortis defuncti iam est mortua, aut loco non praesens.

Inuentarii confectio.

§. 376. Simulac curando tutor est constitutus, hic sine mora curare debet, vt conficiatur vniuersae hereditatis relictae substantiae consignatio plena et perfecta.

Source : BIU Cujas

§. 377. Si tutelae conſtitutione in tempus longius protracta inuentarii confectio, absque curandi detrimento, non amplius poteſt differri; iudex ad conficiendum inuentarium curatorem conſtituat neceſſe eſt.

§. 378. Ordinationes de conficiendo inuentario iudicio tutelari ſoli competunt.

§. 379. Quod tamen de iis hereditatis relictae partibus, quae ſunt loco, neque immediatae neque mediatae ſuae iurisdictioni ſubiecto, iudicem loci competentem oportet rogare, vt rerum earum inuentarium conficiat.

§. 380. Sed omnia eiusmodi inuentaria ſpecialia cum iudicio tutelari ſunt communicanda.

§. 381. Confectio inuentarii hereditatis relictae militum defunctorum, detractis ſigillis, competit iudicio ciuili in caſibus omnibus, vbi ei incumbit obligatio, curandis relictis tutorem conſtituendi.

§. 382. De inuentario conficiendo tutor atque etiam coheredes, praeter curandos forſan exiſtentes, tempeſtiue certiores ſunt reddendi; qui, ſi comparent, ad inuentarii confectionem ſunt admittendi.

§. 383. Iudicialis inuentarii confectio non eſt neceſſaria, ſi defuncti coniux ſuperſtes, hereditatem poſſidens, ad conficiendam et exhibendam eius conſignationem priuatam ſe offert. De conſignationibus priuatis.

§. 384. Praeterea iudex inuentarii iudicialis loco acquieſcere poteſt ſpecificatione priuata exhibenda in caſibus, vbi vel alter parentum, aut alius agnatus ſeu cognatus curandorum propinquus, in poſſeſſione hereditatis verſatur; vel vbi iam antea cognitum eſt, hereditatem relictam non magni eſſe momenti, et eum, qui eſt in eius poſſeſſione, ob neceſſitudinem, cum curando ipſi intercedentem, aut ex cauſis aliis fide praecipua eſſe dignum.



Source : BIU Cujas

§. 385. Mercaturae ad hereditatem relictam pertinentis inuentarium iudiciale non est conficiendum, dum cessare non debet.

§. 386. Tutor tamen aut disponens perfectum et plenum eius quoque inuentarium priuatum conficiat et exhibeat necesse est.

§. 387. Iudicis est, tale mercaturae inuentarium ita custodire, ne interna mercaturae substantia in curandorum s. minorum praeiudicium publice diuulgetur.

§. 388. Ad conficiendum eiusmodi mercaturae inuentarium libri vsque ad diem mortis defuncti sunt continuandi, et post finis est imponendus.

§. 389. Quilibet, cui inuentarii priuati confectio est permissa, obligatur, ad eius veritatem, si postuletur, iureiurando affirmandam.

§. 390. Quae affirmatio iurata in regula statim fiat necesse est.

§. 391. Intuitu agnatorum vel cognatorum lineae ascendentis et descendentis, atque collateralium, qui sunt pro personis habendi, quibus curandus respectum debet parentelae, iudicium tutelare affirmationem iuratam, pro re nata, potest differre, vsque donec oblata est propior eam exigendi causa.

§. 392. Viduam iterum nupturam affirmationem iuratam ante nuptiarum nouarum consummationem praestare oportet.

§. 393. Affirmationem iuratam priuatae consignationis hereditatis suae relictae non potest prohibere, nisi testator, qui curandis debita legitima plus contulit.

§. 394. At tamen talis quoque prohibitio est sine effectu, simulac iudici innotescunt falsi commissi praesumtiones veritate fundatae.

§. 395. Cuilibet hereditatem relinquenti licet, iudicialem inuentarii confectionem hereditatis suae relictae interdicere.

Source : BIU Cujas

§. 396. Eiusmodi interdictum solennitate indiget nulla, sed sufficit, si hereditatem relinquens voluntatem suam tantum in scriptis, aut coram iudicio protocollo confecto, declarauit.

§. 397. Prohibitio obsignationis iudicialis complectitur simul inuentarii iudicialis prohibitionem.

§. 398. Si defunctus certam tantum personam ab inuentarii exhibitione liberauit; tertius, ad hereditatis relictae administrationem perueniens, prouocare ad eam immunitatem nequit.

§. 399. Consignationis priuatae confectio a testatore nunquam potest prohiberi, neque limitari conditione vlla, curando nocitura.

§. 400. Hinc hereditatis relictae detentorem in hoc quoque casu consignationem oportet conficere, quam tamen obsignatam tantum in iudicio ei licet deponere.

§. 401. Obsignatio consignationis fiat necesse est iudicio tutelari, aut saltem iustitiae commissario et notario praesentibus.

§. 402. Quos certos esse oportet, in inuolucro obsignato re vera contineri hereditatis relictae consignationem.

§. 403. Iudicio tutelari ius competit, ab eo, qui consignationem obsignatam tradit, exigendi affirmationem loco iurisiurandi, ei non deesse requisita consignationis hereditatis relictae legalia, eamque ab ipso pro optima sua notitia atque scientia fideliter esse confectam. (P. I. Tit. IX. §. 434. 435.)

§. 404. Atque, licet parentes aut aui, liberis suis rem aut summam certam in portionem hereditariam relinquentes, inuentarii iudicialis aut consignationis priuatae confectionem prorsus prohibuerint; heredem principalem nihilo minus oportet conficere consignationem priuatam, eamque obsignatam in iudicio tutelari deponere, vt deinde possit ex ea diiudicari, an laesio adsit legitimae.



Source : BIU Cujas

§. 405. Iudici inuentarium priuatum obſignatum reſignandi ius competit, ſi grauis exiſtit ſuſpicio, curandum in legitima eſſe laeſum; aut ſi ei denuntiatur modo fide digno mala adminiſtratio, vel adeo profuſio ex parte eius, qui hereditatem relictam detinet.

§. 406. Atque etiam tunc, ſi bonorum communio inter curandum et coniugem defuncti ſuperſtitem ceſſat, atque adeo ſeparatio debet inter eos fieri.

§. 407. Atque ſi creditores tam inſtanter vrgent, vt euitari non poſſit ſtatus bonorum reuelatio.

§. 408. Quorum caſuum ſi nullus exiſtit; conſignatio depoſita tamdiu obſignata ſeruatur a iudicio tutelari, donec curandorum vltimus ex tutela dimittitur.

Separatio. §. 409. Inuentario confecto, inſtituenda eſt ſeparatio inter curandum et eos, quibus condominium maſſae, aut vllius eius partis competit.

§. 410. At vero, ſi mater curandorum ſuperſtes cum eorum patre in bonorum communione vixit; ei licet petere communionis cum liberis, quibus nondum eſt ſatisfactum, continuationem. (Tit. I. §. 634. ſqq.)

§. 411. Quo in caſu tutori tunc tantum ius competit ſeparationem poſcendi, ſi curandorum mater ad vota alia progreditur.

§. 412. Porro, ſi filiae viris nubunt, aut filii ſeparatam oeconomiam inſtituunt.

§. 413. Denique, ſi mater prodigalitatis aut modo alio adminiſtrationis malae ſuſpectam ſe reddit.

§. 414. De ſeparatione inter patrem et liberos, ex priori matrimonio ſuſceptos, locum obtinent, in communione quoque bonorum, praecepta §. 35. 36.

§. 415. Si defunctus diſpoſuit, vt curandi inter ſe vel cum tertio communionem ſeruent; tutor ab ea communione ſolus (vnilateraliter) recedere nequit.

Source : BIU Cujas

§. 416. Qui ſi nihilo minus putat, ſe ex cauſis legitimis (P. I. Tit. XVII. §. 80.) petere poſſe communionis diſſolutionem; altera pars ideo legitime audiatur, et res iudicis ſententia decidatur neceſſe eſt.

§. 417. In caſibus, vbi heredes in genere ad communionem ſeruandam obligantur, neque curandus ſubtrahere ſe illi poteſt.

§. 418. Tutor diuiſionem fundi communis in iis tantum caſibus poteſt poſcere, in quibus fundi alienationi foret locus.

§. 419. Separatio fit in regula dirigente iudicio tutelari.

§. 420. Quae vero ſi amice nequit effici; deciſio legalis competit iudici, ſub quo defunctus ſorum habuit perſonale vltimum.

§. 421. Cognita rei familiaris curandorum ſubſtantia iudicem curare oportet, vt adminiſtratio rite inſtituatur, et curandorum ſecuritati proſpiciatur. Adminiſtrationis inſtitutio.

§. 422. De re familiari curandorum tutori in regula non plura ſunt committenda, ac ad alendum et educandum curandos, et ad continuandam adminiſtrationem ſunt neceſſaria.

§. 423. In iudiciale depoſitum recipienda quoque ſunt omnia debitorum inſtrumenta, quae ſunt curandorum, ſiue ſortes iam elocatae ſint a defuncto, ſiue demum durante tutela.

§. 424. Cautio a tutore praeſtanda eſt pro ea bonorum et redituum parte, quam per tempora manibus tenet. Determinatio cautionis a tutore praeſtandae.

§. 425. Cautio poteſt fieri per fideiuſſores, vel pignora, vel iudicialem intabulationem in fundis.

§. 426. Iudex obligatur, vt huic cautioni eam ſecuritatem paret, quam tutor, pro facultatum ſuarum ſtatu, et rei familiaris conditione, praeſtare poteſt.

Source : BIU Cujas

§. 427. At nullus tamen tutor inuitus poteſt compelli, vt fundorum ſuorum pretii partem dimidiam primam eiusmodi cautione oneret.

§. 428. Cautio, licet intra partem primam dimidiam iam ſit intabulata, nihilo minus, petente tutore, in aliarum intabulationum fauorem, vsque ad hanc dimidiam debet recedere.

§. 429. Securitas nominum actiuorum, quibus tutor cautionem praeſtare cupit, diiudicanda eſt ex iisdem principiis, quae de elocandis pupillorum fortibus ipſis infra §. 466. ſqq. ſunt praeſcripta.

§. 430. Fideiuſſor, qui fideiuſſionem ſuam intra primas duas partes tertias pretii fundi ſui intabulandam curare non poteſt, aut recuſat, in regula ad cautionem praeſtandam non accipiatur.

§. 431. Cautionibus ad certam ſummam non determinatis tutor nullus oneretur inuitus.

§. 432. Quatenus per tempus interiectum, donec cautio poteſt determinari, curandorum ſecuritati intabulatione regiſtraturae ſ. notae praeuiae in fundis tutoris, aut, ſi tutor poſſeſſiones nullas habet, alio modo pro re nata proſpiciendum ſit, officioſo iudicii tutelaris arbitrio reſeruatur.

§. 433. Tutores a curandorum teſtatore denominati ab omni cautionis praeſtatione tamdiu ſunt immunes, vsque donec adminiſtrationis malae aut minus oeconomicae ſuſpicionem mouent; aut rationes reddere negligunt amplius ſex menſibus poſt diem (terminum) rationibus reddendis praefixum.

§. 434. Alii quoque tutores, qui ſeparatam cautionem praeſtare nequeunt, nihilo minus admitti poſſunt, et retineri, ſi modo ob probitatem et bonam adminiſtrationem bene audiunt.

§. 435. At pari tamen habilitatis gradu, ex pluribus praeferendus eſt ille, qui cautionem poteſt praeſtare.

Source : BIU Cujas

§. 436. Tutore absque cautione constituto, iudicium intuitu vsurarum, et locationis mercedis, et redituum fixorum aliorum, et vel intuitu redituum praedii ordinariorum, modos adhuc exactiores oportet definire, eos immediate in depositum trahendo, aut assignando iis, quibus ex curandi re familiari solutiones sunt praestandae; vt tutori, quantum fieri potest, nulla sit occasio, in detrimentum et arbitrarie de iis disponendi.

§. 437. Tales modi singulares in instrumento confirmationis tutelae sunt exprimendi.

§. 438. In administrandis curandorum bonis tutori obligatio et ius est, faciendi et curandi omnia, quae bono patrifamilias in suis bonis administrandis incumbunt; nisi legibus expressis, voluntate testatoris, et singulari iudicis dispositione limites sint ei praescripti. *Administratio bonorum curandorum;*

§. 439. An aliquae, et quae rerum mobilium extantium sint vendendae, asseruandae, aut curando in vsum proprium concedendae, praecipue ex testatoris dispositione, si qua adest, est definiendum. *1. mobilium;*

§. 440. Qua deficiente tutorem oportet non solum de iis, sed etiam de venditionis et conseruationis modo, pro re nata, et reliquorum bonorum conditione, et curandorum commodo, consilia sua ad iudicem referre, eiusque decretum petere.

§. 441. Res, quae asseruari salua subsiantia non commode possunt; aut quarum pretium seruando eas longius deminueretur; aut quibus curandus vel plane non, vel tamen annis pluribus nondum posset vti, vendendae sunt, et in regula quidem auctione.

§. 442. At iudicium tutelare, petente tutore, res mobiles extantes omnes aut ex parte adiudicare quoque potest matri, vel coheredi maiorenni, nulla auctione instituta; si offeruntur conditiones, quae curando sunt maiori commodo, ac probabiliter foret venditio per auctionem.

Source : BIU Cujas

§. 443. Talis adiudicatio, nulla auctione inſtituta, ſemper tamen praeſupponit taxam iudicialiter factam.

§. 444. Perſonis quoque aliis, praeter matrem et coheredes maiorennes, res mobiles, nulla auctione inſtituta, poſſunt adiudicari, ſi, taxae ſumma plena ſaltem oblata, tutor vna cum agnatis vel cognatis proximis, eodem loco verſantibus, aut deficientibus his vltimis alii rei periti, qui taxam non confecerunt, hanc venditionem cenſent curando vtilem.

§. 445. Si curandi res familiaris debitis, quae alio modo extingui nequeunt, eſt onerata; gemmae, res pretioſae, vaſa aurea et argentea, petente tutore, ſunt vendendae.

§. 446. Atque etiam tutor poteſt alienationem petere, ſi eiusmodi res pretioſae haud mediocrem ſortem conſtituunt, et praeuideri poteſt, curandum vel nunquam, vel ſaltem intra annos quinque nondum iis poſſe vti.

§. 447. Vtrum eiusmodi res auctione tantum an ſubhaſtatione inſtituta ſint vendendae, pro pretii qualitate et magnitudine, ex iudicii tutelaris arbitrio pendet.

§. 448. Adiudicationi, auctione nulla inſtituta, locus tantum eſt in caſibus §. 442. et 444.

§. 449. Si rerum mobilium talium aſſeruatio (§. 445.) curandis vtilis eſſe cognoſcitur, in regula in depoſito iudicii tutelaris ſunt aſſeruandae.

§. 450. Tutori tamen, qui de tota taxae iudicialis ſumma cautionem praeſtitit, committi poteſt aſſeruatio harum rerum, iudicii ſigillo munitarum.

§. 451. Iudicium curandis res eas, quibus pro ordine et dignitate poſſunt vti, ex tutoris arbitrio, et ſub eiusdem cura ſingulari poteſt exhibere.

Source : BIU Cujas

§. 452. Quarum rerum exhibitio in primis sexus feminini curandis nubentibus non facile est deneganda.

§. 453. At tunc tamen, praeter tutorem, curandae marito quoque cura eiusmodi gemmarum et rerum pretiosarum conseruandarum tutoris instar incumbit, licet per se ad bona vxoris reseruata pertineant.

§. 454. Pecuniae paratae, in hereditate relicta inuentae, in deposito iudiciali sunt detinendae, donec elocari aut alias possunt vtiliter verti. 2. pecuniae paratae;

§. 455. Vbi sunt sortes foenori elocatae, earum securitatem tutorem oportet examinare, et suum arbitrium, quae sortium istarum debitoribus adhuc sint concedendae, aut quae renuntiandae et exigendae, ad collegium tutelare deferre, quod vlterius diiudicet et decidat. 3. sortium;

§. 456. Nomina, neque pignore neque hypotheca munita, sine mora, aut saltem elapso renuntiationis termino praefixo, sunt exigenda.

§. 457. Idem valet de sortibus, a testatore sine vsuris elocatis, licet iudiciali securitate munitis.

§. 458. Si defunctus scriptis dispositit, eiusmodi sortes non esse exigendas, huic voluntati tamdiu est obtemperandum, vsque donec manifesto appareat, curandorum securitati non amplius esse satis prospectum.

§. 459. Si tutor percipit circumstantias, de eiusmodi securitate metuendi causam praebentes, eas indicare eum oportet iudicio tutelari, quod de iis iudicet et disponat, quae sunt necessaria.

§. 460. Si ex testatoris dispositione satis certo apparet, sortem ex eius voluntate debitori tamdiu esse concedendam, vsque donec ad meliorem fortu-

Source : BIU Cujas

nam peruenit; et tutor et collegium tutelare hac disposition tenentur, dum laesio legitimae nulla existit.

§. 461. At omnes tamen eiusmodi sortes (§. 458-460.), quas curandorum pater debitoribus non prorsus donauit, sed quarum intuitu longiorem tantum indulgentiam praescripsit, exigi possunt, simulac postulat liberorum necessitas propria ineuitabilis.

§. 462. In diiudicanda securitate earum sortium, quas defunctus pignore, aut hypotheca iudiciali, munitas locauit, tutor latam tantum culpam praestat.

§. 463. At vero, si debitoris aut pignoris status deterioratus est ex tempore, quo tutor suscepit tutelam; tutorem praestare oportet culpam quoque leuem, in sortibus exigendis et colligendis post hoc tempus commissam.

§. 464. Iudicium tutelare, a quo securitas sortium a testatore locatarum ex iuris principiis est diiudicanda, in ea diiudicanda culpam tantum praestat latam, si defunctus ipse fuit iuris peritus, in casibus aliis leuem.

§. 465. In casu §. 463. collegium quoque tutelare tenetur de leui culpa, in sortibus exigendis ab ipso commissa.

§. 466. Tutorum est, quantum fieri potest curare, vt paratae pecuniae, in curandorum bonis extantes, aut ad ea redeuntes, secure et vtiliter elocentur, quatenus ad expensas necessarias et vtiles alias iis non est opus.

§. 467. Eiusmodi mutua noua nunquam dentur cambiis aut chirographis meris acceptis.

§. 468. Quod si nihilo minus est factum, collegium tutelare, simulac mutua ista data ipsi innotuerunt, eorum exactionem oportet ordinare.

§. 469. Cui dispositioni debitor, qui sciens pecunias pupillares cambio aut chirographo dato mutuas sumsit, opponere nunquam potest terminum solutio-

Source : BIU Cujas

solutionis aut renuntiationis longiorem, de quo ipsi cum tutore conuenit.

§. 470. Tutor praestat damnum omne, curandis ex eiusmodi elocatione pecuniarum illegali oriundum.

§. 471. Neque securitate iudiciali praestita tutori licet, curandorum sortes elocare, inscio et non approbante collegio, cui minorum cura demandata est.

§. 472. In exploranda securitate et tutorem et magistratum oportet solitam patrisfamilias prudentis attentionem adhibere.

§. 473. Atque etiam pecuniis elocatis tutorem oportet ad debitoris oeconomiam et mutationem, quae circa pignus contingit, attendere, et deterioratione cognita sortis renuntiationem et exactionem vrgere.

§. 474. Eiusmodi sorte in totum aut ex parte amissa, tutorem et iudicium tutelare culpam leuem hic admissam oportet praestare.

§. 475. Si culpa in diiudicanda securitate contra iuris principia est commissa; iudicium tutelare eam praecipue praestat.

§. 476. Quo casu excepto tutor primus tenetur.

§. 477. In qua praestatione diiudicanda in regula tantum attendendum est ad temporis momentum, quo fors est elocata.

§. 478. At si securitas postea est deteriorata; tenetur tutor, si haec deterioratio ipsi non innotuit attentione solita non adhibita; aut si deteriorationis notitiam habens in renuntianda et exigenda sorte culpam commisit leuem.

§. 479. Tutori, qui rei familiaris curandorum substantiae securitatem plenam praestitit, elocatio sortium eorum potest committi, vel non interrogato de iis elocandis iudicio tutelari.



Source : BIU Cujas

§. 480. De fortibus, immediate ex depofito a collegio tutelari ipfo, et eius nomine elocatis, praecepta obtinent ordinationis de depofitis latae.

§. 481. Securitate munienda quoque eft curandorum hereditatis portio, quae eorum coheredum alicui debet committi.

§. 482. In qua fecuritate diiudicanda eadem principia obtinent, quae in elocandis nouis fortibus.

§. 483. At vero, fi parentes a liberis fuis fe feparantes horum rem familiarem exhibendo in eum perueniunt ftatum, vt neque officio poffint vlterius fungi, neque quaeftum modo praefenti continuare; tutor et iudicium ea fecuritate acquiefcant neceffe eft, quam parentes praeftare pro facultatum ftatu poffunt.

§. 484. Idem valet de fratribus et fororibus maiorennibus, qui paternum quaeftum exercendum fufcipientes minorennes alendos et educandos retinent.

§. 485. Tutori et iudicii tutelaris membris nullum detur mutuum ex curandorum re familiari.

§. 486. Tutorem, qui curandi pecuniam in proprios vfus conuertit, eam ftatim, fub executione cambiali, oportet refundere, et foluere octo pro centum vfuras.

§. 487. Tutori, qui, antequam tutor eft conftitutus, curando debuit fortem, fors ea poteft committi; fi debitum fine contradictione eft recognitum, et iam perfecta fecuritate munitum, aut fi eius praeftari poteft fecuritas idonea, fine cautionis praeftitae detrimento.

§. 488. Pro re nata, et talis fortis tutori vlterius committendae fumma maiori aut minori, iudex prudenter diiudicabit, vtrum curando huius negotii caufa curator feparatus fit conftituendus.

Source : BIU Cujas

§. 489. Curandi fortes non elocentur, niſi modo vſurarum in prouincia vſitato in commercio fortium, quarum ſecuritati fundis eſt proſpectum.

§. 490. Perſonis priuatis non elocentur eiusmodi fortes ſub vſuris quatuor pro centum minoribus, ſine conſenſu ſpeciali collegii, iudicio tutelari praepoſiti.

§. 491. Securitas melior in caſu dubio maiori vſurarum modo eſt praeferenda.

§. 492. Vſurarum exactio in regula ad tutoris munus pertinet.

§. 493. In ſoluendis vſuris moram committentes tutorem ſtatim oportet in iudicio conuenire, ſine praecepto ſpeciali, non neceſſario; at rem ſimul nuntiare iudicio tutelari, adiecto ſuo arbitrio, de ſortis renuntiatione forſan neceſſaria.

§. 494. Si vſurae non tutori ſoluendae ſunt, ſed depoſito, aut tertio; magiſtratus hoc debitoribus expreſſe declaret neceſſe eſt.

§. 495. Tutori tunc tantum incumbit, vt rationum reddendarum occaſione indaget, an eiusmodi vſurae fuerint ſolutae, et, ſi non ſunt ſolutae, magiſtratum de iis exigendis admoneat.

§. 496. Exactionem vſurarum fortium, immediate ex depoſito elocatarum, magiſtratum quoque ſolum et immediate oportet curare.

§. 497. Tutoris renuntiationes fortium, intuitu debitoris validae quoque ſunt, absque ſpeciali collegii tutelaris approbatione.

§. 498. At vero tutorem oportet rationes, renuntiationis cauſam ei praebentes, ad magiſtratum referre, eiusque approbationem, aut ratihabitionem quaerere, ſi ob periculum in mora renuntiatio iam facta eſt.

§. 499. Sortes tutori eatenus tantum poſſunt ſolui, quatenus ei expreſſe conceſſum eſt ius eas



Source : BIU Cujas

exigendi, in confirmationis inſtrumento, aut ſpeciali reſcripto.

§. 500. Quo caſu excepto magiſtratus in quouis caſu determinat, quo et cui ſortes ſint ſoluendae.

4. intuitu litium (proceſſuum);

§. 501. Excepto caſu §. 493. tutori nulli ſine expreſſa collegii tutelaris approbatione licet, lites (proceſſus) inſtituere ſiue agendo, ſiue reconueniendo, ſiue interueniendo.

§. 502. Quod ſi nihilo minus fecit, et impetrari nequit approbatio collegii tutelaris: totus actus eſt nullus; tutorem parti aduerſae damnum omne et expenſas ex propriis oportet reſtituere, et iudicium, quod actionem ſine decreto accepit, priuatur ſportulis.

§. 503. In cauſis tantum arreſti et aliis caſibus, moram non patientibus, actio a tutore oblata accipi poteſt ſine decreto; quod tamen ſine mora poſtea eſt ſupplendum, et ad illud ſupplendum a iudicio praefigendus eſt terminus circumſtantiis conueniens.

§. 504. Si tutor tanquam reus aut interuentus lite implicatur; ad litis conteſtationem non eſt neceſſarium decretum, ſine quo de iure quoque valent ea, quae tutor egit.

§. 505. At eius officium erga curandum poſtulat, vt iudicio tutelari actionem motam ſine mora indicet, eiusque praeceptionem ideo impetret.

§. 506. Si perſonae, iudicium tutelare conſtituentes, non plane ſunt eaedem, quae iudicium proceſſum dirigens conſtituunt; tutor reus huic iudicio demonſtret neceſſe eſt, ſe obligationi ſuae ſatisfeciſſe.

§. 507. Ad interponenda et perſequenda iuris remedia, in legibus praeſcripta, approbatio iudicialis ſpecialis non eſt neceſſaria.

§. 508. At tutor tamen tenorem ſententiae, et iuris remedium, contra eam interpoſitum, ſtatim denuntiet neceſſe eſt iudicio tutelari; quod ſi graua-

Source : BIU Cujas

mina non putat veritate fundata, prohibere poteſt, ne iuris remedia perſequatur.

§. 509. Qua denuntiatione a tutore omiſſa, ipſum ferre oportet ſumtus remedii iuris, quod eo modo auſu proprio interpoſuit et perſecutus eſt.

§. 510. Quibus tamen ſumtibus in tutoris vtilitatem imputandum eſt commodum curando inde vere natum.

§. 511. Licet tutor exiſtimet, ſententia contra curandos lata ſe debere acquieſcere; nihilo minus iudicio tutelari rem ſtatim denuntiare eum oportet.

§. 512. Quod ſi de tutoris conſilio dubitat, eum praeceptione propiore ſine mora inſtruat neceſſe eſt.

§. 513. Tutor, iudicii tutelaris praeceptis in actione inſtituenda et perſequenda morem gerens, de euentu nociuo eatenus tantum tenetur, quatenus in argumentis colligendis culpam latam admiſit, aut iudicium tutelare celauit circumſtantias ſibi notas, quas ad rem diiudicandam momentum eſſe habituras attentione ſolita adhibita ſcire poterat.

§. 514. Iudicium tutelare, cui incumbit obligatio, cauſam ex iuris principiis diiudicandi, praeſtat culpam leuem, in diiudicando commiſſam.

§. 515. Tutor, qui collegio tutelari inuito actionem vult inſtituere aut perſequi, admitti quidem debet;

§. 516. At curando tunc praeſtat ex propriis damnum omne, inde oriundum.

§. 517. Tutores et iudicia tutelaria alios regni ciues non grauent litibus (proceſſibus) inutilibus, aut manifeſto veritate non fundatis, aut perſequendis eiusmodi iuris remediis.

§. 518. Cuius ſi conuincuntur a iudice, coram quo lis eſt acta; tutorem et iudicium, quod eiusmodi litem approbauit, poenam et ſumtus ſoluere oportet ex propriis.



Source : BIU Cujas

§. 519. Si tutor relationibus falſis aut minus completis iudicii approbationem impetrauit; hi effectus noxii afficiunt eum ſolum.

§. 520. Si tutor eiusmodi relationibus litibus inutilibus aut veritate non fundatis cauſam non praebuit, hi effectus afficiunt tantum iudicium tutelare.

et transactionum; §. 521. Absque iudicii tutelaris approbatione tutor neque valide poteſt transigere, neque compromittere.

5. intuitu debitorum paſſiuorum; §. 522. Tutor curam omnem adhibeat neceſſe eſt, vt exſoluantur debita, quibus curandi res familiaris eſt onerata.

§. 523. Ex debitis pluribus in primis ſtudebit extinguere ea, quae curando maiori ſunt oneri, ſiue renuntiatione re vera iam facta, ſiue maiori vſurarum modo, ſiue eiusmodi iuribus creditori conceſſis, quae oeconomicae rei familiaris adminiſtrationi ſunt impedimento.

§. 524. Si res familiaris aere alieno haud mediocri eſt obruta, tutor absque ſpeciali iudicis approbatione ſingulis creditoribus nihil ſoluat, ſed petat et expectet decretum iudicii de capiendis conſiliis formandi liquidationis proceſſum, aut de aliis.

§. 525. Absque expreſſa iudicii tutelaris approbatione tutori nulli licet, mutua noua ſumere.

§. 526. Qui absque eiusmodi approbatione tutori dat mutuum, ei curandi res familiaris eatenus tantum obligatur, quatenus poteſt probari, eam pecuniam in curandi vtilitatem eſſe verſam.

§. 527. Accedente magiſtratus conſenſu tutor ipſe poteſt curandis ſuis dare mutua, atque efficere, vt eorum vſurae eaedem ſoluantur, atque ſecuritas eadem praeſtetur, quae ſub iisdem circumſtantiis alieno quoque fuiſſent conceſſae.

6. intuitu fundorum; §. 528. De curandi fundis tutorem ante omnia curare oportet, vt curandi ius poſſeſſionis in librum referatur hypothecarium.

Source : BIU Cujas

§. 529. Atque etiam de iuribus, curando in feudis aut aliis fundis competentibus, eum oportet esse sollicitum, eorumque proclamationem et intabulationem ab instantia petere.

§. 530. De debitis in fundis curandi adhuc intabulatis, et oneribus realibus aliis omnibus, secundum documenta reperta extinctis, curet necesse est, vt deleantur via legitima.

§. 531. Ad tutoris munus pertinet quoque fundorum curandi administratio oeconomica et locatio.

§. 532. Iudicii tutelaris sententiam tunc tantum requirere eum oportet, si mutatio principalis fieri debeat in modo oeconomiam administrandi aut fructus percipiendi.

§. 533. Si igitur e. g. administratio, quae hactenus obtinuit, in locationem, aut vice versa, debeat mutari, aut nouus conductor recipi, aut contractus finitus cum conductore praesente prolongari; tutor obligatur, vt iudicii tutelaris requirat sententiam.

§. 534. Atque etiam, si in syluis facienda est lignorum caedes extraordinaria, fundi modum statum oeconomicum excedens; tutor collegii tutelaris sententiam de ea requirat necesse est.

§. 535. Vtrum fundorum curandi locatio nulla auctione instituta, an subhastando, fieri debeat, vnice dependet ab arbitrio tutoris officioso, et aequa iudicii tutelaris sententia, pro re nata, pro qualitate et magnitudine fundi, pro licitationis priuatae oblatae proportione ad reditus hactenus solitos, aut ad locationis taxationem, quae adest, etc.

§. 536. Si voluntaria placet subhastatio, iudicium tutelare ipsum eam potest instituere, licet alias non sit iudex rei sitae competens.

§. 537. Aedificationes nouas, refectiones magnas, et meliorationes haud mediocres tutori absque approbatione iudiciali tentare non licet.



Source : BIU Cujas

§. 538. Simulac expenſarum ſumma thaleros quinquaginta excedit, iudicium oportet inſtituti neceſſitatem aut vtilitatem, atque deinde verſionem, fini conuenienter factam, per rei peritos examinare.

§. 539. Conductori tutor in regula auctoritate propria remiſſiones concedere nequit.

§. 540. Statim ab initio cuiuscunque tutelae, ad quam fundi pertinent, certa pecuniae ſumma debet conſtitui, quam non excedat tutor ſolus, iudicii ſententia non requiſita, in eiusmodi expenſis, ad aedificationes, meliorationes et remiſſiones faciendis.

§. 541. Tutori in regula ius eſt et obligatio, praedii reditus et locationis mercedes exigendi.

§. 542. Cuius regulae exceptiones iudex expreſſe determinet, et debitoribus rite promulget.

§. 543. Tutori ius non competit, absque neceſſitate et cauſis in primis grauibus indulgendi iis, a quibus eiusmodi reditus ſunt ſoluendi.

§. 544. Iudicium tutelare diligenter examinare oportet in reuidendis rationibus reditus reſtantes, et indulgentiae conceſſae rationes, a tutore allatas, et, vbi rationes iſtae non ſufficiunt, tutorem ſeuere compellere ad exigendos reditus reſtantes.

§. 545. Rei familiaris et redituum curandorum reſidua, ad continuandam adminiſtrationem non neceſſaria, tutorem oportet depoſito iudiciali tradere, aut iudicio indicare, quomodo illa foenori elocare, aut alias vtiliter impendere intendat.

§. 546. Quo modo tutor, eiusmodi reſidua in ſuos vſus conuertens, ſit puniendus, ſupra eſt praeceptum. (§. 486.)

§. 547. A tutore, qui eiusmodi reſidua plus ſex hebdomadibus eſſe otioſa finit, ab hoc temporis momento eorum vſurae vſitatae ſunt praeſtandae.

§. 548. Tutor, cui eſt occaſio, curandorum ſuorum pecunias in iudicio depoſitas, aut ſub vſuris

Source : BIU Cujas

menſae foeneraticiae publicae tantum elocatas, absque damno ſuo proprio, ſecure foenori locandi, eamque occaſionem iudicio tutelari non indicat, vſurarum deminutionem praeſtat.

§. 549. Uti tutor absque ſpeciali iudicii tutelaris approbatione curandorum bona aere alieno obruere non poteſt, ſic ei neque licet, ſine eiusmodi approbatione, oneribus realibus ea onerare.

§. 550. Curandorum bona immobilia, et quae iis in iure aequiparantur, neque vendi poſſunt, neque alio modo alienari absque graui cauſa, absque cauſae cognitione et approbatione iudicii tutelaris, et absque ſubhaſtatione publica. in primis qua eorum alienationem;

§. 551. Cauſae alienationis iuſtae et graues ſunt, ſi ſolutionem vrgent creditores, quibus ex reliquis bonis non poteſt ſatisfieri, et qui ad concedendum moratorium de iure non poſſunt compelli;

§. 552. Porro, ſi eiusmodi fundi ita ſunt deteriorati, vt ad eos reficiendos bona reliqua non ſufficerent, et fundus ipſe vltra pretii partes duas tertias aere alieno eſſet obruendus;

§. 553. In genere, ſi apparet, curandorum rem familiarem, his fundis vlterius aſſeruatis, tempore ſequente haud mediocrem deminutionem eſſe paſſuram.

§. 554. Gemmae et pretioſa, alienari quoque poſſunt, approbante iudicio tutelari, praeter caſus §. 551-553., ob vtilitatem haud mediocrem, curando inde comparandam.

§. 555. Atque alienatio etiam admittitur ob vtilitatem haud mediocrem, intuitu domorum; praediorum ruſticorum, quae iuribus praediorum nobilium non fruuntur; hortorum; vinearum; decimarum; cenſuum et aliorum iurium, quae praedii nobilis non ſunt pertinentiae; partium metallicarum, reditus nondum ferentium; atque fundorum ſingulorum, qui neque pertinentiae ſunt praedii no-



Source : BIU Cujas

bilis, neque cum eius administratione natura sunt coniuncti.

§. 556. Attamen ad eiusmodi alienationes (§. 555.), praeter iudicii tutelaris decretum, simul accedat necesse est approbatio collegii superioris, iudicio tutelari immediate praepositi.

§. 557. Quod collegium superius, approbatione denegata, nunquam, eaque data, latam tantum culpam praestat.

§. 558. Praedia quoque nobilia et alia immobilia, §. 555. non comprehensa, alienari ob curandorum vtilitatem haud mediocrem possunt.

§. 559. At tum tamen curandi agnatorum vel cognatorum proximorum duorum arbitrium ideo est audiendum, et secundum normam §. 556. 557. requirenda approbatio supremi status ministrorum collegii, cui iustitiae administrandae cura est demandata.

§. 560. Declaratio curandi, annum decimum octauum egressi, audienda est in casibus omnibus, vbi bona immobilia ob vtilitatem solam debent alienari. (§. 555. 558.)

§. 561. Alienationi, cui eiusmodi curandus contradicit, locus esse nequit.

§. 562. Praediorum vniuersorum diuisio in partes plures, ob vtilitatem inde speratam solam, in casu nullo est admittenda.

§. 563. Alienatio tunc vtilis est habenda, si commodum curando inde comparandum quarta saltem parte excedit fundi taxam, ad principia oeconomica confectam.

§. 564. Si curandorum testator ipse alienationem praecepit, de eius vtilitate cognitione vlteriore nulla opus est.

§. 565. At contra, sola testatoris data venia hanc cognitionem non reddit superfluam.

Source : BIU Cujas

§. 566. Condominus maiorennis non poteſt impediri, quo minus vrgeat diuiſionem, eumque in finem fundi alienationem.

§. 567. Tutori quoque ius competit, approbante iudicio tutelari alienationem fundi communis petendi; ſi apparet, communionem continuatam curando eſſe nocituram.

§. 568. Simulac alienatio a iudicio tutelari eſt approbata, iudicem rei ſitae, indicante tutore, ad taxam et ſubhaſtationem oportet progredi; et nulla eſt ex ſua parte ſeparata rei cognitio aut approbatio neceſſaria.

§. 569. Si teſtator diſpoſuit, vt fundus certae cuidam perſonae pro pretio definito adiudicetur, neque taxa opus eſt, neque ſubhaſtatione, ſi ea perſona ad praedium accipiendum ſe offert.

§. 570. At vero, ſi non ſine omni ratione metuendum eſt, ne ſub eiusmodi diſpoſitione laeſio curandorum in legitima ipſis competente lateat; taxa conficiatur neceſſe eſt.

§. 571. Quem metum ſi taxa confecta confirmat; honoratus vel tantum addat neceſſe eſt pretio, a teſtatore definito, quantum requiritur ad ſupplendam legitimam; vel concedat, vt praedium adiudicetur plus licitanti inſtituta ſubhaſtatione, in qua ipſi ſimul licitari, aeque ac aliis, tantum licet.

§. 572. Si teſtator venditionem praecepit, ſubhaſtatione prohibita, at non determinato certo vendendi fundi pretio; fundus nulla ſubhaſtatione facta infra taxationis pretium alienari nequit.

§. 573. Si tali venditione non offertur eiusmodi licitatio; ſubhaſtatio fiat neceſſe eſt.

§. 574. Subhaſtatio non eſt neceſſaria, ſi in erciſcunda hereditate inter coheredes plures curandus ipſe fundum debet accipere, accedente iudicis approbatione.

Source : BIU Cujas

§. 575. Cui tamen praecepto locus non eſt, ſi inter reliquos condominos quoque exiſtunt curandi.

§. 576. Neque ſubhaſtatione opus eſt, ſi coheres fundum ad taxae pretium accepturus, curando ſimul offert commoda, quae curandus expectare ab alieno non poteſt.

§. 577. Atque etiam licitatio infra taxae pretium in hoc caſu poteſt acceptari, ſi commoda curando oblata differentiam pretii licitando oblati et taxae ſuperant.

§. 578. Ad coheredum maiorennium plurium conuentionem, cuius vi fundus vni eorum, aut tertio, nulla ſubhaſtatione facta debeat adiudicari, tutorem in regula oportet accedere.

§. 579. Subhaſtationem autem vrgere poteſt et debet, ſi licitatio ad taxam non accedit, vel cauſae adſunt ſingulares metuendi, ne curando damnum inferatur.

§. 580. Hinc in eiusmodi caſu (§. 578.) tutorem oportet taxae confectae veritatem, quantum fieri poteſt, accurate examinare.

§. 581. Si poſtea appareat, praedium accipientem reliquis, quorum intereſt, praeter oblatum pretium, adhuc commoda quaedam ſecundaria clam conceſſiſſe; eum oportet curandis ſoluere duplum eorum, quae eiusmodi commodis ſecundariis accepit ſimul participantium ille, cui plurima ſunt conceſſa.

§. 582. Quod ſi ſoluere nequit, participantes reliqui eiusmodi commodis ſecundariis, cum damno curandorum ſibi comparatis, priuantur in horum fauorem.

§. 583. Si teſtator ipſe pretium fundi determinauit; tutori nunquam acceptare licet licitationem oblatam minorem, quotiescunque alienatio ſolius vtilitatis cauſa debet fieri.

Source : BIU Cujas

§. 584. Alienationes neceſſariae nequeunt differri ob pretium a teſtatore definitum.

§. 585. Exceptis caſibus, §. 569-583. determinatis, alienatio bonorum immobilium curandorum, nulla ſubhaſtatione inſtituta, eſt nulla.

§. 586. Si tamen caſus extraordinarii accidant, vbi curandis venditione ſine ſubhaſtatione comparari poſſent manifeſta commoda, ex ſubhaſtatione iudiciali non ſperanda; ſupremo ſtatus miniſtrorum collegio, cui iuſtitiae cura demandata eſt, ius competat, petente iudicio tutelari, re ſatis cognita, ſubhaſtationis gratiam faciendi (diſpenſandi).

§. 587. Emtor praedii pupillaris, in quo ſubhaſtando ſolennitates legibus praeſcriptae ſunt obſeruatae; aut cui praedium in vllo caſuum ante (§. 569-586.) determinatorum, approbante inſtantia, nulla ſubhaſtatione inſtituta eſt adiudicatum, dominium acquirit irreuocabile; licet in diiudicanda alienationis neceſſitate vel vtilitate, in conficienda taxa, aut in aliis, a tutore vel a iudicio tutelari error ſit commiſſus.

§. 588. Quin potius tunc curando de damno, eiusmodi alienatione ſibi illato, tantum reſeruatur, ſecundum principia ſupra determinata, regreſſus ad eum aut ad eos, quibus pro gradu culpae ab iis praeſtandae culpa eſt imputanda.

§. 589. At vero, ſi alienatio ſecundum praeceptum §. 585. eſt nulla, is, qui ſub cura fuit, praedio repetito, ei, qui praedium accepit, ad emtionis pretium, ab eo ſolutum, refundendum eatenus tantum eſt obligatus, quatenus illud in curandi vtilitatem re vera eſt verſum.

§. 590. Quid de fructibus, meliorationibus et deteriorationibus iuris ſit, inde dependet: quatenus ille, qui praedium curando debet reſtituere, ex principiis generalibus pro bonae aut malae fidei poſſeſſore eſt habendus.

Source : BIU Cujas

§. 591. De damno, curando ex alienatione orto, quod reſarcire poſſeſſor nequit, curando reſeruantur iura ſua contra eum, qui alienationis, quae nulla eſt, auctor extitit.

§. 592. Rationes inter rei detentorem, qui ad eam reſtituendam tenetur, et tutorem, per quem facta eſt alienatio, diiudicandae ſunt ex generalibus praeceptis de damni reparatione et euictione.

§. 593. Curandi ius, alienationem factam, quae nulla eſt, reuocandi, amittitur, ſi ex tutela dimiſſus eam expreſſe vel tacite approbauit.

§. 594. Pro approbatione tacita in primis eſt habendum, ſi curandus reſidui emtionis pretii ſolutionem acceptat, aut rem alienatam a poſſeſſore conducit;

§. 595. Atque etiam, ſi rem pacto onerofo alienatam tutela ſublata non repetit intra annos decem.

§. 596. Curandus eo, quod tutoris alienantis heres eſt factus, non excluditur a iure reuocandi; ſed eatenus tantum obligatur ad indemnitatem accipienti praeſtandam, quatenus defunctus ad eam erat obligatus.

intuitu emtionis fundorum;

§. 597. Res curandorum familiaris impendi quoque poteſt emendis bonis immobilibus.

§. 598. In quo tamen et ex tutoris et ex iudicii tutelaris parte requiritur examinatio maxime accurata commodorum, eiusmodi emtione curando comparandorum.

§. 599. Curandi pecuniae elocatio ſub vſuris, ſecuritate idonea praeſtita, emtioni fundorum eſt anteferenda, niſi ex hac praecipua commoda ſperanda ſint probabilitate maiore.

7. intuitu emtionis redituum vitalitiorum et penſionum;

§. 600. Si feminae nuptae tutor, approbante iudicio tutelari, ex re eſſe cenſet, vt ei aſſecuretur penſio ex inſtituto viduis alendis inſeruienti (*Witwenverpflegungsanſtalt*) publice conſtituto; maritum eius oportet concedere, vt conferenda praeſtentur ex reditibus bonorum vxoris.

Source : BIU Cujas

§. 601. At ſi maritus vxori alio modo poteſt et vult aſſignare reditus eiusdem bonitatis atque ſecuritatis; tutorem oportet a ſuo propoſito deſiſtere.

§. 602. Conductiones ſuſcipere, et mercaturam inſtituere, nulli permittatur curando. 8. intuitu conductionum ſuſcipiendarum;

§. 603. Patre durante conductionis tempore mortuo, heredum relictorum tutori non licet conductionem in regula continuare diutius, ac ad eam continuandam ex contractus verbis aut legum praeceptis eſt obligatus. (P. I. Tit. XXI. §. 366. ſqq.)

§. 604. Si tutor conductionem continuandam vel nouam quoque contrahendam exiſtimat vtilem, et curandus ad negotia huius generis educatus annum viceſimum eſt egreſſus; inde fundari poteſt petitio, vt declaretur maiorennis.

§. 605. Res curandorum familiaris ad inſtituendam nouam negotiationem non impendatur. 9. intuitu mercaturae inſtituendae vel continuandae.

§. 606. Si negotiatio iam inſtituta a defuncto delata eſt curando; ad negotia, quae ad eam pertinent, curanda tutor mercaturae peritus eſt conſtituendus.

§. 607. Cui tutori an adhuc aſſiſtens rei peritus ſit adiungendus, iudicii tutelaris arbitrio relinquitur pro negotiationis qualitate et ambitu, et pro re nata.

§. 608. Si mater exiſtit, quae ipſa negotiis mercatoriis praeſſe poteſt et cupit, praeter tutorem rei peritum non opus eſt alio aſſiſtente.

§. 609. Iudicio non licet, eiusmodi tutores et aſſiſtentes eligere ex iis perſonis, de quibus metuendum eſt, ne arcanis negotiationis curandi abutantur.

§. 610. Si perſonae idoneae inter agnatos vel cognatos curandi inueniuntur; alienis ſunt praeferendae.

Source : BIU Cujas

§. 611. Assistentes quoque solenniter adstringantur necesse est, ad curandorum commoda in negotiis mercatoriis religiose obseruanda.

§. 612. Si testator expresse disposuit, mercaturam esse continuandam; eius voluntati in rebus omnibus mos est gerendus, dum non apparent circumstantiae nouae, quae dubitationem afferunt de negotiatione pro curando continuanda.

§. 613. Si testator curandis tantum legitimam debitam reliquit; tutor et iudicium eius dispositione de mercatura continuanda non tenentur.

§. 614. Si testator mercaturam dissoluendam esse disposuit; eius voluntati in casibus omnibus est obtemperandum.

§. 615. Si testator de mercatura continuanda vel dissoluenda nihil disposuit: collegium tutelare oportet vnum aut duos rei peritos denominare, et in specie iureiurando adstringere, qui tutore et agnatorum vel cognatorum proximorum, in loco aut in prouincia degentium, vno aut duobus adhibitis circumstantias diligenter debent examinare, et interponere suum arbitrium: an negotiatio sit continuanda, an dissoluenda.

§. 616. In quibus rei peritis eligendis iudex praeceptum §. 609. obseruet necesse est.

§. 617. In examinandis circumstantiis ratio est habenda et status atque conditionis negotiationis ipsius, et aetatis atque capacitatis curandi, prout harum intuitu sperandi rationes sunt propiores, aut remotiores, aut plane nullae, vt negotiationem suscipere tempore postero possit.

§. 618. Atque hic etiam considerandae sunt qualitates, fides, et circumstantiae reliquae personae, negotia mercaturae, si continuetur, gesturae.

§. 619.

Source : BIU Cujas

§. 619. Si rei peritorum et tutoris arbitria inter ſe congruunt, hoc arbitrium collegio tutelari vnice eſt loco normae.

§. 620. At ſi ſententiae rei peritorum et agnatorum vel cognatorum ſunt diuerſae; denominandi ſunt alii rei periti, quibus adhibitis examinatio a tutore et agnatis vel cognatis eſt reiteranda.

§. 621. Qui rei periti ſi arbitrio iam dato ſuffragantur, tutoris ſententia rem decidit.

§. 622. Si vero inter rei peritos nouos et agnatos vel cognatos conuenit; res ſecundum horum petitionem eſt decidenda.

§. 623. Licet vero ſic quoque mercaturae continuatio fuerit decreta; ea tamen quouis tempore poteſt diſſolui, ſimul ac ex collatione expenſorum et acceptorum (*Balance*) quotannis exhibenda apparet, damnum ex mercatura continuata oriri; niſi forſan, ex tutoris et eius aſſiſtentis arbitrio, in poſterum praecipuo probabilitatis gradu ſperandum ſit lucrum, damnum illud longe ſuperans.

§. 624. Mercatura continuatur per disponentem, ſub cura tutoris.

§. 625. Si defunctus disponentem ad continuandam mercaturam expreſſe denominauit; hic retineatur, et nulla mutatio absque cauſa graui fiat neceſſe eſt.

§. 626. Quo caſu excepto tutorem de retinendo eo, qui huc vsque disponens fuit, aut de conſtituendo disponente nouo, ad iudicium tutelare conſilia officioſe oportet referre.

§. 627. Tutor libris diligenter reuidendis, et perluſtrando literas mutuas, certus fiat neceſſe eſt, disponentem mercaturam fide, regulis et ordini conuenienter, et prudenter adminiſtrare.

§. 628. In caſibus maioris momenti et dubiis tutor aſſiſtentium arbitrium petat, et iudicii approbationem quaerat neceſſe eſt.



Source : BIU Cujas

§. 629. Id quod inprimis debet fieri, ſi disponentis perſona aut mercaturae obiectum debeat mutari; aut ad conſequendum lucrum ſingulare, periculum (*Riſico*) in iſto mercaturae genere alias inſolitum ſuſcipi; aut mercaturae ſors ex reliquis curandorum bonis augeri.

§. 630. Fide vendendi et emendi ius disponenti nulla requiſitione facta eatenus competit, quatenus ad ordinarium mercaturae faciendae modum pertinet, et ſors mercaturae illata ſufficit.

§. 631. At vero, ſi ſortes alienae in commercii mercatorii vſum debeant mutuari, disponentem cum tutore eiusque aſſiſtente idec oportet deliberare.

§. 632. Si nullum eſt in mora periculum: in primis quaerenda eſt iudicii approbatio; alias vero illi indicandum eſt mutuum contractum, et in vtroque caſu probanda verſionis vtilitas, cum exſoluendi tempore et modo.

§. 633. Si mercatura non debeat continuari; tutor operam in eo collocabit, vt aliquem inueniat, qui eam vniuerſam (*im Ganzen*) ſuſcipiat, ſub conditionibus, curando quam maxime profuturis.

§. 634. Quae ſuſceptio inuentarii mercaturae perfecti fundamento fiat, et merces non minus, quam debita actiua a rei peritis iuratis aeſtumentur neceſſe eſt.

§. 635. Alias praeter approbationem collegii tutelaris ad cedendam eiusmodi mercaturam ſolennitates requiruntur nullae.

§. 636. Fundi quoque, cum mercatura inſeparabiliter coniuncti, mercaturam eo modo ſuſcipienti adiudicari poſſunt, ſine ſubhaſtatione ſolenni.

§. 637. Si nullus inuenitur idoneus, qui mercaturam vniuerſam ſuſcipiat; venditio mercium particularis, et nominum exactio, a disponente ſub cura tutoris eſt procuranda.

Source : BIU Cujas

§. 638. In quo casu in omnibus more mercatorio agendum est, et noua negotia suscipi eatenus tantum possunt, quatenus sine iis vetera vel plane non possent, vel non nisi graui curandi damno ad finem perduci.

§. 639. Si curandorum testator tempore mortis cum alio fuit in societate mercatoria; verba vltimae eius voluntatis dispositionis, praecepta contractus, et, his deficientibus, leges determinant: an et quomodo eiusmodi societas mercatoria continuanda sit, aut dissoluenda.

§. 640. Si a libera tutoris aut iudicii tutelaris sententia dependet, vtrum societatem mercatoriam continuare malint, an dissoluere; praecepta §. 617 sqq. ab his sunt obseruanda.

§. 641. Quatenus conuentionibus legitimis, aut testatoris dispositionibus tutori non est interdictum, societati mercatoriae continuandae se immiscere, eatenus ei sunt iura et obligationes eaedem, quae §. 627 sqq. ipsi sunt iniunctae.

§. 642. Sic quoque a socio mercaturam continuante, ratione tutoris et iudicii, eadem sunt obseruanda, quae §. 628-632. disponenti sunt praescripta.

§. 643. Hereditates durante tutela curando delatas tutor absque approbatione speciali potest adire, at non nisi saluo iuris beneficio inuentarii. 10. intuitu hereditatis curando delatae.

§. 644. Si hereditas expresse absque reseruatione est adeunda, aut expresse repudianda; approbatio iudicii tutelaris est necessaria.

§. 645. In casu omni tutorem oportet hereditatis delationem iudicio statim indicare, et deinde inuentarium confectum exhibere.

§ 646. De eruenda, regulanda, securitate munienda, et administranda eiusmodi hereditate, atque de exsoluendis debitis, locus est praeceptis omnibus, de re familiari curandorum originaria in hac sectione datis.



Source : BIU Cujas

Rationes quomodo a tutore reddantur.

§. 647. Tutor adminiſtrans omnis obligatur, vt quotannis adminiſtrationis ſuae rationes reddat, easque ſaltem intra tres menſes, elapſo anno rationario, iudicio tutelari exhibeat.

§. 648. Tutores plures coniunctim adminiſtrantes communiter rationes oportet reddere, licet priuata conuentione adminiſtrationem inter ſe diuiſerint.

§. 649. Si cui eorum adminiſtrationis pars tantum certa a teſtatore aut iudice eſt aſſignata; ad huius partis rationes reddendas tantum obligatur.

§. 650. Si adminiſtratio quidem inter plures tutores eſt diuiſa, at vni commiſſa directio praecipua; hunc ex contutorum rationibus ſpecialibus rationem generalem oportet formare et exhibere.

§. 651. In tutelis minoris momenti, poſt anni primi rationes redditas et acceptas, terminus rationum ſequentium in annos duos ad tres vsque poteſt determinari.

§. 652. Si rei familiaris reditus matri, aut tertio, aut tutori ipſi, pro educationis et alimentorum ſumtibus, per auerſionem ſunt conceſſi; rei familiaris ſubſtantiae demonſtratio, ſingulis annis exhibenda, eſt loco rationum.

§. 653. Ad mercaturas quod attinet, loco rationum eſt collatio acceptorum et expenſorum ſingulis annis a logographo (*Buchhalter*) iurato ex libris extracta, cuius veritas comprobata eſt teſtimonio tutoris, reuiſione ante facta.

§. 654. Eiusmodi collatio acceptorum et expenſorum a iudice cuſtodienda eſt eodem modo, qui de inuentario cuſtodiendo eſt praeceptus.

§. 655. Inuentarium aut conſignatio, ad quam tutori res familiaris eſt tradita, eſt fundamentum rationum.

§. 656. Secundum eius et ſeparationis receſſus forſan confecti ſummam in rationibus reddendis

Source : BIU Cujas

omnibus ſtatus bonorum debet doceri, qualis ab initio et ſub finem rationum fuit.

§. 657. Rationes in ſe contineant neceſſe eſt conſignationem perfectam acceptorum et expenſorum anni rationarii omnium.

§. 658. Rationibus quoque inferenda ſunt accepta et expenſa, immediato iudicii iuſſu facta, aut per eius depoſitum exacta et praeſtita.

§. 659. Iudicium igitur tutori eiusmodi ſolutionum indicia et extracta neceſſaria tempeſtiue communicet neceſſe eſt.

§. 660. Acceptorum et expenſorum veritas, teſtimoniis, apochis, aut documentis aliis ſufficienter eſt demonſtranda.

§. 661. In genere tutori adminiſtranti in conficiendis et reddendis rationibus obſeruanda ſunt omnia, quae ideo bonorum alienorum adminiſtratori ſunt praeſcripta. (P. I. Tit. XIV. Sect. II.)

§. 662. Iudicii tutelaris eſt, tutorem ad rationes reddendas ex officio compellere, et rationes exhibitas diligenter examinare.

§. 663. Quae examinatio ſpectet neceſſe eſt et ad rationum veritatem ſecundum regulas arithmeticas, et probationes ſcriptas, et ad ſubſtantiam, qualitatem, et vtilitatem negotiorum geſtorum, in acceptis et expenſis.

§. 664. Si tutor honorarius eſt conſtitutus, hic ex officio certior eſt reddendus de rationibus exhibendis, et de termino ad eas accipiendas praefixo.

§. 665. Tutori honorario ius competit, rationes examinandi, et monita formandi.

§. 666. In primis vero eius eſt, in iis examinandis curandorum commodis proſpicere.

§. 667. Satisfactionem defectorum, contra tutorem formatorum, quibus ab hoc nondum eſt ſatisfactum, iudicem curare ex officio oportet.



Source : BIU Cujas

§. 668. Quae de reſiduis praecepta ſunt, ea quoque obſeruanda ſunt de iis, quae ſecundum rationes in aerario reſtant. (§. 545. ſqq.)

§. 669. Intuitu eorum, quae in aerario reſtant, et defectorum eorum, quorum veritatem tutor agnoſcit, iudicium tutelare, ſi opus fuerit, executionem poteſt decernere, ſine proceſſu formali, qui non eſt neceſſarius.

§. 670. Si tutor iurisdictioni alienae ſubeſt; iudex competens, facta collegii tutelaris requiſitione ſola, executionem in eiusmodi caſibus ſine recuſatione debet peragere.

§. 671 Quid autem iuris ſit, ſi tutor defecta formata agnoſcere recuſat, in ordinatione proceſſus eſt determinatum.

§. 672. Si tutela curandorum plurium, at bona indiuiſa non amplius habentium, ſimul eſt ordinata; de ſingulorum re familiari rationes ſeparatae ſunt conficiendae et reddendae.

§. 673. Si plures exiſtunt curandi, partim bona communia, at partim ſinguli bona in ſe ſeparata poſſidentes; praeter communes rationes, ſeparatae quoque ſingulorum rationes conficiendae ſunt et reddendae.

§. 674. Si ad curandi rem familiarem fundus pertinet in prouincia regia alia ſitus; eius oeconomiae adminiſtratae rationes ſeparatim quidem ſunt conficiendae, et iudici rei ſitae reddendae;

§. 675. At tutorem oportet ea, quae deductis oeconomiae expenſis forſan ex fundi reditibus ſuperſunt, rationibus tutelaribus inferere, et in iis rite probare.

§ 676. Iudicem rei ſitae quoque oportet rationes oeconomiae adminiſtratae acceptas iudicio tutelari transmittere, et denuntiare, quales eas in reuidendo et accipiendo inuenerit.

Source : BIU Cujas

§. 677. Iudicio tutelari ius est et obligatio, has rationes denuo examinandi, et cum rationibus tutelae sibi exhibitis conferendi.

§. 678. Si rationes constant, aut monitis contra eas formatis est satisfactum; tutori danda est apocha scripta de rationibus redditis.

§. 679. Curandi nullis voluntatis declarationibus aut dispositionibus subtrahi possunt regni curae, de eorum persona et bonis in antecedentibus sancitae. Quatenus tutores a cura magistratus possint liberari.

§. 680. Hinc dispositio, qua curandis tutor nullus debet constitui, illicita est et nulla.

§. 681. At omnino curandorum testator tutorem a se denominatum in totum aut ex parte liberare potest ab administrationis tutelaris restrictionibus §. 422-678. praescriptis.

§. 682. Eiusmodi tamen immunitas constitui tantum potest declaratione in iudicio facta, aut testamento solenni iudicialiter confecto aut deposito.

§. 683. Atque etiam hoc ius tali tantum testatori competit, qui curandis legitima debita plus confert.

§. 684. Sed talis quoque tutor ad tutelae munus a iudicio tutelari est adstringendus, adiecto confirmationis instrumento, in quo expressae sunt immunitates, ex testatoris voluntate ei competentes.

§. 685. Et talis quoque tutor subiectus est generali iudicii tutelaris curae.

§. 686. Si curandorum bona immobilia sunt alienanda; tutorem ad iudicium pupillare de alienatione oportet referre.

§. 687. Cui quidem iudicio neque ius est neque obligatio, alienationis causas diiudicandi; at alienationis modus, cum iudicii approbatione, secundum leges definiatur necesse est.



Source : BIU Cujas

§. 688. Si iudicio tutelari in notitiam veniunt indicia grauia contra tutorem, eum sine ordine, manifesto inconsulte, vel adeo mala fide agere; iudicium statim oportet ea indicia propius cognoscere, et curandorum securitati prospicere.

§. 689. Idem debet fieri, si tutoris bona manifesto detrimentum capere incipiunt; aut si, suscepta tutela, aerarii regii munus, administrationem domaniorum, aut conductionem subit.

§. 690. At iudex tamen in cura, de eiusmodi tutore gerenda, non praestat nisi culpam latam.

§. 691. Si ex rationibus antecedentibus cognoscitur, tutorem vel in vnico tantum casu aut negotio manifesta confusione, vel adeo mala fide agendo testatoris fidei in ipso positae non satisfeciisse; iudicii tutelaris curae in omnibus aeque se debet submittere, ac si nulla existat testatoris dispositio, ab ea cura eum liberans.

§. 692. Immunitates tutori testamentario concessae non competunt ei, qui illo deficiente, aut decedente, eius loco est denominatus, nisi expresse ad eum quoque simul fuerint extensae.

§. 693. Ex interdictione, ne exhibeatur inuentarium priuatum apertum, sequitur tutoris immunitas ab onere rationum reddendarum.

§. 694. Ex interdictione sola, ne tutor rationes reddat, nondum sequitur tutoris immunitas ab obligatione probationis, de substantia bonorum, secundum §. 652. exhibendae.

## Sectio Octaua.

### *De modis, quibus tutela finitur.*

Tutelae finis.

§. 695. Regni cura de curandis suis non est diutius continuanda, ac circumstantiae durant, quae eam reddiderunt necessariam.

Source : BIU Cujas

§. 696. Tutela ob minorennitatem conſtituta finitur, ſi minor annum viceſimum quartum eſt egreſſus. I. Ex parte curandorum: 1. aetate maiore fecuta;

§. 697. Quem maiorennitatis terminum legalem in regula curandorum teſtator nullus prolongare poteſt, aut abbreuiare.

§. 698. At vero, ſi parens tutelam prolongandam in curandorum vtilitatem expreſſe diſpoſuit; tutela continuanda eſt, at non ſex annis plus vltra maiorennitatis terminum legalem.

§. 699. Si non parens, ſed alius tantum teſtator eiusmodi deſiderium ſignificauit; nihilo minus eſt collegii tutelaris, ex officio indagare propius, an adſint cauſae legales, quae neceſſariam reddant tutelae prolongationem.

§. 700. Cauſae legales in hoc caſu eae tantum ſunt habendae, quae vel ſufficerent, vt maiorennis prodigi inſtar ſub tutela conſtituatur.

§. 701. Grauis quoque animi imbecillitas, licet nondum ad eum gradum euecta, qui conſtitutionem tutelae nouae reddere poſſet neceſſariam, iuſtificare tamen poteſt, ſub determinatione §. 698., continuationem tutelae, ob minorennitatem adhuc conſtitutae, licet eam vel alienus tantum conſtituerit.

§. 702. In caſibus omnibus, ſi tutelae prolongatio, ſiue ex patris diſpoſitione, ſiue ex iudicis arbitrio habetur neceſſaria, curandus contra hanc prolongationem legitime eſt audiendus.

§. 703. At lite tamen pendente tutela continuatur.

§. 704. In caſibus omnibus, quibus tutela ob minorennitatem conſtituta vltra maiorennitatis terminum legalem prolongatur, iſta prolongatio publice promulganda eſt modo eodem, qui de prodigalitatis declarationibus eſt praeceptus.

§. 705. Quo in vitae ciuilis commercio quilibet perfecte certus eſſe poſſit: an is, quocum pactum



Source : BIU Cujas

cupit inire, aut negotium aliud agere, ſub tutela adhuc ſit, an non ſit; curando cuique, qui maiorennitate ſecuta ex tutela dimittitur, a iudicio tutelari detur teſtimonium ſcriptum de tutela finita.

§. 706. At eiusmodi teſtimonium non inſeruit, niſi legitimationi eius, qui fuit ſub cura, et eius defectus ſolus non efficit negotii cum eo acti inualiditatem.

§. 707. Caeterum et patri, et alii cuique, qui curando legitima debita plus confert, ius quidem competit, diſpoſitionem etiam poſt maiorennitatem ſecutam limitandi;

§. 708. At eiusmodi limitationum vis extenditur tantum ad ea, quae collata ſunt, et neque tutorem obligat, neque iudicium tutelare, vt vlteriorem curam aut adminiſtrationem in ſe ſuſcipiant.

§. 709. At iudicium tamen, antequam tollit tutelam, ex officio curare oportet, vt eiusmodi limitationes, ſi ad fundos attinent, in librum hypothecarium referantur, et ſi ad ſortes ſpectant, debitoribus notificentur.

§. 710. Atque etiam iudicium tutelare eiusmodi limitationes notare ſimul oportet in teſtimonio, ſecundum §. 705. ei, qui fuit ſub cura, exhibendo.

§. 711. Quatenus de eiusmodi obiectis, talibus limitationibus obnoxiis, valide poſſit diſponi, vel non diſponi, diiudicandum eſt ex praeceptis partis primae tituli quarti §. 15. ſqq.

§. 712. Proprio motu magiſtratui nunquam licet, curae de pupillo tutelari ante maiorennitatem ſecutam ſe ſubtrahere.

2. aetatis venia impetrata.

§. 713. At contra curandus aetatis veniam poteſt petere, ſi poteſt docere, ſe ad res ſuas adminiſtrandas plene eſſe habilem, et tutela finita commodum ſuum verum atque durabile magis ac tutelae continuatione iri promotum.

§. 714. Vtrum eiusmodi circumſtantiae exiſtant, iudicium tutelare diligenter oportet indagare, ad-

Source : BIU Cujas

hibito eo, qui hactenus tutor fuit, cum agnatis vel cognatis proximis, loco praesentibus, et iis personis, sub quarum cura curandus hactenus fuit.

§. 715. Si pater ipse aetatis veniam pro filio petit, iudicium tutelare quidem examinare quoque oportet circumstantias secundum praeceptum §. 714;

§. 716. Quae tamen examinatio ad id tantum spectet: vtrum circumstantiae extent, in quibus filii, pro maiorenni declarandi, et patris commoda (interesse) collidantur, atque adeo filius impetrata aetatis venia damnum posset pati.

§. 717. Si pater defunctus curandorum terminum maiorennitatis abbreuiandum esse dispofuit; causae cognitione nulla est opus, nisi tutor causas graues afferat, quae suadent tutelae in curandi commodum continuationem.

§. 718. At contra veniae aetatis impetrandae petitio nulla admittitur, si pater eam prohibuit, aut tantum expresse significauit voluntatem suam, de tutela vsque ad maiorennitatem secutam continuanda.

§. 719. Aetatis venia non conceditur feminis, nisi annum decimum octauum, neque masculis, nisi annum vicesimum sint egressi.

§. 720. In prouinciis, vbi ordinis ciuici aut rustici personae, secundum iura, quae hactenus obtinuerunt, maiorennitatem peracto anno vicesimo primo sunt consecutae, iudicio tutelari, cui subsunt, ius veniam aetatis concedendi competit, nulla voluntatis instantiae superioris requisitione facta.

§. 721. Quatenus in prouinciis, vbi hactenus annus vicesimus quintus maiorennitatis terminus fuit, vti intuitu nobilium generatim, aetatis venia tantum ab ea collegii ministrorum status parte, cui iustitiae administratio demandata est, aut a prouinciae collegio possit concedi, in legibus prouincialibus propius definietur.

Source : BIU Cujas

§. 722. Eo vsque intuitu horum casuum (§. 721.) valet prouinciae cuiusque constitutio, quae hactenus obtinuit.

§. 723. In casibus omnibus, vbi ordo curandi sexus siue masculini siue feminini valet ad diiudicandam quaestionem: a qua inflantia aetatis venia sit concedenda, ratio tantum habeatur ordinis, cuius talis persona tempore tutelae constitutae fuit.

§. 724. Venia aetatis impetrata prorsus eosdem producit effectus, quos maiorennitas re vera secuta.

§. 725. Intuitu alienationis et oppignorationis bonorum immobilium tantum aetatis veniae adiici possunt limitationes; quae vero tunc in fundo ipso sunt intabulandae.

§. 726. Eiusmodi limitatio nunquam extenditur ad fundos eos, quos ille, qui sub cura fuit, post veniam aetatis impetratam demum acquisiuit ex sortibus suis, aut modo alio.

§. 727. Quatenus eius, qui sub cura fuit, facultas alienandi aut oppignorandi secundum §. 725. est limitata, eatenus, si eiusmodi actus nihilo minus debeant suscipi, quaerenda est eius iudicii approbatio, sub cuius cura fuit.

3. intuitu redituum peracto anno vicesimo.

§. 728. Curando cuique anno vicesimo peracto concedi potest rei suae familiaris redituum, deductis oeconomiae expensis, vsuris, et administrationis sumtibus, residuum, quod ipse administret et in vtilitatem suam conuertat.

§. 729. Atque etiam rei familiaris substantia ipsa petenti committi potest administranda; at vero, si postulet, tutorem eius administrationem continuare oportet, vsque donec ad maiorennitatem peruenit.

§. 730. In casu tamen vtroque curandus tutoris et iudicii tutelaris curae eatenus est subiectus, vt iis poscentibus de administratione gesta et de redituum versione rationem reddere eum oporteat.

Source : BIU Cujas

§. 731. At contra, quod ad perſonam, et bonorum ſuorum immobilium ſubſtantiam, atque ſortes elocatas attinet, eiusmodi curandus quoque, donec annum viceſimum quartum egreſſus eſt, iisdem manet ſubiectus limitationibus, quibus alius quisque.

§. 732. Hinc tutore non adhibito neque bona immobilia, gemmas et res pretioſas poteſt alienare, oppignorare, aut modo alio onerare, neque ſortes renuntiare et exigere.

§. 733. Neque noua poteſt contrahere mutua ſine iudicii tutelaris approbatione.

§. 734. Alia pacta eatenus tantum poteſt inire, quatenus, hoc iure deſtitutus, adminiſtrationem ſibi conceſſam non poſſet gerere.

§. 735. Venditiones lignorum ex ſyluis extraordinarias, modum ſtatum (*Etat*) ordinarium excedentes, ſine tutoris auctoritate et approbatione collegii tutelaris facere ipſi non licet.

§. 736. Curandae nuptiis tutela non finitur. 4. Si curanda viro nubit.

§. 737. At vero curandae marito non poteſt denegari vſusfructus vxoris bonorum, marito ex legibus competens.

§. 738. An rei familiaris pars vxori ſit reſeruanda, an loco dotis hereditariae (*Erbſchatz*) conſtituenda? tutor ſub directione magiſtratus prudenter diiudicet, et pactis, cum marito initis, ante nuptiarum conſummationem definiat neceſſe eſt.

§. 739. Si nulla facta eſt bonorum reſeruatio, aut dotis hereditariae conſtitutio; neque tutor neque magiſtratus ideo teneatur.

§. 740. Ad contra ad dotem hereditariam ex curandae re familiari conſtituendam, proprius eius conſenſus eſt neceſſarius.

§. 741. Bona reſeruata, eorumque reditus tutor adminiſtrandos retinet.

Source : BIU Cujas

§. 742. Dotis hereditariae et curandae rei familiaris non reseruatae administratio in regula marito quoque competit; substantia vero tutoris et iudicii tutelaris curae est subiecta.

§. 743. Maritus itaque vxoris bona immobilia ipse potest administrare, aut locare; at de eorum alienatione et oppignoratione legum praecepta aeque sunt obseruanda, ac si nullum matrimonium esset initum.

§. 744. Si sylua ad tales fundos pertinet; maritus legibus forestariis conuenienter ea potest vti; at caedes lignorum extraordinarias, absque tutoris consensu, et iudicii tutelaris approbatione facere ei non licet.

§. 745. Sortium vsuras maritus ipse potest colligere; at contra, sortes renuntiandi et exigendi ius ei non competit, tutore non consentiente, et iudicio non approbante.

§. 746. In casibus omnibus mariti curandae arbitrium, in mutanda substantia, semper est audiendum.

§. 747. Idem fiat, necesse est, si tutor post nuptias celebratas quoque administrationem continuat, et modus administrationis debet mutari.

§. 748. At tutor tamen et iudicium mariti sententia et arbitrio non adstringuntur.

§. 749. De rationibus tutelaribus exhibitis, atque de termino earum accipiendarum maritus certior est reddendus, cuius arbitrio quoque relinquendum est, an velit rationes inspicere, monita contra eas formare, et earum acceptioni intereesse.

§. 750. Si maritus poscit, vt sibi quoque tradantur vxoris suae nondum maiorennis pecuniae paratae et sortes elocatae; earum securitatem idoneam praestet necesse est fundis, aut nominibus actiuis iudicialiter intabulatis.

Source : BIU Cujas

§. 751. Quae fecuritas diiudicanda et examinanda eſt eo modo, qui de ſecuritate pecuniarum pupillarium locandarum eſt praeſcriptus. (§. 467. ſqq.)

§. 752. Tunc tutoris et iudicii cura tantum extenditur ad hanc ſecuritatem conſeruandam.

§. 753. Si curandae maritus in aerarii officio, quo fungitur, conſeruari non aliter poteſt, niſi cautione ex vxoris bonis praeſtita; tutor, iudicio tutelari approbante, eam cautionem praeſtare ex curandae bonis poteſt.

§. 754. Idem fieri poteſt, ſi maritus, qui aerarii et rationum rebus dedit operam, via nulla alia ſibi et familiae ſuae acquirere poteſt victum, pro ordine et dignitate.

§. 755. At in vtroque tamen caſu tutor diligentia, quantum fieri poteſt, maxima indaget neceſſe eſt mariti facultates animi, mores, et modum oeconomiae adminiſtrandae.

§. 756. Semper quoque cautio non praeſtetur, niſi ad ſummam definitam certam.

§. 757. Tutorem reſeruare ſibi et curandis oportet terminum ad cautionem renuntiandam pro re nata quam breuiſſimum.

§. 758. A marito quotannis, intra ſex ſaltem hebdomadas poſt annum aerarium praeterlapſum, poſtulet neceſſe eſt probationem rationum legitime redditarum, et producendam apocham, de rationibus redditis acceptam.

§. 759. Simulac maritus, ſub quocunque fiat praetextu, iſtam probationem aut apocham producere moratur, tutor de cauſis huius morae praetextis, et de vero rei ſtatu, inſtantiam ei propoſitam interroget neceſſe eſt.

§. 760. Ad iudicium tutelare per tempora, in primis vero, ſimulac cauſa vlla apparet, dubitationem afferens, religioſe et ſine vlla reſeruatione referre eum oportet de mariti moribus et oecono-

Source : BIU Cujas

mia, de ordine, in fungendo aerarii munere et reddendis rationibus ab ipso seruato, et de dubitationibus hic forsan apparentibus.

§. 761. Simulac apparent causae graues metuendi, ne a curanda sint mariti facta praestanda; iudicium tutorem sine mora instruat necesse est, vt cautionem statim renuntiet, et periculum imminens, quantum fieri potest, auertat per tempus interiectum, addendo curatorem (inspectorem), aut pro re nata modis aliis conuenientibus, quibus est locus.

§. 762. Si curandae maritus casibus aduersis, ipsi non imputandis, quaestus deminutionem sentit, aut angustiis aliis premitur; vxoris rei familiaris substantia quoque eatenus potest impendi ad eum sustentandum, quatenus necesse est, vt in eo statu conseruetur, aut in eum statum restituatur, quo alere se et suam familiam possit.

§. 763. Si maritus ad meliorem peruenit fortunam; tutor et iudicium, quantum fieri potest, curent necesse est, vt curandae sortes suppleantur.

in primis si mercatori nubit.

§. 764. Si curanda nupsit mercatori, ob sufficientem rei mercatoriae scientiam et bonam oeconomiam bene audienti; hic potest postulare, vt sibi tradantur pecuniae paratae et sortes, vel sine separata securitate praestita.

§. 765. At tunc acceptorum et expensorum collationem (*Balance*) de mercaturae suae statu tutori exhibeat necesse est, eiusque veritatem doceat libris producendis.

§. 766. Tutori, sufficiente mercaturae scientia non instructo, ad istam collationem examinandam, et cum libris conferendam a iudicio adiungendus est assistens rei peritus.

§. 767. Si tutor eiusque assistens, tradendo acceptorum et expensorum collationem obsignatam affirmant, curandae rem familiarem in mercatura mariti, pro statu et conditione eius praesente, periculo non

Source : BIU Cujas

non esse expositam; iudicium consentire potest in eam marito tradendam.

§. 768. At vero maritum quoque oportet in posterum, et dum tutela durat, in ista acceptorum et expensorum collatione, singulis annis expedienda et formanda, adhibere tutorem et eius assistentem.

§. 769. Quae quoque acceptorum et expensorum collatio, singulis annis conficienda, obsignata deponatur necesse est apud iudicium tutelare.

§. 770. Praeter quam reuisionem ordinariam tutor quoque, quotiescunque ipsi videtur necessarium, petere potest, vt libri producantur.

§. 771. Simulac tutor, in eiusmodi reuisione ordinaria aut extraordinaria, percipit periculum curandae rei familiari imminens, illud iudicio sine reseruatione significare eum oportet.

§. 772. Atque etiam, sub directione iudicii, disponere, quae sunt necessaria, vt addendo inspectorem, aut adhibendo media alia pro re nata idonea, quantum fieri potest, auertatur periculum imminens.

§. 773. Si maritus mercaturam demum cupit instituere vxoris re familiari; eius traditionem petere non potest, nisi securitate plena praestita.

§. 774. Maritus mercaturam, curandae a patre aut testatore alio delatam, continuaturus ad eam continuandam, allatis capacitatis, scientiarum et modi oeconomiae certis testimoniis est admittendus; nisi sint ex rei peritorum arbitrio causae grauiores ad eam mercaturam plane dissoluendam. (§. 617. sqq.)

§. 775. Si marito mercatura continuanda conceditur; pro disponente est habendus, cui etiam qua tali, cum tutore et iudicio intercedunt rationes §. 627. sqq. definitae.

§. 776. Si de successione futura ante nuptias curandi vel curandae pacta debeant iniri; tutorem curandorum commodum (interesse) fideliter oportet obseruare, et iudicii tutelaris approbationem quaerere. De pactis successoriis, si curanda nubit.



Source : BIU Cujas

§. 777. Neque tutor, neque iudicium ad ſui defenſionem obligantur, ſi intuitu ſucceſſionis legum praecepta obſeruant.

§. 778. Si eiusmodi pactis renuntiari debeat certis commodis, quae leges aſſignant curandis in hereditate, a coniuge relinquenda; tutorem cauſas exiſtentes indicare oportet iudicio tutelari, quod eas examinet.

§. 779. Si iudicium cognoſcit, commodum, cui debet renuntiari, longe ſuperari ab vtilitate, quam minores ex iſta renuntiatione non ſine ratione poſſunt ſperare, atque adeo renuntiationem approbat; neque huic neque tutori effectus contrarius poteſt imputari.

In primis, vbi communioni bonorum eſt locus.

§. 780. Si in locis, vbi communio bonorum inter coniuges ex legibus prouincialibus aut ſtatutis eſt introducta, curandus aut curanda patre adhuc viuo matrimonium iniit, communione per pactum non legitime excluſa; tutor et iudicium tutelare impedire nequeunt, quo minus iſta communio continuetur.

§. 781. At omnino legitimis eam tollendi cauſis exiſtentibus, in curandorum fauorem vti his cauſis poſſunt et debent. (Tit. I. §. 420. 421.)

§. 782. Si matrimonium demum durante tutela iungitur, communio, donec tutela eſt finita, differtur.

§. 783. At tutor tamen, ſi manifeſto ex re minorum eſſe cenſet, huic dilationi, iudicio tutelari approbante, poteſt renuntiare.

§. 784. Neque communionis legitima dilatio, neque renuntiatio huius iuris beneficii a tutore facta, promulgatione publica indiget.

§. 785. Communione dilata, iudicium ſtatim, tutela finita, ex ea, quae hactenus fuit ſub cura, audiat: an eiusmodi communionem cum marito velit inire.

Source : BIU Cujas

§. 786. Tum iudicis eſt, eidem rite declarare iura ei competentia, communionis ineundae effectus, et promulgationis publicae neceſſitatem, ſi communio debeat excludi.

§. 787. Qui hactenus fuit tutor, hic locum aſſiſtentis curandae ſupplet, cuius tamen loco alium quoque poteſt aſſiſtentem ſibi eligere.

§. 788. Quam declarationem a curanda fuiſſe petitam, et quomodo ſe declarauerit, in teſtimonio, ſecundum §. 705. ei, dum ex tutela dimittitur, exhibendo exprimatur neceſſe eſt.

§. 789. Si, quae hactenus ſub cura fuit, excludendam communionem petit; de promulganda communionis excluſione ſtatim disponenda ſunt neceſſaria.

§. 790. Si in communionem conſentit, communionis effectus vsque ad matrimonii initium extenduntur.

§. 791. Idem obtinet, ſi, quae ſub cura fuit, a iudice edocta, tres menſes praeterlabi finit, nihil declarans de excludenda communione, neque promulgationem legitimam petens.

§. 792. Cui curandae ſententiae (§. 785.), qualiscunque ſit, contradicendi ius marito non competit.

§. 793. At vero, ſi ſtatim in matrimonio ineundo, accedente tutoris conſenſu, et iudicii tutelaris approbatione, communio eſt excluſa; excluſione quoque eſt ſtandum, ſi curanda maiorennitatem eſt adepta.

§. 794. Si tutor et iudicium tutelare, tutela finita, declarationem hactenus curandae ſecundum §. 785. 786. exigere neglexerunt; neque ipſa maiorennitatem adepta intra tres menſes petiit communionem excludendam: ſtatuendum eſt, communionem obtinere cum effectu, §. 790. determinato.



Source : BIU Cujas

§. 795. Si hactenus curanda inde poſtea damnum ſentit; ei reſeruatur regreſſus ad tutorem et iudicium, qui officio ſuo defuerunt.

§. 796. Si matrimonii vinculum, durante tutela, morte aut iudicis ſententia diſſoluitur; nulla exiſtit bonorum communio.

§. 797. At vero, ſi matrimonium, tutela finita, eo modo diſſoluitur, expreſſa excluſione nulla facta; nihilo minus tamen, licet vel nondum elapſus ſit terminus, §. 791. definitus, ſtatuitur, communionem obtinuiſſe.

§. 798. Vbi ſecundum leges prouinciales aut ſtatuta communio tantum acquaeſtus matrimonio exoritur; ibi, de matrimoniis minorum, valent praecepta legum generalia. (Tit. I. 396. ſqq.)

§. 799. Ius, bonorum communionem pacto ineundi, tutori et iudicio tunc tantum competit, ſi ex ea cum ſecuritate plena minorum lucrum manifeſtum eſt ſperandum.

De matrimonio curandae ad legem morganaticam.

§. 800. Si curanda matrimonium ad legem morganaticam iungit, inde in eius tutela, et in eius bonorum atque redituum adminiſtratione, nihil mutatur. (Tit. I. §. 874. ſqq.)

§. 801. At tutor in ſatisfactione curandae competente definienda et ſecuritate munienda, eius commodis rite proſpiciat neceſſe eſt.

De matrimonio curandi.

§. 802. Si curandus matrimonium *init*, inde in eius tutelae rationibus plane *nulla* oritur mutatio.

§. 803. Quatenus ei aetatis venia aut propria rei familiaris adminiſtratio ſit concedenda, vnice diiudicandum eſt ex praeceptis antecedentibus.

§. 804. Si liberi a curando geniti, tutela ipſius nondum finita, peculium acquirunt, aut poſſident; tutori ipſius, intuitu huius peculii ſunt iura et obligationes omnes, quae ei peculii patris intuitu ſunt praeſcriptae.

Source : BIU Cujas

§. 805. At exemtiones tamen a cura tutelari ſuperiori, tutori de re familiari patris modo per ſe legitimo conceſſae, nequeunt extendi ad bona, quae ad liberos eo modo poſtea ſunt deuoluta.

§. 806. De liberorum perſona patri, licet ſub tutela conſtituto, competunt patriae poteſtatis iura omnia, quae ad bonorum adminiſtrationem non referuntur.

§. 807. Ad faciendum quaeſtum ciuilem proprium curandus nullus admittatur, niſi veniam aetatis impetrauerit. 5. Inſtitutio quaeſtus ciuilis.

§. 808. Quod ſi nihilo minus eſt factum; eius facultas factis et pactis ſuis ſe obligandi, aut non obligandi, intuitu tertii, cum eo pacifcentis, diiudicatur ex generalibus legum praeceptis de pactis eorum, qui ad pacta ineunda ſunt inhabiles. (P. I. Tit. V. §. 31. ſqq.)

§. 809. Curando vero ipſi, qui inde damnum patitur, regreſſus reſeruatur ad eum, qui eum ad quaeſtum contra ordinem admiſit.

§. 810. Si cui, maiorennitatem nondum adepto, munus demandatur; aetatis defectus ad obligationem et effectus legitimos actionum muneris nihil valet.

§. 811. At in rebus ſuis propriis tum quoque ſubiectus eſt minorennium limitationibus legalibus.

§. 812. Pro prodigo declarato, non permittatur amplius, vt quaeſtus ciuiles faciat.

§. 813. Quatenus et quo effectu minorenni praediì poſſeſſori propria praedii adminiſtratio poſſit concedi, §. 728. ſqq. eſt definitum.

§. 814. Adoptione curandi eius tutela in regula non finitur. 6. Adoptione.

§. 815. Tutela furioſorum, et mente captorum eſt finienda, ſi ad mentis ſuae vſum plene liberum peruenerunt. 7. Si furioſi et mente capti reconualescunt.

§. 816. Quod an factum ſit, iudicium tutelare exquirere diligenter oportet.



Source : BIU Cujas

§. 817. In quo exquirendo, praeter tutorem adhibendi sunt rei peritus, a iudicio denominatus, et agnati vel cognati proximi, loco praesentes, aut his deficientibus curator curando separatim constituendus.

8. Si muti et surdi simul reconualescunt.

§. 818. Tutela mutorum et surdorum simul finitur, si facta causae cognitione constat, eos esse facultatem assecutos, res suas administrandi.

§. 819. Quod si igitur quoque defectus auditus aut facultatis loquendi est remotus; nihilo minus tamen adhuc exquirendum est, anne forsan ob animi hebetudinem et imbecillitatem tutelae continuatio adhuc sit necessaria.

§. 820. Exquisitio vtraque instituenda est adhibitis personis §. 817. denominatis.

9. Si absens declaratur pro mortuo.

§. 821. Tutela bonorum absentis finitur, si absens reuertitur, aut vitam et domicilium nuntiat.

§. 822. In casu posteriori iudicium tutelare prouocare eum oportet, vt reuertatur, aut mandatarium constituat, qui eius bona administranda in posterum curet.

§. 823. Si vero intra decem annos de vita aut morte absentis nihil innotuit; peti potest, vt declaretur pro mortuo.

§. 824. Ius petendi, vt pro mortuo declaretur, absentis agnatis vel cognatis proximis competit.

§. 825. Qui si proprio motu non comparent; iudicio tutelari ius est, at non obligatio, eos vocandi, vt compareant.

§. 826. Si tutori et iudicio tutelari absentis agnati vel cognati nulli sunt noti; hoc illi potest praecipere, vt petat, absentem declarari pro mortuo.

§. 827. In quo tamen casu ea, quae agi debent, nuntianda sunt instantiae, cui tanquam res nullius absentis bona cederent, si citatione emissa neque

Source : BIU Cujas

abſens, neque eius agnati vel cognati, aut heredes compareant.

§. 828. Decennium ab eo die computandum eſt, quo vltimus nuntius eſt allatus, aut, nullo allato nuntio, ex eo tempore, quo abſens diſceſſit, aut eſt deſideratus.

§. 829. Si de vita et domicilio abſentis, maiorennitatem nondum adepti, nihil innotuit, decennium demum inde ab iſto die computatur, quo maiorennis eſt factus.

§. 830. Si de vita et domicilio abſentis, annum ſexageſimum quintum iam agentis, aut egreſſi nihil innotuit, elapſis quinque annis pro mortuo poteſt declarari.

§. 831. Si abſentis aetas eo tempore, ex quo deſideratur, non eſt cognita, at praeſumtio veritate fundata, eum tum adhuc fuiſſe minorennem; annorum quindecim ſpatium debet expectari, antequam poteſt pro mortuo declarari.

§. 832. Si abſentia eius, de cuius vita et domicilio nihil innotuit, occaſione hereditatis ei delatae demum innoteſcit, et erui non poteſt temporis momentum prius, quo eſt deſideratus; dies mortis hereditatem relinquentis pro eo temporis momento eſt habendus.

§. 833. Elapſo temporis ſpatio legitimo inſtituenda eſt publica abſentis, de cuius vita et domicilio nihil innotuit, citatio ſecundum ordinationes proceſſus praecepta.

§. 834. Facta mortis declaratione abſentis tutela finitur, et res familiaris cedit ei, cui ex ſucceſſione legali competit.

§. 835. In qua ſucceſſione definienda dies attendendus eſt, quo ſententia, qua abſens pro mortuo eſt declaratus, tranſit in rem iudicatam.

§. 836. Si intra tempus cognitionis cauſae, aut iuris beneficiorum, contra ſententiam admiſſorum,



Source : BIU Cujas

moritur agnatus vel cognatus proximus, qui petiit, vt abſens declaretur pro mortuo; tum ei, qui illo mortuo, abſenti, de cuius vita et domicilio nihil conſtat, cognatione eſt proximus, ius competit, rem ſuo nomine perſequendi, vsque donec ſententia vires rei iudicatae eſt nacta.

§. 837. Tunc vero actoris heredi expenſas eo vsque erogatas reſtituat neceſſe eſt.

§. 838. Si ſententia, qua abſens pro mortuo declaratur, ſemel tranſiit in rem iudicatam, petitiones reſtitutionis in integrum, et alia extraordinaria iuris remedia, quae forſan poſtea adhuc interponuntur, prodeſſe non poſſunt tertio, qui demum abſenti factus eſt agnatione proximus, poſtquam ſententia iam tranſiit in rem iudicatam.

§. 839. Si abſens, ante diſceſſum, teſtamentum in iudicio depoſuit, hoc rite eſt publicandum, ſi ſententia, qua abſens mortuus eſt declaratus, vires rei iudicatae eſt nacta.

§. 840. Heres ex teſtamento, atque etiam heres ex pacto, hic quoque heredi ex lege ſunt praeferendi.

§. 841. Quamdiu ſententia de mortis declaratione lata nondum tranſiit in rem iudicatam, aut bona, ſecundum definitionem §. 834. heredi adiudicata, nondum ſunt tradita, admittenda eſt probatio: abſentem maturius aut ſerius eſſe mortuum, atque adeo hereditatem ad alium deuolutam fuiſſe heredem.

§. 842. Bonis ſemel traditis, probationi, abſentem maturius aut ſerius eſſe mortuum, et pro hoc mortis naturalis tempore bona ad alium fuiſſe deuoluta, cum eo tantum effectu eſt locus, vt heres verus, eo modo cognitus, hereditatem relictam a poſſeſſore repetere quidem poſſit; at in iis tamen repetundis non habeat ius maius, ac teſtator ipſe

Source : BIU Cujas

habuiſſet, ſi rediiſſet pro mortuo iam declaratus. (§. 847. ſqq.)

§. 843. Quae hic praecepta ſunt de heredibus ab inteſtato, valent quoque de heredibus ex teſtamento, aut ex pactis, qui demum bonorum traditione iam facta comparent.

§. 844. At vero, ſi ille, qui mortis declarationis factae fundamento bona occupauit, poteſt conuinci, ſciuiſſe, eum, de cuius vita et domicilio nihil innotuit, vel maturius fuiſſe mortuum; vel tempore, quo fuit pro mortuo declaratus, adhuc vixiſſe; vel teſtamentum condidiſſe, aut pactum ſucceſſorium iniiſſe: eiusmodi poſſeſſorem ei, cui ex his rationibus ius hereditarium re vera competit, bona occupata quouis tempore plene oportet reſtituere.

§. 845. Praeter ea eidem praeſtare debet malae fidei poſſeſſoris obligationes omnes.

§. 846. Sumtus mortis declarationis in caſibus omnibus ex abſentis bonis ſunt ſumendi.

§. 847. Si abſens pro mortuo iam declaratus comparet; bona ſua poteſt repetere, quatenus ipſa aut eorum pretium adhuc extant.

§. 848. De fructibus, meliorationibus, deteriorationibus, atque aliis omnibus, ille, qui mortis declarationis iudicialis fundamento bona occupauit, habetur pro bonae fidei poſſeſſore, excepto caſu §. 844.

§. 849. Dispoſitiones, quas poſſeſſor fundamento ſententiae, qua abſens pro mortuo eſt declaratus, cum tertio fecit, in detrimentum huius tertii impugnari in caſu nullo poſſunt, niſi ipſe malae fidei poteſt conuinci.

§. 850. In eo tantum caſu ſolo, ſi poſſeſſor aliquid de iſtis bonis, ex mera liberalitate, neque ex donatione remuneratoria, in alium transtulit, et ea, quae donata ſunt, aut eorum pretium, re vera adhuc



Source : BIU Cujas

ſunt in donatarii manibus, reuerſus eiusmodi ſummam aut rem poteſt repetere.

§. 851. At hic quoque donatario ſunt iura bonae fidei poſſeſſoris perfecti omnia.

§. 852. Si abſens, de cuius vita et domicilio nihil conſtat, demum comparet, elapſis annis triginta, inde a die, quo ſententia, qua pro mortuo eſt declaratus, tranſiit in rem iudicatam, computatis; a poſſeſſore bonorum, quatenus ſufficiunt, victum tantum poteſt pro ordine ſuo neceſſarium petere.

§. 853. In quo cum abſente, de cuius vita et domicilio nihil conſtat, iura habent aequalia ſoli eius deſcendentes, quibus ius ſuccedendi competit, ſi demum praeterlapſis annis triginta poſt mortis declarationem comparent.

§. 854. Si inde ab eo tempore, quo abſens diſceſſit, aut quo vltimus de eo allatus eſt nuntius, anni quadraginta ſunt peracti, nulla eo temporis interuallo facta petitione, vt declaretur mortuus; petente agnato vel cognato proximo, tum exiſtente, pro mortuo poteſt declarari, ſine citatione edictali, quae non eſt neceſſaria.

§. 855. Si abſens, de cuius vita et domicilio nihil conſtat, diſceſſus tempore nondum annum viceſimum quartum expleuerat; hi quadraginta anni computantur inde ab eo die, quo annum viceſimum quartum exceſſit.

10. Si prodigus ad meliorem frugem rediit.

§. 856. Tutela prodigi eſt finienda, ſimulac certis indiciis et rationibus probat, ad meliorem frugem ſe rediiſſe.

§. 857. Rationes, ex quibus, tutelae petitur finis, diligenter examinentur neceſſe eſt a iudicio, ſecundum praecepta ordinationis proceſſus, adhibito tutore et agnatis vel cognatis.

§. 858. Emendatio tantum continuata, per duos ſaltem annos probata, admitti poteſt ad fundandam eiusmodi petitionem.

Source : BIU Cujas

§. 859. Qui prodigus fuit, ei ex tutela dimisso iudex tutelae finitae testimonium det necesse est in finem §. 705. expositum.

§. 860. Morte naturali curandi tutela omnis finitur. 11. Morte curandi naturali

§. 861. Intra duos saltem menses post tutelam finitam tutorem rationem finalem oportet reddere. Finita tutela a) ratio finalis est reddenda;

§. 862. Idem fieri debet, si tutela tantum continuatur respectu subsistantiae bonorum conseruandae; tutoris autem administratio prorsus cessat.

§. 863. Rationes redduntur ei, qui hactenus fuit sub cura, aut eius heredibus.

§. 864. Vna cum rationibus finalibus rationes accipienti simul producantur necesse est inuentarium, et rationes singulis annis iudicio tutelari antehac exhibitae, atque etiam acta tutelaria confecta.

§. 865. Curando licet, monita contra rationes iam redditas adhuc formare, dum rationes finales accipit.

§. 866. At contra rationes tamen, decem annorum spatium excedentes, et de quibus tutor a iudicio apocham accepit, talia tantum formare potest monita, quae detrimento fundantur, dolo aut culpa lata ipsi illato.

§. 867. Vtrum rationes in iudicio sint accipiendae, in primis pendet ab arbitrio accipientis.

§. 868. At tamen tutor quoque et iudicium tutelare vrgere possunt, vt rationes in iudicio accipiantur, simulac rationes accipiens renuntiationem s. apocham dare moratur. (§. 894.)

§. 869. Si curando bonorum tantum administratio secundum §. 729. sqq. committitur, tutela ipsa continuata; ratio finalis, aeque ac alia omnis, iudicio tutelari est reddenda, et ab hoc accipienda.

§. 870. Tutor, qui tutelae munere durante immunis fuit ab obligatione, iudicio rationes reddendi, non tamen se potest subtrahere obligationi,

Source : BIU Cujas

rationes plenas reddendi ei, qui fuit sub cura, aut eius heredibus.

§. 871. Si curandi testator tutorem tantum verbis generalibus liberauit ab obligatione rationes reddendi; statuendum est, testatorem tutori hanc obligationem remittere tantum voluisse respectu iudicii tutelaris. (§. 693. 694.)

§. 872. Eiusmodi itaque tutor rationes conficiat necesse est, quas finita tutela exhibeat ei, qui fuit sub cura.

§. 873. Qui tamen contra eas rationes formare tantum potest eiusmodi monita, quae ad detrimentum attinent, a tutore dolo aut culpa lata ipsi illatum.

§. 874. Si vero apparet ex testatoris dispositione de iure valida, tutorem ab obligatione rationes reddendi, etiam curandi intuitu, prorsus immunem esse debere; hac dispositione omnino est standum

§. 875. Eiusmodi curandum acquiescere oportet probatione generali substantiae, qualis tempore fuit, quo tutelam subiit, et qualis nunc est.

§. 876. Si tamen, qui sub cura fuit, afferre et quodam modo probare potest indicia definita detrimenti, in negotio quodam a tutore ipsi dolo illati; tum necesse est tutori, huius negotii causas ei propius exponere et rationem eius reddere.

§. 877. Tutor vel in vnico tantum negotio malae fidei conuictus, obligatur vt hactenus curando totius administrationis gestae plenas reddat rationes.

§. 878. In casibus omnibus, vbi tutor, ab obligatione rationes reddendi liberatus, nihilo minus ex fundamento legitimo vno aut alio declaratur ad eas reddendas obligatus, eundem, si rationes ex ordine reddere non potest, aut recusat, de bonorum substantia,

Source : BIU Cujas

quam ſuſcepit adminiſtrandam, ſex pro centum vſuras ſine vlla deductione oportet pendere.

§. 879. Si neque bonorum ſubſtantia poteſt erui, ille, cui rationes ſunt reddendae, ad iuratam eius indicationem eſt admittendus.

§. 880. Si non adminiſtratio tutelaris ſola, ſed tutela omnis ſimul finitur; hactenus curando, aut eius heredibus, omnia bona a tutore et iudicio tutelari ſunt tradenda. b) bona ſunt tradenda;

§. 881. Quam traditionem ille, qui ſub cura fuit, dato acceptionis teſtimonio (*Empfangſchein*) ſtatim poteſt petere, antequam rationes finales ſunt acceptae.

§. 882. At contra, tutori ſine mora ſatisfaciendum eſt de pecuniis ſuppeditatis et expenſis omnibus, quas petere ſecundum rationes finales poteſt.

§. 883. Si rationes accipiens non quidem agnoſcit pecunias ſuppeditatas, at apparet, expenſas omnes in rationibus eſſe firmatas documentis non ſuſpectis; tutori licet, bonorum tradendorum quantum proportionatum, vsque ad rei deciſionem, auctoritate iudiciali retinere (arreſtare).

§. 884. Atque etiam ob eiusmodi pecunias ſuppeditatas proteſtationem in curandi fundis poteſt intabulandam curare.

§. 885. Redditis rationibus finalibus et bonis traditis, curandus hactenus, aut eius heredes, obligantur, vt ei, qui tutor fuit, et iudicio tutelari iudicialiter dent apocham. c) tutori apocha iudicialiter eſt danda.

§. 886. Quam apocham ſ. renuntiationem dare curandum oportet, licet de adminiſtratione geſta quaeſtio adhuc vna vel alia propius, vel adeo in iudicio ſit diſcutienda.

§. 887. Quin potius eiusmodi quaeſtiones adhuc dubiae in apocha expreſſe referuentur neceſſe eſt.

§. 888. A die renuntiationis praeſtitae ſ. apochae datae eius, qui ſub cura fuit, ius praelationis

Source : BIU Cujas

in bonis tutoris, §. 295. descriptum cessat, et tutor a cautione forsan seperatim praestita est liberandus.

§. 889. Quam tamen liberationem a cautione tutor iam tunc potest exigere, si a bonorum administratione liberatur.

§. 890. At tamen in casu §. 886. cautio praestita eatenus est retinenda, quatenus ad securitatem eiusmodi postulatorum curandi vsque ad causae decisionem requiritur.

§. 891. At ei tamen, qui tutor fuit, licet, curando eiusmodi postulatorum securitatem alio modo praestare, et liberationem totius cautionis poscere.

§. 892. Ius legale praelationis in bonis tutoris in casu quoque §. 889. tam diu durat, vsque donec tutori, tutela prorsus finita, solennis renuntiatio est praestita.

§. 893. In renuntiatione s. apocha danda non vrgeatur, qui fuit sub cura, ne agat praecipitanter.

§. 894. Quam vero si dare moratur plus anno, inde a die, quo ei rationes finales sunt exhibitae; tutor et iudicium tutelare, ordinaria iuris via, eum possunt adigere, vt eam det, aut monita sua ad iudicium deferat.

§. 895. Data quoque renuntiatione s. apocha generali ille, qui sub cura fuit, tutorem conuenire ex iis causis et negotiis potest, de quibus rationes et acta ipsi exhibita nil continent.

§. 896. Praeter ea tunc monita alia nulla admittuntur, nisi quae dolo a tutore commisso, et detrimento dolo illato fundantur.

§. 897. De erroribus calculi, praecepta eadem obtinent, quae de rerum alienarum administratore sunt data. (P. I. Tit. XIV. §. 151.)

§. 898. Rationes re[illegible]duntur, apocha datur, et cautio deletur, sumtibus eius, qui fuit sub cura.

Source : BIU Cujas

§. 899. Eiusmodi quoque tutor, qui ab obligatione rationes reddendi fuit immunis, bonis traditis exigere potest, vt ei detur apocha de tutela rite gesta.

§. 900. Ex parte tutoris tutela eius morte finitur. II. Tutela finitur ex tutoris parte, 1. eius morte;

§. 901. Eiusmodi mortem tutoris heredes, aut coniux relicta, iudicio tutelari absque mora denuntient necesse est, sub propria damni praestatione.

§. 902. Eadem denuntiatio quoque incumbit contutori forsan constituto, sub eadem damni praestatione.

§. 903. Si heredes sunt incogniti, absentes, aut ipsi tutoribus indigentes, et de contutore constituto nihil est cognitum; magistratum, cuius est, in tali casu curare de securitate hereditatis, a tutore defuncto relictae, referre oportet decessum tutoris defuncti ad collegium tutelare, nisi ipse simul sit iudicium tutelare.

§. 904. Iudicium tutelare sine mora de securitate bonorum, quae in tutoris manibus fuerunt, et de alio tutore constituendo oportet curare.

§. 905. Si tempus, quo nouus tutor est constituendus, protrahitur; curando interim curator est constituendus.

§. 906. Tutoris defuncti heredes, aut his deficientibus hereditatis eius relictae curatorem, a magistratu competente constitutum, tutori nouo de curandorum bonis rationem finalem oportet reddere.

§. 907. Quod, si heredes omnes sunt maiorennes, intra hebdomadas sex, termino deliberandi legali elapso, fiat necesse est.

§. 908. At vero, si inter eos sunt curandi, aut si curator hereditatis relictae fuit constituendus; his mensium trium terminus ad rationem reddendam denegari nequit.

Source : BIU Cujas

§. 909. Rationes accipiendae sunt coram iudicio tutelari.

§. 910. Tutori nouo hic omnia sunt iura et obligationes, quae curando ipsi competunt in ratione finali, tutela finita reddenda. (§. 863. sqq.)

§. 911. In ratione finali exigenda, et examinanda nouus tutor culpam leuem praestat.

§. 912. At contra, intuitu monitorum, contra rationes antecedentes a iudicio tutelari iam acceptas non formatorum, nihil praestat, si modo postea, cum ei innotescunt detrimenta curando illata, huius iura secundum §. 895. 896. 897. obseruare non negligit.

§. 913. Lite de rationibus exorta, tutoris heredes in causam descendere coram iudicio eodem oportet, coram quo hereditatem relinquens in huius tutelae causis obseruare iura debuisset.

§. 914. Si de eius, qui tutor fuit, hereditate relicta coram iudicio alio concursus creditorum mouetur; tutor nouus ad indicanda monita contra illum formata concursu moto eum tantum in finem est obligatus, vt iis in prioritatis sententia locus iustus assignetur.

§. 915. Quidquid ad curandi bona pertinet, heredes sine mora, non expectantes, vsque donec rationes sunt redditae, secundum praeceptionem iudicii, nouo tutori, aut iudicio ipsi, tradere oportet, acceptionis testimonio accepto.

§. 916. Ratione finali reddita et examinata, et bonis traditis, heredibus tutoris a nouo tutore apocha iudicialis detur necesse est.

§. 917. Eiusmodi renuntiatio s. apocha data intuitu heredum eosdem producit effectus, quos ea, quae tutela plane finita datur ab eo ipso, qui sub cura fuit.

2. dimissione.

§. 918. Iudicium tutelare tutorem a se constitutum potest dimittere, et alium constituere, simulac dimissionem ex re curandi esse censet.

§. 919.

Source : BIU Cujas

§. 919. Tunc tantum, ſi tutor dimittendus contradicit, de cauſis dimiſſionis legitime eſt audiendus, et ſententia ferenda.

§. 920. Ius dimittendi perſonas, ex legibus in primis tutores conſtituendas (§. 172. ſqq.), ſi ſemel ſunt confirmatae, iudicio tunc tantum competit, ſi probari poteſt, tutelam, his perſonis per tempus longius commiſſam, curandis eſſe nocituram aut periculoſam.

§. 921. Tutores alii quoque ob minorem negligentiae aut ordinis non ſeruati gradum, munere poſſunt dimitti.

§. 922. Mora in exhibendis rationibus debitis, culpa exorta, cauſa eſt legitima, tutorem omnem dimittendi.

§. 923. Si tutela durante lites de poſtulatis aut iuribus maioris momenti inter tutorem et curandum exoriuntur (§. 147.); hae lites, ex prudenti et aequo iudicii arbitrio, poſſunt pro cauſa idonea et ſufficiente haberi, tutorem prorſus dimittendi.

§. 924. At vero, ſi tutor malae fidei erga curandum ſuſpectum ſe reddit; ex officio in cauſam eſt inquirendum, et de tutoris remotione ſententia ferenda. 3. remotione;

§. 925. Cui remotioni in primis locus eſt, ſi tutor curandi pecunias et bona, inſcio iudicio, in ſuos vſus conuertit.

§. 926. Contutores et tutores honorarii obligantur, vt malam tutoris adminiſtrantis fidem percipientes ſub damni reparatione eam deferant ad iudicium tutelare, quod cauſam propius cognoſcat.

§. 927. Curandi agnatos vel cognatos, ad tutorem curando petendum, ſecundum §. 97-100. obligatos, malam tutoris fidem, quae in eorum peruenit notitiam, ſub eadem damni reparatione, iudicio oportet denuntiare.



Source : BIU Cujas

§. 928. Atque eiusmodi denuntiationes pertinent quoque ad officialium fiſci officium.

§. 929. Regni ciui cuique, ſi percipit, tutorem intuitu perſonae aut bonorum curandi mala fide aut negligenter agere, ius competit, magiſtratui rem denuntiandi.

§. 930. Curandus ipſe negligentiam aut malam fidem tutoris ſui cognitam iudicio poteſt denuntiare.

§. 931. Inquiſitio contra tutorem inſtituenda eſt eiusmodi denuntiationum fundamento, ſi denuntiationes, quantum opus eſt, ſunt probatae, aut verae cognitae cognitione praemiſſa ita inſtituenda, ne hominum oculos in eam vertantur; atque etiam ſi iudicium ipſum percipit, tutorem ſuo officio non ſatisfacere.

§. 932. Inquiſitione pendente iudicio tutelari ius eſt et obligatio, curandi ſecuritati proſpiciendi, conſtituendo contutore aut inſpectore; inhibitionibus ad conductores aut debitores mittendis; cautione augenda; et modis aliis rei conuenientibus.

§. 933. Si in inquirendo apparet, tutorem fraudem aut malam fidem in gerenda tutela commiſiſſe; ſententia et iure eſt a tutela remouendus, et curando alius tutor conſtituendus.

§. 934. Quem in primis vrgere oportet, vt ratio finalis ſine mora reddatur, et bona tradantur, quae forſan adhuc ſunt in tutoris remoti manibus, et exigantur omnia, quae a tutore remoto curando ſunt praeſtanda.

§. 935. Praeter ea ſecundum iuris criminalis praecepta decernenda eſt poena, qua afficiatur tutor, ob fraudem aut malam fidem a tutelae munere remotus.

§. 936. Tutor, ſi cauſae cognitione inſtituta apparet, eum culpam tantum commiſiſſe, non tenetur,

Source : BIU Cujas

niſi ad reſarciendum damnum, curando ex ea culpa ortum.

§. 937. In eiusmodi caſu de remotione petita expreſſe quidem eſt abſoluendus; at a ſolo tamen iudicis arbitrio pendet, vtrum ei malit diutius tutelam committere, an eum dimittere.

§. 938. Si eiusmodi tutor culpam latam admiſit, priuatur honorario, a teſtatore pro tutela commiſſa ſtipulato.

§. 939. Atque licet tutor plene inſons fuerit cognitus, non tamen poteſt iniuriarum actionem inſtituere contra eiusmodi denuntiantes, qui ad curam ſ. inſpectionem eius gerendam ſub propria damni reparatione ſunt obligati.

§. 940. At datur tamen iniuriarum actio, ſi eiusmodi denuntiantes tutorem meliorum ſcientes factorum famam laedentium accuſarunt.

§. 941. Si quis, dum tutelam gerit, conſequitur aliquod iurium praerogatiuorum eorum, quae a ſuſcipiendo tutelae munere excuſant; hoc tamen ei ius non tribuit, tutelam ſuſceptam magiſtratu inuito deponendi. 4. exiſtentibus excuſationis caſibus;

§. 942. Si tutor ad munus aut rationes peruenit, quae eius intuitu, in noua tutela ſuſcipienda, veniam ſpecialem inſtantiae ipſi praepoſitae redderent neceſſariam; has ſuas rationes mutatas iudicio tutelari eum oportet denuntiare, et ſimul ab inſtantia petere tutelae vlterius gerendae veniam. (§. 158-163.)

§. 943. Quae ſi denegatur, aut ſi iudicium tutelare eam in caſu §. 158. 159. acceptare nequit; tutor dimittatur neceſſe eſt.

§. 944. Si tutor iam conſtitutus in eum pervenit ſtatum, quo ſe tutelae vlterius rite praeeſſe poſſe dubitat; ius ei eſt et obligatio, ſtatum ſuum denuntiandi iudicio tutelari, quod eum propius diiudicet. 5. inhabilitate ſecuta;



Source : BIU Cujas

§. 945. Atque etiam absque eiusmodi denuntiatione tutorem, qui in eum peruenit ſtatum, quo ſuo muneri amplius ritę praeeſſe nequit, iudicium oportet, ſimulac iſte ſtatus in eius peruenit notitiam, tutela dimittere, et tutorem alium conſtituendum curare.

§. 946. Si tutor, quia furioſus eſt, aut mente captus, aut ex cauſis aliis, ipſe in tutelam eſt tradendus; obtinent omnia, quae §. 900. ſqq. praecepta ſunt, ſi tutela morte tutoris naturali finitur.

6. ſi mater tutrix conſtituta ad vota alia tranſit.

§. 947. Mater curandi tutrix conſtituta, ſi ad vota alia progreditur, iudicio tutelari adhuc ante conſummationem matrimonii, illud denuntiet neceſſe eſt.

§. 948. Quod ſi omittit, eſt in eam inquirendum, atque ipſa, pro re nata, a tutela tanquam ſuſpecta remouenda, aut tamen dimittenda.

§. 949. Si mater, re nondum compoſita (regulata), ſine approbatione iudicii tutelaris, ad vota alia tranſiit: maritus eius de iis, quae ex tutela ab ea ſunt praeſtanda, tanquam debitor principalis tenetur; et curandis, in eorum ſecuritatem, in eius bonis eadem competunt iura, quae in bonis tutoris.

Obligationes tutoris dimiſſi, donec alius tutor eſt conſtitutus.

§. 950. In caſibus omnibus, vbi tutor a iudicio tutelari munere debet dimitti, ei ius eſt et obligatio, illud continuandi, vsque donec curando tutor nouus eſt conſtitutus.

§. 951. Deinde ei, ratione finali rite reddita et accepta, atque tradita re familiari, quam in manibus habuit, a tutore nouo apocha detur neceſſe eſt.

§. 952. Si curando tutores plures ſunt conſtituti; eorum vno decedente prorſus pendet ex iudicii tutelaris arbitrio, an tutor alius in eius locum debeat ſubſtitui, an tutela a reliquo aut reliquis ſolis geri.

Source : BIU Cujas

## Sectio Nona.

### *De curatorum iuribus et obligationibus.*

§. 953. Curatoribus, qui curandis tantum ad negotia et res certas conſtituuntur, intuitu horum negotiorum ſunt iura et obligationes tutoris. De curatoribus generatim.

§. 954. Exceptis iis, quae de perſonis militaribus §. 77. ſqq. ſunt praecepta, ius curatorem conſtituendi eidem iudicio competit, cui ius dandi tutorem competeret, caſu exiſtente.

§. 955. At extraneis tamen curandis in terris noſtris litem agentibus, aut negotium ſingulare expedientibus, ad litem perſequendam et negotium expediendum curator poteſt conſtitui a iudice noſtro, coram quo lis aut negotium eſt gerendum.

§. 956. Intuitu curatorum obtinent omnia, quae in antecedentibus de tutoribus ſunt praecepta; niſi praecepta ſingularia, aut muneris ad negotium ſingulare tantum attinentis natura, exceptiones fundant.

§. 957. Negotium aut cauſa, ad quae ſunt conſtituti, perſpicue exprimantur neceſſe eſt, in confirmationis teſtimonio iis dato.

§. 958. Si cum cura iis mandata bonorum adminiſtratio eſt coniuncta; aeque ac tutores ſunt obligati ad inuentarium exhibendum, ad cautionem praeſtandam, atque ad rationem reddendam.

§. 959. Dum eiusmodi adminiſtratio durat, curandis in bonis curatorum eadem iura praelationis competunt, quae in bonis tutorum.

§. 960. Eiusmodi curatoris munus finitur, ſimulac negotium, ad quod eſt conſtitutus, finitum eſt et abſolutum.

§. 961. Simulac iudicium tutelare, aut curandus, interea facultatem res ſuas adminiſtrandi conſecutus, negotium expreſſe aut tacite agnouerunt expe-



Source : BIU Cujas

ditum, ius praelationis curando in bonis curatoris competens quoque extinguitur.

I. De curatoribus embryonum ſ. ventris

§. 962. Embryonis ſeu ventris curatoris eſt, attendere, vt vidua ex hereditate relicta rite alatur, hereditas autem relicta ipſa tuto cuſtodiatur, et neque profundatur neque obſcuretur.

§. 963. Adminiſtratio hereditatis relictae ei tunc tantum incumbit, ſi ſimul hereditatis curator eſt conſtitutus. (P. I. Tit. IX. §. 371. ſqq.)

§. 964. Haec curatela finitur elapſo temporis ſpatio, intra quod legibus deciſum eſſe debet, an filius defuncti legitimus exiſtat.

§. 965. Si vidua intra hoc temporis ſpatium partum viuum eſt enixa; curatorem embryoni conſtitutum oportet petere nato tutorem.

§. 966. Atque etiam partui ex coitu illegitimo concepto curator eſt conſtituendus.

§. 967. Cuius eſt, obſeruare iura partus, qua matrem alendam, et comparandos puerperii et alimentorum ſumtus ex ſtupratoris bonis.

§. 968. Partu ex coitu illegitimo edito, curator omnem operam adhibeat neceſſe eſt, vt iuris via ei procuret iura partus legitimi, et, vbi hoc fieri nequit, vt ex ſtupratoris bonis educandi et alendi ſumtus ei definiantur. (P. II. Tit. I. Sect. XI. Tit. II. Sect. IX.)

§. 969. Si eiusmodi filius ſub naturalis patris poteſtate non conſtituitur; curatorem eius commodis vsque ad maiorennitatem ſecutam tutoris inſtar oportet proſpicere.

II. De curatoribus propter ſeparationem inter patrem et liberos conſtitutis.

§. 970. Curatorem curandis, ſub patria poteſtate adhuc conſtitutis, non niſi ob ſeparationem a patre conſtitutum, curare oportet, vt curandi res familiaris plene eruatur, et ab obſcurationibus defendatur.

§. 971. Neque ius ei eſt, neque obligatio, adminiſtrationem ſubeundi; ſed haec ſub limitationibus legalibus patri conceditur.

Source : BIU Cujas

§. 972. In casibus omnibus, vbi pater ad securitatem eiusmodi rei familiaris s. peculii praestandam legibus est obligatus, curator in separatione de securitate quoque praestanda curet necesse est. (P. II. Tit. II. §. 179. sqq.)

§. 973. Si demum post separationem finitam casus exstitit, quo pater ad liberorum peculii securitatem praestandam esset obligatus; curator quidem obligatus est, vt a iudicio tutelari petat istam securitatem praestandam;

§. 974. Atque etiam ei incumbit obligatio, curandorum commodis prospiciendi, si securitas iam praestita fit deterior, aut mutari debet, aut si pater in administrando excedit fines legibus praescriptos;

§. 975. At vero, si vnum omisit, aut aliud: damnum curando exortum tunc tantum refarcire eum oportet, si casum, qui eius curam exegisset, re vera sciuit; aut si casus iste sine negligentia lata latere eum non potuisset.

§. 976. Si curator simul ad administrandum eiusmodi curandorum peculium est constitutus; obtinent omnia, quae de tutoris administratione in genere in sectione septima sunt sancita. Speciatim, si cum eiusmodi cura bonorum administratio est coniuncta.

§. 977. Patri, non ob mores malos, sed tantum ob causas alias, ab administratione excluso, cum curatore eadem intercedit ratio, quae tutori honorario cum tutore administrante.

§. 978. In primis, de alienandis aut emendis fundis immobilibus, patris arbitrium est audiendum.

§. 979. Si patri administratio est ademta, at vsusfructus concessus; curator, nisi testator aut beneficus liberorum aliud expresse dispositi, de mutationibus praecipuis, in administrandi modo faciendis, cum eo deliberet necesse est.



Source : BIU Cujas

§. 980. Id quod in primis debet fieri, ſi debeant bona immobilia locari, aut locationis loco adminiſtratio introduci, aedificationes nouae aut refectiones maiores ſuſcipi, melioratione fieri, ſortes exigi, aut de nouo foenori locari.

§. 981. At patri tamen omnibus eiusmodi diſpoſitionibus contradicendi ius eatenus tantum competit, quatenus eiusmodi ius vſufructuario omni intuitu diſpoſitionum competit, quibus ipſius vſusfructus deminuitur.

§. 982. Eiusmodi curatela, cum adminiſtratione coniuncta, eodem modo finitur, quo vera tutela.

§. 983. Si tamen liberi ob patris deceſſum, aut ex cauſis aliis, in genere ſunt in tutelam tradendi: ab arbitrio iudicii dependet, vtrum curatorem praeſentem verum tutorem velit conſtituere; an ei adminiſtrationem ſeparatam vlterius committere; an a curatela eum liberare, et adminiſtrationem ab eo adhuc geſtam, curandorum tutori ſimul demandare.

III. De patre curatore ſuorum liberorum.

§. 984. Si ad tales liberos, qui adhuc ſub patria ſunt poteſtate, et ſuis rebus ipſi praeeſſe nequeunt, peculium liberum deuoluitur; patris eſt, intra duos ſaltem menſes, poſt deuolutionem ipſi cognitam, iudicio tutelari rem denuntiare.

§. 985. Quam denuntiationem ſi omittit, iure ſuo bona ad liberos deuoluta adminiſtrandi excidit, et praeterea commiſit poenam fiſcalem thalerorum quinque ad thaleros centum vsque.

§. 986. Tempore interiecto, donec liberis eorum, quae ad eos deuoluta ſunt, curator ſeparatus poteſt conſtitui, pater culpam vel leuiſſimam praeſtat.

§. 987. Agnatis vel cognatis, ſecundum praeceptum §. 97-100. ad tutorem liberis petendum obligatis, ſub eadem damni reparatione eſt obligatio, de eiusmodi bonorum deuolutione (§. 984.) quam

Source : BIU Cujas

pater celauit, ſimulac in eorum peruenit notitiam, ad iudicium tutelare referendi.

§. 988. Iudicium omne, teſtamentum aut aliam vltimae voluntatis diſpoſitionem, qua ad liberos eiusmodi bona deuoluuntur, publicans, ad denuntiandam iſtam deuolutionem iudicio tutelari eſt obligatum.

§. 989. Si pater iudicio rite denuntiauit, bona ad liberos eſſe deuoluta; ei adminiſtrationis eorum intuitu iura curatoris competunt, licet non ſit ſeparatim adſtrictus.

§. 990. At quoque eum oportet de inuentario iudiciali aut priuato exhibendo, in adminiſtratione ipſa, et de rationibus reddendis obſeruare omnia, ad quae obſeruanda ſecundum ſectionem ſeptimam tutor alius eſt obligatus.

§. 991. At ipſi tamen remittenda eſt in regula confirmatio iurata inuentarii priuati ab eo exhibiti, niſi ſingulares ſuſpicionis rationes contra eum exiſtunt.

§. 992. Si rem familiarem ipſe cupit retinere, eius ſecuritatem idoneam, ſine diſcrimine caſuum, praeſtet neceſſe eſt.

§. 993. At vero, ſi declarat, ſe eſſe ſubſtantiam exhibiturum; et ſi huic alibi eſt proſpectum: in regula immunis eſt a ſeparata cautionis praeſtatione redituum, aeque ac tutor teſtamentarius.

§. 994. Patre defuncto liberis, intuitu peculii liberi et non liberi ab eo adminiſtrati, cum coheredibus intercedit eadem ratio, quae curandis aliis cum tutoris ſui defuncti heredibus.

§. 995. At alienorum intuitu patris facta, ratione peculii, eatenus praeſtare eos oportet, quatenus patris ſunt heredes, et ipſis iuris beneficium inuentarii non prodeſt.

§. 996. Si ad curandi bona feudum pertinet; ei curator feudalis eſt conſtituendus. IV. De curatoribus feudalibus.



Source : BIU Cujas

§. 997. A qua curatela agnatus proximus, aut coinueſtitus, ſi eam velit ſuſcipere, et ad eam ſuſcipiendam ſit habilis, nunquam eſt excludendus.

§. 998. Quem tamen curatorem ea tantum curare oportet, quae pertinent ad exercendum iura feudalia, et obligationes feudales, quibus curandus curiae feudali eſt obſtrictus, et ad conſeruandam feudi ſubſtantiam.

§. 999. Atque etiam ad munus curatoris feudalis pertinet exercitium iuris patronatus, et iurium aliorum honorificorum, cum feudo coniunctorum.

§. 1000. Ordinaria adminiſtratio feudi et redituum, ex eo prouenientium, competit tutori ordinario.

§. 1001. Res, neque ad adminiſtrationem ſolam, neque ad ſubſtantiam ſolam pertinentes, ſed ad vtramque ſimul ſpectantes, a tutore et curatore feudali communiter ſunt curandae et gerendae.

§. 1002. Si itaque feudum oppignorari; ſi ſyluae in agros, lacus in prata, aut vice verſa debeant commutari; aut alias forma vel finis primarius partium aut pertinentiarum feudi ſingularum mutari; aut meliorationes ſubſtantiae ſub reſeruatione reſtitutionis impenſarum futurae ſuſcipi: et tutor et curator feudalis concurrant neceſſe eſt.

V. De curatoribus abſentium aut ignotorum.

§. 1003. Curatorem ignotis aut abſentibus, quorum intereſt, conſtitutum id in primis curare oportet, vt explorentur illi, his autem denuntientur neceſſaria.

§. 1004. Praeterea curare, vt res conſeruetur, aut negotium rite geratur.

VI. De aſſiſtentibus ſ. actoribus.

§. 1005. Aſſiſtentis ſ. actoris obligationes determinat ſolus finis, in quem adiunctus eſt ei, qui eo debet vti.

§. 1006. Aſſiſtens ſ. actor, qui huic fini conuenienter non agit, in regula tantum praeſtat dolum et culpam latam.

Source : BIU Cujas

§. 1007. Ad quae aſſiſtentes ſ. actores iuris periti, in litibus et actibus iudicialibus aliis, partibus ſuis ſint obligati, et in quantum neglectis his obligationibus teneantur, in ordinatione proceſſus eſt definitum.

---

## TITVLVS DECIMVS NONVS.

### De *inſtitutis* pauperum piisque corporibus.

§. 1. Regni eſt, eos ciues alere et ſuſtentare, qui victum ſibi ipſi non poſſunt comparare, neque eum obtinere a perſonis priuatis aliis, ex legibus ſpecialibus ad alimenta iis praeſtanda obligatis. Principia.

§. 2. Quibus tantum media defunt et occaſio, ſibi ac ſuis victum comparandi; iis aſſignentur operae, pro ipſorum viribus et animi facultatibus.

§. 3. Qui ex ſegnitia tantum, deſidia, et inclinationibus male ordinatis aliis, media victum ſibi comparandi nolunt adhibere; vi et poenis ſub cura iuſta compellantur ad operas vtiles.

§. 4. Peregrinis mendicantibus neque permittendus eſt in regnum introitus, neque in eo ſunt tolerandi, et ſi nihilo minus clam intrarunt, ſtatim ex regni finibus exterminandi.

§. 5. Neque pauperibus indigenis permittatur mendicatio, ſed remittendi ſunt ad locum ſuum, vbi ſecundum tituli praeſentis praecepta eſt cura eorum gerenda.

§. 6. Regno ius eſt et obligatio, inſtituendi ea, quibus praecauetur, ne ciuibus deſit occaſio, ſe exhibendi, et quibus reprimitur immodica profuſio.

Source : BIU Cujas

§. 7. Anſae, quibus deſidia noxia claſſium in primis populi inferiorum alitur, et induſtriae ſtudium debilitatur, in regno non tolerandae.

§. 8. Regno ius competit, fundationes, eiusmodi inclinationes noxias promoturas et foturas, tollendi, earumque reditus in pauperum vtilitatem impendendi.

Cui obligatio pauperes alendi incumbat.

§. 9. Corporationes priuilegiatae, quae ſeparatas habent ſortes (aerarium *Fonds*) pauperibus alendis deſtinatas, aut eiusmodi ſortes, iuxta corporationis conſtitutionem, conferendo inter ſe colligunt, in primis obligatae ſunt ad alenda corporationis membra, facultatibus deſtituta.

§. 10. Vniuerſitates quoque, vrbem aut pagum conſtituentes, membra et incolas ſuos ad paupertatem redactos alendos curent neceſſe eſt.

§. 11. Ad membra expreſſe recepta quod attinet, obligatio oritur, ſimulac ſunt re vera recepta.

§. 12. At contra, incolarum aliorum intuitu, ad alendum eum, qui ad inopiam redactus eſt, ea tantum obligata eſt vrbis aut pagi vniuerſitas, vbi inops poſtremo ad onera communia contulit.

§. 13. Secundum eadem principia (§. 9-12.) a corporationibus et vniuerſitatibus alendi quoque ſunt ad inopiam redactorum vxores, viduae, et liberi, quibus nondum eſt proſpectum.

§. 14. Corporationum et vniuerſitatum praefecti obligantur, vt explorent cauſas, quibus membrorum ſuorum facultates decreuerunt, easque tempeſtiue indicent magiſtratui, qui iis occurrat.

§. 15. Pauperum et facultatibus deſtitutorum omnium, quibus victus comparari alio modo nequit, curam gerere magiſtratum oportet, cui cura politiae loci cuiusque demandata eſt, nulla dignitatis et fori ratione habita.

§. 16. Pauperibus, ad quos alendos ſecundum principia antecedentia perſonae priuatae ſingulae,

Source: BIU Cujas

corporationes, aut vniuerſitates non obligantur, aut quibus alendis hae non ſunt pares, regni interceſſione in ptochodochiis prouincialibus publicis proſpiciatur.

§. 17. Quod in primis valet de mendicantibus extraneis, ſi eorum exterminatio (§. 4.) non videtur eſſe vſui, aut ſi iſta exterminatione finis obtineri nequit.

§. 18. Mendicantes in eiusmodi ptochodochiis prouincialibus recepti ad labores vtiles ſunt impellendi, quatenus eorum valetudo et vires permittunt.

§. 19. In inſtituto manent, vsque donec non dubitandum eſt, iis non ſolum eſſe voluntatem, ſed etiam occaſionem oblatam, victum modo licito alio ſibi comparandi, ſine ciuium reliquorum moleſtia.

§. 20. Mendicatio in viis publicis non eſt toleranda.

§. 21. Quin potius loci cuiusque inſtantiae, cui politiae cura demandata eſt, incumbit obligatio, hoc malum ſeuere reprimendi.

§. 22. Simulac inſtituta ſunt ea, quorum §. 16. facta eſt mentio, nemini licet in via mendicanti dare eleemoſynas.

§. 23. Quin potius in via mendicantes ſunt deprehendendi, et tradendi iis, quibus ſecundum §. 7-16. eſt obligatio, iis proſpiciendi.

§. 24. Mendicantes transportantur ſumtibus eius, cuius eſt, curam eorum habere.

Subſidia ad pauperes alendos neceſſaria.

§. 25. Subſidia ad pauperes alendos neceſſaria, quantum fieri poteſt, ſumenda ſunt ex vſuris ſortium et fundationum, ad alendos pauperes iam extantium.

§. 26. Manent quoque collectae in templis et aedibus (*Kirchen- und Haus-Collecten*) eum in finem partim iam inſtitutae, partim pro re nata, regno dante veniam, ſeparatim inſtituendae.

Source : BIU Cujas

§. 27. Quibus non sufficientibus, vniuersitatibus, regno approbante, ius competit, luxui, ostentationi, et hilaritatibus publicis membrorum opibus praeditorum taxas moderatas imponendi.

§. 28. Multae omnes, in legibus poenalibus ipsis ad fines singulares non destinatae, alendis pauperibus impendantur.

§. 29. Sustentandis ptochodochiis prouincialibus publicis in primis destinati sunt reditus ex operibus personarum, in iis receptarum.

§. 30. Quibus reditibus non sufficientibus, regnum potest poscere, vt pro commodi ratione conferant ad sustentanda ptochodochia omnes, qui commodum inde sentiunt, quod in via mendicare nemini licet.

§. 31. Determinationes propiores et de his, et de eiusmodi ptochodochiorum prouincialium constitutione in genere, reseruantur praescriptis cuique prouinciae dandis.

De institutis publicis pauperibus alendis inseruientibus.

§. 32. Ptochodochia, xenodochia, orphanotrophea, infantum expositarum corotrophia, domus ad operas et labores, vel vi exigendos, destinatae, sunt sub speciali regni tutela.

Ratio, quae regno cum his intercedit.

§. 33. Si eiusmodi instituta de nouo conduntur, propositum indicandum est regno, quod constitutionis principia examinet.

§. 34. At iis tamen collegiis, quibus haec examinatio ex diuersis prouinciarum constitutionibus incumbit, in iis tantum casibus ius ea reiiciendi competat, in quibus eorum, quae auctor dispossuit, executio esset impossibilis vel adeo nocitura.

§. 35. Praeter ea auctor quisque internam eiusmodi institutorum constitutionem, curam (inspectionem) de iis gerendam, constitutionem administratorum, rationum reuisionem et acceptionem, pro arbitrio potest disponere.

§. 36. In quantum auctor nihil dispossuit, in tantum haec iura omnia regno competunt.

Source : BIU Cujas

§. 37. Eiusmodi quoque inſtituta, quibus in fundationis literis, aut modo alio curatores proprii ſunt praefecti, nihilo minus ſupremae regni curae ſunt ſubiecta.

§. 38. Quae vero cura ſuprema ad id tantum extenditur, vt auctoris inſtitutum adminiſtretur ſecundum diſpoſitiones, a regno expreſſe aut tacite approbatas, nec quidquam irrepat, fini eiusmodi inſtitutorum generali contrarium.

§. 39. Regno igitur ius competit, viſitationes in eiusmodi inſtitutis iubendi, et abuſus et defectus cognitos, principiis antecedentibus (§. 38.) conuenienter corrigendi.

§. 40. In genere regnum attendat, vt reditus inſtitutorum, alendis pauperibus et aliis ſuſtentandis inſeruientium, fini et praeceptis conuenienter impendantur.

§. 41. Si ob mutatas circumſtantias reditus impendendi modus in fundationis literis praeſcriptus ſit impoſſibilis, vel adeo noxius; regnum eiusmodi inſtituti bona et reditus deſtinet neceſſe eſt vſui alii, auctoris intentioni probabili quam maxime congruenti.

§. 42. Inſtitutis alendis pauperibus aliisque ſuſtentandis inſeruientibus, a regno expreſſe aut tacite approbatis, iura ſunt perſonarum moralium. Iura externa eiusmodi inſtitutorum.

§. 43. Eorum bonis ſunt iura bonorum eccleſiaſticorum. (Tit. XI. Sect. IV.)

§. 44. At contra, ratione donationum et legatorum non ſunt ſubiecta iis limitationibus, quibus inſtituta eccleſiaſtica.

§. 45. Eiusmodi tamen legatis neque adimi poteſt, neque deminui legitima eorum, quibus ea competit.

§. 46. Si eiusmodi legato ob inſufficientem hereditatem reliquam alimenta deminuerentur perſonarum, quibus ad ea ſuppeditanda teſtator ex legibus eſt obligatus; reditus legati, quatenus ſufficiunt,

Source : BIU Cujas

et requiruntur, impendendi sunt ad supplenda alimenta, eiusmodi personis praestanda.

§. 47. At simulac harum personarum ius, alimenta a testatore exigendi ex causa legitima vlla cessat, institutum alendis pauperibus inseruiens succedit in vsum plenum legati ipsi destinati.

§. 48. Quae in antecedentibus §. 45. 46. 47. de legatis praescripta sunt, valent quoque de donationibus inter viuos, aut mortis causa, quatenus in genere ob deminutam legitimam, aut alimenta laesa, donationes possunt reuocari. (P. I. Tit. XI. §. 1113-1122.)

§. 49. Agnatis vel cognatis inopibus eorum, qui pias fundationes condiderunt, ius praecipuum competit in vsum ex iis percipiendum.

Ius succedendi in hereditatem personarum ab iis alitarum.

§. 50. In hereditatem liberam propriam personarum, in institutum publicum eum in finem, vt gratis alantur, receptarum in iisque defunctarum, instituto ius est succedendi legale.

§. 51. Quod ius hereditarium ad totam hereditatem extenditur, si persona recepta tantum agnatos vel cognatos lineae ascendentis aut collateralis, aut maritum relinquit.

§. 52. Si vero descendentes legitimos aut vxorem relinquit, his manet legitima integra.

§. 53. Vxor quoque intuitu eorum, quae ex pactis coniugalibus potest petere, praefertur instituto, alendis pauperibus inseruienti.

§. 54. Personae quoque §. 52. dictae amittunt legitimam, aut portionem hereditariam, ex pacto iis debitam, in instituti fauorem; si opibus non destitutae sustentationem petitam denegarunt parentibus inopibus aut marito.

§. 55. Si persona recepta institutum ante mortem sponte reliquit; institutum sumtus in eam impensos ex eius bonis, aut hereditate, debiti instar potest repetere.

§. 56.

Source : BIU Cujas

§. 56. At vero, ſi liberi in orphanotropheo educati, eo relicto, ſiue opificii ediſcendi, ſiue alia ſe alendi occaſione iis aſſignata, anno viceſimo quarto nondum peracto defuncti ſunt; orphanotropheo, licet ex eo diſceſſerint, ius hereditarium manet integrum.

§. 57. In quo tamen caſu ius hereditarium ad ea tantum bona extenditur, quae eiusmodi liberi in orphanotropheum ſecum attulerunt, aut iisdem, dum adhuc in eo alebantur, delata ſunt, antequam ex eo diſceſſerunt.

§. 58. Femina in orphanotropheo educata ſi viro nupſit; ius orphanotrophei hereditarium prorſus ceſſat, licet defuncta ſit maiorennitatem nondum adepta.

§. 59. In caſu nullo aerarium alendis pauperibus inſeruiens, licet ei ex praeceptis antecedentibus (§. 50. ſqq.) ius hereditarium verum competat, hereditatem auctoritate propria ſibi poteſt ſumere; ſed potius, ſi caſus exiſtit, ius ſuum hereditarium iudici rite denuntiet, et ab hoc hereditatis relictae adiudicationem expectet neceſſe eſt.

§. 60. Ius hereditarium, inſtituto ex his praeceptis competens, recipiendo cuique eſt notificandum, atque id eſſe factum, in protocollo ab eo ſimul ſubſcribendo notandum.

§. 61. Si recipiendus mentis ſuae non eſt compos; aut ſi ius eius de bonis ſuis diſponendi eſt reſtrictum: haec notificatio fiat neceſſe eſt parentibus, aut, ſi parentibus eſt orbatus, agnatis vel cognatis proximis, et tutoribus; atque in caſu poſteriori quaerenda quoque eſt approbatio collegii tutelaris.

§. 62. Qua notificatione facta, ſi agnatorum vel cognatorum aliquis declarat, ſe ipſum de alendo recipiendo eſſe curaturum: hoc ei eſt permittendum; et ipſe inde ſibi reſeruat ius hereditarium legitimum, ei competens.



Source : BIU Cujas

§. 63. At tunc tamen inopi saltem praebeat necesse est victum aeque bonum, ac in publico instituto accepisset.

§. 64. Si recipiendus ad voluntatem suam declarandam habilis sustentationem in instituto praefert sustentationi, ab agnatis vel cognatis ipsi oblatae; voluntas eius declarata vnice decidit.

§. 65. Si notificatio non est rite facta, institutum ex recepti hereditate poscere, tanquam debitum, tantum potest restitutionem impensarum in eius vsum factarum.

§. 66. At institutum tamen poscere tantum potest expensas, in vestimenta recepto comparanda, medicamenta, et alias, pecunia numerata factas, atque pro victu suppeditato conuictus pretium, si opus fuerit, ex rei peritorum arbitrio officioso, a iudice definiendum.

§. 67. Si quis non in institutum ipsum, vt alatur, est receptus, sed ei tantum ex instituto collationes, ad eum sustentandum, vsque ad mortem sunt praestitae; harum collationum restitutio ex eius hereditate eatenus tantum potest repeti, quatenus ad eas restituendas sufficit.

§. 68. Si quis ex pluribus institutis secundum §. 67. est sustentatus; hereditate eius ad omnibus satisfaciendum non sufficiente, plura instituta ea, quae relicta sunt, pro rata postulatorum (praetensionum) suorum, inter se diuidunt.

§. 69. Si quis pro pecunia numerata in institutum est receptus, instituto in eius hereditate competit ius nullum.

§. 70. Solutio solius pro ingressu pecuniae, cuius ad sustentationis impensas nulla est proportio, instituti ius hereditarium non excludit.

§. 71. Si inter receptum et institutum intuitu iuris, huic in hereditate illius competentis, de certa summa

Source : BIU Cujas

conuenit; hac conuentione omnino eſt ſtandum, vel in eo caſu, ſi recepti res familiaris poſtea demum augeatur.

§. 72. Domibus, ad operas atque labores, vel vi exigendos, deſtinatis (*Werk- und Arbeitshäuſer*), in quibus receptis eatenus tantum alimenta praeſtantur, quatenus laboribus et operis ea ſibi comparant, in horum hereditate ius nullum eſt hereditarium.

§. 73. At contra, ius inſtituti hereditarium non excluditur operis, ad quas perficiendas receptus in genere in inſtituto, alendis pauperibus deſtinato, omni ſecundum §. 87. 88. eſt obligatus, aut pro quibus ei ſeparatim eſt ſatisfactum.

§. 74. Inſtitutis ſanandis tantum aegrotis deſtinatis, licet receptus in iis ſit defunctus, nullum tamen eſt ius hereditarium in huius hereditate; ſed poſcere tantum poſſunt ſecundum §. 66. reſtitutionem impenſarum, in eum ſanandum factarum.

§. 75. In caſibus, vbi leges inſtitutis, alendis pauperibus, et inſtitutis aliis, ſuſtentandis inſeruientibus, ius hereditarium in hereditate relicta conceſſerunt, his ius eorum, diſpoſitione mortis cauſa, neque adimi poteſt, neque deminui.

§. 76. Interna inſtituti omnis, alendis pauperibus, et alius omnis, ſuſtentandis inſeruientis, diſpoſitio et conſtitutio definita eſt in ordine et inſtructione a regno ei praeſcripta aut approbata. Interna eiusmodi inſtitutorum conſtitutio.

§. 77. Aedes ſacrae et ſacella eiusmodi inſtitutis ſpeciatim exſtructa aeque, ac aedes ſacrae aliae, ſunt ſub cura ſuperiorum eccleſiaſticorum dioeceſeos aut diſtrictus.

§. 78. Intuitu perſonarum et officialium in inſtituto degentium eiusmodi aedibus ſacris et ſacellis iura parochialia vera competunt.

§. 79. De iis vero, qui extra inſtitutum degunt, eiusmodi iura ſumere ſibi nequeunt.



Source : BIU Cujas

Antiſtites et adminiſtratores.

§. 80. Antiſtites et adminiſtratores eiusmodi inſtitutorum pro regni officialibus ſunt habendi.

§. 81. In adminiſtrandis inſtituti pecuniis et reditibus, eadem praecepta obtinent, et eadem damni reſarciendi obligatio, quae aerariorum regiorum intuitu.

§. 82. At inſtituto tamen in adminiſtratorum bonis non competit ius praelationis claſſis ſecundae, quod aerariis regiis, ſed ius tantum claſſis quintae.

§. 83. Caeterum eiusmodi antiſtites et adminiſtratores, in fungendo munere, attendere oportet in primis ad conſtitutionis literas, et inſtructiones ſpeciales ipſis datas; at deinde ad legum praecepta tutoribus ſcripta.

Perſonae receptae.

§. 84. Perſonae in ptochodochiis et inſtitutis publicis aliis, in quibus perſonae ſuſtentantur et aluntur, receptae ſub praetextu nullo ſubtrahere ſe poſſunt diſciplinae et ordini in iis introductis.

§. 85. Turbulenti et praefracti a curatoribus, ſi opus fuerit, ad ordinem ſeruandum vi ſunt impellendi, aut pro re nata ex inſtituto relegandi.

§. 86. Poenae autem non excedant merae caſtigationis limites; neque vnquam ex inſtituto relegentur magiſtratu neſcio et non approbante.

§. 87. Gratis recepti ad operas domeſticas inſtituto praeſtandas ſunt obligati, quatenus vires et valetudo permittunt.

§. 88. Pari modo ab iis quoque poſſunt exigi alia opera vſu conſumenda, inſtituto ſoli deſtinata, quatenus iis ad ea perficienda ſunt habilitas et vires.

§. 89. Caeterum iura et obligationes, receptis ex ordine aut ex rationibus aliis competentes, non mutantur receptione in eiusmodi inſtitutum.

Source : BIU Cujas

# TITVLVS VICESIMVS.

## De delictis eorumque poenis.

§. 1. Magiſtratus et populi praefectus omnis omnem det operam neceſſe eſt, vt praecaueantur ſubiectorum crimina et delicta.

§. 2. Parentes et educatores, ſcholarum populique doctores, in primis tenentur, de neglectis obligationibus intuitu perſonarum, ipſorum curae commiſſarum.

§. 3. Publica religionis contemtio, et innocentiae corruptio ex legibus et ſeuere ſunt vindicandae. (Sect. VI. XII.)

§. 4. Mendicantes proterui, vagabundi, et defides, ad laborandum ſunt compellendi, et ſi laboribus non ſunt idonei, aequo modo alendi, aut, ſi extranei, ex regni finibus exterminandi.

§. 5. Fures et delinquentes alii, qui propenſionibus ſuis corruptis ſaluti publicae periculum poſſent creare, licet poenam ſint perpeſſi, ex cuſtodia (arreſto) non ſunt dimittendi, antequam probarunt, quo modo honeſto alere ſe poſſint.

§. 6. Magiſtratus et praefecti, curam et media, modo dicta, quibus praecaueri delicta poſſunt, negligentes, pro re nata, ſe faciunt magis vel minus participes delictorum a ſubiectis commiſſorum.



Source : BIU Cujas

## Sectio Prima.

### *De delictis et poenis generatim.*

§. 7. Qui facto libero alteri fine iure damnum infert, delictum committit, de quo non laeso tantum tenetur, sed regno etiam, cuius protectione et tutela fruitur laesus.

§. 8. Libera quoque omissione eius, quod leges ab eo exigunt, omittens delictum committit.

§. 9. Facta et omissiones in legibus non prohibitae, delicta vera (proprie sic dicta) nequeunt haberi, licet vni aut alteri inde damnum verum fuerit illatum.

§. 10. Securitatis publicae aut priuatae violatio data opera facta excusari legum ignorantia nequit.

§. 11. Alias legum seueritas eum tantum premit, qui scire legem poenalem debuit, et potuit.

§. 12. Non subditi solum, sed peregrini etiam intra regni fines commorantes, obligati sunt, vt eius legum notitiam sibi comparent. (Introd. §. 34-42.)

§. 13. Hinc eiusmodi quoque peregrini, qui intra regni fines delicta committunt, ex regni legibus puniuntur.

§. 14. At peregrini, ob delicta extra regni fines commissa puniendi, iudicandi sunt ex legibus loci, vbi delictum commiserunt.

§. 15. At omnibus tamen ob delicta, extra regni fines commissa, in terris nostris puniendis prodest, si leges nostrae mitiorem delicti extra regni fines commissi poenam constituerunt.

Delictorum moralitas.

§. 16. Cui libere agendi non est facultas, non potest delinquere, hinc neque poena affici.

§. 17. Impuberes et mente capti ad praecauenda delicta plura possunt quidem castigari, at nunquam puniri ad legum seueritatem.

Source : BIU Cujas

§. 18. Quidquid auget vel minuit hominis facultatem voluntatis, libere et rationis vsu agendi, id quoque noxae gradum auget vel minuit.

§. 19. Metus minarum, quarum periculum regni auxilio aut modo alio poterat auerti, delinquentem culpa non liberat.

§. 20. Quatenus ille, cui alter est minitatus, vincere metum, et periculum ipse auertere potuisset, pro re nata, at in primis pro eius animi et corporis affectione est diiudicandum.

§. 21. Metus damni rei familiaris meri, aut malorum, quae postea possunt tolli, non excusat factum, quo alteri data opera damnum irreparabile est illatum.

§. 22. Qui ipse dolo, vel culpa lata, siue potando, siue modo alio, in eum se deduxit statum, quo voluntatis facultas, libere agendi, sublata est aut limitata; ei delictum in eo statu commissum pro culpae gradu imputatur,

§. 23. Quo plures quis habuit rationes, factum commissum poena dignum omittendi, eo magis factum ipsi est imputandum.

§. 24. Quo pluribus quis officiis in alios aut regnum obstrictus tenetur, eo maius est delictum, si eos laedit.

§. 25. Quo maius est, et quo magis ineuitabile damnum aut periculum, ex delicto oriundum; eo seuerius est vindicandum.

§. 26. Dolo committens aut omittens aliquid, quo quis contra legis poenalis sanctionem laeditur, delictum committit dolosum. Dolus.

§. 27. Si actio ita est comparata, vt effectus legi contrarius ex rerum natura et ordine, omnibus in genere, aut agenti in specie noto, inde oriri necessario debuerit; delictum dolo commissum praesumitur.

§. 28. Qui in lege poenali violanda non quidem re vera praeuidit facti sui effectum, legi contrarium; Negligentia s. culpa.



Source : BIU Cujas

quem tamen attentione et circumſpectione iuſta adhibita praeuidere potuiſſet; delictum commiſit ex culpa. (P. I. Tit. III. §. 25.)

§. 29. Quo magis naturae conuenienter et modo ſolito effectus legi contrarius ex actione exoritur; quo facilius agens hunc nexum praeuidere potuit; et quo magis periculoſa et illicita in ſe eſt actio, ex qua damnum, licet contra agentis voluntatem, enaſcitur; eo magis punienda eſt culpa in agendo commiſſa.

§. 30. Diuerſi poenarum legalium gradus a iudice in quouis caſu ſingulari ad praeceptum §. 23. 24. 25. definiuntur.

§. 31. Poena delicti legibus definita vocatur ordinaria, et in regula ab eo tantum ſumitur, qui dolo commiſit delictum.

§. 32. Poena ordinariae proxima irrogatur ei, qui doli mali non quidem eſt conuictus, cui tamen ante actionem, aut in ea, effectus legi contrarius, tanquam immediata actionis conſequentia, ignotus eſſe non potuit.

§. 33. Si delicti ex culpa commiſſi poena lege non eſt expreſſe definita; iudex conſtituit poenam extraordinariam ſecundum principia §. 29..

§. 34. Si locus tantum eſt poenae extraordinariae; haec nunquam poteſt extendi ad mortem aut ad infamiam vsque.

§. 35. Poena arbitraria, ſi leges eam ſanciunt, nunquam eſt extendenda vltra poenam carceris hebdomadarum ſex, aut multam pecuniariam thalerorum quinquaginta.

Caſus. §. 36. Effectus noxius, ex actione per ſe licita caſu mero exortus, agenti pro delicto imputari nequit. (P. I. Tit. III. §. 6.)

§. 37. Si actio, quam effectus fortuitus contra agentis intentionem eſt ſecutus, in ſe eſt illicita, hic effectus ipſe non quidem eſt pro delicto habendus;

Source : BIU Cujas

§. 38. At quo facilius delinquens praeuidere potuit, eum effectum posse oriri, eo magis est exasperanda facti illiciti ipsius poena, damni exinde orti ratione habita.

§. 39. Poena delicti dolo commissi ordinaria sumitur ab eo, qui delictum vere consummauit. De delictis attentatis et consummatis.

§. 40. Si delinquens ad consummandum delictum ex sua parte fecit omnia; at effectus, ad facti poena digni essentiam necessarius, mero casu est impeditus; patrator commisit poenam, ordinariae poenae proximam.

§. 41. Poena huic proxima sumitur ab eo, qui casu mero est impeditus, quo minus committeret factum vltimum, ad consummandum delictum necessarium.

§. 42. Si talis casus iam interrupit apparatus facti poena digni praeuios; intentio mala vindicatur proportione progressionis ad consummationem veram.

§. 43. Qui sponte abstinet a delicto consummando, parans simul omnia, vt effectus legi contrarius prorsus euenire nequeat; atque etiam ille, qui tempestiue deferendo delicti complices eorumque consilium delicti consummationem impedit, prouocare ad veniam (aggratiationem) potest.

§. 44. Minae quoque merae voluntatis, ad delictum certum committendum, poena sunt dignae; et regnum ad ea disponenda obligant, quibus securus redditur, cui alter est minitatus.

§. 45. In regula poena, casu eueniente, exasperari nequit vltra modum poenae lege definitae summum. De poenarum exasperatione.

§. 46. Licet poenae ordinariae exasperatio iudici tanquam officium fuerit iniunctum; poenae tamen genus lege definitum non est mutandum, et in poena exasperanda semper habenda est ratio praecepti §. 50.



Source : BIU Cujas

§. 47. Capitis poenarum genera lege definita exasperantur, si delinquens trahae illigatus ad supplicii locum trahitur, aut cadauer publice exponitur.

§. 48. Condemnatio ad locum munitum et poena ergastuli acerbior redditur diuturnitate aut corporis castigatione.

§. 49. Carceris poena diuturnitate aut commoditatum solitarum priuatione, at non iis mediis reddatur durior, quibus in carcerem coniecti vita aut valetudo vocatur in periculum.

§. 50. In exasperando corporis supplicio semper habenda est ratio affectionis corporis puniendi.

§. 51. Qui fingendis falsis circumstantiis iudicem cupit decipere, ei semper infligitur poena iam commissa durior.

De delictis reiteratis.

§. 52. Eorundem delictorum reiteratio semper efficit exasperationem poenae, in simplex delictum lege statutae.

§. 53. In qua poenae exasperatione in primis ratio habenda est delinquentis propensionis ad hoc delictorum genus, et periculi regno inde imminentis.

De concursu plurium delictorum.

§. 54. Pluribus multis pecuniariis commissis, quaelibet ex delinquentis bonis exigitur.

§. 55. Eidem exactioni locus est, si idem delinquens praeter ea quoque commisit poenam capitalem, corporis afflictiuam, aut infamantem.

§. 56. Poenae quoque mere infamantes vna cum poena corporis afflictiua aut multa pecuniaria sunt sumendae, quatenus poena corporis afflictiua non continentur, aut ea redduntur inutiles.

§. 57. Si poenae corporis afflictiuae plures concurrunt: delicti omnium grauissimi poena exasperanda est aut prolonganda; ne tamen excedatur summa poenarum in delicta diuersa statutarum omnium.

Mitigatio poenae.

§. 58. Qui delicti complices nondum detectos denuntiat, luat poenam legali mitiorem.

Source : BIU Cujas

§. 59. Qui factum, cuius nondum est conuictus, sponte confitetur, contra eum poenae exasperatio alias commerita mitigetur, aut, si exasperationi locus non est, ei irrogetur poena legalis mitior.

§. 60. Poenitentia ante delictum consummatum diiudicanda est ex delictorum attentatorum regulis.

§. 61. Si delinquens post delictum consummatum effectum eius noxium, in totum aut ex parte, statim sponte impediuit; locus tantum est poenae extraordinariae.

§. 62. Damno iam dato, at a laedente resarto, locus est mitigationi poenae alias commissae.

§. 63. Si delinquens non detectus ex pluribus annis specimina dedit emendationis verae (solidae) indubia, et damnum plene resarsit; prouocare ad gratiam faciendam (aggratiationem) potest.

§. 64. Si plures delicti consummandi immediate fuerunt complices, ab eorum quolibet, tanquam auctore, sumitur poena in lege definita. Consortes criminum.

§. 65. Si vnus auctorem principalem se gessit, reliquis ad delictum perpetrandum inductis; poena ordinaria in eum exasperatur.

§. 66. Delicta, ad quae perpetranda plures se consociarunt, durius sunt punienda, ac eadem delicta, a singulis tantum personis admissa.

§. 67. Qui alterius opera ad patrandum delictum vtitur, eadem poena afficitur, qua ille, qui tale delictum ipse et immediate commisit.

§. 68. Qui, si ipsi cum patratore ratio intercedit praepositi, aut personae, cui delictum perpetrans debet reuerentiam, habetur auctor delicti apparati. (§. 65.)

§. 69. Ob hanc rationem, delictum patranti cum superiore suo intercedentem, mitigari quidem illius poena potest, at non remitti.

Source : BIU Cujas

§. 70. Si, qui mandatum dedit, aut qui mandatum in se fuscepit, regno aut laeso praecipue est obligatus, in poena irroganda ad hanc quoque rationem singularem est attendendum.

§. 71. Si quis ad consummandum delictum non quidem immediate concurrit, at in eo tamen perpetrando auxilium re praestitit eiusmodi facto, sine quo delictum committi non potuisset; poenae ordinariae in eum est locus.

§. 72. Si auxilium praestitum ad consummandum delictum non fuit necessarium; ob auxilium tamen latum punitur auxilium praestans proportione, qua delictum facilius reddidit aut adiuuit, et pro delicti ipsius grauitate.

§. 73. Si plures ad delictum communiter consummandum se consociarunt; eorum quisque tenetur de factis omnibus, de quibus conuentum est, licet in vno tantum auxilium tulerit.

§. 74. Si quis, licet absque conuentione praeuia, eo tempore, quo delictum perpetratur, subministrando, excubias agendo, aut modo alio, auxilium praestat; intuitu delicti, quod scienter et sponte adiuuat, coauctor habetur.

§. 75. Si auxilium praestans delictum perpetrandum ignorauit; eius noxa diiudicatur ex intentione, quam fouit in auxilio praestando.

§. 76. Qui ad delictum dat consilium determinatum, et viam monstrat seu modum agendi, afficitur poena eadem, qua ille, qui ad delictum perpetrandum re tulit auxilium. (§. 72.)

§. 77. Si consilium dans facto consummando interfuit; simul pro auctore habetur.

§. 78. Qui alterum inebriando, aut modo alio dolo, in eum deducit statum, vt facultate priuetur, voluntatis libertate et rationis vsu agendi, tenetur de delicto, cui causam eo dedit.

Source : BIU Cujas

§. 79. Intentio, quam sollicitator in eo fouit, et euentus noxii, inde metuendi, probabilitas maior aut minor poenae modum et gradum definiunt.

§. 80. Qui delicti, quo regni securitas, aut hominis vita, valetudo, bona fama vel res familiaris graui exponuntur periculo, ante eius consummationem, notitiam consequitur, ad illud impediendum obligatur, illud deferendo ad magistratum, aut denuntiando ei, cui attentatum intenditur.

§. 81. Deficiente tempore et occasione delictum impediendi auxilio magistratus, aut denuntiatione ei facta, cui ex delicto periculum imminet; eum ipsum oportet, quatenus absque suo aut tertii graui periculo potest fieri, omnem adhibere operam, vt delictum impediat.

§. 82. Qui delictum modo §. 80. 81. praescripto impedire omittit, si certae delicti perpetrandi scientiae potest conuinci, non solum obligatur ad damnum resarciendum, sed etiam pro gradu malitiae aut negligentiae est puniendus.

§. 83. Si quis delicti commoda post eius consummationem, scienter et sponte, at sine conuentione praeuia, participauit; afficitur ea poena, quae proxime accedit ad poenam ordinariam delicti eius, ex quo lucrum percepit.

§. 84. Qui delinquentes aut eorum lucrum illegitimum receptando quaestum facit, in regula eadem, qua delinquens ipse, afficitur poena.

§. 85. Multae pecuniariae non statuantur in ordinis plebeii personas facultatibus non praeditas, et vbi lege definitae sunt, commutentur in iustos labores poenales aut carceris poenam. Poenarum determinatio, earum que ratio (proportio) inter se.

§. 86. Si lex iudici electionem relinquit, an multa pecuniaria, an poena corporis afflictiua sit irroganda: in sententia sunt definienda necessaria; at nunquam delinquenti ipsi est relinquenda electio.

Source : BIU Cujas

§. 87. Temporaria carceris aut ergaſtuli poena, aut condemnatio ad locum munitum (*Feſtungsſtrafe*) in multam pecuniariam iuſtam (proportionatam) commutatur, ſi poenae corporis afflictiuae executio in delinquentis perſona fieri nequit.

§. 88. Multa pecuniaria thalerorum quinque in regula aequiparatur carceris poenae octo dierum.

§. 89. Quam tamen proportionem iudex, pro delinquentis facultatibus cognitis, augere poteſt ad thaleros decem vsque ad quadraginta, pro carceris poena dierum octo.

§. 90. Si poenarum carceris aut ergaſtuli aut condemnationis ad locum munitum exaſperationi legali vel decretae locus non eſt, earum diuturnitas eſt prolonganda.

## Sectio Secunda.

### *De criminibus in regnum commiſſis in genere, et de perduellione in ſpecie.*

Notiones. §. 91. Actio ſubditi ſpontanea, qua regnum aut ſummus eius princeps immediate laeduntur, vocatur crimen regni. (*Staatsverbrechen.*)

§. 92. Attentatum, quod ad violentam conſtitutionis regni reuolutionem ſpectat, aut regni principis ſummi vitae aut libertati intenditur, eſt perduellio.

Poena perduellium; §. 93. Qui huius criminis ſe reum reddit, pro malitiae et damni dati ratione, afficiatur ſupplicio corporis et capitis quam duriſſimo et maxime terribili.

§. 94. Qua poena afficiendi ſunt et dux (caput) et ii, qui tanquam coauctores criminis fuerunt complices. (§. 64. 67. 71. 73.)

§. 95. Eiusmodi perduelles non ſolum priuantur bonis omnibus et exiſtimatione ciuili omni, ſed etiam calamitatis liberorum ſunt auctores, ſi regno videatur neceſſaria, ad auertenda futura pericula, eorum perpetua cuſtodia, aut relegatio.

Source : BIU Cujas

§. 96. Ii quoque, qui in perduellione modo remotiori, ſiue conſilio ſiue facto, opem tulerunt, gladio occidantur. (§. 72. 76.) complicium;

§. 97. Qui perduellionis notitiam conſecutus ad magiſtratum, ſimulac fieri poteſt, eam deferre omittit, condemnatur ad locum munitum in annos decem ad vitae dies vsque. (§. 80. 81. 82.) conſciorum.

§. 98. Vel adeo parentes, liberi, et coniuges, ſub eadem poena, obligantur, ad impediendam perduellionis conſummationem, quantum in ipſis eſt, tempeſtiue quoque reuelando, quam de ea habent, notitiam.

§. 99. Si quis perduellionis reus inuentus poenae corporis afflictiuae fuga ſe ſubduxit, aut ante ſententiae executionem eſt mortuus; praeter poenam reliquam, famam et bona afficientem, corporis poenae commiſſae executio in eius effigie quoque peragatur. Poena perduellium, ex fuga abſentium, aut mortuorum.

## Sectio Tertia.

### *De criminibus in externam regni ſecuritatem commiſſis.*

§. 100. Attentatum, quo regnum ratione aliorum principum in externum adducitur periculum et discrimen, vocatur regni proditio. Regni proditio (*Landesverrätherey*).

§. 101. Qui prouincias integras ad regnum pertinentes, exercitus, aut loca munita praecipua, in hoſtium poteſtatem redigere tentat, regni eſt proditor claſſis primae. Prima eius claſſis.

§. 102. Eiusmodi regni proditor trahae alligatus ad ſupplicii locum ducatur, rotae ſupplicio a cruribus incipiendo puniatur, et corpus rotae imponatur. Poena.

§. 103. Poena in perduellem intuitu famae, bonorum, et eius familiae, ſecundum §. 95. ſancita, atque

Source : BIU Cujas

executio poenae corporis afflictiuae in delinquentis ex fuga abſentis aut mortui effigie (§. 99.) ſequitur quoque claſſis primae proditorem.

§. 104. Atque etiam intuitu coauctorum et complicium huius criminis, atque eorum, qui eiusmodi attentati ſcientiam reuelare omiſerunt, obtinent praecepta §. 94. 96. 97. 98. de perduellione data.

§. 105. Si regni proditio primae claſſis eſt detecta, aut prorſus tamen impedita, antequam erupit in actum; auctores gladio occidantur, complices vero ad vitae dies, et conſcii in annos octo vsque ad decem ad locum munitum condemnentur.

Regni proditionis claſſis ſecunda.

§. 106. Attentata minus grauia, ad regni hoſtes adiuuandos ſpectantia, ſunt pro regni proditione claſſis ſecundae habenda.

Eius genera.

§. 107. Qui hoſtem in exſequendis conſiliis adiuuat, aut regni copiis in expeditionibus aduerſus hoſtem doloſe praepedimenta obiicit, laqueo ſtranguletur.

§. 108. Qui ad hoſtem adiuuandum ſeditionem in locis munitis excitat, aut horrea et penuaria (*Magazine und Vorrathshäuſer*) corrumpit, puniendus eſt rotae ſupplicio, a ceruice incipiendo.

§. 109. Qui eadem intentione vrbes, pagos, penuaria aut horrea non recluſa incendit, viuus comburatur.

§. 110. Qui exercitus hoſtiles, ex conductione ſpontanea, ſubuehendo magnam neceſſitatum bellicarum et alimentorum copiam adiuuat, gladii poenam commiſit.

§. 111. Qui apud hoſtem exploratoris perſonam agit, aut cum eo operationum bellicarum rationes, locorum munitorum delineationes, aut alia eiusmodi relata et documenta communicat, quibus adiutus hoſtis nocere regno poteſt, deligatur ad patibulum.

§. 112.

Source : BIU Cujas

§. 112. Qui ſine participatione alia hoſtium exploratores, aut copias vel milites hoſtiles ſingulos, ad explorandum miſſos, apud ſe celat, condemnetur ad locum munitum in annos quatuor ad ſex vsque.

§. 113. Exploratores peregrini, in actionibus ſuſpicioſis deprehenſi, ſecundum ius belli ſunt puniendi.

§. 114. Hoſtes in bello capti, qui libertate ab arctiore cuſtodia ipſis conceſſa contra fidem promiſſam abutentes ſeditionem excitant, occidantur gladio, aut pro re nata, periculi aut damni vere dati magnitudine, rotae ſupplicio, a ceruice incipiendo.

§. 115. In caſibus, vbi proditio regni claſſis ſecundae nondum eſt conſummata, aut regno inde adhuc nullum damnum illatum, capitis poena, pro re nata, commutetur in carceris poenam annorum ſex ad decem vsque. Attentati nondum conſummati poena;

§. 116. Eadem carceris aut ergaſtuli poena afficiuntur ii, qui eiusmodi proditionis regni complices fuerunt non quidem directe, at datis tamen conſiliis, aut auxilio remoto praeſtito. complicium et conſciorum.

§. 117. In eos, qui neglexerunt obligationem, reuelandi ſcientiam, quam de eiusmodi regni proditione habuerunt, locus eſt praeceptis generalibus §. 80. 81. 82., at pro grauitate tamen obiecti, periculi, aut damni, in gradu aſperiori.

§. 118. Perduellionis aut proditionis regni correus omnis, attentatum proprio motu adhuc tempeſtiue reuelando regni laeſionem omnem praecauens, ad poenae mitigationem, aut pro re nata, ad veniam (aggratiationem) perfectam poteſt prouocare.

§. 119. Qui ſciens init conſociationes, quibus vllo modo externa regni ſecuritas laedi, aut regnum periculis poſſet implicari, licet doli mali conuinci non poſſit, et regno damnum nullum ſit illatum, poena Media praecauendi.



Source : BIU Cujas

carceris est afficiendus, aut ad locum munitum condemnandus, in menses sex ad annos duos vsque.

§. 120. Absque speciali magistratus venia nulli regni incolae licet, belli tempore, cum hostium vllo consilia consociare priuata.

§. 121. Quem negotiorum priuatorum suorum causa belli tempore itinera in hostium terras oportet suscipere; is ad quaerendam magistratus veniam scriptam est obligatus.

§. 122. Literarum commercium in terras hostium absque eiusmodi venia speciali non aliter licet, nisi cursu publico, nec vnquam adhibitis numeris aut aliis signis arcanis.

§. 123. Nemo peregrinos apud se recipiat, aut receptui eorum clandestino faueat; sed statim ad loci magistratum rem deferat necesse est.

§. 124. Contra haec praecepta (§. 121. 122. 123.) agens, licet in inquisitione propiori non reus inueniatur proditionis regni, neque eius complex et conscius, nihilo minus condemnetur in grauem corporis poenam afflictiuam, delicto eius conuenientem, aut multam pecuniariam proportionatam.

§. 125. Absque expresso summi principis consensu nemo in regno exstruat munimenta, quae regni hostibus esse possent receptaculo.

§. 126. Nemo tormenta magna, arma, aut rerum aliarum copias ad vsus bellicos clam congerat.

§. 127. Nemo, nisi vi coactus, hostibus alimenta aut necessitates bellicas subuehat.

§. 128. Homines armatos nemo congreget, neque iis stipendia det, nisi expresso mandato a regno instructus.

§. 129. Nemo, nisi muneris vi eo iure gaudens, colligat et possideat locorum munitorum delineationes, operationum bellicarum rationes, aut alia relata secreta, quae, si innotescant, in primis belli tempore,

Source : BIU Cujas

regno eſſe periculo poſſent; quin ea potius, ſimulac ad ipſum perueniunt, ſtatim tradat inſtantiae.

§. 130. Contra haec praecepta (§. 125-129.) agens, pro violatione commiſſa, et periculo regno metuendo, et doli ſuſpicione, graui afficiatur multa pecuniaria aut poena corporis afflictiua, pro ratione perſonae et eius rei familiaris.

§. 131. Regni ciuis omnis obligatur ad auertendum, quantum in ipſo eſt, periculum patriae imminens; et ad denuntiandum magiſtratui omnia, quae ipſi innotuerunt, molimina ſuſpecta aut viſa noxia, quae praecauere ipſe non poteſt.

§. 132. In primis vero magiſtratibus et officialibus fiſci omnibus incumbit obligatio, attendendi ad eiusmodi caſus et facta quam diligentiſſime; adeo, vt, ſi in ea attentione adhibenda quidquam contra officium negligant, non ſolum munere ſint priuandi, ſed etiam, pro re nata, culpae gradu, et damno regno inde orto, ad tempus poena carceris afficiendi, aut ad locum munitum condemnandi.

§. 133. Et ille quoque, qui regnum diſſenſione et diſcordia cum principibus exteris non hoſtilibus implicare ſtudet; atque ille, qui fauet eiusmodi principibus exteris in iurium et commodorum regni patrii detrimentum, externam eius ſecuritatem laedit, et committit crimen proditionis regni claſſis tertiae. Tertia claſſis proditionis regni.

§. 134. Qui principes exteros aduerſus regnum excitat, et ad bellum ei inferendum ſollicitat, gladio occidatur. Eius genera.

§. 135. Qui ius gentium erga regna extera, eorum ſummum principem et legatos violat, aut eos modo alio laedit, in eum poena, delicto ipſo commiſſa, ſemper exaſperetur.

§. 136. Qui ſubditos peregrinos vel extra terras regias laedit offenſionibus, quibus noſtri ſubditi exponuntur periculo, vt regnum illud in eos retorſionis



Source : BIU Cujas

iure vtatur, eadem poena afficiatur, ac si delictum in terris nostris commisisset.

§. 137. Qui animo, regno nocendi, aut illud litibus cum vicinis implicandi, regionis limites turbat, aut obscurat, poenam carceris luat aut ergastuli annorum quatuor ad annos octo vsque.

§. 138. Qui ad iura sua aduersus regnum aut conciuem adiuuanda, principum exterorum auxilium petendo, causam praebet tractatibus inter regnum vtrumque iniucundis, commisit poenam carceris sex mensium ad annos duos vsque, aut multam pecuniariam iustam (proportionatam).

§. 139. Quae poena exasperanda est, si regnum ipsum de iuribus, quae ille sibi putat competere, iam cognouit, et ea veritate non fundari declarauit.

§. 140. Qui regni iura in principes alios, delendis documentis de iis iuribus, aut modo alio, dolo obscurat, ad locum munitum condemnetur in annos sex ad vitae dies vsque.

§. 141. Qui principibus exteris non hostilibus regni secreta prodit, aut cum iis communicat munimentorum delineationes, vel operationum bellicarum rationes, vel documenta, et alia eiusmodi relata, quae esse occulta regni salutis refert, condemnetur ad locum munitum in annos decem vsque ad vitae dies.

§. 142. Qui regni secreta sibi concredita ex imprudentia, negligentia, aut ostentatione manifestando regnum exponit periculo; ad regni officia in perpetuum declaretur inidoneus, et praeter ea pro negligentiae gradu, grauitate obiecti, et damni regno vere illati, ad tempus afficiatur poena carceris aut condemnetur ad locum munitum.

§. 143. Qui pro principibus exteris non hostilibus in terris nostris conquirit milites, aut militum conquisitoribus exteris ex terris nostris milites nouos adducit, licet erga conquisitos criminis plagii reum

Source : BIU Cujas

se non fecerit, nihilo minus condemnetur ad locum munitum in annos duos ad quatuor vsque.

§. 144. Qui personas speciali regni tutela et protectione fruentes potestati principum exterorum proditione dedit; carcere detineatur, vsque donec istae libertatem recuperarunt.

§. 145. Si deditus, antequam libertatem recuperauit, vitam amittit; proditor commeruit condemnationem ad locum munitum in annos decem vsque ad vitae dies.

§. 146. Si principibus exteris hostilibus facta est proditio; proditor patibuli poena afficiatur.

§. 147. Quomodo puniendus sit, qui regni militibus, signa sua periure deferentibus, fert opem, in Sect. VIII. §. 474. sqq. est sancitum.

§. 148. Qui fabricarum praefectos, officiales et operarios ad emigrandum adducit, et iis in emigrando fert opem; aut alia fabricarum et mercaturae arcana exteris prodit; atque etiam, qui patriam aliis huius generis commodis in regnorum exterorum fauorem dolo priuat; condemnandus est ad locum munitum aut ergastulum in annos quatuor ad octo vsque.

## Sectio Quarta.

### *De delictis in regni tranquillitatem et securitatem internam.*

§. 149. Poena delicto commissa semper exasperatur, si delictum patratum est sub circumstantiis, tranquillitatem, securitatem et ordinem publicum in se turbantibus. Principium generale.

§. 150. Qui publicationem legis, aut edicti summi principis, ad politiam spectantis, auellendo aut obscurando, aut alio modo de industria impedire studet; poenam luat carceris aut ergastuli trium mensium ad octodecim vsque. 1. Impedita legum publicatio.



Source : BIU Cujas

Excitatio moleſtiae contra regimen.

§. 151. Qui proterue et irreuerenter regni leges et diſpoſitiones reprehendendo aut illudendo efficit, vt ciues ſint regimine male contenti, poenam commeruit carceris aut condemnationem ad locum munitum in menſes ſex ad annos duos vsque.

§. 152. Quo maior eſt dignitas et auctoritas eiusmodi facinus committentis, eo feueriore poena eſt afficiendus.

§. 153. Scriptorum talium famoſorum venditio et diuulgatio, ſub graui multa pecuniaria aut poena corporis afflictiua, eſt prohibenda, et omnis exemplarium inuentorum copia delenda, aut pro re nata publice comburenda.

§. 154 Typographi, edendi ſumtus ſuppeditantes, librarii (*Abſchreiber*) et diſtributores eiusmodi ſcriptorum ſeditioſorum, praeter ciuitatis et quaeſtus priuationem, afficiuntur poena noxae et delicti principalis grauitati conueniente.

§. 155. Quae de ſcriptis ſunt ſancita, valent quoque de picturis, figuris aere excuſis, et repraeſentationibus aliis, ſenſibus obiectis, eiusmodi intentione illicita inuentis et in publicum diuulgatis.

§. 156. At contra cuilibet licet, dubia ſua, exceptiones, et dubitationes de regni legibus et aliis diſpoſitionibus, vti in genere animaduerſiones et conſilia ſua de defectibus atque de iis medendis, et ad regni ſummum principem et ad praefides collegiorum (*Departements*) deferre; quae collegia obligata ſunt, vt attentione neceſſaria examinent delata.

3. Vis priuata illicita.

§ 157. Qui magiſtratu praeterito absque ſpeciali legum permiſſione ſibi per ſe tentat ius quaerere, ſi nulla vis eſt perſonis aut rebus illata, puniatur multa pecuniaria aut carcere (arreſto) ciuico; alias vero, pro ratione vis adhibitae afficiatur carceris poena, aut condemnetur ad locum munitum vel ergaſtulum in duos menſes ad ſex vsque.

Source : BIU Cujas

§. 158. Qui contra magiſtratus decisionem iam factam ſibi ipſe ius quaerit, ſi nulla vis eſt adhibita, condemnetur ad locum munitum aut ergaſtulum in ſex hebdomadas ad ſex menſes vsque; at contra, vi adhibita, in ſex menſes vsque ad annos duos.

§. 159. Commiſſo, dum quis ſibi ipſe ius quaeſiuit, delicto alio, quod poena ſequitur grauior; haec poena ob accedentem regni laeſionem ſemper exaſperatur.

§. 160. a) Qui perſonas, ad quas deferendas regni ſubditi a magiſtratu publice in ſpecie ſunt prouocati, ſciens celat, aut fugam eorum adiuuat, commiſit poenam carceris dierum quatuordecim ad tres menſes vsque.

§. 160. b) Qui in carcerem coniectos magiſtratui dolo et fraude ſubtrahit, aut fugam eorum adiuuat, carceris poenam luat hebdomadarum quatuor vsque ad ſex menſes

4. Carcerum effractura.

§. 161. Qui in carcerem coniectum vi adhibita liberat, pro ratione grauitatis delicti a liberato commiſſi, et violentiae adhibitae, praeter poenam ob damnum illatum commiſſam, commeruit condemnationem ad ergaſtulum aut ad locum munitum in annum vsque ad ſex annos.

§. 162. Quae poena obtinet, ſimulac carcer eſt effractus, licet in eo inclusus libertatem non re vera recuperauerit.

§. 163. Qui perduellem aut regni proditorem primae claſſis in carcere inclusum eo modo (§. 160 b. §. 161.) tentat liberare, commeruit gladii poenam; et in caſu §. 160. a. condemnatur ad locum munitum aut ergaſtulum in annos ſex vsque ad decem.

§. 164. Si in liberando in carcerem coniecto aut in eius fuga adiuuanda perduellionis aut regni proditionis latuit intentio, facinus patrans ipſe punitur tan-



Source : BIU Cujas

quam complex criminis perduellionis aut regni proditionis.

§. 165. Si violenta in carcere inclusi liberatio ab hominibus conglobatis pluribus est commissa; praeter poenam, facinore ipso iam commissam, seditionis quoque poenae adhuc est locus.

5. Repugnatio contra magistratum.

§. 166. Qui magistratui in fungendo munere, aut eius legatis in expediendis mandatis re ipsa repugnat vel factis, pro ratione repugnationis, et violentiae in ea adhibitae, afficiatur carceris poena aut condemnetur ad ergastulum vel locum munitum in duos menses ad annos duos vsque.

6. Seditio.

§. 167. Qui certam populi classem, aut vrbis vel pagi vniuersitatis membra omnia vel partem eorum colligit, vt exequendis magistratus dispositionibus vi coniuncta resistant, aut a magistratu aliquid extorqueant; seditionis seu tumultus reum se reddit.

§. 168. Qui tumultum concitat, licet nondum vis vera fuerit adhibita, et nullum damnum datum, nihilo minus commeruit condemnationem ad ergastulum aut ad locum munitum in annum ad annos quatuor vsque.

§. 169. Si in eiusmodi tumultu vis est adhibita, et vita aut bona vllius sunt laesa; patrator pro ratione delicti puniatur, dux vero in tres ad sex annos vsque detrudatur ad locum munitum aut ergastulum, et adueniens et discedens castigetur flagri plagis (*Willkommen und Abschied*), quarum numerus a iudice est definiendus.

§. 170. Si in eiusmodi tumultu homicidium est commissum: patrator ipse tanquam homicida culposus aut dolosus punitur; dux vero condemnatur ad locum munitum aut ergastulum in annos decem, addita eadem corporis castigatione.

§. 171. Si verus homicidii in tumultu commissi patrator nequit erui; in complices tumultus, qui homicidii commissi tempore fuerunt in vi-

Source : BIU Cujas

cinia loci, quo homicidium eſt commiſſum, et inſtrumentis inſtructi, quibus eiusmodi homicidium patrari potuit, pro ſuſpicione eos premente locus ſit condemnationi ad locum munitum aut ergaſtulum in quatuor vsque ad decem annos, in ducem autem condemnationi in annos decem ad vitae dies vsque.

§. 172. Si concitatores ſeditioſi tumultum animo, homicidium doloſum committendi, concitarunt; afficiuntur poenis durioribus infra §. 839. ſqq. definitis.

§. 173. Si magiſtratibus aut excubiis, ad ſedandum tumultum approperantibus vis infertur, vel vita adeo adimitur; et dux et patrator pro ratione euentus poena corporis afflictiua aut capitali exaſperata afficiatur.

§. 174. Homines, ſine officio armis mortiferis aut inſtrumentis aeque noxiis inſtructi eiusmodi tumultui ſe immiſcentes, licet vim non adhibuerint, nihilo minus commeruerunt condemnationem ad locum munitum aut ergaſtulum, in ſex menſes vsque ad annum. Tumultus complices.

§. 175. Qui homines ſeditioſos inſtruit armis aut inſtrumentis aliis, quibus vti in tumultu poſſent, aut intentiones eorum noxias verbis, ſcriptis aut modo alio adiuuat; condemnatur ad locum munitum aut ergaſtulum in annum ad annos duos vsque.

§. 176. Conſulentes latentes et ſcriptores illegitimi, querulantes pertinaces in petitionibus aut querelis illegitimis conſilio et facto adiuuantes et obſtrmantes, fruſtra admoniti, condemnentur ad ergaſtuli poenam menſium trium vsque ad ſex menſes.

§. 177. Si iuſtitiae commiſſarii, aut perſonae iudiciales aliae, hoc crimen commiſerunt; praeter poenam, §. 176. definitam, munere priuantur.

§. 178. Qui magiſtratui contra tumultum aut repugnantiam recuſat auxilium quaeſitum, quod absque ſuo tamen periculo praeſtare potuiſſet, propor-



Source : BIU Cujas

tionatam commiſit multam pecuniariam aut carceris poenam.

§. 179. Qui vero ad eiusmodi auxilium praeſtandum ſpeciatim muneris aut officii obligationibus obſtrictus ſe nihilo minus auxilio ferendo ſubtrahit; praeter muneris priuationem commeruit carceris poenam aut condemnationem ad locum munitum in tres menſes ad annum vsque.

Media praecauendi.

§. 180. Magiſtratus omnes, in primis vero magiſtratuum, iudiciorum, aliorumque collegiorum praeſides obligantur, vt in perſona audiant quemcunque, in rebus ad eorum munus pertinentibus comparentem, et celeriter cognoſcant grauamina veritate fundata, et iis medeantur.

§. 181. Omnis vulgi concurſus temporibus et locis inſolitis, in primis autem nocturnae bacchationes et perturbationes incolarum loci, a magiſtratu ſeueris coërceantur remediis.

§. 182. Quorum auctores, vti complices, conſilia meliora non audientes, puniendi ſunt cuſtodia (arreſto) in carcere publico dierum octo ad ſex hebdomadas vsque, aut afficiendi iuſta (proportionata) multa pecuniaria aut poena alia corporis afflictiua.

§. 183. Pueri petulantes, in viis aut locis aliis turbas excitantes, aut facta grauia contra mores bonos committentes, afficiantur proportionata carceris poena, caſtigatione corporis, aut poena ergaſtuli.

§. 184. Membra ſocietatum in regno omnium obligantur, ad indicandum obiectum et finem conuentuum ſuorum magiſtratui poſcenti.

§. 185. Conſociationes clandeſtinae plurium regni conciuium, ſi ad regnum ipſum, et eius ſecuritatem poſſent attinere, ſub graui multa pecuniaria aut corporis poena afflictiua, a conſociatis indicandae ſunt magiſtratui, qui eas examinet et approbet.

§. 186. Absque magiſtratus, cui politiae cura demandata eſt, venia expreſſa nulla inſtituantur perſonatorum

Source : BIU Cujas

hilaria (*Reduten*), neque conuentus perſonatorum (*Maskerade*) publici, neque publica eiusmodi hilaria alia.

§. 187. Si magiſtratus veniam dat, curare ſimul eum oportet, ſub praeſtatione propria, quae ad praecauendas perturbationes omnes ſunt neceſſaria.

§. 188. Si eiusmodi hilaria inſtituens magiſtratus veniam et patrocinium non rogauit; ob perturbationes omnes aut delicta, quae in iis acciderunt, eadem afficiatur poena, qua afficitur, qui ad perturbationes aut delicta re adiumentum praeſtitit. (§. 71.)

§. 189. Idem obtinet, ſi ea hilaria inſtituens, perturbationibus vere exortis, non tempeſtiue petiit auxilium, ad eas reprimendas neceſſarium; licet indicationem §. 186. praeſcriptam magiſtratui faciendam non omiſerit.

§. 190. Atque etiam in conuiuiis ſeu compotationibus in cauponis, et aliis locis, vbi vulgus conuenit, magiſtratus per politiae officiales attendat neceſſe eſt, ne perturbationes fiant; neque permittat, vt eiusmodi conuentus continuentur vltra tempus, in ordine politiae definitum.

§. 191. Vagabundi peregrini, qui ſedem fixam nullibi collocarunt, neque, vnde ſe alant, probare modo fide digno poſſunt, licet in cognitione de eorum vita, huc vsque acta, nulla delicti commiſſi indicia appareant, ex finibus ſunt exterminandi, et iis interdicendus eſt reditus, ſub condemnatione ad locum munitum.

§. 192. Nihilo minus reuerſi poenam luant condemnationis ad locum munitum per annos duos.

§. 193. Poena data iterum ex finibus exterminatis, denuntiatur condemnatio ad locum munitum ad vitae dies, ſi iterum reuertantur.

§. 194. Quae poena iis vere infligitur, ſi vagabundorum inſtar tertio in terris noſtris deprehenduntur.

Source : BIU Cujas

§. 195. Declarationes et poenae antecedentes §. 191-194.), tunc quoque obtinent, si vagabundus peregrinus, qui in terris nostris delictum commisit, carceris, ergastuli aut condemnationis ad locum munitum poenam pertulit temporariam, in ipsum constitutam.

## Sectio Quinta.

### *De pietatis in regnum laesionibus.*

Crimen laesae maiestatis.

§. 196. Qui regni principis summi personam in sua dignitate laedit, non apparente animo crimen perduellionis aut proditionis regni committendi, crimen laesae maiestatis committit.

1. In principem;

§. 197. Laesiones huius generis reales, licet summi principis vitae aut libertati haud fuissent periculo, nihilo minus gladii sequitur poena.

§. 198. In eiusmodi delictis minus grauibus, aut accedentibus mitigandi causis, poena capitalis mutari potest in condemnationem ad locum munitum ad vitae dies, vel ad sex annos vsque ad decem.

§. 199. Qui criminis laesae maiestatis contumeliis iniuriosis summo regni principi illatis, verbis, scriptis aut repraesentationibus aliis, sensibus obiectis, reum se facit; commeruit condemnationem ad ergastulum aut ad locum munitum in annos duos ad quatuor vsque.

§. 200. Iam aliae eiusmodi significationes malitiosae, de regni summi principis persona et factis, pietatem in eum laedentes, vindicentur poena carceris aut condemnatione ad locum munitum in sex menses vsque ad annum.

§. 201. Sententiae poenales de hoc laesae maiestatis crimine (§. 197-200.) latae omnes regni summo principi in specie sunt exhibendae, cui relinquendum est, quatenus vti iure suo ex gratia ignoscendi (aggratiandi) velit.

§. 202. Si in inquirendo apparet, crimen laesae maiestatis ex insania et disturbatione mentis esse com-

Source : BIU Cujas

missum, patrator deportetur in institutum publicum, neque dimittatur, antequam certo constat, eum sanitati esse restitutum.

§. 203. Qui personam reginae, regni heredis, aut regiae familiae membrorum aliorum personas iniuriis realibus afficit, pro re nata et laesionis gravitate commeruit poenam ergastuli aut condemnationem ad locum munitum in annos quatuor, sex, vsque ad annos decem, vel ad vitae dies. 2. in principis familiam;

§. 204. Quae poena pro ratione gradus malitiae apparentis est exasperanda.

§. 205. Iniurias verbales huius generis sequitur poena ergastuli aut condemnatio ad locum munitum in annum, ad duos annos vsque.

§. 206. Et in his quoque casibus (§. 203. 204. 205.) praeceptum §. 202. obtinet.

§. 207. Qui primorum regni ministrorum aliquem in munere fungendo, aut ea occasione, iniuriis verbalibus aut realibus afficit, in eum poena carceris, ergastuli aut condemnationis ad locum munitum, iniuria ipsa commissa, duplicanda est respectu pietatis in regnum simul laesae. 3. in regni ministros in munere fungendo.

§. 208. Si iniuriae membris collegiorum prouincialium, aut aliis regni officialibus in munere fungendo, aut ea occasione, sunt illatae; tempus poenae, iniuria in se commissae, vsque ad dimidium prolongatur.

§. 209. Si regni officiales inferiores (subalterni) in munere fungendo iniuriis afficiuntur, prolongatio vsque ad tertiam temporis partem obtinet.

§. 210. Qui literas patentes (*Patente*), ordinationes, et promulgationes publicas a magistratu affixas petulantia auellit, laedit, aut modo alio ignominiose tractat, pro petulantiae, aetatis, ordinis et facultatum ratione, puniatur corporis castigatione, opera poenali, carcere in quatuor hebdomadas vsque ad annum, aut multa pecuniaria proportionata. Laesiones aliae pietatis in regnum aut publicum.

Source : BIU Cujas

§. 211. Eadem poena tenetur, qui monimenta publica, ſtatuas, portas vrbanas, columnas milliarium indices, ambulacra, tabulas monitorias, aut alia opera et aedificia vſui publico deſtinata deformat, aut laedit.

§. 212. Delicti ſimplicis cuiuslibet poena exaſperatur, ſi cum eo ſimul coniuncta fuit laeſio pietatis regno debitae.

§. 213. Quod in primis obtinet, ſi delictum commiſſum eſt in palatiis, aedificiis et diſtrictibus aliis, ſedi regiae ſummi principis deſtinatis.

## Sectio Sexta.

### *De laeſionibus ſocietatibus religioſis illatis.*

Principium.

§. 214. Qui ſocietates religioſas in regno receptas conuiciis in orationibus aut ſcriptis publicis, aut factis et geſtibus ignominioſis violat, afficiatur proportionata carceris aut ergaſtuli poena quatuor hebdomadarum ad ſex menſes vsque.

Turbatio cultus diuini publici.

§. 215. Qui cultum diuinum publicum turbat, aut eccleſiam, in eo celebrando occupatam, vel eius doctores, in cultu diuino peragendo occupatos, iniuriis verbalibus aut realibus afficit; in menſes tres ad octodecim vsque deportetur ad ergaſtulum aut ad locum munitum.

§. 216. Et ille quoque, qui in eccleſias tantum toleratas eiusmodi iniuriarum ſe reum reddit, commeruit carceris aut ergaſtuli poenam hebdomadarum ſex ad ſex menſes vsque.

§. 217. Qui publice euomendo blasphemias craſſas anſam praebet offenſionis publicae, in duos vsque ad ſex menſes ad carcerem detrudatur, in quo de ſuis officiis et criminis grauitate eſt edocendus.

§. 218. Si blasphemus iam punitus blasphemiae crimen reiterat, duplicanda eſt poena ante ei irrogata.

Source : BIU Cujas

§. 219. Poena data doctor confessionis, cui est addictus, praesentibus ecclesiae antistitibus, criminis grauitatem ei iterum ponat ob oculos, et blasphemus offensionis datae deprecando petat veniam ab vniuersitate, ecclesiam constituente, in horum antistitum persona.

§. 220. Qui alias sanae mentis compos, certis religionis actibus, aut rebus ad cultum diuinum destinatis abutitur, ad sic dictam magiam, cogenda spectra, euocandos mortuos, thesauros effodiendos, et eiusmodi praestigias superstitiosas alias, primo meliora est edocendus, in casu reiterationis autem afficiendus est poena carceris aut ergastuli hebdomadarum quatuor ad octo vsque. Abusus religionis ad praestigias.

§. 221. Si eiusmodi praestigiae fraudulenter susceptae sunt, aut animo fines certos secundarios obtinendi; in patratorem praeter poenam, fraude aut furto in se commissam, locus adhuc est condemnationi ad locum munitum aut ergastulum in sex menses ad annos duos vsque.

§. 222. Si clericus aut alius ecclesiae officialis eiusmodi factis superstitiosis aut fraudulentis commissis offensioni fuit; praeter poenam sancitam, a munere adhuc est remouendus.

§. 223. Qui ex inscientia aut furore fanatico auctorem se gerit sectae, cuius dogmata pietatem erga Deum, obedientiam erga leges, aut fidem erga regnum manifesto laedunt, aut populum ad crimina directe seducunt; mittatur in institutum publicum; ibi instituendo et docendo, vel pro re nata remediis corpus fananubus emendetur, neque dimittatur, antequam de eius emendatione certo constat. Sectarum fundatio.

§. 224. Qui eiusmodi sectae auctorem se gerit fraudulentia ductus, et animo libidines suas explendi, tanquam fraudator ad palum publicum deligetur, ad locum munitum aut ergastulum in annum ad tres annos vsque condemnetur, et dimissus

Source : BIU Cujas

exterminetur ex regione aut prouincia, vbi eius secta ante fuit disseminata.

§. 225. Si eiusmodi fraudator nihilo minus delictum ante commissum reiterat, ad dies vitae ad locum munitum condemnatus ibi custodia tuta est retinendus.

§. 226. In genere in delicto omni, sub religionis specie commisso, poena in delictum per se legibus statuta, propter religionis abusum simul commissum, proportione iusta est exasperanda.

Exacerbatio diuersas confessiones profitentium erga se inuicem.

§. 227. Qui in concionibus sacris, aut orationibus publicis aliis, odium et exacerbationem excitare studet inter profitentes diuersas fidei confessiones, in regno receptas, a munere est remouendus; et pro damni dati ratione poena carceris aut condemnationis ad locum munitum in hebdomadas quatuor ad sex menses vsque est afficiendus.

§. 228. Qui ex religionis zelo praepostero inter coniuges, aut parentes et liberos diuersae confessionis diffidentiam et discordias excitat, praeuia iudicis dehortatione frustranea relegetur ex loco, vbi eo modo familiis se insinuauit.

## Sectio Septima.

### *De iurium regno reseruatorum arrogationibus et laesionibus.*

Principia.

§. 229. Qui vllum sibi arrogat maiestatis iurium regno soli reseruatorum, aut iurium vtilium eidem competentium; eum fiscus ideo in ius vocet.

§. 230. Si error tantum aut interpretatio aliena huius arrogationis causa fuit; arrogans non obligatus est, nisi ad damnum resarciendum, et ad abolenda ea, quae in persequenda arrogatione forsan parauit.

§. 231. Interdicenda ei quoque est vlterior continuatio eiusmodi violationum, sub graui multa pecuniaria

Source : BIU Cujas

cuniaria fiſco ſoluenda, aut proportionata carceris poena.

§. 232. Contra quam prohibitionem ſi agit; poenam committit conſtitutam, quae in reiterationis caſu quolibet ſemper duplicatur.

§. 233. Si arrogatio iuris maieſtatis ſimul delictum in regni ipſius conſtitutionem et ſecuritatem inuoluit; locum obtinent poenarum definitiones §. 92. ſqq. atque §. 125. ſqq. ſancitae. Arrogatio iurium regni.

§. 234. At vero, ſi ſub iuris maieſtatis arrogatione, licet contra meliorem ſcientiam tentata, nulla latet intentio regni tranquillitati et ſecuritati immediate noxia; locus tantum eſt multae pecuniariae fiſco ſoluendae, aut temporariae carceris poenae.

§. 235. Quae poena pro ratione grauitatis iuris arrogati, et intentionis illicitae ſub arrogatione latentis, definiatur ad thaleros trecentos, vsque ad tria millia thalerorum, aut ad cuſtodiam (arreſtum) in loco munito in annum ad tres annos vsque.

§. 236. Qui regni ius vtile ſcienter ſine iure ſibi arrogat, eum reſarcire oportet damni inde dati omnis duplum.

§. 237. Praeterea pro ratione grauitatis iuris ſibi arrogati et intentionis illicitae, quae in arrogando ipſi fuit, commiſit multam pecuniariam thalerorum quinquaginta ad mille vsque, fiſco ſoluendam, aut proportionatam corporis poenam.

§. 238. Qui in exercendo iure, a regno conceſſo, limites in conceſſione praeſcriptos dolo excedit, dimidia tenetur poena, quam committit eiusmodi ius ſine iure ſibi arrogans. Abuſus iurium a regno conceſſorum.

§. 239. Qui in exercendo hoc iure contra leges politiae regni agit, afficiendus eſt poena in ſpecialibus politiae ordinationibus ſancita.

§. 240. Si violationis poena in politiae ordine non eſt definita; iudicem oportet conſtituere pro ratione periculi et damni, a violatione me-



Source : BIU Cujas

tuendi, multam pecuniariam fisco soluendam, thalerorum quinquaginta summam non excedentem, aut poenam custodiae (arresti) proportionatam.

§. 241. Qui vero iure a regno concesso dolo abutitur in detrimentum regni ipsius, aut ad premendos eius ciues et incolas protectione fruentes (*Schutzverwandte*), praeter politiae poenam commissam, hoc iure pro sua persona priuatus est declarandus.

Laesio regni iurium.

§. 242. Qui regno onera et praestationes debitas fraude detinet, obligatur ad soluendum detenti quadruplum, nisi leges speciales aliam poenam sanciant.

§. 243. Qui alios ad recusandas aut interuertendas praestationes regno ab iis debitas consilio et re adiuuat, aut defraudationibus eo spectantibus fauet, poenam luat eandem, quam delinquens principalis.

Violatio et laesio iuris onera publica (steuras) imponendi.

§. 244. Qui sub praetextu, collectas priuatas pro vniuersitatibus aut egenis colligendi, in domos se ingerit, afficitur multa pecuniaria thalerorum decem ad quinquaginta vsque, aut proportionata corporis poena.

§. 245. Si sub collectae priuatae collectione prohibita commodum priuatum latet, aut fraus alia; poena exasperatur arresto continuando ad diuturnitatem dimidiam per se commissam, et soluenda collectorum summa quadruplici.

§. 246. Societatibus priuilegiatis pecuniarum conferendarum indictio et collectio inter se eatenus tantum licet, quatenus postulant constitutionis earum natura, et finis obtinendus, a regno approbatus.

§. 247. Si vniuersitates vrbanae aut rusticae, praepositis non consentientibus, collectas inter se conferunt; auctores afficiantur carceris aut ergastuli poena sex hebdomadarum ad sex menses vsque.

§. 248. Qui absque speciali regni venia lotariam publicam constituit, fisco soluat multam thalerorum quinquaginta ad centum vsque; et praeterea aerario

Source : BIU Cujas

loci, pauperibus alendis inſeruienti, ſummam duplicem lucri, inde percepti.

§. 249. Qui in lotariis exteris a regno non ſpeciatim approbatis fortunae periculum facit, ſummam pecuniae expoſitae, et praeter ea centum adhuc thaleros, poenae loco fisco ſoluat.

§. 250. Qui aeraria publica, dotandis feminis, alendis viduis, aut efferendis funeribus inſeruientia (*Ausſteuer- Wittwen- oder Sterbe-Caſſen*), absque expreſſa regni approbatione conſtituit, iis, quorum intereſt, pecunias collatas reddat, et ſummam duplicem commodi, ſalario, prouiſione, aut modo alio percepti, ſoluat neceſſe eſt loci aerario, alendis pauperibus inſeruienti.

§. 251. Si eiusmodi inſtitutum dolo eſt conſtitutum ad inferendum detrimentum aut ad faciendam fraudem hominibus imprudentibus; auctor, praeter poenam antecedentem, tanquam defraudator publice profituatur, et in ſex menſes ad annos duos vsque ad locum munitum aut ergaſtulum deportetur.

§. 252 Qui auctoritate propria monetam, in publici vſum (*Cours*), principis effigie ſignatam excudit aut fundit, proportione quantitatis excuſae commeruit condemnationem ad locum munitum in duos ad tres annos vsque, vna cum multa pecuniaria fisco ſoluenda vsque ad ſummam commodi percepti decemplicem. Delicta monetaria.

§. 253. Cuius poenae parte dimidia tenetur, qui ad eiusmodi monetas propria auctoritate excuſas abutitur effigie principis exteri.

§. 254. Qui vero ſub regni principis aut alio typo monetario, in regno ex legibus vſuali, non ſolum propria auctoritate monetas excudit aut fundit, ſed etiam earum internam bonitatem corrumpendo conciues decipit, commeruit condemnationem ad locum munitum in quatuor annos ad decem vsque.

§. 255. Praeterea eum oportet ex propriis fiſco ſoluere multam pecuniariam, aequalem ſummae



Source : BIU Cujas

decemplici damni dati, quatenus hoc damnum poteſt erui.

§. 256. Si hoc delicto ſummae haud mediocres numorum adulterinorum in publicum ſunt emiſſae, et inde regni ſubditorum commercio et fidei graue damnum illatum; haec poena exaſperetur ad virgarum ſupplicium ignominioſum, et condemnationem ad munitiones ad vitae dies.

§. 257. Monetae officiales, numorum ab ipſis aut ſub eorum cura ſignatorum valorem minuendo, non principem ſolum, ſed publicum etiam defraudantes, eadem poena (§. 256.) afficiantur.

§. 258. Si quis ſub typo monetario extero, in terris noſtris non vſuali, monetas adulterinas valoris minoris excudit, condemnatur ad locum munitum in tres annos ad ſex vsque.

§. 259. Qui monetas adulterinas excudit, ſed nondum in publicum emiſit, tenetur dimidio poenae, pro reliqua criminis natura commiſſae.

§. 260. At vero, qui monetae adulteratori in numis in publicum emittendis, priuati commodi cauſa, aut alias dolo, adiumentum praeſtitit, aeque puniatur ac monetae adulterator.

§. 261. Cui monetae adulterinae ſunt oblatae, aut qui alias certam earum curſus notitiam conſequitur, obligatur, vt rem ſine mora ad magiſtratum deferat.

§. 262. Qui non ſolum hanc denuntiationem omittit, ſed etiam monetas adulterinas oblatas ſcienter dat aliis, puniatur quadruplici earum ſumma, et praeter ea afficiatur multa pecuniaria thalerorum quinque vsque ad quinquaginta, aut carceris poena octo dierum ad ſex hebdomadas vsque.

§. 263. Qui monetas in terris noſtris vſuales circumcidit, delimat, aut artibus aliis earum valorem deminuit, decemplicem ſoluat ſummam lucri illiciti, inde ſibi comparati, aerario colligendis multis deſti-

Source : BIU Cujas

nato; et pro damni dati ratione poenam luat ergastuli annorum duorum ad quatuor vsque.

§. 264. Qui si Iudaeus; praeter hanc poenam priuatur quoque regni protectione, qua adhuc est gauisus.

§. 265. Qui in detrimentum et contra prohibitionem regni monetas principis effigie signatas liquando destruit, lucri inde quaesiti summam quadruplicem poenae loco fisco soluit.

§. 266. Qui numos minores (*Scheidemünze*) reprobatos, aut pretii vilioris monetas, lucri cupiditate motus in regnum infert, et in publicum emittit, puniatur eorum confiscatione, et restitutione summae illatae duplicis.

§. 267. Qui mensae feneraticiae publicae syngraphas, literas pigneraticias, aut literas, quibus cauetur de pecunia societate credita (*Actien*), principis auctoritate publico vsui destinatas adulterat, aut imitatur; aut eiusmodi literis adulterinis in publicum emittendis sciens fert opem, eadem poena afficiatur, qua punitur, qui monetas adulterinas sub regni principis effigie fabricauit aut in publicum emisit.

§. 268. Scalptor in aere, typographus, typorum monetariorum (*Stempel-*) aut insignium (*Wapenschneider*) scalptor nullus, absque iussu scripto magistratus, cui est subiectus, conficiendos suscipiat typos monetarios, sigilla aut formularum chartarum publicarum figuras et laminas in aes incisas; neque confectos tradat vlli, nisi collegio prouinciali, a quo mandatum accepit, acceptis ab eodem literis receptionem testantibus.

§. 269. Contra quam prohibitionem qui agit, pro ratione periculi, regno aut publico inde exorti, afficiatur poena carceris aut condemnetur ad locum munitum in trimestre ad annos duos vsque.

§. 270. Vsus chartae signatae praescriptae omissus in rebus gratiae; in emtione venditione, et locatione conductione fundorum; in vltimae voluntatis dispositionibus et pactis coniugalibus, praeter solu- Omissio vsus chartae signatae.



Source : BIU Cujas

tionem redituum regno ereptorum, a fisco vindicetur condemnatione in summam eorum duplicem.

§. 271. Eadem poena tenentur mercatores et Iudaei, qui libros suos mercatorios non publice signandos curant.

§. 272. Atque etiam Iudaei, qui matrimonium ineuntes non redemerunt scriptam matrimonii ineundi veniam, charta signata praescripta datam.

§. 273. Qui in petitionibus et actibus coram iudiciis, aut magistratibus et collegiis publicis aliis, atque etiam in contractibus omnibus, praeter emtionem venditionem, et locationem conductionem bonorum immobilium (§. 270.), non vtitur charta signata praescripta, eam postea adhuc afferat, et pro violatione qualibet thalerum vnum poenae loco soluat necesse est.

§. 274. Qui in eiusmodi actibus non vtitur mandato in edictis praescripto, eum poenae vltimo dictae duplum oportet soluere.

§. 275. Cui a coniuge, collateralibus, aut alienis hereditas, donatio bonorum omnium, aut legatum defertur, eum intra tres menses, postquam deuolutionis notitiam est consecutus, pecuniam pro signatione publica praescriptam oportet soluere, aut poenae loco quadruplicem eius summam praestare.

§. 276. At in hereditatibus tamen heredibus deliberandi tempus in computando isto termino prodest; et ii quoque, quibus non propior in negotiis iudicialibus scientia est et vsus, antea admonendi sunt de obligatione, chartam publice signatam afferendi.

Accisae et portorii crimina.

§. 277. Qui merces aut res, quarum importationem aut exportationem regnum prohibuit, contra istam prohibitionem importat, aut exportare tentat, criminis mercium prohibitarum reum se reddit.

§. 278. Qui in importandis et exportandis mercibus per se licitis portorii aut accisae vectigalia, regno

Source : BIU Cujas

de iis ſoluenda, huic ſubtrahere tentat, defraudationem committit.

§. 279. Mercatores, qui merces ſuas, quibus commercium faciunt, exportandas aut importandas locis, vbi portorium et acciſa ſoluitur, vel plane non indicant, vel dolo non accurate, qualitatis, quantitatis aut pretii intuitu; defraudatores habentur.

§. 280. Idem delictum committunt magiſtri nauis et mercium vectores (*Frachtfuhrleute*), qui de teloniis et locis, quibus vectigal (acciſa) ſoluitur, declinant; vecturae literas falſas aut incompletas ſcienter producunt; aut merces, in vecturae literis non expreſſas, ab iis poſtea impoſitas, indicare omittunt.

§. 281. Peregrinantes quoque alii, qui merces vectigales ſecum portantes, earum vectigal in regni limitibus nondum ſoluerunt, ſub poena defraudationis non declinent de via portorii.

§. 282. Cereuiſiae coctores, et vini aduſti deſtillatores, et alii facientes quaeſtum, de cuius exercitio in caſu ſingulo quolibet regno vectigal eſt ſoluendum, defraudationem committunt, ſi eiusmodi caſus exercitii vel plane non indicant, vel non accurate.

§. 283. Perſonae priuatae aliae omnes defraudationem committunt, ſimulac res vectigali obnoxias in explorando (viſitando) celant.

§. 284. Et iam habentur defraudatores, ſi explorationem (viſitationem) praeſcriptam euitare tentant.

§. 285. Crimen mercium prohibitarum (*Contrebande*) aut defraudationem omnem immediate ſequitur confiſcatio mercium aut rerum, quibus eſt commiſſa. Confiſcatio.

§. 286. Si merces, quarum importatio aut exportatio eſt prohibita, in telonio in regni finibus ſito ſtatim indicantur, ſumtibus domini ſunt aſportandae.

§. 287. Si quis, qui non eſt mercator, magiſter nauis, aut mercium vector, merces aut res vetitas in



Source : BIU Cujas

telonio aut loco, vbi vectigal (accisa) soluitur, in regni limitibus sito, non expresse quidem indicauit, at rite tamen comparuit ad explorationem instituendam; tum quoque tantum obtinet asportatio eius sumtibus.

§. 288. Idem obseruandum est, si merces, quarum importatio est prohibita, cursu publico aduehuntur, et ille, cui missae sunt, conuinci non potest intendisse mercium prohibitarum crimen.

§. 289. Si in visitando merces licitas et peregre literis accitas, loco destinato inueniuntur merces prohibitae simul conuasatae; hae sunt commissae.

§. 290. At accipiens indigena ab omni poena liberatur, si productis literis mutuis aut alio modo potest probare, istas merces ipso inscio fuisse in conuasando adiunctas.

§. 291. Mercium aut rerum confiscatio ex legis violatione (contrauentione) exorta semper afficit dominum.

§. 292. Neque hic vllum inde discrimen, vtrum ipse violationem immediate commiserit, an ea ab eius domesticis, mercaturae officialibus, aut personis aliis, ipsi seruientibus sit commissa.

§. 293. Mercatores, Iudaei, magistri nauium, et mercium vectores, molitores, cereuisiae coctores, vini adusti destillatores, et lanii tenentur absque discrimine de factis famulorum, coniugum et consanguineorum, in eorum domibus degentium.

§. 294. Personae aliae tenentur tantum de rerum prohibitarum criminibus et defraudationibus coniugum et liberorum, quatenus haec crimina commissa sunt occasione eiusmodi negotiorum, ad quae expedienda eorum opera solent vti.

§. 295. Si soli nauium magistri et mercium vectores, quibus merces tantum transportandae sunt commissae, legis violationem (contrauentionem) commiserunt, domino non concurrente et conscio; mercium dominium non amittitur.

Source : BIU Cujas

§. 296. Quin potius tunc nauis magistrum aut mercium vectorem, praeter poenam alias commissam, mercium pretium confiscationis loco oportet soluere.

§. 297. Dominium mercium commissarum ad regnum transit, aut ad eum, cui ab illo ius est concessum, statim, et ratione nulla habita temporis, quo sententia poenalis publicatur.

§. 298. Hinc eiusmodi merces aut res, licet iam a telonio aut loco, quo vectigal (accisa) est soluendum, sint asportatae, contra dominum, cuius hactenus fuerunt, possunt vindicari, dum eas adhuc possidet.

§. 299. At vero, contra tertium bonae fidei possessorem vindicatio eatenus tantum admittitur, quatenus ei in genere secundum generalia legum praecepta contra eiusmodi possessorem locus esse potest, et legem violans in primis de pretio tenetur. (P. I. Tit. XV. §. 24. sqq.)

§. 300. Praeter confiscationem ille, qui mercium prohibitarum vel defraudationis crimen committit, proportionatam quoque multam pecuniariam aut corporis poenam adhuc commisit. Poena criminis mercium prohibitarum et defraudationum.

§. 301. Mercatores, Iudaei, magistri nauium et mercium vectores, qui eiusmodi legis violationis se reos reddunt, semper afficiantur poena duriori, ac alii priuati.

§. 302. Ad vltimos quod attinet, poenae ratio definitur pro maiore aut minore constitutionis prouinciae scientia, in iis praesupponenda.

§. 303. Poenarum, quae in legis violationis (contrauentionis) casu quolibet obtinent, determinationes propiores in specialibus vectigalis (accisae) et portorii edictis definiuntur.

§. 304. Mercatores, Iudaei, nauium magistri et mercium vectores peregrini, qui nostras terras ingredientes vectigalis (accisae) et portorii constitutiones rite percontari omittunt, intuitu mercium vetitarum



Source : BIU Cujas

et defraudationum diiudicandi sunt iisdem legibus, quibus indigenae.

§. 305. De peregrinis aliis sufficit, si coram telonio aut loco, vbi vectigal (accisa) soluitur, comparentes visitationi necessariae se submiserunt.

§. 306. At vero, si eiusmodi peregrini de telonio aut loco, vbi vectigal (accisa) est soluendum, dolo declinarunt, aut merces vel res in exploratione facta occultarunt, aut modo alio celarunt; confiscationis poena tenentur.

§. 307. Si in eiusmodi peregrinum de mercium prohibitarum crimine aut defraudatione iam semel est inquisitum; in casu reiterationis eadem, qua indigenae, afficitur poena.

§. 308. Nemini licet, visitationi officialium ad visitandum constitutorum et iureiurando obstrictorum se subtrahere aut resistere, sub poenis, ideo in specialibus edictis definitis.

§. 309. Quilibet absque discrimine, siue indigena sit, siue peregrinus, qui, in mercium prohibitarum aut in defraudationis crimine committendo, bombardam puluere cum globo instructam aut instrumenta alia aeque noxia, secum portat, quo regni officialibus possit resistere, praeter poenam ordinariam commissam, afficiatur poena custodiae (arresti) in loco munito in triennium.

§. 310. Qui certum quaestum aut commercium nequit probare, et iam bis saltem in mercium prohibitarum crimine est deprehensus, habetur pro eo, qui mercibus prohibitis facit quaestum.

§. 311. Eiusmodi homines, si merces prohibitas secum portantes regni officialibus repugnant (§. 308.) puniuntur secundum praeceptum §. 309.; licet probatum non sit, iis fuisse animum vtendi armis ad resistendum officialibus.

Source : BIU Cujas

§. 312. Qui armis vere vtitur, contra officiales aut milites, eum retenturos, commeruit condemnationem ad locum munitum in annos decem.

§. 313. Si in eiusmodi repugnatione, armis facta, regni officialis eſt vulneratus, aut modo alio grauiter laeſus; patrator ad dies vitae ad locum munitum condemnetur; at occiſione vere ſecuta, tanquam homicida doloſus ſecundum §. 877. puniatur.

§. 314. Qui contra praecepta Tit. XV. Sect. IV. regnum in exercendo iure poſtarum et vtilitate ex eo percipienda laedit, commiſit poenas in ſpecialibus poſtarum ordinationibus definitas. Contrauentiones circa poſtas.

§. 315. Qui in diſtrictibus venaticis regiis aut aliis feras venari, per canes agitare, aut telis vel globis miſſilibus petere ſine iure audet, pro captarum aut deiectarum ferarum numero afficiatur multa pecuniaria aut corporis poena in ordinationibus venaticis ſingularibus definita. Contrauentiones circa ius venandi.

§. 316. Quae poena duplicatur, ſi eiusmodi venatio ſine iure inſtituta temporibus prohibitis et interdictis eſt ſuscepta.

§. 317. Qui feras clam venando, deiiciendo aut capiendo quaeſtum facit, tanquam fur ferarum exaſperatam furti poenam commiſit. (§. 1145.)

§. 318. Ne quis in fundo alieno, extra vias publicas ordinarias, in locis ſeptis et diſtrictibus venaticis regiis aut aliis, vbi venandi ius ei non eſt, cum armis (bombarda) deprehendatur, aut inſtrumentis aliis venatoriis, quibus capi ferae ſolent.

§. 319. Qui nihilo minus talis deprehenditur, iam ea de cauſa, licet legis violationis (contrauentionis) verae commiſſae conuinci nequeat, armis aut apparatu venatico, ſecum portatis, priuetur; et praeterea, pro ſuſpicione eum premente, afficiatur multa pecuniaria aut carceris poena.

Source : BIU Cujas

§. 320. Eiusmodi pignerationibus resistens puniendus est secundum preceptum partis primae Tit. XIV. §. 459. sqq.

§. 321. Quae de violationibus (contrauentionibus) venaticis sunt praecepta; valent quoque de violationibus iuris piscandi.

Contrauentiones metallicae.

§. 322. Qui regnum laedit in exercendo iure reseruato metallico, et in vtilitate ex eo percipienda (Tit. XVI. Sect. IV.), afficitur poena in legibus metallicis specialibus definita.

## Sectio Octaua.

### *De regni ministrorum seu officialium delictis.*

Principia. 1. Crimina ambitus.

§. 323. Qui sibi arrogat munus publicum, cui ab instantia non est praefectus, neque iureiurando obstrictus, tenetur de damno ex eiusmodi facto regno aut tertio dato omni; licet huius damni causa fuerit culpa vel leuissima.

§. 324. Quatenus in eo arrogando intentio fuit fraudis, leges poenales obtinent, §. 1377. seqq. sancitae.

§. 325. Qui donis aut promissionibus, siue pecuniis, siue rebus pecuniae valorem habentibus, siue commodis aliis, consequitur publicum munus, sine mora nulla ratione alia habita munere priuetur.

§. 326. Qui iure suo, publicos regni aut ecclesiae ministros designandi et constituendi, contra praecepta legum regni, dolose abutitur, eo iure pro sua persona priuatur in perpetuum.

§. 327. Eiusmodi abusu a collegiis et corporationibus commisso, membra praesentia abusus correa, ad dies vitae amittunt ius suffragandi in eiusmodi electionibus.

§. 328. Hinc eligendi ius ab eiusmodi collegio exerceri nequit, nisi tria saltem existunt membra, abusus pristini non correa.

Source : BIU Cujas

§. 329. Praepoſiti, qui muneri publico praeficiunt aliquem, cuius habilitas ſecundum praecepta non eſt tentata, et mores non ſunt probati, de damno exorto omni tenentur non ſolum regno, ſed etiam cuilibet, detrimentum inde paſſo.

§. 330. In caſibus §. 325-329. deſignatus aut electus excluditur a munere, quod a collegio praepoſito committitur pro arbitrio perſonae alii habili.

§. 331. Praepoſiti, qui donis, lucro, aut promiſſionibus corrupti munus alicui deferunt, ad munus aliquem deſignant, aut ei modo alio ad munus conſequendum auxilio fuerunt, non ſolum ipſi teneantur neceſſe eſt de damno ab eiusmodi officiali dato omni, ſed commiſerunt etiam remotionis a munere poenam. (caſſationem.)

§. 332. Praeterea condemnandi ſunt in quadruplum doni aut lucri accepti, aut ſi hoc certo aeſtumari non poſſit, in multam pecuniariam arbitrariam, pro ſalarii annui ratione.

§. 333. Qui dolo contra muneris praecepta agit, ſtatim a munere remoueatur; praeterea pro delicti et damni dati ratione afficiatur proportionata multa pecuniaria, aut poena carceris, aut condemnetur ad locum munitum, et declaretur inhabilis ad munera publica alia omnia. 2. Crimina in fungendo munere commiſſa.

§. 334. Qui ex culpa lata aut inſcitia muneris officia violat, commeruit proportionatam multam pecuniariam, transpoſitionem ad gradum inferiorem (degradationem), aut remotionem a munere (caſſationem).

§. 335. Qui leuis culpae in muneris officiis reum ſe fecit, compellatur admonendo, reprehendendo, et multis pecuniariis minoribus ad melius obſeruandum officia.

§. 336. Quae vero poenae ſi nullam eius efficiunt emendationem; pro eo eſt habendus, qui ex culpa lata contra muneris officia agit.

Source : BIU Cujas

§. 337. Qui munere suo abutitur in securitatis publicae detrimentum, ad aliquid extorquendum, aut alias ad premendos regni subditos, munere priuetur, et praeterea iustam luat poenam carceris, aut condemnetur ad locum munitum.

§. 338. Fraus, crimen falsi, furtum, crimen mercium prohibitarum, defraudatio, et delicta alia simplicia s. communia vindicentur in officiales, muneris auctoritate ad ea committenda aut occultanda abusos, praeter muneris priuationem, poenae delicti ordinariae exasperatione.

§. 339. Atque etiam si officiales crimen committunt, ad ipsorum munus nulla ratione referendum, at secundum legum praecepta poena ergastuli aut condemnatione ad locum munitum in eos vindicandum; semper, praeter hanc poenam, a munere remoueantur.

§. 340. Quotiescunque officialis ad violanda muneris officia lucro et commodo accepto aut promisso est seductus; praeter reliquam delicti commissi poenam eum quoque soluere oportet, aerario multis colligendis inseruienti (*Strafcaſſe*) lucri huius quadruplum, nisi leges speciales aliud definiunt.

§. 341. Quotiescunque officialis resarcire nequit damnum, regno aut tertio officii violatione dolosa datum; poena data, in publico institute tamdiu ad laborandum est adigendus, donec damnum vno modo aut alio est reparatum.

3. Poena praepositorum officii haud memorum.

§. 342. In praepositos, qui ipsis subiectos ad facta illicita in officio inducunt, poenae, a delinquente ipso commissae, si visum fuerit, ad duplum vsque sunt exasperandae.

§. 343. At vero officialem inferiorem a poena non liberet exceptio, se ad facta officio contraria a superioribus suis fuisse inductum.

Source : BIU Cujas

§. 344. Praepoſiti, qui in cura de ſubiectis gerenda negligentes ſe gerunt, et horum facta officio contraria non puniunt, aut ad puniendum non denuntiant, tenentur de damno omni, ex talibus muneris delictis eiusmodi officialium iis ſubiectorum regno aut perſonis priuatis dato.

§. 345. Si hanc curam ex deſidia aut animi leuitate negligunt; eiusmodi praepoſitus multa pecuniaria proportionata, aut pro ratione delicti a ſubiectis commiſſi, tranſpoſitione ad gradum inferiorem (degradatione) puniatur.

§. 346. Praepoſitus, qui facta officio contraria ſubiectis ſcienter et doloſe indulſit, poena eadem afficiatur, qua ipſi ſubiecti officii immemores.

§. 347. Si eo modo indulſit ob dona aut commoda alia; poena in praepoſitum lege conſtituta exaſperetur multa pecuniaria ad accepti quadruplum, aut condemnatione proportionata ad locum munitum.

§. 348. Praepoſiti cum ſubiectis non ineant mutuum, fideiuſſionem, aut negotia rei pecuniariae alia, non approbantibus ſuperioribus. Media praecauendi.

§. 349. Quod ſi nihilo minus fiat; praepoſitus iam ob neglectam denuntiationem ſolam condemnetur in multam pecuniariam pro eius re familiari grauem, aut translocetur in locum alium, vbi ei non ſunt eiusmodi nexus.

§. 350. Neque familiae vincula arctiora nectant officiales, quorum alter ad curam de altero gerendam eſt obligatus, ſuperioribus inſciis et non approbantibus.

§. 351. Eiusmodi autem familiae vinculis nihilo minus nexis, eiusmodi officialium praepoſitum, ſub multa thalerorum decem ad viginti thaleros vsque, rem nuntiare ſine mora oportet inſtantiae ſuperiori.

§. 352. Subiectus, qui in muneris officiis erga praepoſitum inobedientem aut contumacem ſe gerit, primo afficiatur multa pecuniaria proportionata; qua 4. Delicta contra ſubordinationem.

Source : BIU Cujas

poena fruſtra ei irrogata, in reiterationis caſu a munere remoueatur.

§. 353. Inobedientiam cum contumeliarum aculeis illiberalibus, vel adeo iniuriis realibus coniunctam, iam prima vice ſequitur muneris priuatio.

§. 354. Praepoſiti, ſubiectos verbis aut re male tractantes, a iudice ſunt reprehendendi, et pro ignominiae aut malae tractationis ratione proportionata multa pecuniaria aut carceris poena afficiendi.

§. 355. Officialis, qui absque praepoſitorum conſenſu de loco ſuo diſcedit, non ſolum praeſtet damnum ex abſentia ſua ortum omne; ſed afficiatur etiam proportionata multa pecuniaria aut corporis poena.

§. 356. Idem in eum obtinet, qui absque cauſa graui ad diem commeatus non redit.

5. Reuelatio arcanorum.

§. 357. Qui, regni proditionis (§. 111. 141. 142. 148.) caſu excepto, arcana muneris ipſi commiſſa modo periculoſo detegit aliis, quibus ea ſciendi ius non eſt, munere eſt priuandus, et pro re nata poena carceris temporaria afficiendus.

§. 358. Eiusmodi arcana ſi ex animi leuitate et inconſiderantia ſola detexit, pro ratione damni inde dati multa pecuniaria aut carceris poena obtinet.

§. 359. Multa pecuniaria aut poena carceris fruſtranea, in reiterationis caſu obtineat poena §. 357. praeſcripta.

6. Corruptio.

§. 360. Officiales regni, pro exequendo officio dona aut munera, quorum accipiendorum ius leges ipſis expreſſe non tribuunt, accipientes, aut ab aliis ſuo nomine accipi permittentes, puniantur accepti quadruplo, licet nulla ſit facti officio contrarii ſuſpicio.

§. 361. At vero, ſi ſimul grauis eſt ſuſpicio facti officio contrarii commiſſi aut propoſiti; officialis, praeter multam pecuniariam commeruit quoque muneris priuationem, et ſi plene probetur officii violatio, praeterea adhuc poenam ergaſtuli aut condemna-

Source : BIU Cujas

demnationem ad locum munitum in tres annos ad ſex vsque.

§. 362. In officiales, qui perſonas, quibuscum ipſis in munere agendum eſt, in munere fungendo contumeliarum aculeis illiberalibus, iniuriis verbalibus, vel adeo realibus laedunt, praeter ſatisfactionem priuatam laeſo praeſtandam, poena iniuriarum ordinaria, ſi viſum fuerit, exaſperetur ad tranſpoſitionem ad gradum inferiorem (degradationem), vel adeo ad muneris priuationem (caſſationem). 7. Iniuriae in munere commiſſae.

§. 363. Officiales, vita diſſoluta, ludo, aut prodigalitate aere alieno ſe obruentes, aut moribus abiectis contemtui ſe exponentes, munere priuentur. 8. Diſſolutum vitae genus.

§. 364. Eiusmodi debita ſi exſoluere nequeunt, in perpetuum ad regni munera obeunda ſunt inidonei.

§. 365. Quidquid in antecedentibus §. 323-364. de regni officialium delictis eſt praeceptum, et de mediatis et immediatis eius valet officialibus. (Tit. X. §. 69.)

§. 366. Iudex, qui a partibus, coram ipſo cauſam agentibus, dona accipit, aut ſibi promittenda curat, iam ea de cauſa, licet alias facti nullius officio contrarii poſſet conuinci, munere priuetur, et ſi ſuſpectus eſt aut conuictus eiusmodi facti officio contrarii, praeter ea adhuc puniatur ſecundum praeceptum §. 361. 1. Poena miniſtrorum iuſtitiae, officium violantium; 1. iniuſtitia commiſſa ex lucro illicito;

§. 367. Si perſona iudicialis in muneris negotiis, ad litem nullam ſpectantibus, dona a partibus accipit, praepoſitis dona accepta non nuntians; eiusmodi delictum ſecundum praeceptum §. 360. eſt vindicandum; at in reiterationis caſu, licet nulla alia poena ante iam fuerit inflicta, nihilo minus ſequatur (caſſatio) muneris priuatio.

§. 368. Qui perſonae iudiciali dona offert aut commoda, quibus in cauſis ſuis in genere ſibi faciat



Source : BIU Cujas

eius voluntatem propitiam, punitur oblatorum quadruplo, fisco soluendo.

§. 369. Si eiusmodi dona aut commoda offeruntur ad rem certam definitam obtinendam; offerentem tantumdem oportet poenae loco soluere, quantum facit commodum, quod inde percipere potuit aut voluit.

§. 370. Si commodum oblatum aut intentione quaesitum pecuniae aestumationem non admittit; in casibus §. 368. 369. proportionata carceris poena obtinet.

2. ex animi affectibus et motibus;

§. 371. Iustitiae officiales, qui animositate, priuatis animi motibus, aut aliis intentionibus secundariis, ad facta officio contraria in munere committenda abripiuntur, munere priuentur, et praeterea puniantur custodia (arresto) in loco munito in annos duos vsque ad quinque.

3. ex negligentia;

§. 372. Ii contra, qui ex culpa lata, aut insciția, contra officium agendo regno aut partibus damnum graue inferunt, munere priuentur, et in posterum ad omnia iustitiae munera declarentur inidonei.

4. exigendis sportulis nimiis;

§. 373. Iustitiae officiales, qui praescriptam sportularum taxam excedendo, aut alias ex industria accumulando sumtus non necessarios, partes premunt, si ius sportulas percipiendi ipsis competit, puniuntur summa sportularum nimiarum decemplici.

§. 374. Si delicti sportularum nimiarum in casibus vno pluribus, commodo priuato aut lucri cupiditate moti, se reos fecerunt, praeter multam pecuniariam sancitam priuatione muneris adhuc puniuntur.

§. 375. At contra, puniuntur tantum summa sportularum nimiarum acceptarum duplici, si eiusmodi sportulas non nomine proprio exegerunt.

§. 376. Hac poena tunc ille tenetur, qui sportulas deliniit.

Source : BIU Cujas

§. 377. Iudiciorum praepoſiti, membra, aut offi- 5. delictis
ciales inferiores (ſubalterni), qui ex depoſito iudi- depoſiti;
ciali ſumunt mutua, ad ea ſtatim ſoluenda cuſtodia (arreſto perſonali) ſunt compellendi.

§. 378. Si mutuum eſt ſumtum, praeſtita ſecuritate praeſcripta; et a debitore, et ab iis, qui in mutuum conſenſerunt, ſummae mutuo datae pars viceſima poenae loco eſt ſoluenda.

§. 379. Deficiente ſecuritate praeſcripta duplicatur poena §. 378. definita.

§. 380. Si mutuum nequit exſolui, et intuitu debitoris, et eius, qui conſenſit in mutuum, poenae obtinent §. 418. ſqq. definitae.

§. 381. Iudex, qui in cuſtodiam datum plus horis 6. in cauſis criminaquadraginta octo, inde a tempore computatis, quo libus.
eius comprehenſionis notitia ad eum peruenit, in cuſtodia tenet, inquiſitionem non inchoans, ipſum aut teſtes audiendo; pro quolibet die afficiatur multa pecuniaria thalerorum quinque.

§. 382. Si inquiſitionis in incarceratum inſtituendae inchoatio vltra menſem eſt dilata; iudex, cui haec mora eſt imputanda, munere priuetur.

§. 383. Occupationes tantum quam maxime vrgentes, aut impedimenta prorſus inſuperabilia, quae tamen praepoſito ſemper ſunt nuntianda, talem iudicis moram poſſunt excuſare.

§. 384. Qui muneris negotiorum moris, officio contrariis, cuſtodiam (arreſtum) prolongat, in culpae caſu puniendus eſt multa pecuniaria thalerorum quinque ad quinquaginta vsque; at in doli mali caſu ſecundum praeceptum §. 385. ſubſequentis.

§. 385. Iudex in innocentem criminaliter inquirens dolo et animo, eius bonam famam, eius patrimonium, aut ipſum modo alio laedendi, munere priuetur; et praeter ea, pro gradu malitiae, deportetur in annum vsque ad quadriennium ad locum munitum aut ergaſtulum.



Source : BIU Cujas

§. 386. Iudex, qui poenas criminales ſine inſtantiae ſententia praeuia exequitur, munere eſt priuandus; et ſi poena proprio auſu inflicta innocens fuerit affectus, ſubeat poenam condemnationis ad locum munitum, aut ergaſtulum, poenae iſti proportionatam.

§. 387. Si poena innocenti inflicta huius mortem effecit; talis iudex, pro noxae gradu commiſit occiſoris (*Todtſchlägers*) aut homicidae (*Mörders*) poenam.

§. 388. Exceſſus doloſus poenae, legibus aut ſententiis definitae, aeque eſt vindicandus, ac poena proprio auſu inflicta (§. 386.), attamen pro ratione tantum exceſſus et detrimenti inde dati.

§. 389. Idem intuitu eorum obtinet, quibus poenae executio a iudice eſt demandata.

§. 390. Culpa quoque lata, in poenis exequendis commiſſa, muneris priuatione, et praeter ea dimidia poena §. 386. praeſcripta eſt vindicanda.

§. 391. Culpa leuis et leuiſſima puniatur arbitrario, pro culpae et detrimenti inde dati gradu.

§. 392. Quae §. 388. ſeqq. praecepta ſunt, valent quoque, ſi poena leuior in duriorem proprio auſu commutatur.

§. 393. Si iudex poenam leuiorem loco durioris decretae eſt executus, pro ratione mitigationis factae, et cauſae, quae ad poenam mitigandam mouit, arbitraria multa pecuniaria aut carceris poena obtineat.

§. 394. Si commodum priuatum aut intentio illicita ſub facto latet; obtinet poena §. 371. definita.

§. 395. Iudex, qui crimen ipſi delatum celat, aut ſupprimit, aut delinquenti doloſe tempus dat et ſpatium, inquiſitioni et poenae ſe ſubtrahendi, pro ratione doli mali ſub eo latentis, et criminis ipſius ſuppreſſi, vel non vindicati, commiſit poenas §. 366-371. ſancitas.

Source : BIU Cujas

§. 396. Si miſericordia intempeſtiua cauſa fuit; pro ratione detrimenti, ex eiusmodi crimine metuendi, carcere puniatur, aut transpoſitione ad gradum inferiorem (degradatione).

§. 397. Praeterea tenetur de damno omni, quod delinquens non punitus poſtea dat reiterandis maleficiis.

§. 398. Si iudex in inquiſitione animo, delinquentem liberandi, corruptiones aut alia falſa admiſit, praeceptum §. 338. in eum valet.

§. 399. Si praeter ea iuſtitiae officialis actorum aut regiſtraturarum iudicialium corruptionis ſcienter reum ſe fecit: munere eſt priuandus; et poena falſi, quae alias ſecundum §. 1384. obtinet, in eum duplicanda. (§. 1385.) De corruptione actorum.

§. 400. Si falſi cauſa leuitas eſt aut negligentia, et damnum inde illatum; iuſtitiae officialis reus non ſolum damnum reſarciat neceſſe eſt, ſed etiam condemnandus eſt in multam pecuniariam aut carceris poenam, damno proportionatam.

§. 401. Falſa innoxia ſecundum praecepta ordinationis proceſſus ſunt vindicanda.

§. 402. Officiales iuſtitiae, in cauſis litigioſis, quae poſſunt ad eorum deciſionem deferri, in praeiudicium vnius partis aut alterius conſilium dantes, multam ſoluant pecuniariam thalerorum decem ad centum vsque; et munere priuentur, ſi reos ſe faciunt eiusdem criminis, cuius poenam iam ſemel ſuſtinuerunt. Propter conſilium illicitum.

§. 403. Iuſtitiae officiales omnes, ſub poena ſuſpenſionis, vel adeo muneris priuationis, votis abſtineant neceſſe eſt atque omnibus muneris actibus, quae poſſent detrimento eſſe alii, et cauſam praebere abuſui, in rebus, quae ipſorum aut ſuorum intereſſe ſecundum ordinis proceſſualis praecepta ſunt cenſendae.



Source : BIU Cujas

In ceſſionibus.

§. 404. Iuſtitiae officiales non ſuſcipiant emtione, permutatione, ceſſione, aut modo alio, neque creditorum, neque debitorum inſtar nomina, lite aut executione coram iudicio, cuius ſunt membra, pendente.

§. 405. Si eiusmodi acceptione nomen legitimum aut debitum paſſiuum, quod iuſtitiae officiali cedens antea iam debuit, in totum aut pro parte debeat extingui; officialem eum caſum indicare oportet praepoſito immediato, et huius approbationem expectare.

§. 406. Officiales iuſtitiae, absque eiusmodi indicatione aut approbatione nomina litigioſa actiua aut paſſiua, generis §. 404. deſcripti, in ſe ſuſcipientes, poenae loco ſoluere oportet, ſi ſecundum praeceptum §. 405. approbationem ſuperiorem ſperare potuiſſent, horum nominum ſummae partem viceſimam; at hoc caſu excepto partem quartam.

§. 407. Si nominum alienorum actiuorum aut paſſiuorum acceptio dolo malo eſt celata; aut ſi praepoſitus ipſe eiusmodi debita ſuſcepit, collegio nihil denuntians, poena remotionis a munere obtinet.

Si in venditionibus publicis, quas dirigunt, ſimul licitantur.

§. 408. Quomodo agendum ſit contra iuſtitiae officiales, in publicis venditionibus, quibus ex officio interſunt, ſimul licitantes; ſuo loco eſt definitum. (P. I. Tit. XI. §. 22-25.)

II. Poena officialium reditum regni (*Finanzbedienten*) contra officium agentium, regnum, aut

§. 409. Officiales reditum regni, contra officium agentes, puniendi ſunt ſecundum §. 323-365., et ſi perſonas dant in cuſtodiam, inquiſitione non rite inſtituta, aut deprehenſis iuſtitiae collegio non traditis, ſecundum praeceptum §. 381-401.

§. 410. Officiales, qui ad eruendum aut colligendum praeſtationes et reditus publicos conſtituti in iis eruendis aut colligendis regnum doloſe recidendo defraudant, puniantur damni dati ſumma quadruplici, fiſco ſoluenda, et priuentur munere.

Source : BIU Cujas

§. 411. Si eiusmodi officialis ad recidendos regni reditus, vtilitatis ſuae, lucri aut commodi ſtudio eſt adductus; praeter muneris priuationem (caſſationem) et multam pecuniariam commeruit condemnationem ad locum munitum in annum, vsque ad annum et dimidium.

§. 412. Si ſumma redituum regno ſubtractorum non amplius poteſt erui, muneris priuatio carcere exaſperatur, aut pro re nata prolongatur diuturnitas poenae ad locum munitum condemnati alias commiſſae. (cf. §. 241.)

§ 413. Officiales, in eruendis, definiendis, aut colligendis oneribus ciues (publicum) dolo prementes, laeſo reſtituant quadruplum eorum, quae praeter debitum ſunt accepta, aut alias iniuſte exacta. publicum laedentium.

§. 414. Si praeter debitum exacta praeter ea interuertentes aerario non intulerunt, aequiparandi ſunt iis, qui peculatum fecerunt. (§. 418. ſqq.)

§. 415. Si defraudatio regni aut ciuium, ex errore, culpa, negligentia, aut errore calculi ſolis eſt exorta, damnum tantum ſimplum eſt reparandum.

§. 416. Praeterea vero eiusmodi officialis ſeueris reprehenſionibus, et pro re nata multa pecuniaria proportionata compellendus eſt ad maiorem attentionem et diligentiam in ſuo munere adhibendam.

§. 417. Qui eiusmodi interuerſionum ex lata culpa, iam admonitus, iterato reum ſe facit, a munere, tanquam inhabilis, eſt remouendus.

§. 418. Officialis, qui ſolutam aerarii pecuniam non ſtatim fiſco infert, ſed in cuſtodia priuata retinet; fiſco pro ea ſex de centenis ſoluat. De peculatu et crimine reſidui.

§. 419. Quas pecunias ſi in vſus ſuos conuertit, aut ſi pecunias vel literas pecuniae valorem habentes aerario illatas ex aerario rurſus ad ſe recepit, muneris priuationem commeruit.



Source : BIU Cujas

§. 420. Qui aerario ſibi concredito, interuertendis pecuniis et ſyngraphis ad illud pertinentibus, ſciens infert damnum, peculatus (criminis reſidui) ſe reum reddit.

§. 421. Si ſumma, quam interuertit, thalerorum tantum eſt quinquaginta, aut minor; officialis perfidus munere priuatur, et ad alia omnia regni munera declaratur inidoneus.

§. 422. At ſi ſumma, quae deeſt, quinquaginta thaleros excedit; praeter muneris priuationem locus eſt exaſperatae poenae ergaſtuli, aut condemnationi ad locum munitum in annos duos ad quatuor vsque.

§. 423. Si aerarii officialis, ad ea, quae deſunt, (defectum) celanda, falſa et rationum aut extractuum corruptiones commiſit; pecunias ſolutas rationibus non inferuit; ſummas iam exactas ad ſummas adhuc ſoluendas retulit; aut anni ſubſequentis reditus ad anni antecedentis reditus traxit; condemnationis ad locum munitum diuturnitas, in ſe iam commiſſa, in eum prolonganda eſt ad tempus dimidium.

§. 424. Si, quae deſunt (defectus) in continenti nequeunt reſtitui; delicti auctor ſecundum praeceptum §. 341. ad operas publicas eſt adigendus, vsque dum reſtituta eſt pecunia, quae deeſt, aut, ſi viſum fuerit, ad dies vitae.

§. 425. Si aerarii officialis perfidus tentauit effugere, et aerarium totum aut ex parte ſecum auferre; commeruit condemnationem ad locum munitum ad dies vitae, vna cum virgarum ſupplicio ignominioſo, et pro circumſtantiis in primis grauantibus, poenam capitalem.

§. 426. Officiales aerarii, qui meliores monetas cum vilioribus permutantes illas aerarii rationibus non integras inſerunt, aequiparandi ſunt iis, qui peculatum fecerunt (§. 420. ſqq.)

Source : BIU Cujas

§. 427. Idem valet de iis, qui ſolutiones, ex aerario praeſtandas, non exſoluunt; et nihilo minus, in aerarii detrimentum, eiusmodi ſummas tanquam exſolutas expenſis inferunt.

§. 428. Si accipientibus ſine iure quid detraxerunt, et nihilo minus ſummas ſolutas integras expenſis inferuerunt; licet aerario nullum damnum ſit illatum, nihilo tamen minus a munere remoueantur.

§. 429. Si aerarium obligatum eſt accipientibus ad ſummas detractas reſarciendas; aut ſi ſummi principis commodum (intereſſe) ſimul eſt laeſum: locus eſt poenae §. 421. definitae.

§. 430. Aerarii officiales, qui aerarii pecunias reſiduas ab iis cuſtodiendas, licet aerarii ſecuritati perfecte ſit proſpectum, propria auctoritate dant mutuas, aut fructus ex iis percipiunt, iam ea de cauſa puniantur commodi inde percepti ſumma duplici.

§. 431. Si vero eiusmodi verſionem celare voluerunt immutando rationum librorum veritatem, aut corrumpendo rationum libros; aut ſi graues ſunt praeſumtiones reſidui criminis, quod intenderunt; praeter multam pecuniariam muneris priuationem commeruerunt.

§. 432. In aerarii officiales, qui ex errore, culpa, aut calculi errore aerarium laedunt, applicandum eſt praeceptum §. 415-417.

§. 433. Idem obtineat, ſi aerarii officialis cuſtodia negligenti cauſam praebet damno aerarii pecuniarum; ſi proprio auſu debitoribus indulget, et ſolutionis terminos admittit; ſi pecunias reſtantes (*Reſte*) praeter aequum augeri permittit; ſi in iis denuntiandis et exigendis negligentem ſe gerit; aut ſi alias ſua culpa et negligentia aerario damnum infert.

§. 434. Quin etiam damnum, incendio, furto, aut alio caſu aerario datum, rationarium praeſtare oportet, ſi aerarii pecunias non detinuit in loco, ad eas cuſto-



Source : BIU Cujas

diendas deſtinato, ſed nulla neceſſitate vrgente in cuſtodia priuata.

§. 435. Si pecuniae ex aerario ipſo ſunt furto ablatae; rationarium praeſtare oportet culpam commiſſam omnem, ad quam euitandam pro munere et officiis ipſi incumbentibus fuit obligatus.

§. 436. Atque etiam de eiusmodi furto tenetur, ſi furtum non ex continenti, ſimulac illud percipit, denuntiat praepoſitis ſuis et loci magiſtratui; aut alias, ad detegendum aut comprehendendum patratorem, non omnem diligentiam et operam pro officio adhibet.

Intuitu aerarii curatorum et inſpectorum.

§. 437. Aerarii curatores, et rationum duplum conſcribentes (antigraphei *Controlleurs*), et alii, quibus ſingularis et immediata aerarii cura eſt commiſſa, ſi curam ipſis incumbentem neglexerunt, tenentur de damno omni, non ſufficientibus bonis rationarii, qui contra officium egit.

§. 438. Si rationarii modum agendi perfidum aut alias non rectum percipientes, inſtantiae nihil denuntiarunt; non ſolum, ſi damnum ex denuntiatione omiſſa ortum eſt, tenentur de hoc damno, ſed etiam afficiantur proportionata multa pecuniaria aut carceris poena, aut pro re nata priuentur munere.

§. 439. Praepoſiti et collegia, qui aerariorum viſitationes, ipſis ex officio incumbentes, omittunt; aut in viſitando negligentes ſe gerunt; aut non rite vrgent falſa viſitando detecta: tenentur, rationarii et curatorum (inſpectorum) immediatorum bonis deficientibus, de damno dato omni, et praeter ea afficiendi ſunt poena proportionata.

§. 440. In aerarii curatores et praepoſitos, ex aerario, ipſorum curae immediatae aut ſupremae commiſſo, mutua ſumentes, praecepta obtinent §. 377. ſqq.

§. 441. Si eiusmodi perſonae, absque ſuperioris inſtantiae approbatione, ſalaria, aut emolumenta alia, ipſis competentia, in diem, qui nondum venit, ex

Source : BIU Cujas

aerario in anteceſſum ſibi curant ſoluenda; duplicem eorum ſummam poenae loco ſoluant.

§. 442. Aerarii curatores aut praepoſiti, defraudationes rationarii vere participantes, aut ei lucri aut commodi cauſa indulgentes, eadem afficiantur poena, qua rationarius perfidus ipſe.

§. 443. Si officialis, qui non rationarius quidem aut aerarii curator eſt conſtitutus, ſed aerarii rationibus debet conſulere, aut vi ſui muneris pecunias aerario inferre, pecunias ad eiusmodi aerarium pertinentes interuertit; res, quarum pretium aerario eſt tradendum, in ſuum vſum priuatum conuertit; aut permutandis vel commutandis eiusmodi pecuniis et rebus aerarium laedit, aut ad laedendum aerarium confert; cum damni reparatione muneris priuationem commeruit. Intuitu officialium, qui aerarii officiales veri non ſunt.

§. 444. Praeter ea eorum, quae aerario ſubtraxit, quadruplum poenae loco ſoluat; aut, ſi opibus ſit deſtitutus, puniatur condemnatione ad locum munitum aut ergaſtulum in ſex menſes ad duos annos vsque.

§. 445. Praepoſiti aut officiales alii, qui pecunias ad aerarium pertinentes, cum ad aerarium ablegare debeant ſoluentes, ipſi exigunt, et pecunias exactas aerario inferre absque neceſſitate morantur, licet poſtea ſint illatae, nihilo minus afficiantur ob hanc moram, proportionata multa pecuniaria, ſi viſum fuerit, vsque ad integram ſummae retentae ſummam.

§. 446. Si grauis eſt ſuſpicio, eos ex pecuniis retentis per tempus interiectum percepiſſe fructus: multa pecuniaria augeatur ad ſummam triplicem; aut loco eius, pro re nata, decernatur tranſpoſitio ad gradum inferiorem (degradatio), aut muneris priuatio (caſſatio).

§. 447. Qui ſuſcipit aerarium, ab inſtantia ordini conuenienter ipſi non rite traditum, tenetur de erratis ab anteceſſore ſuo forte commiſſis.

Source : BIU Cujas

§. 448. Praepoſiti, officialem ad cautionem praeſtandam et ad rationes reddendas obligatum, cautione nondum praeſtita, re vera conſtituentes, aut ei aerarium non rite tradentes, tenentur de damno ab eo forte dato omni, quatenus illud ex cautionis defectu eſt exortum.

§. 449. Damno nullo dato, commiſerunt multam pecuniariam thalerorum viginti ad quinquaginta vsque.

§. 450. Haec praecepta (§. 448. 449.) non referenda ſunt ad temporarias (interimiſticas) aerarii adminiſtrationes, locis vacantibus inſtituendas, vsque donec adminiſtrator eſt conſtitutus.

§. 451. Neque referri poſſunt ad aerarii adminiſtrationes, ob ſolum rationarii veri impedimentum temporarium inſtituendas, vsque donec impedimentum eſt remotum.

§. 452. Perſonae in vtroque caſu ad interimiſticam aerarii adminiſtrationem conſtitutae tenentur obligationibus rationariorum ordinariorum, atque his violatis, eorundem quoque poenis.

Poena abuſus iuris praelationis aerarii.

§. 453. Aerarii officialis omnis, ſub muneris amiſſione, ad intabulandum ius praelationis aerarii, inſtantiae in munere fungendo ipſi praepoſitae fine mora indicet neceſſe eſt non ſolum fundos, tempore ſuſcepti aerarii poſſeſſos, ſed etiam poſtea ipſi delatos.

§. 454. Idem ſub aureorum quinquaginta poena iis incumbit, qui regia domanialia, aut reditus, conduxerunt, aut adminiſtrandos ſuſceperunt.

§. 455. Si intabulatione omiſſa tertio, qui iuris praelationis aerarii neſcius cum eiusmodi officiali negotia egit, ortum eſt damnum; inſtantias, quae obligationes ſuas neglexerunt, dimidium damni reſarcire oportet.

Praecauendi media.

§. 456. Officiales acciſae et portorii cum mercatoribus, cereuiſiae coctoribus, aut perſonis aliis, cu-

Source : BIU Cujas

rae et reuiſioni ipſorum in negotiatione, aut alio quaeſtu obnoxiis, absque praepoſitorum ſuorum conſenſu, ſub translocationis noxiae poena, nullum rei pecuniariae vel aliud iungant familiae neceſſitudinis arctius vinculum.

§. 457. Neque eiusmodi officiales, ſub eadem poena, mercaturam faciant, neque quaeſtum ciuicum alium, quo ad negligenda aut violanda muneris officia poſſent induci.

§. 458. Officiales politiae, violationem legum politiae ſcienter tolerantes, neque ad vindicationem iuſtam deferentes, eadem afficiantur poena, quam violans commiſiſſet, et in reiterationis caſu munere priuentur. III. Poenae officialium politiae, officii immemorum;

§. 459. Si eiusmodi indulgentia officio contraria donis aut aliis commodis eſt redemta; praeter poenam reliquam ſoluendum quoque eſt horum commodorum quadruplum aerario, multis colligendis inſeruienti.

§. 460. Officiales politiae, munere ad extorſiones, et ad ſatisfaciendum priuatis ſuis animi affectibus abutentes; absque iuſta cauſa alios comprehendentes; aut ea occaſione praecepta officialibus iuſtitiae §. 381. ſeqq. data violantes, commiſerunt poenam §. 360. 361. 371., atque §. 381. ſeqq., et in caſu culpae merae poenam §. 372. definitam.

§. 461. Officiales horreorum, et alii his ſimiles regni officiales, falſa vel diuerſa menſura, aut fraudibus aliis regnum aut publicum defraudantes, munere priuentur, et condemnentur ad locum munitum in annum ad annos duos vsque; et compellantur quoque ad reſtituendum commodorum iniuſte perceptorum duplum. IV. officialium horreorum; (*Magazin-*)

§. 462. De regiſtraturae et tabularii officialibus, qui acta et documenta, quae in eorum ſunt cuſtodia, aliis, quibus ius ea inſpiciendi non competit, producunt, aut cum iis communicant, aut perfidioſe delent, praeceptum §. 357. 359. obtinet. V. tabulariorum; (*Archivbedienten*)

Source : BIU Cujas

VI. militum

§. 463. Delicta a militibus in militia commissa secundum leges militares sunt diiudicanda et vindicanda.

signa deferentium;

§. 464. Milites signa periure deferentes defertores sunt habendi, et secundum praeceptum legum militarium puniendi.

§. 465. Si vero iterum in numerum regni militum sunt recepti, aut iis alio modo facta est delicti gratia; inde quoque tolluntur effectus legales omnes periurii, defertione commissi.

§. 466. Non tamen restituitur impetrata gratia testamentorum militarium ante defertionem conditorum validitas. (P. I. Tit. XII. §. 197.)

§. 467. Res familiaris defertorum sententia iudicii militaris confiscetur.

militiae adscriptorum, ex fuga absentium.

§. 468. Militiae adscripti (*Enrollirte*) ad militiam iam lecti, licet nondum sacramento sint adstricti, si fuga militiae se subducunt, sunt defertores habendi.

§. 469. Si militiae adscripti, qui milites noui nondum sunt lecti, terris excedunt regiis, vt militiae se fuga subtrahant; eorum res familiaris relicta a collegio, cui in prouincia iustitia administranda est commissa, fisco est adiudicanda.

§. 470. Ad defertoris aut militiae adscripti ex fuga absentis rem familiarem referuntur quoque ea, quae ad ipsum post fugam hereditatibus, legatis, donationibus, aut modis aliis deuoluuntur.

§. 471. Qui militibus aut militiae adscriptis transfugis debita persoluit, pecunias aut res alias transmittit, aut iis quidquam confert, inde a sua obligatione, qua fisco tenetur, non liberatur, et eum summam eius quoque, quod iis contulit, poenae loco oportet soluere.

§. 472. In militiae adscriptos ex fuga absentes, ad militiam nondum lectos, post mortem eorum confiscationis processui non amplius est locus.

Source : BIU Cujas

§. 473. a) Mera mortis declaratio hoc tamen reſpectu morti verae aequiparari nequit.

§. 473. b) Exauctorationis teſtimonium, quod militiae adſcriptus, ſub ea conditione impetrauit, vt in terris regiis ſedem fixam collocet, eum a poena non liberat, ſi hac conditione non adimpleta terris regiis excedit.

§. 473. c) Neque fiſcus ius ſuum amittit, ſi regimentum exauctorat militiae adſcriptum, poſtquam terris regiis iam exceſſit.

Auxilium defertoribus in ipſa defertione praeſtitum.

§. 474. Regni ciuis et incola omnis obligatur, ad crimen defertionis, quantum in ſe eſt, impediendum.

§. 475. Quomodo defertores ſint comprehendendi, in regni politiae legibus eſt ſancitum.

§. 476. Qui propoſiti militis, ſigna periure deſerendi, notitiam conſecutus hoc propoſitum non ex continenti impedit, aut, ſi impedire illud nequit, denuntiare omittit; primo condemnetur ad locum munitum in ſex hebdomadas vsque ad ſex menſes; at in reiterationis caſu puniatur tanquam defertionis adiutor.

§. 477. Qui criminis, ſeceſſionem aut fugam defertoris auxilio re lato adiuuaſſe, primo ſe reum facit; pro ratione cauſarum, quae eum ad hoc delictum mouerunt; circumſtantiarum concurrentium reliquarum praegrauantium vel mitigantium; et effectuum noxiorum ex defertione, quam adiuuit, exortorum aut metuendorum, puniatur cuſtodia (arreſto) in loco munito, aut afficiatur poena ergaſtuli in menſes octo, ad annos duos vsque.

§. 478. Qui hoc delictum ſecundo committit, licet huius delicti primo commiſſi poenam iam ſuſtinuerit, eandem condemnationem ad locum munitum aut ergaſtulum commeruit in annos duos ad quatuor vsque.

§. 479. Qui eiusmodi delicti tertio reum ſe facit, ſi defertio proceſſit, laqueo occidatur.

Source : BIU Cujas

§. 480. Si defertio vel non proceſſit; vel delinquens ob priora huius generis delicta nondum poena vlla fuit admonitus; vel circumſtantiae mitigantes ſingulares aliae in eius fauorem exiſtunt: pro poena capitali locus ſit condemnationi ad locum munitum aut poenae ergaſtuli in annos decem ad vitae dies vsque.

§. 481. Ad definiendam hanc poenam praeter ea non praecipue valeat, vtrum defertor ipſe, cui in deferendo auxilium re eſt praeſtitum, defertionis criminis prima, an iteratis iam vicibus, reum ſe fecerit.

§. 482. Si perſonae ciuiles conſpirationis militum, qui ſigna intendunt deſerere, ſunt complices; poena, adiuuando defertore vno ſecundum principia antecedentia commiſſa, niſi iam in ſe poena ſit capitalis, pro numero militum conſpirantium, qua diuturnitatem exaſperetur, et, ſi viſum fuerit, extendatur ad condemnationem ad locum munitum aut ergaſtulum ad vitae dies vsque.

Defertorum vxores; 1. correae, a) remanentes.

§. 483. a) In vxorem, quae marito in defertione re praeſtitit auxilium, non ſolum locum obtinent poenae §. 477. ſancitae, ſed etiam confiſcatio eius rei familiaris.

§. 483. b) At vero, ſi mariti defertionem modo, §. 476. deſcripto, tantum adiuuit; loco poenae ibi definitae fiſco cedunt eius bona, quae defertionis tempore poſſidet.

§. 484. At bona, hereditate, legato, aut modo alio, poſt mariti defertionem vxori delata, tam diu in iudicio ſunt deponenda, et ab hoc adminiſtranda, vsquedonec vxor mariti, qui ſigna deſeruit, mortem probat; aut ab eo per iudicis ſententiam ſeparata ad vota alia tranſit; aut in terris regiis poſſeſſiones acquirit.

§. 485. Si vxor moritur, antequam modo, §. 484. praeſcripto, ius rem familiarem et hereditates ſibi delatas accipiendi eſt conſecuta; et ſi nequit probari, maritum iam ante eius mortem diem obiiſſe ſupremum,

Source : BIU Cujas

mum; aerarium alendis militibus inualidis inſeruiens ex vxoris hereditate relicta accipit omnia, quae marito, ſi non aufugiſſet, de iure ex ea competerent.

§. 486. At in hoc tamen caſu hereditatis ab vxore relictae reſiduum cedit quoque vxoris heredibus, quatenus ad hereditatem accipiendam in terris noſtris ſunt habiles.

§. 487. Marito, qui ſigna deſeruit, ante vxorem mortuo, hereditas vxoris relicta integra legitimis huius heredibus cedit.

§. 488. Si vxor innocens declarata, poſtquam bona ipſius ei ſunt tradita, maritum deſertorem nihilo minus eſt ſecuta: aerarium alendis militibus inualidis inſeruiens non quidem poteſt bona eius relicta petere; b) Maritum ſequens.

§. 489. At fiſco tamen iura ſua in ea eatenus reſeruantur, quatenus ex legibus generalibus aut prouincialibus ſubditorum indigenarum, qui emigrarunt, bona in genere confiſcationi ſunt obnoxia.

§. 490. Si vxor maritum, qui ſigna deſeruit, ſequitur, antequam ei res familiaris eſt tradita: huius adminiſtratio continuatur, vsque donec vel reuerſa ſecundum §. 484. ad eam accipiendam ſe reddidit idoneam; vel poſt ipſius mortem heredes eius comparent.

§. 491. Prout in caſu hoc poſteriori eruitur, eam ante aut poſt mariti mortem eſſe defunctam, praecepta obtinent §. 485-487.; at in hoc tamen caſu quoque intuitu portionis, ex bonis relictis heredibus legitimis competentis, fiſco in genere reſeruantur iura ſua ſecundum §. 489.

§. 492. Si vxor innocens declaratur, ei relinquenda ſunt ea, quae ſe marito ſuo intuliſſe poteſt probare, aut alias ſunt eius propria, aut quae, ex loci vel prouinciae ſtatutis, ex bonis communibus ei competunt. 2. Vxor innocens.

§. 493. Sed res familiaris vxoris quoque innocentis tamdiu a iudicio eſt adminiſtranda, vsque do-



Source : BIU Cujas

nec vel mariti, qui ſigna deſeruit, mortem probat; vel facto diuortio in terris noſtris ad vota alia tranſit; vel vsque donec in terris regiis poſſeſſiones acquirit.

§. 494. Prout horum caſuum vnus aut alius euenit, locus eſt praeceptis §. 485-487. ſupra datis.

3. Si vxor maritum eſt ſecuta, et noxa eius aut innocentia dubia.

§. 495. Si vxore vna cum marito ſimul aufugiente iudicium militare non inuenit rationem ſufficientem, an nocens, an innocens ſit declaranda; iudicium militare de ea re ſententiam poteſt differre, vsque donec vel ipſa, vel eius heredes comparent, bona repetentes.

§. 496. Eo vsque et bona et hereditates omnes poſt delatae ſubſunt adminiſtrationi iudiciali.

Reditus bonorum vxoris defertoris adminiſtratorum.

§. 497. In caſibus omnibus, vbi vxor vel nocens eſt declarata, vel maritum defertorem ſecuta, fiſco cedunt reditus rei familiaris iudicialiter detentae, durante adminiſtratione.

§. 498. At vero, ſi adminiſtratio ea de cauſa tantum eſt continuanda, quod relictae defertoris vxori nondum oblata eſt occaſio, ad alia vota transeundi, aut modo alio in terris regiis poſſeſſiones acquirendi: rei familiaris detentae reditus ſunt ſubſtantiae addendi; et ex iis quoque vxori, ſi alimenta ſibi ipſa comparare nequit, ſuppeditandae pecuniae ad alimenta neceſſariae.

VII. Eccleſiarum et ſcholarum miniſtrorum.

§. 499. Eccleſiarum et ſcholarum miniſtri, qui eccleſiis ſuis, aut curae ipſorum commiſſis, delictis grauibus et vita diſſoluta ſunt offenſioni publicae, praeter poenam, delicto ipſo commiſſam, munere, tanquam eo indigni, ſunt priuandi.

§. 500. Clerici, exceptis caſibus legibus determinatis (Tit. XI. §. 82.) arcana, ſub ſigillo confeſſionis iis concredita, reuelantes pro re nata afficiantur multa pecuniaria arbitraria, ſuſpendantur ab officio ſacro et reditibus, aut priuentur munere.

§. 501. Clerici, in publicis concionibus contumeliarum aculeis in perſonas vtentes, aut diſci-

Source : BIU Cujas

plinae ecclesiasticae limites praescriptos excedentes, graues iniuriantes sunt habendi et puniendi.

§. 502. Si in exigendis stolae iuribus taxae modum praescriptum excedunt; locum obtinet poena definita. Tit. XI. §. 426.

§. 503. Parochus, qui matrimonii impedimenta non ignorans benedictionem sacerdotalem nihilo minus peragit, muneris priuatione punitur. (Tit. I. §. 149.)

§. 504. In genere ecclesiastici et scholarum doctores omnes, in quos propter delictum aliud vllum graue inquisitio criminalis est instituta, si rei sunt cogniti, praeter poenam huius delicti, munere clericali sunt priuandi.

§. 505. Medici, chirurgi, et obstetrices, vitia corporis, et familiae arcana, quae ipsis innotuerunt, quatenus non sunt delicta, reuelent nemini, sub multa pecuniaria thalerorum quinque vsque ad quinquaginta, pro re nata definienda. De delictis eorum, qui, licet officiales non sint, regno in primis sunt obligati; medici, chirurgi et obstetrices.

§. 506. Si celant delictum adhuc committendum, quod impedire sine auxilio magistratus nequeunt; tanquam delicti complices tenentur. (§. 80. 81. 82.)

§. 507. Quomodo puniendi sint partus adiutores et obstretices, contra officia §. 924. sqq. praescripta agentes, ibidem est sancitum.

§. 508. Reliqui omnes, qui, licet regni muneribus non immediate fungantur, nihilo minus tamen vi ordinis in primis regno sunt obligati, si has obligationes violant, puniuntur secundum ordinationes latas singulares.

## Sectio Nona.

### *De delictis priuatis.*

§. 509. Nemo sine iure alterius bonae famae, valetudini, vitae, libertati aut bonis noceat, aut laesionem inferat. (Part. I. Tit. IV.) De damno.



Source : BIU Cujas

De eius poena.

§. 510. Laesiones dolosae semper sunt puniendae.

§. 511. Latam quoque culpam, qua alicuius corpus aut vita est laesa, sequitur poena.

§. 512. Violatio legis politiae, a regno ad praecauendas ciuium suorum laesiones latae, est punienda, licet inde verum damnum nondum sit exortum.

§. 513. At in vtroque tamen casu §. 511. 512. cognitio solennis et sententia, de poena corporis afflictiua, famosa, aut multa pecuniaria eatenus tantum obtinet, quatenus in laesionem aut violationem eiusmodi poena in legibus est expresse statuta.

§. 514. In casibus, vbi damni reparatio inter plures distribuitur, quemque tamen luere oportet poenam in actionem illicitam statutam integram.

De damno, per vsum iuris, aut

§. 515. Qui iure suo intra limites a regno praescriptos vtitur, ob damnum alteri inde oriundum non est poena dignus.

§. 516. At poenam committit, si ex modis aut temporibus ius suum exercendi pluribus aeque possibilibus, malitia aut damni alieni gaudio ductus, modum aut tempus eligit, quo iuris vsus personae aut bonis alterius damnum infert immediatum.

moderamen inculpatae tutelae illato.

§. 517. Cuilibet ius competit, laesionis illegitimae periculum sibi, vel suis, vel conciuibus imminens, auertendi remediis rei conuenientibus.

§. 518. At moderamini inculpatae tutelae locus tantum est contra vim illatam, et vel contra hanc tum tantum, si iudicis auxilium laesionem neque potest auertere, neque restituere statum pristinum.

§. 519. Moderaminis inculpatae tutelae exercitium vlterius extendi non licet, ac exigit necessitas ad auertendum malum imminens.

§. 520. Atque etiam remedio ad damnum auertendum electo proportio sit necesse est ad damnum ipsum, moderamine inculpatae tutelae auertendum.

Source : BIU Cujas

§. 521. Laesiones, quibus aggressoris vita in periculum vocatur, tantum sunt licitae, si contra laesionem lacessiti persona alio modo nequit defendi.

§. 522. Idem quoque ad possessionem defendendam obtinet, si alias foret irreparabile damnum.

§. 523. Dum lacessitus absque suo periculo subducere se alterius aggressioni potest, illi non competit ius, alterum eo modo laedendi, quo eius vita vocatur in periculum.

§. 524. Qui in discrimine quidem moderaminis inculpatae tutelae, at fines tamen praescriptos excedens, alterum laedit, commisit moderaminis inculpatae tutelae excessus poenam proportionatam.

§. 525. Nemini licet, se in alterius domum, habitationem, aut alium domicilii locum, hoc inuito, sine iure singulari intrudere. Laesio securitatis domesticae.

§. 526. Quod qui facit, aut possessore inuito intra huius districtum committit actiones, quas peragendi ius ei non competit, laedit securitatem domesticam.

§. 527. Habitatori ius competit, securitatem domesticam laedentem, admonitione praeuia cogendi, vt abstineat ab eiusmodi actionibus, contra eius voluntatem proprio ausu susceptis.

§. 528. At tamen, qui iure securitatem domesticam tuendi vtitur, quantum potest fieri, parcat necesse est corpori et existimationi se obtrudentis.

§. 529. Licet vero eiusmodi se obtrudendi modus aut vis arrogata cum animo laedendi, aut delictum committendi, non fuerit coniunctus; patrator tamen, si habitatoris vsum iuris sui expectauit, afficiendus est arbitraria multa pecuniaria aut carceris poena.

§. 530. Si obtrusiones huius generis (§. 525. 526.) coniunctae fuerunt cum delicto alio, natura sua securitatis domesticae laesionem nondum inuoluente;



Source : BIU Cujas

poena delicti ordinaria pro ratione obtrusionis est exasperanda.

§. 531. Quae in antecedentibus §. 525 - 530. sunt praecepta, valeant quoque, si eiusmodi actiones non intra domum quidem sunt commissae, at intra limites tamen areae muris, plancis, aut septis cinctae.

§. 532. Idem quoque in campo patente obtinet, quatenus dominus, cultura aut signis singularibus, alios exclusit. (P. I. Tit. XXII. §. 64.)

Cautionis de laesionibus futuris praestatio.

§. 533. Si minae aut apparatus periculosi magistratus adhuc auxilio possunt auerti; magistratus omnis, licet alias non sit competens, ad auertendum periculum imminens sine mora disponat necesse est, quae sunt necessaria.

§. 534. Illi, cui alter est minitatus, ius competit, cautionis praestationem pignore aut fideiussore exigendi, dum manet periculum ex circumstantiis probabile.

§. 535. Cautio in certam pecuniae summam est definienda, quae in casu laesionis, nihilo minus secutae, impendenda est ad indemnitatem eorum, quibus inde damnum est illatum.

§. 536. Quae de cautionis summa ad hunc finem non sunt necessaria; multae pecuniariae instar cedant aerario, pauperibus alendis inseruienti.

§. 537. Si cautio ad tempus indefinitum fuit praestanda; tolli nequit, antequam ille, in cuius securitatem est praestita, legitime auditus est de rationibus periculi adhuc durantis aut sublati.

## Sectio Decima.

### *De bonae famae seu existimationis laesionibus.*

Quae sint iniuriae.

§. 538. Qui gestibus, verbis, aut factis, cum contemtu coniunctis, aliquem violare, aut contra ius ignominia afficere intendit, iniuriam committit.

Source : BIU Cujas

§. 539. Qui animum non habet, alterum contemtu violandi, aut ignominia afficiendi, iniuriae reum se non facit. De animo iniuriandi.

§. 540. At contra iniuria existit, simulac animus, alterius famam bonam violandi, apparet, licet actio aut significatio, in se, et sub aliis circumstantiis considerata, non sit ignominiosa.

§. 541. Animus iniuriandi in regula non praesumitur.

§. 542. Qui animus an adsit, necne, diiudicandum est ex legum definitionibus, et his deficientibus, ex circumstantiis antecedentibus, concomitantibus, et subsequentibus.

§. 543. Qui alteri dat crimini delicta, quae, si criminatio sit vera, legum vindicta effet secutura, contra eum stat praesumtio animi iniuriandi.

§. 544. Idem valet de eo, qui alterum eiusmodi facta commisisse asserit, quae, si actu commisisset, eum exponerent contemtui conciuium in genere, aut in specie eius classis, ad quam pertinet laesus.

§. 545. Qui erga alterum eiusmodi verbis aut factis vtitur, quae contemtus aut contumeliae signa in vita communi sunt agnita, contra eum eadem stat praesumtio.

§. 546. Protestatio, factis aut verbis in se iniuriosis adiecta, nondum excludit iniuriandi animum. Circumstantiae, quae non excludunt iniuriandi animum.

§. 547. Sic quoque ad excludendum iniuriandi animum non sufficit per se sola conditio, verbis iniuriosis adiecta.

§. 548. Neque criminationis, aut incusationis, veritas tollit praesumtionem animi iniuriandi legalem.

§. 549. Qui alteri exprobrat delictum, cuius poenam sustinuit, aut quod est legitime abolitum, contra eum stat animi iniuriandi praesumtio.

§. 550. Qui vero praeter ea conciui suo eiusmodi delictum exprobrat, eum non solum delicti ve-



Source : BIU Cujas

ritatem probare oportet, quatenus ad inquisitionem solennem de eo instituendam requiritur, sed etiam demonstrare, iniuriandi animum abfuisse.

§. 551. Si iudex, in inquisitione, ex officio de eius assertione instituta, hanc veram cognoscit; iniurians, licet ob iniuriam dolosam poena dignus cognoscatur, nihilo tamen minus liberatur a satisfactionis priuatae obligatione.

Circumstantiae et rationes, animum iniuriandi excludentes.

§. 552. Qui in actibus iudicialibus, non nisi ad probanda et defendenda sua iura, ad exprobrationes acerbas parti aduersae obiiciendas cogitur, non committit iniuriam.

§. 553. At omnino iniurians is est habendus et puniendus, qui eiusmodi occasione parti aduersae obiicit exprobrationes iniuriosas, ad actum praesentem nihil pertinentes.

§. 554. Idem obtinet, si eiusmodi exprobrationes, in iudicio obiectae, veritate non sunt fundatae, et si eas esse veras obiiciens absque culpa sua lata aut leui credere non poterat.

§. 555. Iudices et fisci officiales, vi officii vitam aut mores hominis inquirentes et diiudicantes, hoc muneris sui exercitio iniuriam non committunt.

§. 556. Sed iniuriae reos se faciunt, si munere abutentes aliquem absque causa sufficiente criminis accusant.

§. 557. Exprobrationes et reprehensiones parentum erga liberos, tutorum erga curandos, praeceptorum erga discipulos et tirones, herorum erga famulos, et praepositorum erga subordinatos iniuriae non sunt habendae.

§. 558. Idem valet de castigationibus modicis, quibus aliquis afficit alterum, in quem ipsi ius disciplinae est concessum.

§. 559. Qui si modum in exprobrationibus et castigationibus excedunt, magistratum, laeso petente,

Source : BIU Cujas

laedentem oportet coërcere, et excessus pro re nata ex officio vindicare. (P. II. Tit. II. §. 86-91. Tit. V. §. 76. sqq. §. 97. 132. sqq. §. 145. 185. Tit. VII. §. 227. sqq. Tit. VIII. §. 298. sqq. §. 356. sqq.)

§. 560. Quatenus laesi existimatio ciuilis in excedendo castigandi iure est laesa, eatenus magistratum quoque curare oportet, vt rite satisfiat laeso.

§. 561. Concionatores in muneris negotiis iniuriae tunc tantum reos se faciunt, si in admonitionibus priuatis, aut in concionibus publicis, excedunt limites, in legibus praescriptos. (Tit. XI. §. 76. sqq.)

§. 562. In iudiciis, de artis, ingenii, aut diligentiae operibus vel factis, publice prolatis animus iniuriandi non praesumitur; quatenus tantum restricta sunt ad praestantiam aut vitia obiecti diiudicati.

§. 563. At iudicantem tamen oportet iudicii sui rationes proferre, petente eo, cuius opus aut factum est diiudicatum.

§. 564. Laesiones totî vniuersitati, corpori, aut familiae illatae a singulis eius membris possunt vindicari, quatenus haec iniuria ea ipsa quoque afficit. De iniuriis immediatis et mediatis.

§. 565. Maritus, pater, et tutor, licet ipsi iniuriae non sint illatae, iniuriam vxori, liberis aut curandis illatam, illorum loco in iudicio potest vindicare.

§. 566. Iniuriae inquilinis et famulis illatae, respectu ad aedium aut famuli dominum, habendae sunt iniuriae his simul illatae.

§. 567. Praepositis in subordinatorum personis infertur iniuria, si subordinati in perficiendis illorum mandatis afficiuntur ignominia.

§. 568. Mediate laesus ad satisfactionem et poenam potest agere, licet iniuriam vindicare nequeat aut nolit ille, cui immediate est illata.



Source : BIU Cujas

De iniuriis verbalibus et realibus symbolicis.

§. 569. Iniuriae verbales sunt, quae verbis inferuntur ore prolatis, scriptis, aut per typos expressis.

§. 570. Ignominiae quae constant factis, quibus alterius corpori vis aut laesio est illata, vocantur iniuriae reales.

§. 571. Alia contemtus signa, siue consistent actionibus vel omissionibus, siue sonis vel gestibus, siue picturis, figuris aere excusis, vel aliis repraesentationibus sensibus obiectis, sub iniuriarum symbolicarum appellatione continentur.

§. 572. Iniuriae, libellis in scripturam redactis, per typos expressis, picturis, figuris in aere incisis, aut repraesentationibus aliis sensibus obiectis, significatae sunt libelli famosi, si auctor ipse, aut per alios, publice eas exposuit, aut in publicum diuulgauit.

§. 573. Nil refert, vtrum auctor nomen suum subscripserit, an reticuerit.

§. 574. Neque natura facti poena digni eo mutatur, si laesus non est nominatus, sed tantum circumstantiis singularibus indiuiduis significatus.

§. 575. Si scripta, scientiis, artibus, aut publici institutioni vel oblectationi destinata, iniurias simul continent; eorum auctores eodem modo sunt diiudicandi, quo partes, in actibus iudicialibus partibus aduersis obiicientes exprobrationes, ad rem non pertinentes. (§. 553.)

De iniuriis grauibus et leuibus.

§. 576. Iniuriae reales et libelli famosi iniuriae graues et atroces sunt habendi.

§. 577. Iniuriae mere symbolicae et verbales, in regula, leues aut paruae censentur.

§. 578. Sed in graues degenerant iniurias, si clare patet animus malignus, alterius existimationem ciuilem violandi.

§. 579. Atque tunc, si eiusmodi delictorum incusationibus constant, quae, si essent vera, alteri contraherent vindictam legalem, aut singularem ordinis sui sociorum contemtum.

Source : BIU Cujas

§. 580. Atque porro, si admissae sunt a subditis in magistratum; a subordinatis in praepositos; a liberis in parentes; a discipulis et tironibus in praeceptores et magistros; aut a famulis in heros.

§. 581. Atque etiam, si in conuentu publico aut solennibus sunt illatae.

§. 582. In genere tunc, si laesione in se leui, grauiter violatur laesi bona fama ob eius circumstantias certas singulares, aut rationes indiuiduas, laedenti notas.

§. 583. Vel omissiones merae in graues possunt degenerare iniurias, si iis significatus est animus malignus, alterius famam laedendi, sub circumstantiis in primis praegrauantibus.

§. 584. Qui alterius bonam famam et existimationem laesit, ad satisfactionem ei praestandam est obligatus. De satisfactione priuata.

§. 585. Reparatio damni, corpori aut fortunis laesione illati, definitur secundum principia in rerum iure contenta. (P. I. Tit. VI. §. 79. seqq.)

§. 586. Qui animi iniuriandi non est conuictus, at causam tamen praebuit, eiusmodi animum malignum praesumendi, obligatur, ad hanc praesumtionem declaratione perspicua et solenni elidendam. Si animus iniuriandi non est erutus.

§. 587. Licet factum quoque aut significatio in se non fuerit iniuriosa, vel adeo clare probatum, defuisse iniuriandi animum; nihilo minus tamen ille, cuius existimatio et bona fama ex aliorum opinione inde putatur laesa, poscere potest declarationem expressam, bonam ipsius famam eiusmodi facto aut significatione non debuisse laedi.

§. 588. An ille, cui eiusmodi famae bonae laesio adscribitur, ad soluendos litis sumtus sit quoque obligatus, exinde diiudicandum est, quatenus ei culpa est imputanda.

Source : BIU Cujas

§. 589. Si iniurians laesum dignitate et ordine antecedit, honoris declaratio in scriptis potest fieri.

§. 590. Si personae sunt ordinis aequalis, honoris declaratio praesentibus personis duabus aut tribus, ab actore ad eam audiendam electis, ore proferatur necesse est.

§. 591. Honoris declaratio iudicialis in sententia iniungenda est, si publice accidit casus, qui litis praebuit ansam.

§. 592. Ordinis inferioris personas honoris declarationem dignitate et ordine superioribus, si postulant, semper in iudicio praestare oportet.

§. 593. Modum et loquendi formulas, quibus honoris declaratio debeat praestari, iudicem in sententia semper oportet definire.

§. 594. Qui honoris declarationem ad sententiam vires rei iudicatae nactam praestare recusat, pro eo est habendus et puniendus, qui veram iniuriam dolo admisit.

Vbi animus iniuriandi est erutus.

§. 595. Qui alterius bonam famam et existimationem dolo violauit, de iniuria admissa a iudice, praesente laeso aut eius mandatario, solenniter et seuere est reprehendendus; laesi bona fama publice declaranda illaesa; et huic de actu, iniuriantis sumtibus, iudiciale testimonium (expeditio) exhibendum.

§. 596. Si iniuria publice est admissa, actus apertis iudicii ianuis est perficiendus.

§. 597. Laeso tunc licet, secum ducere duas aut tres personas ordinis sui, tanquam testes.

§. 598. Subditi, famuli, liberi, discipuli, tirones et subordinati de iniuriis, praepositis eorum ab ipsis illatis, pro re nata, et iniuriae grauitate, genibus nixi iudicis reprehensionem audiant.

§. 599. Si iniuriae per libellos famosos sunt illatae, iudicis reprehensio laeso petente publice est promulganda, et quidem sumtibus iniuriantis.

Source : BIU Cujas

§. 600. Si iniurians ad deprecationem spontaneam paratus concedit, vt testimonium (expeditio) de deprecationis actu confectum exhibeatur laeso; iudicis reprehensio nulla est necessaria.

§. 601. Si inter partes de modo deprecationis praestandae non conuenit; iudicem eum determinare oportet secundum principia eadem, quae de honoris declaratione sunt praescripta. (§. 589. sqq.)

§. 602. In casu §. 599. laeso quoque concedendum est, vt deprecationem praestitam eodem modo promulget, qui de reprehensione a iudice facta est praescriptus.

§. 603. Si iniurians ante priuatam satisfactionem praestitam est mortuus; eius heredes tantum sunt obligati ad damnum verum resarciendum.

§. 604. At laesi tamen bona fama a iudice pro illaesa est declaranda; et declaratio facta, pro re nata, sumtibus hereditatis iniuriantis, publice promulganda.

§. 605. At contra, laesi, ante satisfactionem acceptam, at post actionem tamen insinuatam, defuncti heredes possunt petere, vt satisfactio defuncti memoriae praestetur.

§. 606. Quatenus iniuria heredes simul afficit, obtinent praecepta §. 564-568.

§. 607. Iniuriae leues inter personas ordinis aequalis (§. 575.), si pars vtraque ad ordinem rusticum aut ciuicum plebeium pertinet, puniendae sunt laboribus poenalibus aut carcere viginti quatuor horarum ad tres dies vsque. Poena iniuriarum; 1. iniuriarum verbalium leuium;

§. 608. Iniurias leues inter personas ordinis ciuici superioris, sequitur carceris poena dierum octo ad dies quatuordecim vsque.

§. 609. Si pars vtraque pertinet ad ordinem nobilium, aut praefectorum militum (*Officierſtande*), aut si vtrique regiorum consiliariorum dignitas est attributa; in leues iniurias locus est poenae carceris dierum quatuordecim ad hebdomadas quatuor vsque,

Source : BIU Cujas

aut pro re nata cuſtodiae (arreſto) in loco munito vsque ad tres menſes.

§. 610. Iniuriae leues, ſi iniurians laeſo eſt ordine ſuperior, puniendae ſunt multa pecuniaria thalerorum decem ad triginta vsque, aut cuſtodia (arreſto) aequa (proportionata).

§. 611. Ordinis inferioris perſonae ob leues iniurias, perſonis ordinis ſuperioris illatas, commeruerunt operas poenales aut poenam carceris dierum quatuordecim ad quatuor hebdomadas vsque.

2. Iniuriarum verbalium grauium;

§. 612. Iniuriae graues, quae tamen non ſunt reales, inter ordinis plebeii homines vindicantur operis poenalibus aut carceris poena dierum quatuor ad dies octo vsque.

§. 613. Eaedem iniuriae inter ordinis ciuici ſuperioris perſonas puniantur carcere dierum quatuordecim ad quatuor ſeptimanas vsque.

§. 614. Inter perſonas ordinis nobilis, aut militaris, aut conſiliariorum regiorum dignitate ornatas, eiusmodi iniurias grauiores ſequitur carceris poena hebdomadarum quatuor ad octo vsque, et pro re nata cuſtodia (arreſtum) in loco munito vsque ad ſex menſes.

§. 615. Si eiusmodi iniuriae ab ordinis inferioris perſonis illatae ſunt ordinis ſuperioris perſonis; obtinet poena carceris hebdomadarum quatuor ad tres menſes vsque.

§. 616. Quae poena pro re nata, et iniuriae grauitate, poteſt exaſperari victu in carcere deminuendo, aut extendi ad poenam ergaſtuli vsque ad ſex menſes.

§. 617. Easdem iniurias, ab ordinis ſuperioris perſonis ordinis inferioris perſonis illatas, ſequitur multa pecuniaria thalerorum quadraginta vsque ad centum; aut pro re nata, et iniuriae grauitate, carcer aut cuſtodia (arreſtum) in loco munito in menſem vsque ad tres menſes.

Source : BIU Cujas

§. 618. Libelli famosi, qui non quidem in publicum sunt diuulgati, at auctoris tamen culpa populo innotuerunt, graues iniuriae sunt habendi.

§. 619. Libelli famosi, auctore disponente iam publice affixi aut diuulgati, tanquam summus iniuriarium symbolicarum gradus in auctorem sunt vindicandi.

§. 620. Libellum famosum ipsum apparitor, praesente auctore, et testibus tribus a laeso electis, coram iudicio pleno dilaceret, ac dilaceratum pedibus calcet.

§. 621. Si auctor nomen non subscripsit, libellus famosus laeso petente a carnifice in loco publico flammis deleatur.

§. 622. Typographus et eiusmodi libellorum famosorum excudendorum sumtus suppeditans, si absque censura sunt excusi, eadem, qua auctor, afficiuntur poena.

§. 623. Qua eadem poena tenetur nocens typographus aut edendi sumtus suppeditans, si scriptum quidem censuram subiit, at loca deleta denuo sunt recepta, aut iniuriae nouae insertae.

§. 624. Si libelli famosi auctor nequit detegi; poena in typographum et edendi sumtus suppeditantem duplicatur.

§. 625. Censor, qui scienter permisit libelli famosi per typos exscriptionem, eandem, quam auctor, poenam luat, et censoris munere priuetur.

§. 626. Si censor ex negligentia eiusmodi iniurias non animaduertit; haec muneris officii violatio vindicanda est secundum praeceptum §. 334. seqq.

§. 627. Delineationes, picturae et figurae aere excusae famosae, publice expositae et diuulgatae, pro libellis famosis sunt habendae; et eas mandans, eadem poena, qua libelli famosi auctor, est afficiendus; at delineatores, scalptores in aere, et pictores, pro re nata, tanquam correi aut socii sunt puniendi.

Source : BIU Cujas

3. Iniuriarum realium leuium.

§. 628. Tractatio hominis ignominiosa omnis, verberando, iactando, pulsando etc., si laesio obseruabilis corpori non est illata, in regula vindicatur duplici poena, in grauem iniuriam symbolicam statuta.

§. 629. Hominum plebeiorum pugnae, in quibus nemo grauiter est laesus, vindicandae sunt operis poenalibus, aut arresto, in dies octo vsque ad hebdomadas quatuor, et si fuerit visum, per arresti tempus dimidium panis et aquae victu.

§. 630. Si subditi magistratus, famuli dominos, subordinati praepositos, liberi parentes, et tirones magistros iniuriis realibus affecerunt; in poenae carceris locum succedit poena ergastuli in idem tempus, per quod intuitu aliorum secundum principia antecedentia §. 628. 629. carceris poena obtineret.

§. 631. Quae poena pro re nata, et iniuriae grauitate, exasperari corporis castigatione potest.

§. 632. Iniuriae reales inter personas ordinis nobilium et praefectorum militum, puniuntur custodia (arresto) in loco munito, si tantum pulsando, iactando et factis leuioribus aliis sunt illatae, sex mensium ad duos annos vsque; at, si verberando et contumeliis realibus grauibus aliis sunt illatae, annorum duorum ad annos quatuor vsque.

§. 633. Nobilis, eo vsque sui immemor, vt alteri eiusdem ordinis et originis insidietur, aut per alios struat insidias, et eum baculi aut flagri verberibus aut iniuriis similibus ignominia afficiat, pro eo est habendus, qui iam delicto ipso commeruit iurium et honorum ordinis omnium priuationem, et condemnandus ad arrestum in loco munito annorum octo ad decem annos vsque.

§. 634. Hinc ab eiusmodi delinquente laesus, absque existimationis suae laesione, satisfactionem priuatam petere nequit; quin potius ille statim est com-

Source : BIU Cujas

comprehendendus et in carcerem criminalem deducendus.

§. 635. Si male tractatus aduersarium iniuriis verbalibus grauibus ad laesionem lacessiuit: id quidem non tollit poenam, qua iniurians est afficiendus;

§. 636. Attamen et ille quoque, qui alterum ad eiusmodi iniurias lacessiuit, secundum legum praecepta (§. 609. 614. 618. sqq.) est puniendus.

§. 637. Si vis in realibus iniuriis adhibita ea est, vt possit haberi vitae periculosa; iniurians, nulla ordinis ratione habita, statim est in custodiam dandus, et in ea tamdiu detinendus, donec est extra periculum laesus. 4. Iniuriarum realium grauium.

§. 638. Si laesus plene restituitur; patrator commeruit condemnationem ad locum munitum aut ergastulum in duos annos ad tres vsque.

§. 639. Si laesus mutilatur aut deformatur, patrator commeruit condemnationem ad locum munitum aut ergastulum in annos quatuor ad sex vsque.

§. 640. Si laesus laesione illata est defunctus; patrator tanquam occisor (*Todtschläger*) punitur.

§. 641. Si iniurians poena data gloriatur de iniuria, alteri a se illata; locus est eiusdem poenae reiterationi.

§. 642. Iniuria eadem reiterata, duplicanda est poena, quam ante sustinuit.

§. 643. Iniuriarum inter milites et ciues poena in reum duplicatur. De iniuriis inter milites et ciues.

§. 644. Si in hoc casu iniuriae reales, aut graues verbales et symbolicae sunt admissae; in locum poenae carceris succedat condemnatio ad locum munitum aut ergastulum.

§. 645. Si iniurians est ordinis militum; pro re nata, ac personarum laesarum qualitate, et dignitatis puniendi ratione habita, decernatur carcer, transpositio ad gradum inferiorem, (degradatio), castigatio per commilitones ordine dispositos (*Gassenlaufen*),



Source : BIU Cujas

condemnatio ad munitiones (*Feſtungsarbeit*), aut cuſtodia (arreſtum) in loco munito.

De iniuriis militibus in ſtatione illatis.

§. 646. Iniuriarum poena ſecundum §. 643. 644. commiſſa duplicatur, ſi iniuria illata eſt militi officio ſuo fungenti.

§. 647. Si cum iniuria fuit coniuncta repugnatio violenta contra milites, qui ſunt in ſtatione; delinquenti, praeter poenam, ſecundum §. 646. commiſſam, irroganda quoque eſt, pro re nata poena §. 158. aut §. 167-173. ſancita.

§. 648. Milites repugnantes militibus, qui ſunt in ſtatione, puniuntur ſecundum propiorem legum militarium definitionem.

Vbi iudex ex officio de iniuria inquirere debeat.

§. 649. In iniurias leues verbales et ſymbolicas ex officio inquirere iudicis non eſt.

§. 650. In graues quoque huius generis iniurias tunc tantum ex officio eſt inquirendum, et poena irroganda, ſi in loco publico aut ſolennibus ſunt factae.

§. 651. Idem valet de iniuriis realibus leuibus, §. 649. 650. inter ordinis ruſtici aut ciuici plebeii homines admiſſis.

§. 652. Neque iudicis officio opus eſt, ſi eiusmodi iniuriae reales leues inter coniuges, parentes et liberos, docentes et diſcentes, heros et famulos ſunt admiſſae.

§. 653. At contra, in alias iniurias reales iudicem ex officio oportet inquirere et eas punire.

§. 654. Cuilibet, qui pertinet ad ordinem ciuicum ſuperiorem, aut nobilem, aut militarem, liberum eſt, ſi actionem iniuriarum inſtituere non vult, iniuriam ab altero ſibi illatam, vna cum argumentis factum probantibus, ad iudicem tantum deferre, qui de ea inquirat.

§. 655. Iudicem deinde, ſi de re inquirendum eſſe inuenit, ex officio in iniuriam oportet inquirere, et ſententiam ferre de poena iniurianti irroganda.

Source : BIU Cujas

§. 656. At contra laesus, qui actionem iniuriarum instituere ipse noluit, satisfactionem priuatam exigere nequit.

§. 657. In casibus omnibus, vbi iudicem ex officio in iniuriam oportet inquirere, iniurians a poena non liberatur eo, quod laesus satisfactioni priuatae renuntiauit. De remissione iniuriarum.

§. 658. At contra, de iniuria, semel expresse aut tacite remissa, satisfactio priuata postea nequit exigi.

§. 659. Satisfactio priuata tunc tantum tacite remissa est habenda, si laesus iniuriam, licet ea eiusque auctor ei innotuerit, intra tres menses non vindicauit.

§. 660. At tunc tamen nondum quoque extinctum est ius laesi, agendi ad resarciendum damnum vere datum.

§. 661. Facta iniuriarum nondum extinctarum retorsione, pars neutra satisfactionem priuatam potest petere. De iniuriarum compensatione et retorsione.

§. 662. Si tamen iniuriae reales iniuriis mere verbalibus aut symbolicis in continenti retorquentur; hac retorsione ius, ad satisfactionem priuatam agendi, non amittitur.

§. 663. Iniuriarum mutuarum poena nunquam tollitur retorsione.

§. 664. At mitigetur tamen eius poena, secundum leges commissa, qui iniuria sibi illata ad eam in continenti retorquendam fuit lacessitus.

§. 665. Retorsio omnis, post aliquod tempus elapsum demum facta, retorquentem non excusat.

§. 666. In genere nemini licet, proprio ausu sibi sumere satisfactionem iniuriarum, quas sibi putat esse illatas.

§. 667. In primis ii, qui eiusmodi satisfactionem duello priuato sumere sibi audent, grauissima poena ideo sunt afficiendi. De duellis in genere. Poenae.



Source : BIU Cujas

§. 668. Hinc alium ad duellum euocans, pro ratione iniuriae maioris aut minoris, qua ad euocandum alterum eſt laceſſitus, commeruit condemnationem ad locum munitum in tres ad ſex annos vsque.

§. 669. Euocationem accipiens, et factis ſuis ſe ad duellum eſſe paratum ſignificans, proportione maiorum aut minorum excuſandi rationum, quae ipſi profunt, condemnetur ad locum munitum in annum ad tres annos vsque

§. 670. Euocatione, aut eius acceptatione, partes quidem priuantur iure, ſatisfactionem priuatam petendi; ipſas vero, praeter poenam duello ſuſcepto commiſſam, adhuc quoque manet iniuriarum poena.

§. 671. Si duello acto altera pars eſt occiſa; ſuperſtes pro ratione intentionis afficiatur poena capitali in homicidas doloſos (*Mörder*) aut occiſores (*Todtſchläger*) ſtatuta.

§. 672. Nemine occiſo, pars vtraque priuatur nobilitate, et honoribus, quibus fungitur; et praeter ea, pro re nata, condemnatur ad locum munitum in annos decem ad vitae dies vsque.

§. 673. Qui duelli priuati poenae fuga ſe ſubduxit, eius bona, quae in terris regiis poſſidet, dum viuit, retineantur; ipſi ex iis ne minimum exhibeatur; at eius effigies ſemper affigatur palo infami.

Media praecauendi.

§. 674. Qui altercatione exorta telum letale arripit, afficiendus eſt, licet damnum nondum ſit datum, cuſtodiae (arreſti) in loco munito poena ſex menſium ad annum vsque.

§. 675. Atque iam ille, qui tantum minitatur, alterum a ſe ad duellum euocatum, aut modo ignominioſo laeſum iri, tanquam pacem turbans carceris poena anni ad duos vsque eſt afficiendus.

§. 676. Qui alterum incitat, vt ſatisfactionem, quam petere ſe poſſe exiſtimat, duello ſibi quaerat; vti

Source : BIU Cujas

et ille, qui ad promouendum duellum scienter auxiliatoris (*Secundant*) aut internuntii (*Carteliträger*) personam agit, commeruit, si quis est occisus, condemnationem ad locum munitum in decennium, alias autem in quinquennium.

§. 677. Qui famae aut existimationis causam, transactione aut sententia compositam, partibus exprobrat, aut ob eam contemtum significat, tanquam concitator condemnatur ad locum munitum in annum ad quinque annos vsque; et praeterea priuatur honoribus, quibus forte fungitur.

§. 678. Si indigenae ad duellum extra regnum conficiendum se euocant, duellum, licet extra regni fines sit actum, eadem tamen vindicatur poena, qua duellum in terris regiis confectum. Leges ad locum duelli et qualitatem personarum duello inter se contendentium spectantes.

§. 679. Si persona, in terris regiis commorans, extero euocationem ad duellum misit, aut eiusmodi euocationem ab extero missam intra terras regias acceptauit; ob euocationem, aut eius acceptationem, secundum regni leges §. 668. sqq. punitur.

§. 680. Si indigena secundum eiusmodi euocationem (§. 679.) cum subdito extero, extra terras regias domicilium habente, extra regni fines duellum confecit; poena duellorum quidem obtinet, at tamen non nisi sub limitatione §. 15.

§. 681. Sub eadem limitatione poena duellorum obtineat, si indigena, ob duellum, de quo extra regni fines est conuentum, et quod ibidem est confectum, puniendus est, petente magistratu loci, vbi duellum est actum.

§. 682. Peregrini quoque, in terris regiis ad duellum se euocantes, subeunt poenas, regni legibus in duella statutas.

§. 683. Peregrini, qui duellum, de quo in terris exteris inter eos conuenit, in terris nostris confecerunt, comprehendantur, et loci sui magistratui, si petat, tradantur.



Source : BIU Cujas

§. 684. Indigenae, qui in eiusmodi duellis auxiliatores aut internuntii fuerunt, poenam commiserunt in regni legibus §. 676. sancitam.

§. 685. In casibus omnibus, vbi secundum praecepta antecedentia regni leges de duellis applicari nequeunt ad duellum, ab indigenis extra terras regias, aut a peregrinis in terris regiis confectum, nihilo minus tamen, si quis in iis est vulneratus, aut vel adeo occisus, patrator secundum praecepta sectionis vndecimae de corporis laesionibus, atque auxiliatores aut internuntii tanquam delicti huius socii, sunt puniendi.

§. 686. Si milites se inuicem iniuria afficiunt, aut ad duellum euocant; singulares obtinent leges ideo latae.

§. 687. Si ciuici ordinis persona a milite ad duellum est coacta; de delicto militis prius sententia est ferenda, et pro ratione poenae, hac sententia irrogatae, proportioni conuenienter quoque definienda poena, ciuici ordinis personae irroganda.

§. 688. At contra, legibus antecedentibus de duellis in genere latis locus est, vi integra, contra ordinis ciuici personam, militem euocantem, aut alio modo ad duellum cogentem.

§. 689. Si personae, neque ad nobilium, neque ad militum praefectorum ordinem referendae, aliquem gladio aut armis iaculatoriis petunt; aut aduersarium ad duellum euocant; aut euocationem acceptant: eiusmodi factum pro homicidii dolosi (*Mord*) tentamine est habendum, et puniendum.

§. 690. Si eiusmodi homines ad pugnam, baculo aut instrumentis aliis minus periculosis committendam se euocant aut verberant; iniuriarum realium poena duplici afficiantur.

Source : BIU Cujas

## Sectio Vndecima.

### *De corporis laesionibus.*

§. 691. Quilibet obligatur, ad actiones suas eo modo instituendas, vt neque committendo neque omittendo aliorum vitam aut valetudinem in periculum vocet. Principium.

§. 692. Omnia, ex quibus eiusmodi graue periculum potest exoriri, grauibus politiae prohibitionibus, et poenis aequis (proportionatis), quantum fieri potest, sunt praecauenda. Media praecauendi:

§. 693. Nemo praeparet, vendat, aut alio modo cedat aliis, absque expressa regni venia, puluerem pyrium, venena, medicamenta, et materiam aliam, quorum praeparatio, custodia et vsus rectus singularem supponit scientiam. 1. in vendendis puluere pyrio, venenis, et medicamentis;

§. 694. Quod qui nihilo minus facit, licet damnum nullum inde fuerit datum, eius copia confiscetur; et ipse, pro ratione periculi exorti, et lucri quaesiti aut vere percepti, afficiatur multa pecuniaria viginti thalerorum ad centum vsque.

§. 695. Pharmacopolas, et omnes eos, quibus venenorum et medicamentorum praeparatio et venditio licet, in iis praeparandis et vendendis diligentiam et curam adhibere oportet; ne vsu peruerso et immodico vllius vitae et valetudini noceatur.

§. 696. Medicamenta, ne praeparent aut aliis exhibeant (exceptis solis medicamentorum generibus in ordinatione medicinali denominatis) absque medici a regno approbati praescripto.

§. 697. In primis medicamenta periculosa et venena tradant tantum in manus eorum, qui ius ea accipiendi eiusmodi medici (§. 696.) testimonio scripto acquisiuerunt.

§. 698. Personis satis notis et haud suspectis, vel absque eiusmodi testimonio, tradi quidem potest venenum, ad vsum iustum ab iis indicatum;



Source : BIU Cujas

§. 699. At eiusmodi perſonas venenum vel ipſas oportet deportare, vel pharmacopolam venenum probe clauſum et munitum per ſuos in ipſarum manus oportet tradere.

§. 700. a) Qui loco praeſens non degit, eum oportet, ſub propria defenſione, ad deportandum eiusmodi res noxias dato mandato ſcripto eligere perſonas certas; quas edocere pharmacopolam oportet, qua ratione res iſtae absque damno poſſint aſportari.

§. 700. b) Atque etiam puluis pyrius tradi tantum poteſt perſonis haud ſuſpectis, de quibus confidendum eſt, eas ſcire, qua ratione puluis pyrius tractandus eſt; et in eo vendendo ab iis, qui puluere pyrio commercium faciunt, obſeruandum quoque eſt praeceptum (§. 699. 700. a.)

§. 701. Qui contra praecepta antecedentia agit (§. 695. ſqq.) pro culpae gradu, et periculi inde exorti magnitudine, afficiendus eſt multa pecuniaria thalerorum decem ad quinquaginta vsque; et pro re nata, in primis in caſu reiterationis, declarandus eſt priuilegio ſuo priuatus.

2. intuitu curationum internarum et externarum.

§. 702. Nemo, ſine regni venia antea impetrata, ſanandis vulneribus aut curandis morbis internis quaeſtum faciat, ſub arbitraria multa pecuniaria aut carceris poena.

§. 703. Sub eadem poena pharmacopolae et chirurgi morbis internis curandis omnibus abſtineant, niſi ipſis expreſſe eſt data permiſſio eos curandi.

§. 704. Medici ocularii, et dentibus operam nauantes, calculorum exſectores, et herniarum ſectores (*Bruchſchneider*) quaeſtum ſuum exercere non audeant, antequam inſtantiae (collegii medici) impetrarunt veniam, examinatis antea eorum peritia et procedendi modo.

§. 705. Quod ſi nihilo minus ſit, eo ſolo iam commiſerunt multam pecuniariam quinque thalerorum

Source : BIU Cujas

ad decem vsque, aut poenam carceris dierum octo ad quatuordecim vsque.

§. 706. Medici dentibus operam nauantes, et ocularii, herniarum sectores et calculorum exsectores, medici circumforanei, homines herbarii et olitores, obstetrices, pastores, opiliones, carnifices, et alii omnes, qui internis morbis curandis aut vulneribus sanandis quaestum faciunt, absque magistratus venia, aut medico approbato non adhibito et consentiente, pro re nata, et maiori vel minori remediorum adhibitorum periculo, puniendi sunt carcere dierum quatuordecim ad sex hebdomadas vsque.

§. 707. Si eiusmodi quaestum illicitum lucri cupiditate ducti fecerunt; tanquam fraudatores afficiendi sunt poena ergastuli in menses tres ad sex vsque.

§. 708. Si eiusmodi medici clandestini sunt peregrini: poena data ex regni finibus sunt exterminandi; et nihilo minus ad faciendum quaestum prohibitum reuersi, sine vllis ambagibus tanquam vagabundi tractandi (§. 191. sqq.)

§. 709. In indigenas, in reiterationis casu poena est duplicanda; qui tunc, pro re nata, relegandi sunt ex loco, aut prouincia, vbi quaestum illicitum fecerunt.

3. Intuitu obstetricium;

§. 710. Nemo absque praeuia regni examinatione et approbatione quaestum exercere audeat parturientibus opem ferendo.

§. 711. Quod qui faciunt, carceris poena octo dierum ad hebdomadas quatuor vsque afficiantur, et eam admonitionem contemnentes ex praesentis domicilii loco relegentur.

§. 712. Si in partu quodam circumstantiae difficiles et insolitae accidunt, obstetricis est, medicum approbatum, quatenus eius datur copia, arcessendum curare.



Source : BIU Cujas

§. 713. Idem fiat neceſſe eſt, ſi mater aut infans in partu vitam amittunt.

§. 714. In tali caſu concionatores et aedituos, ſi de obſtetricis agendi ratione, poena digna, certiores ſunt facti, ad magiſtratum rem oportet deferre.

§. 715. Sola denuntiationis omiſſio in caſibus antecedentibus (§. 712-714.) arbitraria multa pecuniaria aut carceris poena vindicetur.

§. 716. Si partus, qui forma humana prorſus videntur deſtituti, viui eduntur; neque parentes, neque obſtetrices eiusmodi partum propria auctoritate audeant ſupprimere. (P. I. Tit. I. §. 17. 18.)

§. 717. Quin potius obſtetricem hunc caſum ſtatim denuntiare oportet magiſtratui, cuius eſt adhibitis rei peritis caſum diligenter cognoſcere, et referre ad ſuperius collegium, quod vlterius diſponat.

§. 718. Parentes et obſtetrices, contra hoc praeceptum, eiusmodi partum monſtroſum auctoritate propria ſupprimentes, pro re nata, afficiantur poena carceris aut ergaſtuli quatuordecim dierum ad tres menſes vsque.

§. 719. Qui partum dolo interficit, ſi monſtrum fuit manifeſtum, commiſit poenam carceris aut ergaſtuli hebdomadarum ſex ad ſex menſes vsque, alias vero poenam homicidarum doloſorum (*Mörder*).

§. 720. Obſtetrix absque graui impedimento auxilium vlli denegans, licet nullum damnum ſit ſecutum, nihilo minus arbitrariam ſoluat multam pecuniariam aut luat poenam carceris.

§. 721. Si ea inofficioſitas abiit in conſuetudinem; quaeſtus exercitium ei prorſus eſt interdicendum, et in eius locum conſtituenda eſt alia.

4. intuitu alimentorum et potuum;

§. 722. Nemo nutrimenta aut potulenta, quae pro natura ſua valetudini nocent, ſub graui multa pecuniaria aut corporis poena, ſcienter vendat, aut cum aliis communicet vtenda.

Source : BIU Cujas

§. 723. Qui eiusmodi alimenta modo valetudini noxio adulterat; cum materiis noxiis commiscet; in primis vero mediis saturni (*Bleymittel*) in potulentis vtitur, pro re nata, et periculo valetudini inde exorto, afficiatur poena ergastuli, aut condemnetur ad locum munitum in annum ad tres annos vsque.

§. 724. Praeter poenam ii, qui scienter vendunt nutrimenta corrupta, aut noxiis additamentis commixta, in perpetuum priuantur iure exercendi quaestum, quo sunt abusi.

§. 725. Eiusmodi nutrimentorum copia inuenta, si remoueri vitium nequit, statim ad nihilum redigatur; alias vero confiscetur, sumtibus legem violantis in statum idoneum restituatur, et in pauperum fauorem impendatur.

§. 726. Culcitae, vestimenta, et res aliae, quibus personae morbis pestilentis defunctae, ad corpus tegendum aut modo alio more solito sunt vsae, sub arbitraria poena corporis afflictiua aut multa pecuniaria statim flammis sunt delendae. 5. intuitu vestimentorum, plumarum, et culcitarum;

§. 727. a) Si aegrotus morbo contagioso alio est defunctus; eiusmodi vestimentorum et rerum vsus aut venditio tunc tantum est licitus, si medicus approbatus pro officio testatur, remediis necessariis adhibitis, contagionis periculum iis esse ademtum.

§. 727. b) Qui plumarum pondus cerussa auget, commisit poenam §. 723-725. definitam.

§. 728. Ne quis vtatur ad praeparandos cibos vasibus cupreis, stanno non obductis. 6. intuitu vasorum culinariorum;

§. 729. Fabri aerarii et alii omnes, eiusmodi vasa stanno non probe obducta vendentes, puniantur confiscatione copiae, et multa pecuniaria thalerorum decem ad viginti vsque; at in reiterationis casu magisterio priuentur.

§. 730. Eadem poena ii tenentur opifices, qui vasa culinaria cuprea stanno obducentes addunt plumbum.

Source : BIU Cujas

§. 731. Incautus carbonum vſus in conclauibus clauſis, vbi vapor perſonis, quae ſunt in iis, eſſe periculo poſſet, licet nullum adhuc damnum ſit datum, tamen vindicandus eſt multa pecuniaria thalerorum trium ad decem vsque, aut arbitraria carceris poena.

7. intuitu publicae munditiae;

§. 732. Loci cuiusque magiſtratum ſub propria defenſione oportet attendere, vt legibus politiae, ad publicam munditiem ad aedes et in viis publicis conſeruandam latis, ſub arbitraria multa pecuniaria aut carceris poena, accurate et diligenter morem gerat quisque, nulla ordinis et dignitatis ratione habita.

8. intuitu morum erga grauidas et infantes nondum natos.

§. 733. Nemo in perſonam, cuius grauiditas eſt conſpicua, aut ipſi nota, vel adeo ea praeſente, ſcienter facta committat, quibus vehementes animi motus ſolent excitari.

§. 734. Si eiusmodi factum in ſe iam eſt poena dignum; in tali caſu locus eſt exaſperationi poenae.

§. 735. Si in factum ipſum poena nulla eſt ſtatuta; prout ex dolo, petulantia, aut imprudentia lata eſt commiſſum, arbitraria multa pecuniaria, aut carceris poena, aut corporis caſtigatio eſt irroganda.

§. 736. Ne iis quidem, quibus alias ius caſtigationis modicae competit, eo iure vti licet in eiusmodi feminas grauidas, durante grauiditatis tempore, ſub arbitraria carceris poena aut multa pecuniaria.

§. 737. Feminas, durante grauiditate, et partu nondum edito, defunctas ſepelire non licet, antequam ad ſeruandum partum, in vtero latentem, adhibita cautione iuſta, diſpoſita ſunt neceſſaria.

9. erga infantes lactentes.

§. 738. Matres et nutrices infantes duos annos nondum egreſſos noctu in ſuos lectos non recipiant, neque ſecum aut cum aliis dormire ſinant.

Source : BIU Cujas

§. 739. Quod quae faciunt, pro re nata, et periculo obuersante, carceris poenam aut corporis castigationem commeruerunt.

§. 740. Nemo, absque probabili nocturnae aggressionis periculo, sclopeta glande onerata domi custodiat, et multo minus locis collocet aut suspendat, ad quae infantibus aut imperitis aliis aditus patet. 10. intuitu sclopetorum.

§. 741. Peregrinantes quoque, aut venatores, sclopeta glandibus onerata secum portantes, si domum intrant, aut loco vllo inter homines commorantur, eorum perpetuam et immediatam curam et inspectionem oportet gerere, aut ea exonerare.

§. 742. Hospites, apud quos eiusmodi personae diuertuntur, attendant, vt alterutrum fiat, aut ipsi sclopeta eo modo custodiant, ne damnum inde possit oriri.

§. 743. Contra haec praecepta (§. 740 742.) agens semper est dandus in custodiam (arrestum) in octo dies ad quatuordecim vsque, aut multa pecuniaria quinque thalerorum ad decem vsque afficiendus.

§. 744. Si eiusmodi sclopetis, et incauto eorum vsu, vllius vita, corpus, aut bona laeduntur; non is solum, qui ea secum fert, sed paterfamilias etiam aut hospes (caupo), qui obligationi suae non satisfecit, commeruit poenam carceris aut condemnationem ad locum munitum in hebdomadas quatuor ad sex menses vsque.

§. 745. Qui in locis ab hominibus habitatis, aut vbi commeare homines solent, bombardis, sclopetis vento globos explodentibus, aut arcubalistis (*Armbrüste*) vtitur, aut ignes artificiosos sine singulari magistratus venia accendit, multam pecuniariam soluat thalerorum quinque ad quinquaginta vsque, licet nullum inde damnum sit datum.

§. 746. Nemo gestet dolones (*Stilets*) et laminas trium laterum, *Schilfklingen* dictas. 11. intuitu gestationis armorum

Source : BIU Cujas

clandeſtinorum;

§. 747. Hominibus plebeiis in baculis aut alio modo arma occulta geſtare non licet.

§. 748. Sola eiusmodi armorum prohibitorum geſtatio vindicetur eorum confiscatione, et multa pecuniaria thalerorum quinque ad viginti vsque.

12. intuitu alendarum ferarum beſtiarum;

§. 749. Absque ſingulari magiſtratus venia nemini licet alere feras, aut beſtias alias natura nociuas.

§. 750. Quam veniam magiſtratus ſub defenſione propria non impertiat, niſi antea ipſi perſuaſum ſit, diſpoſita eſſe omnia, quae ſunt neceſſaria, ad auertendum damnum metuendum omne.

§. 751. Qui absque magiſtratus venia feras nociuas alit, eum in continenti remouere eas oportet, et praeter ea ſoluere multam pecuniariam viginti thalerorum ad quinquaginta vsque.

§. 752. Eadem poena tenetur, qui magiſtratus veniam quidem impetrauit, poſtea vero non ea diſpoſuit, quae ad auertendum damnum omne ſunt neceſſaria.

§. 753. Eodem modo punitur dominus beſtiae alias cicuris, cui ſunt qualitates nociuae ſingulares, ſi non diſpoſuit ea, quae ad praecauendum damnum metuendum ſunt neceſſaria, ſimulac qualitates iſtae in notitiam ei venerunt.

§. 754. Quilibet quoque obligatus eſt, vt exacte obſeruet leges politiae, ad praecauendum canum furorem latas, ſub multa pecuniaria aut poena corporis afflictiua in iis definita.

§. 755. Qui canes in homines concitat, licet nullum damnum inde ſit exortum, arbitraria multa pecuniaria aut corporis poena afficiatur.

13. intuitu equo et curru vehentium.

§. 756. In plateis, et viis, pontibus et locis publicis, vti in locis ab hominibus habitatis et frequentatis, nemini licet equo aut curru celeriter vehi.

§. 757. Cuius praecepti violatio vindicetur multa pecuniaria thalerorum quinque ad decem vsque, aut aequa carceris poena.

Source : BIU Cujas

§. 758. Si equi vitia violationis causa fuerunt; equo aut curru vehens a poena tunc tantum liberatur, si hoc vitium antea ignorauit.

§. 759. At contra, poena tenetur equi dominus, qui alterum de hoc vitio non tempestiue monuit.

§. 760. Poenam §. 757. sancitam is quoque commisit, qui equos, absque iusta cura incustoditos esse sinit in locis publicis, viis, aut aliis locis apertis, vbi erumpendo, mordendo, feriendo aut calcitrando possunt nocere.

§. 761. Sub eadem poena nemo audeat, intra vrbem equos currui reddere idoneos (*einzufahren*), aut noctu traha sine tintinnabulis vehi.

§. 762. Nemo in locis, vbi vulgo fit iter, ad fenestras aut ad aedes aliquid collocet, aut suspendat non satis affixum, quod praecipitatum casu nocere cui posset. 14. intuitu rerum suspensarum aut collocatarum;

§. 763. Quam legem violans compellatur ad remouendum sine mora, quod ab eo collocatum est aut suspensum, et praeterea afficiatur quinque thalerorum poena. (P. I. Tit. VIII. §. 74. seqq.)

§. 764. Eandem poenam is commisit, qui res, quibus praetereuntibus posset noceri, ex domo aut fenestris proiicit.

§. 765. Dominus omnis obligatur, ad aedificia sua in eo statu conseruanda, ne eorum ruina aut casu inhabitantibus vel praetereuntibus noceatur. 15. intuitu aedificationum et refectionum.

§. 766. Quod qui negligit, eum magistratus vi compellat ad aedificia conseruanda, et eius negligentiam vindicet multa pecuniaria decem thalerorum ad triginta vsque, aut poena corporis proportionata.

§. 767. Si domino deficiunt opes, eiusmodi refectiones curandi; magistratum, sub propria defensione, ex officio eatenus eas curare oportet, quatenus opus est, ad auertendum periculum publico imminens. (P. I. Tit. VIII. §. 40. sqq.)

Source : BIU Cujas

§. 768. Architecti, qui in aedificando aut reficiendo, aut in eligenda materia, ad aedificandum et reficiendum neceſſaria, contra architecturae regulas generaliter receptas ſic egerunt, vt inde periculum inhabitantibus aut publico exoriatur, ad vitium propriis ſumtibus remouendum ſunt adigendi.

§. 769. Quod vitium ſi ſecundo committunt; iis praeter ea vlterius quaeſtus exercitium, ſub poena carceris anni vnius ad duos annos vsque, eſt interdicendum.

§. 770. Exceptio, aedificii dominum ipſum vitioſum aedificandi modum, aut materiae inutilis vſum poſtulaſſe aut approbaſſe, architecto nunquam profit.

§. 771. Si quis obligationem, publica aedificia, vias, pontes etc. conſeruandi, ipſi incumbentem neglexit: excitatorio fruſtra ei transmiſſo, magiſtratus refectiones neceſſarias ex officio inſtituat; at refectionis ſumtus via executionis exigat.

§. 772. Praeterea commiſit multam pecuniariam thalerorum quinque ad triginta vsque, aut proportionatam corporis poenam.

§. 773. In aedificationibus et refectionibus omnibus curam immediate gerentes oportet diſponere neceſſaria, ne materiae et tabulatorum murariorum exſtructorum caſu, aut alio modo, vlli noceatur.

§. 774. Eiusmodi loca, vbi aedificatur, perticis ita ſunt cingenda, vt in primis liberi et animalia ab eiusmodi locis periculoſis arceantur.

§. 775. Cuius praecepti omiſſio in negligenter curam gerentes graui poena carceris aut multa pecuniaria eſt vindicanda.

§. 776. Legum politiae violationes poenae in eas ſtatutae tunc quoque ſequuntur, ſi damnum nullum inde eſt exortum.

De laeſionibus culpoſis.

§. 777. At vero, ſi legis violatione vllius valetudo aut vita vere eſt laeſa; legem violans praeter ea

Source : BIU Cujas

ea adhuc pro eo habetur, qui damnum intulit ex culpa lata.

§. 778. Pro huius culpae gradu; pro ratione damni maioris aut minoris; et prout laesus in statum integrum plene potest restitui, aut non restitui, in laedentem locus sit carceris poenae, aut condemnationi ad locum munitum in mensem vnum ad annos duos vsque.

§. 779. Si graui hominis laesioni causa data est neglectis ex culpa lata obligationibus muneris aut officii certis singularibus; violans adhuc, praeter poenam ex praecepto antecedenti ei irrogandam, ad eiusmodi munus aut quaestum declaretur in perpetuum inidoneus.

§. 780. Is quoque, qui non quidem violatis legibus expressis aut praeceptis singularibus, at neglecta tamen ex culpa lata cautione generali, secundum §. 691. omnibus incumbente, alicuius valetudini aut vitae damnum infert, semper proportionatam commeruit corporis poenam.

§. 781. Quae poena pro ordine et aetate violatoris; pro culpae ipsius gradu; damni grauitate; et laesi restitutione secuta aut non secuta definienda est, in corporis castigationem, aut carceris poenam dierum quatuordecim ad annum vsque.

§. 782. Qui absque sui ipsius graui periculo hominem ex raptorum aut homicidarum (*Mörder*) manibus, ex aquae et incendii, aut alio vitae periculo imminenti seruare posset, et non seruat; luat, si alter vere vitam amittit, carceris poenam dierum quatuordecim. Seruatio ex mortis periculo;

§. 783. Praeterea animus eius amoris expers, et poena ei irrogata, publice promulgetur, in ipsius pudorem, et aliorum exemplum.

§. 784. At contra animus generosus eius, qui hominis vitam conseruauit, nominatim et publice promulgetur, et pro re nata praemio afficiatur.



Source : BIU Cujas

in primis ſpecie mortuorum (*Scheintodten*).

§. 785. Qui ſpecie mortuum deprehendit, eum ſub poena §. 782. dicta, illi celeriter auxilium ferre oportet, et ideo a regno expectare poteſt impenſarum refuſionem, et praemium in politiae legibus definitum.

§. 786. Quod praemium ſi recuſat, pecuniae ſumma in praemium deſtinata ex eius praeceptione inter pauperes eſt diſtribuenda; et ipſi ob generoſam et liberalem operam ſecundum praeceptum §. 784. publice ſunt agendae gratiae.

§. 787. Pro opera, licet fruſtra fuerit impenſa, vna cum expenſarum refuſione dandum eſt praemii §. 785. dimidium.

§. 788. Aqua ſubmerſi ſtatim ex aqua ſunt extrahendi; vaporibus noxiis ſuffocati in aërem liberum efferendi; ſuſpenſi ablaqueandi; atque etiam eiusmodi ſpecie mortui in caſu omni a veſtimentis ſtringentibus liberandi.

§. 789. Quae cautio vltima quoque intuitu eorum eſt adhibenda, qui noxiis vaporibus ſuffocati, in aërem refrigeratum ſtatim ſunt efferendi.

§. 790. Quam primum poteſt fieri, medicus aut chirurgus accerſatur; et magiſtratui proximo caſus denuntietur; caeterum ſpecie mortui ſecundum propiora legum politiae praecepta tractentur neceſſe eſt.

§. 791. Magiſtratus ille, cui caſus eſt denuntiatus, licet non ſit competens, ſine mora ſpecie mortuos conſeruandos curet neceſſe eſt.

§. 792. In magiſtratus, quibus iurisdictio competit, et medicos, in ferendo auxilio praeſcripto negligentes, aut illud non continuo praeſtantes, inquirendum eſt; quos praeter inquiſitionis ſumtus, ſoluere quoque oportet ſumtus, ſecundum praeceptum §. 785. alias ex aerario publico erogandos.

§. 793. Praeterea eorum animus amoris expers in eorum pudorem publice eſt promulgandus.

Source : BIU Cujas

§. 794. De laesionibus leuioribus omnibus culpa illatis, pro re nata, decerni potest loco poenae corporis, §. 778. et 780. sancitae, multa pecuniaria proportionata.

§. 795. Laeso vel eius familiae a laedente esse resarciendum damnum, quod laesus membris, valetudine, aut deformatione est perpessus, et quo modo resarciendum sit, suo loco est sancitum. (P. I. Tit. VI. §. 98. seqq.)

§. 796. Verbera mera, aut laesiones leues aliae dolo illatae, quae laesi intuitu sunt sine effectibus noxiis aliis, aeque puniantur, ac iniuriae reales. (§. 628. seqq.) Violatio dolosa, s. laesio.

§. 797. At vero, si quis alteri dolo intulit laesiones graues, ex quibus eius valetudini aut membris graue damnum potuit oriri; semper locus sit proportionatae ergastuli poenae, aut condemnationi ad locum munitum.

§. 798. Pro laesionis ipsius natura, damni illati grauitate, et restitutione laesi sequente, diuturnitas huius poenae in menses duos ad tres annos vsque est definienda.

§. 799. Si quis in laesione illata laesi mutilationem aut deformationem vere subsecutam intendit; poena ad sex annos vsque potest prolongari.

§. 800. Si laesus hac laesione ad negotia sua expedienda factus est inidoneus; locus sit poenae ergastuli aut condemnationi ad locum munitum in sex annos ad decem vsque.

§. 801. Infania dolo procurata occisioni (*Todtschlage*) aequiparatur (§. 863.), at hoc casu excepto ille, qui insaniae perpetuae sua culpa causam praebet, ea poena afficitur, quae proxime accedit ad poenam, in casu mortis subsecutae commissam.

§. 802. Qui ipse dolosa corporis mutilatione ad officia ciuica, aut ad expedienda certa negotia vi muneris ipsi incumbentia se reddit inhabilem; publicam castigationem corporis sentiat, et luat poenam



Source : BIU Cujas

ergaſtuli, aut condemnetur ad locum munitum in annum, ad tres annos vsque.

§. 803. Mortem ſibi inferentes (ſuicidae) poſt mortem non quidem ignominia ſunt afficiendi, at priuentur tamen iis omnibus, quibus alias mors aut memoria aliorum eiusdem ordinis aut dignitatis ſolet honorari.

§. 804. Qui ad effugiendam poenam infamantem, grauibus delictis commiſſam, ipſi ſibi mortem inferunt, pro arbitrio iudicii proceſſum dirigentis loco ſupplicii terrae infodiantur.

§. 805. Sententia poenam irrogans, ſi iam eſt in eos lata, exequenda eſt in cadauere, quantum fieri poteſt, modo conuenienti, et ad alios deterrendos.

Occiſio (*Todtſchlag*). §. 806. Qui alteri nocendi animo infeſto talia facta committit, quibus pro rerum natura et ordine, omnibus aut ipſi in primis noto, mors laeſi neceſſario debuit effici, et laeſum iis re vera vita priuat; tanquam occiſor (*Todtſchläger*) gladii poenam commiſit.

§. 807. Probatio erroris, in occiſi perſona commiſſi, in regula tantum efficere poteſt exaſperationem, at non mitigationem poenae, ſecundum §. 806. commiſſae. (§. 873. ſqq.)

§. 808. Quatenus eiusmodi error malae intentionis nocentiam, aut delicti periculum minuit, eatenus ideo tantum locus eſſe poteſt mitigationi poenae grauioris, ſecundum leges obtinentis.

§. 809. Laeſiones omnes, quas mors immediate ſequitur, niſi contrarium ſit probabile, ſunt mortis cauſa habendae.

§. 810. Praeterea, ex occiſi conſtitutione corporis indiuidua diiudicandum eſt, an laeſio ſit letalis.

§. 811. Si auctor vitae periculum ex facto ſuo oriundum vel probabiliter tantum praeuidit; nihilo minus tamen commiſit poenam capitalem §. 806. definitam.

Source : BIU Cujas

§. 812. Patrator re vera praeuidisse praesumitur periculum illud, quod ipsum sub circumstantiis obuersantibus latere non potuit.

§. 813. Qui instrumento ad necandum destinato vtitur modo mortifero, contra eum legalis stat praesumtio, eum vitae periculum praeuidisse.

§. 814. Idem obtinet, si instrumento alio vtitur modo, quo adhiberi necandi tantum intentione solet.

§. 815. Si tamen in casibus §. 811-814. ex circumstantiis singularibus obuersantibus est probabile, patratorem necandi animum non habuisse; in poenae capitalis locum succedat ergastuli poena aut condemnatio ad locum munitum in annos decem ad vitae dies vsque.

§. 816. Si laesionem dolose illatam, at neque per se, neque respectu ad laesum letalem, mors nihilo minus, tanquam huius laesionis effectus mediatus, est secuta; patrator condemnetur ad locum munitum in sex annos ad decem vsque.

§. 817. Si laesio dolo illata in se fuit letalis, at laesi vita circumstantiis singularibus et casu adhuc est conseruata; patrator commeruit condemnationem ad locum munitum in decem annos ad vitae dies vsque.

§. 818. Si occisus conseruari auxilio tempestiuo potuisset, at patrator eum auxilio destitutum reliquit; patrator, tanquam occisor (*Todtschläger*), gladio est puniendus, si periculum inde oriundum non praeuidere non poterat.

§. 819. Si vulnus dolo inflictum in se non letale absque patratoris culpa letale est factum; locus est condemnationi ad locum munitum in sex annos ad decem annos vsque, §. 816. sancitae.

§. 820. Si quis moderamine inculpatae tutelae vtens, huius fines excedendo, aduersarium necauit; in eum obtineat condemnatio ad locum munitum in annos duos ad quatuor vsque.



Source : BIU Cujas

§. 821. Qui in exercendo modicae caſtigationis iure, ipſi competente, partem corporis, cuius laeſionem mors facile poſſet ſequi, dolo laedit; condemnandus eſt, ſi caſtigatus re vera laeſione defungitur, ad locum munitum in annos ſex ad decem vsque.

§. 822. Idem obtineat, ſi in modo aut diuturnitate caſtigationis fines ita exceſſit, vt exceſſum caſtigati mors ſit ſecuta.

§. 823. Si tractationes malae dolo illatae ita fuerunt comparatae, vt mors ſequi eas debuerit, patrator tanquam occiſor (*Todtſchläger*) eſt puniendus.

§. 824. At vero, ſi clare patet, exercitium iuris caſtigandi merum fuiſſe praetextum, at contra, animum necandi vere extitiſſe; homicidii doloſi poena ordinaria obtinet. (§. 826. ſqq.)

§. 825. Excubiae et alii regni officiales, vim adhibendi iure abutentes, quoque diiudicandi ſunt ex praeceptis §. 821–824.

Homicidium doloſum. (*Mord.*)

§. 826. Qui praemeditato occidendi animo occiſionem re vera committit, tanquam homicida doloſus (*Mörder*) afficiendus eſt rotae ſupplicio, a ceruice incipiendo.

§. 827. Si quis, occidendi animo, alteri laeſionem infert, non quidem in ſe, at poſtea tamen per accidens factam letalem; gladio necetur.

§. 828. Si laeſio, animo occidendi illata, in ſe fuit letalis, at laeſi vita circumſtantiis aut caſibus ſingularibus adhuc eſt conſeruata; in auctorem obtinet ſupplicium virgarum ignominioſum vna cum condemnatione ad locum munitum, aut ergaſtuli poena, ad dies vitae.

§. 829. Tractationes ſaeuae et malae, in caede patranda, vel ante vel poſt eam patratam, in occiſum commiſſae, ſemper efficiunt exaſperationem poenae capitalis commiſſae. (§. 47.)

Source : BIU Cujas

§. 830. Poena capitalis nondum excluditur ex ea causa sola, quod homicidae dolosi mala intentio cum vitae suae contemtu fuit coniuncta.

§. 831. Si vero erutum est, aliquem, alias mentis compotem, furore fanatico, aut alias ea intentione, vt morte puniatur, occisionem (*Todtschlag*) commisisse: hic quidem finem suum non obtineat;

§. 832. Sed ad vitae dies carcere arctissimo sub cura et inspectione singulari detineatur, et temporibus certis definitis publice castigetur.

§. 833. Qui vulnere letali fauciorum, aut alio morbo mortifero aegrotorum vitam, ex sua opinione, bono animo abrumpit, eadem poena, qua occisor (*Todtschläger*) culposus, secundum §. 778. 779. est puniendus.

§. 834. Qui alterum petentem occidit, aut eum in autochiria adiuuat, commeruit condemnationem ad locum munitum aut ergastuli poenam in sex annos ad decem vsque; et si grauis est suspicio, eum ipsum in causa fuisse, vt occisus mortem appeteret, ad vitae dies.

§. 835. Homicidae dolosi a poena alias commissa non liberantur ea causa sola, quod occiso praeter ea mors imminuerit.

§. 836. Si occidendi animus, laesio eo animo illata, et occisi mors eam secuta extra omnem dubitationem sunt positi; at ea circumstantia, mortem facti effectum fuisse, ex rationibus aliis, quam ex solo delinquentis indicio vel probabiliter tantum apparet; locus est ordinariae homicidii dolosi poenae.

§. 837. Qui occidendi animo alicui laesionem insanabilem infert, prout vulneratus ex eo vulnere magis aut minus est inutilis factus, aut calamitosus, condemnandus est ad locum munitum, aut afficiendus ergastuli poena in annos decem, viginti, aut ad vitae dies.

§. 838. a) Si occidendi animus iam erupit in actiones externas, quibus autem nondum damnum



Source : BIU Cujas

eſt datum; patrator commeruit condemnationem ad locum munitum aut ergaſtuli poenam annorum quatuor vsque ad ſex annos.

§. 838. b) At vero, ſi a conſummatione facti proprio motu abſtinuit; prouocare ad gratiam faciendam (aggratiationem) poteſt.

De homicidio dolofo conſpiratione praeuia.

§. 839. Si plures ad patrandum homicidium dolofum conſpirarunt, dux, qui ſimul patrator immediatus fuit, commeruit rotae ſupplicium, a cruribus incipiendum.

§. 840. Dux, qui homicidium dolofum immediate non commiſit, ſemper tamen punitur rotae ſupplicio, a ceruice incipiendo.

§. 841. In eum conſpiratorum reliquorum, qui homicidium dolofum re vera patrauit, locus eſt rotae ſupplicio, a ceruice incipiendo; in reliquos autem, qui ſecundum praeceptum §. 71. 74. coauctores ſunt habendi, poenae ergaſtuli aut condemnationi ad locum munitum ad vitae dies.

§. 842. Quod ſi autem de patratore vero non conſtat: conſpirati omnes, qui ad caedem ipſam manus adhibuerunt, gladii poena ſunt afficiendi; dux vero, in hoc quoque caſu, punitur rotae ſupplicio, a ceruice incipiendo, §. 840. definito.

§. 843. Si de auctore conſtat; in conſpiratos reliquos, qui homicidio manum non admouerunt, pro ratione auxilii praeſtiti, ſtatuatur poena ergaſtuli aut condemnatio ad locum munitum in annos decem ad viginti vsque.

§. 844. Si in pugna inter plures commiſſa occiſio (*Todtſchlag*) eſt facta; intuitu patratoris conuicti praecepta obtinent §. 806. ſqq. de occiſione.

§. 845. Si plures occiſo inflixerunt vulnera letalia; eorum ille, qui primus inſtrumentis letalibus in occiſum eſt vſus, tanquam occiſor (*Todtſchläger*) eſt puniendus.

Source : BIU Cujas

§. 846. In reliquos vero quoque conuictos, occiso vulnera inflixisse letalia, pro doli mali ratione obtineat condemnatio ad locum munitum in annos decem ad vitae dies vsque.

§. 847. Qui instrumento adhibito, neque per se neque vsu electo letali (§. 814.), conuicti tamen sunt, vulnus letale occiso inflixisse, condemnentur ad locum munitum, aut afficiantur ergastuli poena in annos sex ad decem vsque.

§. 848. Quomodo occisio in tumultu, absque conspiratione praeuia, commissa sit punienda, in Sect. IV. §. 169 sqq. est sancitum.

§. 849. Qui alterum homicidium dolosum patrare iussit, mandauit, aut ad illud patrandum conduxit, tanquam dux homicidii commissi est puniendus. Homicidium ex iussu.

§. 850. Gladii poena afficitur, si mandatum non expresse ad occisionem vere secutam, attamen ad talem laesionem fuit datum, quam secundum rerum naturam et ordinem cognitum (§. 806.) mors laesi facile potuit sequi.

§. 851. At contra, licet ex circumstantiis appareat, in casu §. 850. occisionem non solum absque eius voluntate, sed etiam contra eius voluntatem esse secutam; nihilo minus commeruit condemnationem ad locum munitum in annos decem.

§. 852. Qui homicidium (*Mord*) iussum patrandum in se suscipit, si circumstantiae praegrauantes non concurrunt, tamen tanquam homicida dolosus puniendus est secundum praeceptum §. 826. rotae supplicio, a ceruice incipiendo.

§. 853. Intuitu huius homicidae dolosi ratio quoque habenda est circumstantiarum, homicidii dolosi poenam in genere exasperantium aut mitigantium.

§. 854. Si quis semel saepius ad interficiendos alios accommodauit operam, traheae impositus ad supplicii Sicarii (assassini).



Source : BIU Cujas

locum trahatur, et ibi afficiatur rotae ſupplicio, a cruribus incipiendo.

Rapina et caedes (*Mord*).

§. 855. Quomodo puniendus ſit ille, qui rapinae cauſa homicidium doloſum committit in ſectione decima quarta (§. 1191-1194.) eſt definitum.

Veneficium.

§. 856. In quodlibet homicidium doloſum, ſub circumſtantiis patratum, aut mediis, quae ſua natura quam maxime difficulter euitari poſſunt et detegi, poenae capitalis genus, delicto ipſo commiſſum, exaſperandum eſt traheae impoſitione, qua delinquens ad ſupplicii locum trahitur.

§. 857. Eiusmodi igitur poena exaſperata ille tenetur, qui veneno aliquem necauit.

§. 858. Crimen veneficii eſt conſummatum habendum, ſi conſtat, occiſum veneno dato eſſe mortuum, et ſi probabiliter ſaltem eſt erutum, mortem accepti veneni verum fuiſſe effectum.

§. 859. Si cadaueris inſpectio fieri non potuit; mors veneni effectus eſt habendus, ſi veneno infectus intra dies octo, a veneni dati vltimi tempore computatos, defunctus eſt, et nulla alia mortis cauſa apparet.

§. 860. Qui ad veneficium patrandum praeparāndo aut apportando veneno doloſe fert auxilium, gladii poena afficiatur.

§. 861. In caſu reiterationis obtinet rotae poena exaſperata §. 854.

§. 862. Si venenum, occidendi animo datum, veneno infectum reddidit inſanum; patrator, ſi recuperatio vſus mentis amiſſi eſt dubia, commeruit rotae ſupplicium, a ceruice incipiendum.

§. 863. Si patratori fuit animus, veneno infectum inſanum reddendi; orta inde inſania, cuius ſanatio eſt dubia, gladii poena obtineat.

§. 864. Eadem poena eſt decernenda, ſi veneno, animo necandi dato, morbus eſt effectus, qui veneno infectum ad dies vitae inutilem reddit aut calamitoſum.

Source : BIU Cujas

§. 865. Si venenum animo maligno datum morbum sanabilem tantum effecit; pro huius morbi diuturnitate et periculo locus sit condemnationi ad locum munitum aut ergastuli poenae in annos decem ad vitae dies vsque.

§. 866. Si cui res non nocentes animo necandi sunt datae; decernatur condemnatio ad locum munitum aut ergastuli poena in annos sex ad annos decem vsque.

§. 867. Qui potionibus amatoriis necat, commeruit condemnationem ad locum munitum aut ergastuli poenam in annos decem ad quindecim vsque.

§. 868. In casu insaniae insanabilis inde effectae, obtineat condemnatio ad locum munitum aut ergastuli poena in annos octo ad decem vsque.

§. 869. Si eiusmodi potione amatoria alius morbus est effectus; pro huius morbi periculo et diuturnitate decernatur condemnatio ad locum munitum aut ergastuli poena in annos quatuor ad octo vsque.

§. 870. Si veneno infectis puteis, aquis, esculentis, potulentis, vestimentis aut rebus aliis, ad vsum plurium destinatis, homines vitam amiserunt; veneficus trahae impositus, ad supplicii locum tractus, afficiatur rotae supplicio, a cruribus incipiendo.

§. 871. Si eiusmodi rebus veneno infectis nemo quidem periit, at hominum plurium valetudini perpetuum damnum est illatum; veneficus gladio punitur, et cadauer rotae imponitur.

§. 872. Si eiusmodi rebus veneno infectis hominis nullius valetudini damnum est illatum; veneficus commeruit virgarum supplicium ignominiosum et condemnationem ad locum munitum ad vitae dies vsque.

§. 873. Liberi, parentes suos necantes (*ermorden*), publice virgis caesi, traheae impositi, ad locum sup- Caedes (*Mord*) agnato

Source : BIU Cujas

rum vel cognatorum et parricidium.

plicii trahantur, vbi dent rotae fupplicium, a cruribus incipiendum.

§. 874. Caedes (*Mord*) liberorum aut coniugum punitur rotae fupplicio, a cruribus incipiendo, tracto delinquente trahae impofito ad fupplicii locum.

§. 875. Qui fratres vel forores necat, aut eos collaterales, quibus refpectum debet, aut quibuscum ei intercedit neceffitudo domeftica, is quoque trahae impofitus, ad locum fupplicii tractus, det rotae fupplicium, a ceruice incipiendum.

§. 876. Quae eadem poena obtinet, fi commiffa eft caedes (*Mord*) in adoptantes vel cura parentes, aut adoptatos vel cura filios, aut tutores vel curandos.

§. 877. a) Atque etiam, fi famuli heros; fubditi magiftratus; et fubordinati praepofitos necant.

§. 877. b) Caedes (*Mord*) quoque omnis, in regni officiales in munere fungendo commiffa, fecundum praeceptum §. 875. punitur, nifi legibus fingularibus definitiones propiores funt ftatutae.

§. 878. Occifio (*Todtfchlag*) in parentes commiffa virgarum fupplicio publico, impofitione in traham, qua delinquens ad fupplicii locum trahitur, et gladio punitur.

§. 879. Occifione (*Todtfchlag*) in liberos aut coniuges commiffa, exafperatur gladii poena, delinquentem trahae impofitum ad fupplicii locum trahendo.

§. 880. At in cafu exceffus in caftigando locus eft praeceptis §. 821-824.

§. 881. Qui occifionem (*Todtfchlag*) committit in fratres vel forores, aut perfonas alias, quibus fecundum §. 875-877. a. b.) pietatem debet, ad palum ignominiofum publice expofitus deinde gladio puniatur.

§. 882. In iis cafibus, vbi in homicidas dolofos alios gladii poena tantum obtinet, parricidae dant rotae fupplicium, a ceruice incipiendum, addita exafperatione §. 878. praefcripta.

Source : BIU Cujas

§. 883. In iisdem casibus homicidae dolosi liberorum et coniugum trahae impositi ad supplicii locum trahuntur, vbi gladio necantur.

§ 884. In casibus, vbi occisor (*Todtschläger*) alius condemnationem ad locum munitum ad vitae dies commisisset; occisio in parentes commissa gladio punitur.

§. 885. In punienda occisione (*Todtschlag*) aut caede, (*Mord*) in parentes aut alios agnatos vel cognatos commissa, nihil refert, vtrum consanguinitas orta sit ex matrimonio, an ex coitu illegitimo.

§. 886. At in omnibus tamen casibus, vbi poena ob consanguinitatem augenda est aut exasperanda, necesse est, delinquentem scisse necessitudinem, quae ipsi cum occiso intercedit.

§. 887. Occisio infantum recens natorum hic sub nomine infanticidii venit. Infanticidium.

§. 888. Ad praecauendum, quantum fieri potest, infanticidium, leges concesserunt feminis non maritatis honestis, sub matrimonii ineundi promissione stupratis, iura et honores coniugis, aut vbi locus esse matrimonio non potest, vxoris ad legem salicam (*Hausfrau*). (Tit. I. §. 1047. sqq.) Media praecauendi: 1. in genere;

§. 889. In casu quolibet feminae extra matrimonium stupratae a stuprante expectare possunt indemnitatem Tit. I. §. 1044. seqq. aut saltem §. 1028. definitam.

§. 890. Commodo quoque liberorum ex coitu illegitimo procreatorum prospectum est praeceptis sectionis nonae tituli secundi.

§. 891. Simulac grauiditas est indicata, fetui tutor est constituendus, qui eius iura obseruet, et de infante alendo et educando curet necesse est. (T. II. §. 614. seqq.)

§. 892. In quibus casibus agnatos vel cognatos matris et stuprantis, et tandem regnum ad alendos liberos illegitimos conferre oporteat, eodem loco quoque est sancitum.

Source : BIU Cujas

§. 893. In primis loci omnis magiſtratum eiusmodi liberorum curam in ſe oportet ſuscipere.

§. 894. Vbi non ſunt aedificia publica parturis inſeruientia (*Gebährhäuſer*); ibi obſtetrix loco quolibet ad opem extra matrimonium grauidis ferendam conſtituta, grauidas, quarum partus inſtat, ad eam venientes, absque contradictione recipiat, et, quantum requiritur, curet neceſſe eſt.

§. 895. Loci cuiusque magiſtratum curare oportet, vt obſtetricibus, ad curandas et alendas has grauidas conſtitutis, domicilium comparetur ſatis amplum, et ſuppeditetur pecunia ad puerperii et alimentorum ſumtus ſuſtinendos neceſſaria.

§. 896. Si pecunia eiusmodi ſuppeditanda a ſluprante, aut iis, qui eo deficiente aut inope ad eam ſuppeditandam ſunt obligati, ſtatim colligi nequit; magiſtratum ſubminiſtrare pecuniam ſuppeditandam oportet ex aerario publico, ad eiusmodi ſumtus deſignato.

§. 897. Si grauida pecuniam ex propriis poteſt ſuppeditare; ei ad recuperandam pecuniam ſuppeditatam executione paratiſſima contra ſluprantem eſt ſuccurrendum.

§. 898. Agnato vel cognato quoque cuilibet, et in genere cuilibet regni ciui probe animato competit ius, grauidae curam gerendi, eam alendi, et expenſas repetendi ab eo, qui proprie ad eam curandam et alendam eſt obligatus.

§. 899. Ad definiendas eiusmodi ſummas (§. 897. 898.) non admittatur ſolennis proceſſus; ſed ſumma a iudice moderata a debitore vero, ſimulac de eo conſtat, ſine mora eſt exigenda.

§. 900. In locis, vbi ad opem ferendam partui extra matrimonium grauidarum obſtetrices ſeparatae non ſunt conſtitutae, obſtetricem eam, ad quam grauida venit, cum grauidae agnatis vel cognatis, hero, aut domeſticis, partus locum et alimenta,

Source : BIU Cujas

durante puerperio, oportet constituere; quod vero si fieri nequeat, casum denuntiare magistratui, qui vlterius disponat.

§. 901. Femina omnis, coitus illegitimi sibi conscia, diligenter attendat necesse est ad corporis rationem et circumstantias insolitas ipsi accidentes. 2. Detectio grauiditatis, a) ex parte grauidarum.

§. 902. Matres igitur, curatrices, et aliae, in matris deficientis locum succedentes, filias aut curandas, annum quartum decimum egressas, doceant necesse est, adhibita tamen cautione necessaria, grauiditatis indicia, et cautionis regulas in grauiditate et partu adhibendas, in primis necessitatem nerui vmbilicaris deligandi.

§. 903. Simulac stuprata ex eiusmodi circumstantiis insolitis grauiditatem potest praesumere, de grauiditate praesumta impraegnantem certiorem reddat; parentibus quoque, tutoribus, aut his deficientibus, obstetrici, vel feminae honestae alii, quae ipsa iam peperit, statum suum aperiat, et harum personarum institutione vtatur necesse est.

§. 904. Feminae, quae non sunt sub inspectione et cura agnatorum vel cognatorum, vel tutorum, aut his statim se detegere dubitant, simulac ipsis de grauiditate certo constat, obstetrici, aut adiutori partus se committant, et cum his constituant necesse est, quae de partu instanti in anteceſſum sunt disponenda.

§. 905. Si partum edendi tempus appropinquat; grauida ad obstetricem, cui grauiditas nota est, se conferat, et ei propius indicet necesse est locum, quo commoratur, et quae actu de partu disposuit.

§. 906. Personam omnem, cui extra matrimonium grauida statum suum commisit, grauiditatem sub poena arbitraria, at graui tamen (§. 34. 35.), tamdiu reticere oportet, quamdiu nullum delicti veri periculum ex parte grauidae est metuendum.

Source : BIU Cujas

§. 907. Hinc obſtetrices et partus adiutores auctoritate publica conſtituti ad taciturnitatem in eiusmodi caſibus obſeruandam praecipue ſacramento ſimul ſunt obſtringendi.

§. 908. Obſtetrices, extra matrimonium grauidis factum exprobrantes, aut eas durius tractantes, pro re nata, iniuriantium inſtar puniantur, et munere priuentur.

§. 909. Vitiata, grauiditatem rite aperiens; et praeceptionibus perſonarum, quibus ſe commiſerat, fideliter morem gerens; et tempore partus quoque appropinquante, obligationi ſuae ſatisfaciens, ab omni defenſione liberatur; licet vel adeo partus exanimis ſit editus.

§. 910. Si partum eſt enixa praeſentibus feminis duabus, ad quas quoque mater eſt referenda; partus, caſu iudicialis percontationis excepto, cuilibet poteſt occultari.

§. 911. Praeſente partus adiutore aut obſtetrice, praeſentia feminae honeſtae vnius ſufficit.

§. 912. At vero, ſi tantum obſtetrix aut perſona alia ſola partui interfuit; haec partu exanimi edito, vel intra horas viginti et quatuor poſt partum mortuo, eiusmodi caſum, ſub poena carceris aut ergaſtuli trium menſium ad ſex menſes vsque, ſine mora indicet neceſſe eſt iudici, qui propiorem cognitionem inſtituat.

§. 913. In genere excepto caſu §. 910. 911., partus illegitimus exanimis editus, aut intra horas viginti et quatuor poſt partum mortuus, iudici ſemper producatur neceſſe eſt intra horas viginti et quatuor poſt infantis partum aut mortem.

b) ex parte impraegnantis.

§. 914. Maſculum omnem, ſe rem cum femina extra matrimonium habuiſſe ſcientem, attendere oportet ad effectus, quos poteſt haec actio producere in vitiata.

§. 915.

Source : BIU Cujas

§. 915. Qui simulac vitiatam, ipsius indicio aut ex ratione alia, grauidam esse potest praesumere, eam impellat necesse est, vt legum praeceptis §. 901. vsque 913. rite morem gerat.

§. 916. Qua obligatione neglecta (§. 915.) in casibus omnibus, quibus vitiata est punienda, ipse committit poenam carceris duorum mensium ad menses quatuor vsque.

§. 917. Feminarum grauiditatis suspectarum parentes, in primis matrem, aut in eius locum succedentem, curam earum diligentem oportet gerere. c) parentum, herorum et matrumfamilias, dominarum aedium.

§. 918. Eadem est obligatio herorum, aut eorum officialium domesticorum, quibus cura de famulis feminis est commissa.

§. 919. Neque huic obligationi se possunt subtrahere matres familias aut hospites illae, apud quas feminae ordinis plebeii non maritatae, sine suis parentibus, habent domicilium conducticium.

§. 920. Personas omnes in antecedentibus dictas, simulac causam inueniunt grauiditatem suspicandi, oportet a suspecta rationem postulare reddendam; et confessione facta disponere, quae praecauendo delicto metuendo conueniunt.

§. 921. Quae si ipsae a suspecta rationem nolunt poscere; aut si suspecta se esse grauidam pertinaciter negat, non refutatis suspicionis rationibus, opponendo rationes contrarias probabiles: suspicionem vna cum suspicionis rationibus indicent necesse est magistratui, qui propius inquirat.

§. 922. Grauiditatis suspecta omnis, se grauidam esse pertinaciter negans, exigentibus parentibus, heris, aut magistratu, et secundum arbitrium feminarum honestarum duarum, inspectioni obstetricis iuratae se submittat necesse est.

§. 923. Quae si suspicionis rationem nullam inuenit, parentes, heros, et magistratus obstetricis testimonio oportet acquiescere.



Source : BIU Cujas

§. 924. At obſtetricem ipſam in poſterum adhuc eiusmodi perſonae, quae fuit grauiditatis ſuſpecta, diligenter oportet inuigilare, et ſuſpicione aucta inſpectionem reiterare.

§. 925. Si ſuſpecta inſpectione facta re vera deprehenditur grauida; obſtetrix cum grauidae vel parentibus vel praepoſitis aliis de modo partus diſponat neceſſaria; vel caſum magiſtratui indicet neceſſe eſt.

§. 926. In caſu poſteriori magiſtratum oportet curae diligenti grauidam ſubmittere, et diſponere, quae ſunt neceſſaria ad praecauendum infanticidium.

§. 927. Si perſonae §. 917-919. et 924. nominatae obligationibus ſuis non ſatisfaciunt, et inde infanticidio praebent cauſam, vel tantum remotam; commiſerunt carceris aut ergaſtuli poenam menſium duorum-quatuor-ad ſex menſes vsque.

§. 928. Matres et curatrices, obligationum eiusmodi neglectarum ſe reas facientes, afficiantur poena grauiſſima §. 927. definita; at magiſtratus negligentes, pro gradu culpae, puniantur ſuſpenſione aut muneris priuatione.

d) Obligationes eorum, quorum fidei ſe commiſit grauida.

§. 929. Eiusmodi quoque perſonis, quibus cum grauida ſingularis neceſſitudo nulla intercedit, nihilo tamen minus incumbit obligatio, vt eam, ſi ipſis grauiditatem committit, aut confitetur, adhortentur ad obſeruanda legum praecepta (§. 901. ſqq.)

§. 930. Quae ſi percipiunt, eam velle modo legibus contrario grauiditatem occultare; grauiditatem eius parentibus, tutoribus, aut perſonis aliis, quarum propiori curae ſubeſt, vel magiſtratui quoque ſine mora indicent neceſſe eſt.

§. 931. Quorum praeceptorum omiſſio, ſi partus vitiatae culpa interit, vindicetur poena carceris hebdomadarum quatuor, aut multa pecuniaria thalerorum quinquaginta.

Source : BIU Cujas

§. 932. Praeter ea omnes ii, qui grauiditatem indicandi obligationem neglexerunt, de omnibus inquisitionis sumtibus teneantur in solidum.

§. 933. Vitiata, quae grauiditatem parentibus, tutoribus, heris, obstetricibus aut magistratui indicare moratur amplius diebus quatuordecim, ex quo se grauidam esse cognouit; grauiditatis occultationis poena dignae se ream facit, et tenetur de effectibus noxiis omnibus inde oriundis. Grauiditatis occultatio.

§. 934. Simulac fetus hebdomadarum triginta aetatem adimpleuit, locus esse non amplius potest exceptioni, vitiatam grauiditatem nondum percepisse, aut terminum ad indicandum definitum nondum venisse.

§. 935. Si vitiata, quae grauiditatem praeceptis conuenienter non indicauit, partum immaturum est enixa; id contra eam fundat indicium, eam dolo fetum abegisse. (§. 986. sqq.)

§. 936. Quae suspicio si in inquisitione huius indicii fundamento instituta non confirmatur; propter grauiditatem occultatam secundum praecepta in sequentibus data punitur.

§. 937. Si tamen partum immaturum iudicio producit intra horas viginti et quatuor, postquam eum est enixa; et si neque in obductione neque in praeuia puerperae ipsius, et eorum, qui partus tempore adfuerunt, interrogatione apparent circumstantiae propiores vllae, suspicionem fetus abacti aut neglecti praebentes; in puerperam non instituatur inquisitio criminalis formalis, et ei nulla infligatur poena, sed ferat tantum sumtus inquisitionis praeuiae.

§. 938. Cui si tantum fetus neglectio potest imputari; commisit poenam carceris hebdomadarum quatuor ad octo vsque.



Source : BIU Cujas

§. 939. Si partum producere omiſit, at apparet, eum hebdomadarum triginta aetatem nondum attigiſſe; vitiata, ſi grauiditatis occultationis §. 933. deſcriptae rea deprehenditur, prout partus ad hanc aetatem magis aut minus acceſſit, commiſit poenam ergaſtuli ſex menſium ad annos duos vsque.

§. 940. Si partus non productus probabiliter exanimis eſt editus, at nequit erui, eum hebdomadas triginta nondum attigiſſe; puerpera poenam commiſit ergaſtuli annorum duorum ad tres annos vsque.

§. 941. Si certo conſtat, partum viuum fuiſſe editum, aut editum quidem exanimem, at iam triginta hebdomadas habuiſſe aut plures; obtinent praecepta, de infantibus perfectis §. 944. et 957. ſqq. data.

§. 942. Si non conſtat de partus aetate, et ſi erui nequit, an editus ſit exanimis; locus ſit poenae ergaſtuli annorum trium vsque ad quatuor annos.

§. 943. a) Si non conſtat, an vitiata grauiditatem ſciuerit; at contra eſt cognitum, partum nondum aetatem trium menſium attigiſſe, et indicia alia nulla exiſtunt fetus dolo abacti; non inſtituatur inquiſitio vlterior in puerperam.

§. 943. b) Si cognitum eſt, fetum tres menſes iam exceſſiſſe, at nondum habuiſſe hebdomadarum triginta aetatem; et ſi puerpera nequit conuinci, grauiditatis ſcientiam iam habuiſſe dies quatuordecim ante, quam eſt enixa (§. 933.): puerpera nihilo minus, ex ea cauſa ſola, quod partum non produxit, commeruit carceris aut ergaſtuli poenam menſium trium ad ſex menſes vsque.

Puerperii occultatio,

§. 944. Puerperium occultatum eſt habendum, ſi partus tempore obſtetrix nulla in auxilium eſt vocata, et femina honeſta alia nulla fuit adhibita.

§. 945. At puerperium tamen nunquam habendum eſt occultatum, ſi puerpera, iam incipientibus

Source : BIU Cujas

partus doloribus implorauit auxilium, et re vera impetrauit.

§. 946. At contra quoque feminae, quae grauiditatem vsque ad puerperium occultauit, nunquam profit excusatio, se partu fuisse oppressam.

§. 947. Si contra sanctionem §. 912. 913. infans exanimis editus, aut intra horas viginti quatuor post partum defunctus, intra terminum ibi praefinitum iudici non est productus; licet grauiditas sit indicata, at praeceptum §. 944. non obseruatum, puerperium tamen habendum est occultatum.

§. 948. Si partus viuus est conseruatus, puerperii occultatio non vindicetur.

§. 949. Si vitiata grauiditatem quidem indicauit; at puerperium tamen contra praeceptum §. 944. occultauit, et infans exanimis editus, aut intra horas viginti quatuor post partum mortuus, absque sepultura ecclesiastica clam est remotus: puerpera eo iam commisit ergastuli poenam sex mensium. a) sine grauiditatis occultatione,

§. 950. Quae eadem poena obtinet, si infans mortuus casu, aut modo alio, puerpera non concurrente, sepulturae ordinariae aut iudicis inquisitioni est subductus, et iudici eiusmodi casus intra horas viginti et quatuor non indicatus.

§. 951. Eiusmodi casus non praesumitur; sed perspicue probetur, aut saltem ex circumstantiis probabiliter appareat necesse est.

§. 952. Poena §. 949. definita obtinet, licet nulla alia existat causa praesumtionis, puerperam mortis partus causam fuisse.

§. 953. Si mortis (§. 952.) genus et causa inspectione infantis erui amplius nequit; puerpera commisit ergastuli poenam annorum duorum.

§. 954. Si casui, quo partus sepulturae aut iudicis inquisitioni subducitur, puerperae culpa ansam dedit; haec, si eius innocentia intuitu mortis infantis est eruta, commisit poenam ergastuli anni



Source : BIU Cujas

vnius; at ea probatione deficiente annorum duorum ad tres annos vsque.

§. 955. Si puerpera partum dolo in eum ſtatum redegit, vt erui amplius nequeat, an mortis infantis ſit nocens an innocens; licet grauiditatem indicauerit, nihilo minus commeruit pro dòli mali praeſumtionis, contra eam ſtantis, ratione poenam ergaſtuli annorum quatuor ad ſex annos vsque.

§. 956. Si eſt ſuſpecta tractationis infantis haud naturalis dolosae; prout haec ſuſpicio magis eam premit vel minus, afficiatur poena ergaſtuli annorum ſex ad annos decem vsque.

b) cum occultata grauiditate coniuncta.

§. 957. Si vitiata grauiditatem et puerperium occultauit; partu perfecto exanimi edito condemnetur ad operas poenales ergaſtuli in quatuor ad ſex annos vsque.

§. 958. Infanti perfecto fetus aequiparatur, qui hebdomadarum triginta aetatem iam exceſſit; attamen ſi puerpera enixa eſt partum nondum ſatis maturum, locus tantum ſit gradui infimo poenae legibus definitae.

§. 959. Si infans, ex rei peritorum arbitrio, partus tempore adhuc vixit; poena §. 957. definita augetur in annos octo ad decem vsque.

§. 960. a) At vero, ſi in infantis corpore laeſiones conſpiciuntur letales, licet non plene cognito infanticidio, a matre commiſſo; mater nihilo minus afficiatur ſupplicio virgarum ignominioſo et poena ergaſtuli ad vitae dies.

§. 960. b) Si nullum quidem exiſtit laeſionis letalis veſtigium, at ſuſpicio tamen tractationis alius naturae non conuenientis et cum vitae periculo coniunctae contra puerperam, quae grauiditatem et puerperium occultauit; in eam obtinet poena ergaſtuli duodecim annorum ad quindecim vsque, additis plagis, aduenienti et decedenti infligendis (*Willkommen und Abſchied*).

Source : BIU Cujas

§. 961. Si infans, secundum §. 958. pro perfecto habendus, a vitiata, quae grauiditatem non indicauerat, clanculum est editus; at eius corpus ab ea eo modo tractatum aut remotum, vt locus non amplius sit iustae rei peritorum inspectioni, an infans partus tempore vixerit: puerpera commisit eandem poenam (§. 960. b.) definitam.

§. 962. Si alias constat, infantem partus tempore vixisse, at mater negat occidendi animum, cuius nec alio modo potest conuinci; locum in eam obtineat poena ordinaria §. 960. a. definita.

§. 963. Probatio circumstantiae, infantem, in partu aut post eum absque puerperae culpa, quod potest probari, denatum, iudicis inquisitioni subductum fuisse casu, cui ipsa ex sua parte causam non praebuit, liberare non potest puerperam, si grauiditatem non indicauit, et clam est partum enixa, a poena ergastuli annorum octo ad decem vsque §. 959. definita.

§. 964. Licet adhuc incertum sit: an puerpera partum denatum iudicis inquisitioni dolo subduxerit; nihilo tamen minus commisit poenam ergastuli decem annorum ad duodecim vsque, additis plagis aduenienti et decedenti infligendis, si et grauiditatem et puerperium occultauit.

§. 965. Mater, quae infantem recens natum in partu aut post eum dolo necat (§. 806 et 826.), supplicium gladii luat. Infanticidium.

§. 966. Qua eadem poena vindicetur matris dispositio aut conatus dolosus omnis, quem infantis recens nati mors secundum rerum naturam et ordinem communem ipsi notum est secutus.

§. 967. Si puerpera infantem omissa nerui vmbilicaris deligatione dolo sanguinem omnem profundere finit; aut eum alimentis et cura necessariis dolo priuat: infanticida habetur.

§. 968. Si quidem periculosa infantis (§. 966.) tractatio est probata, at non satis erutum, partum vi-



Source : BIU Cujas

uum fuiſſe editum, aut dum edebatur, adhuc vixiſſe; locus ſit ſupplicio virgarum ignominioſo, et condemnationi ad locum munitum ad vitae dies.

§. 969. Si mater infantem viuum loco, vbi inueniri non facile poteſt, expoſuit, aut exponendum curauit; morte infantis inde effecta, gladii poenam commeruit.

§. 970. Si infans eo modo expoſitus nihilo minus conſeruatur, mater poenam luat ergaſtuli annorum ſex ad decem annos vsque.

§. 971. Si infans expoſitus eſt in loco, vbi commeare homines ſolent, et cum eiusmodi dispoſitionibus, ex quibus apparet infantis vitam conſeruandi animus; locus eſt, prout infans ſeruatur, aut perit, poenae ergaſtuli ſex menſium ad tres annos vsque.

§. 972. Si puerpera a parentibus ad infanticidium eſt ſeducta; poena capitalis quidem ei remittatur, at ſupplicio virgarum ignominioſo dato condemnetur ad locum munitum ad vitae dies.

Correi. §. 973. Impraegnans et parentes, qui ad patrandum infanticidium ſollicitarunt, aut opem tulerunt, delicto re vera conſummato, gladio necantur.

§. 974. At vero, ſi quis eorum, matre non concurrente, homicidium ipſe commiſit; is ſemper tenetur homicidii doloſi poena §. 826. definita.

§. 975. Simulac impraegnans animaduertit, vitiatam id agere, vt grauiditatem aut puerperium occultet, eum de re certiorem facere oportet parentes, heros, aut perſonas alias, apud quas grauida commoratur, aut publicam loci obſtetricem, aut magiſtratum ipſum.

§. 976. Quod ſi omittit, et partus perit; eiusmodi impraegnans commeruit poenam dimidiam, quam luere pro discrimine caſuum impraegnatam oportet.

§. 977. At vero, ſi mater afficitur poena capitali, poena ergaſtuli ad dies vitae, aut decem annorum; in

Source : BIU Cujas

eiusmodi impraegnantem locus sit condemnationi ad locum munitum, aut ergastuli poenae annorum quinque ad octo annos vsque.

§. 978. Si impraegnans vitiatam ad grauiditatis celationem et puerperii occultationem ipse sollicitauit, seduxit, aut re et facto opem ei tulit; eandem luat, quam impraegnata, poenam.

§. 979. Attamen, si in impraegnatam poena capitalis, aut poena ergastuli ad dies vitae statuitur, impraegnans in hoc casu (§. 978.) puniatur condemnatione ad locum munitum in annos decem, et intersesse cogatur executioni sententiae capitalis impraegnatae.

§. 980. Si alius impraegnatam, in grauiditate aut puerperio contra leges celando, adiuuit consilio determinato, vel auxilio re et facto lato; eiusmodi persona poenam luat dimidiam, quam commisit delinquens principalis.

§. 981. Si mater infantem occidens ad mortem, aut carcerem ad vitae dies condemnatur; in eos, qui occultationi puerperii fauerunt, locus sit condemnationi ad locum munitum aut ergastuli poenae annorum quinque ad sex annos vsque.

§. 982. Quaecunque in antecedentibus contra infanticidium, et occultationem puerperii sunt sancita, obtinent intuitu feminarum omnium, vel nunquam nuptarum, vel viduarum, vel a maritis separatarum. Quae impraegnatae secundum haec praecepta sint diiudicandae.

§. 983. Feminae quoque maritatae ex his legibus sunt diiudicandae, si per annum saltem a maritis separatae vixerunt, aut si alias, illiciti coitus sibi consciae, grauiditatem et puerperium celant.

§. 984. Si vxores liberos necant legitimos; locus est poenae §. 874. definitae.

§. 985. Feminae, quae ad procurandum abortum remediis vtuntur, eo ipso iam commiserunt ergastuli poenam in menses sex ad annum vsque. Abortus procuratio.



Source : BIU Cujas

§. 986. Si eiusmodi remediis fetus intra grauiditatis hebdomadas triginta primas re vera eſt abactus; delinquens afficiatur poena ergaſtuli in annos duos ad ſex vsque.

§. 987. At vero, ſi femina eiusmodi vel aliis violentis remediis fetus mortem poſt triceſimam grauiditatis hebdomadam promouit; poenam luat ergaſtuli annorum octo ad annos decem vsque.

§. 988. Qui medicamentis noxiis, aut modo alio, ad fetum abigendum doloſe fert opem, eadem poena, qua mater ipſa, afficitur.

§. 989. Perſonae, quae plura iam eiusmodi crimina commiſerunt, licet eorum poenam nondum ſuſtinuerint, ſupplicium dent virgarum ignominioſum, et deportentur ad locum munitum ad vitae dies.

§. 990. Si abortus a tertio, inſcia et inuita matre, eſt effectus; patrator commiſit condemnationem ad locum munitum in annos decem ad vitae dies vsque.

§. 991. Si animo, feminam infecundam reddendi, medicamenta vel remedia noxia alia ſunt adhibita, aut data; in patratorem obtinet poena carceris aut ergaſtuli in annos duos ad quatuor vsque.

## Sectio Duodecima.

### *De carnis delictis.*

Media praecauendi.

§. 992. Parentes et educatores monere oportet liberos et educandos perniciosum impudicitiae ſcelus, ſaepius iis ob oculos ponendo viuis coloribus infauſtos eius effectus; et eos ſeuere adhortari ad agendam vitam honeſtam, caſtam, puram.

§. 993. Parentes, tutores et educatores, qui ſubiectos et curae eorum commiſſos ſermonibus atque factis flagitioſis ad voluptatem alliciunt, aut eorum propenſioni ad libidines vagas fauent, educationis

Source : BIU Cujas

iuribus, et commodis cum iis coniunctis, sunt priuandi.

§. 994. Parentes tunc priuentur iure vsusfructus peculii liberorum; tutores praemio ipsis alias competente; et educatores munere aut salario.

§. 995. Famuli et domestici, liberos innocentes sermonibus, narrationibus, aut actionibus impudicis ad voluptatis libidines vagas allicientes, afficiendi sunt arbitraria castigatione corporis, poena carceris aut ergastuli ad sex menses vsque.

§. 996. Lenones et lenae, iuuentutem aut maritatas quoque personas ad libidines vagas sollicitantes, earum occasionem iis praebentes, aut modo alio eas adiuuantes, commiserunt ergastuli aut alius laboris poenalis poenam in sex menses ad annos duos vsque.

§. 997. Si eiusmodi lenocinio quaestum fecerunt; locus sit poenae ergastuli biennali vel triennali, et quidem exasperatae additis plagis, aduenientibus et decedentibus infligendis (*Willkommen und Abschied*); et eiusmodi delinquentes, poena data, relegentur in perpetuum ex loco domicilii, quo hactenus sunt commorati.

§. 998. Si parentes, educatores aut educatrices, aut alii, quorum curae iuuentus est commissa, eiusmodi copulationum clandestinarum turpium, liberorum, educandorum, aut subiectorum reos se fecerunt; poenae ergastuli per se commissae diuturnitas in eos duplicatur.

§. 999. Feminas dissolutas, corporis quaestum facturas, conferre se oportet in lupanaria, auctoritate et inspectione publica tolerata. Fornicatio simplex.

§. 1000. Eiusmodi lupanaria publica in vrbibus magnis tantum et frequentibus sunt toleranda, et non nisi in locis remotioribus, a publicis viis et plateis distantibus.

Source : BIU Cujas

§. 1001. At neque in iis locis quisquam audeat, ſub poena ergaſtuli anni vnius aut annorum duorum, eiusmodi lupanar inſtituere, absque expreſſa venia magiſtratus, cui loci cura politiae eſt demandata.

§. 1002. Magiſtratum, cui politiae cura eſt demandata, oportet eiusmodi lupanarium curam perpetuam et quam maxime diligentem gerere; et ea viſitare ſaepius medico adhibito; et dare omnem operam, ne latius ſerpat malum venereum.

§. 1003. Neque idem permittat in lupanaribus potulentorum inebriantium venditionem.

§. 1004. Magiſtratu, cui politiae cura demandata eſt, neſcio et non permittente leno aut lena, ſub thalerorum quinquaginta poena pro qualibet legis violatione, nullam recipiat feminam.

§. 1005. Si perſona innocens fraude aut vi deducta eſt in lupanar, lenone ſciente aut approbante; hic expoſitionem publicam commiſit, et poenam ergaſtuli annorum ſex ad decem vsque, additis plagis, venienti et decedenti infligendis.

§. 1006. Neque eiusmodi delinquentibus ſub vllo praetextu permittendum eſt, vt quaeſtum eundem in poſterum faciant.

§. 1007. Feminae minorennes in lupanaria non ſunt recipiendae; quod ſi nihilo minus absque indicatione, vel adeo contra prohibitionem magiſtratus politiae eſt factum, leno aut lena condemnandi ſunt ad locum munitum, aut afficiendi ergaſtuli poena anni vnius ad annos duos vsque.

§. 1008. Si perſona in lupanari eſt grauida; lenam de grauiditate magiſtratum, cui politiae cura demandata eſt, ſtatim certiorem facere oportet, ſimulac grauiditas ei venit in notitiam.

§. 1009. Quod ſi omittit, et partus editur clandeſtinus, vel patratur adeo infanticidium; lena ob de-

Source : BIU Cujas

nuntiationem omissam solam iam commisit poenam §. 928. definitam.

§. 1010. Alimenta tali personae durante puerperio praebenda lenam oportet praebere, si publicum institutum ad alendam puerperam nullum exiſtit.

§. 1011. Ei tamen ius reseruatur, restitutionem alimentorum puerperae subministratorum a stupratore petendi, aut, si hic erui nequit, a matre ipsa, aut ex aerario alendis pauperibus destinato.

§. 1012. Simulac infans est a lacte remotus, a matre est separandus, et alendus et educandus sumtibus eorum, qui secundum praeceptum §. 612-632. tituli secundi ad alendum et educandum infantem sunt obligati, et facultatibus necessariis non destituti; alias vero sumtibus publicis.

§. 1013. Si femina in lupanari lue venerea corripitur; lenam rem statim denuntiare oportet magistratui, cui politiae cura est demandata, et ad huius dispositionem curare, vt lue correpta sanetur, et praecaueatur contagio.

§. 1014. Quod si omittit, in casu primo commisit carceris poenam, in tres menses; at in reiterationis casu poenam ergastuli sex mensium, additis plagis, aduenienti et decedenti infligendis.

§. 1015. Si persona lue correpta celauit morbum, et inde mali contagioni causam dedit; afficiatur poena ergastuli in sex menses vsque ad annum, insuper additis plagis aduenienti et decedenti infligendis.

§. 1016. In genere magistratus, cui politiae cura demandata est, omnem operam et curam in eo collocabit, vt ea disponat, quibus praecauetur, ne latius serpat lues venerea.

§. 1017. Si in lupanari furta, pugnae, aut delicta alia sunt commissa; leno laeso, qui modo alio in-

Source : BIU Cujas

demnitatem nequit consequi, ad damnum resarciendum semper est obligatus.

§. 1018. Atque etiam suspicio, eum ipsum delicti esse complicem, eum premit, dum contrarium non est probatum.

§. 1019. Si lenones ad praecauenda eiusmodi delicta non adhibuerunt media omnia, et curam quam maximam; pro gradu culpae commissae afficiendi sunt multa pecuniaria aut corporis poena.

§. 1020. Deceſſus ex lupanari interdicendus aut difficilior reddendus est feminae nulli, quae in eo hactenus fuit, et vitam cupit mutare, atque modo honesto alio se alere.

§. 1021. Atque adeo, vel ob pecunias suppeditatas aut debita alias contracta, lenoni non licet, eiusmodi personam inuitam retinere, sub nominis ipsi debiti iactura.

§. 1022. Quidquid huc vsque §. 1000-1021. est praeceptum, obtinet et de lenonibus et de lenis.

§. 1023. Feminae, quae scortationis quaestum faciunt, at singulari politiae curae non expresse se submittunt, sunt deprehendendae, et ad ergastuli operas in tres menses condemnandae.

§. 1024. Poenam perpessae mittendae sunt in aedificia, ad operas, vel vi exigendas, destinata, vbi detineantur, vsque donec honesto modo se alendi iis voluntas est, et oblata occasio.

§. 1025. At iis tamen personis, quae alias poenam §. 1023. 1024. definitam commiserunt, ea poena est remittenda, si grauiditatem rite indicant, et puerperii tempore praeceptis conuenienter se gerunt.

§. 1026. Personae omnes in lupanaribus non degentes, quae sciunt, se lue venerea esse correptas, et nihilo tamen minus cum aliis, rebus venereis operando, eam communicant, commiserunt carceris aut ergastuli poenam trium mensium.

Source : BIU Cujas

§. 1027. Effectus reliqui coitus illegitimi in sectione vndecima tituli secundi sunt definiti.

§. 1028. Officiales domestici, corrumpentes et vitiantes heri filiam aut cognatam vel agnatam aliam, cum qua ob ordinis inaequalitatem matrimonio locus esse nequit, afficiantur poena ergastuli in annum ad tres annos vsque, additis plagis, aduenientibus et decedentibus infligendis. Corruptio.

§. 1029. Si eiusmodi ordinis inaequalitas non obtinet; decernenda tantum est ergastuli poena aut condemnatio ad locum munitum in menses sex ad annum vsque.

§. 1030. Si carceris, aedificii ad operas vel vi exigendas destinati, instituti alendis pauperibus inseruientis, aut orphanotrophei inspectores personis, eorum custodiae aut curae commissis, abutuntur ad satisfaciendum foedis suis libidinibus; munere priuati declarentur, et praeter ea afficiantur poena carceris aut ergastuli sex mensium ad annos duos vsque.

§. 1031. Educatores, concionatores sacri, et docentes alii, personas eorum educationi et institutioni singulari commissas vitiantes, in perpetuum sunt inidonei ad munera publica, dignitates, et honores omnes.

§. 1032. Praeter ea commeruerunt condemnationem ad locum munitum aut ergastuli poenam in duos ad quatuor annos vsque.

§. 1033. Eadem poena afficiantur parentes non germani, priuignos vel priuignas, superstite adhuc coniuge altero, ad fornicationem allicientes.

§. 1034. Quod (§. 1033.) si altero coniuge defuncto est factum; obtinet tantum poena dimidia, §. 1032. statuta.

§. 1035. Si priuigni vel priuignae cum parentibus non germanis rebus venereis operantur: in regula statuitur, illos ab his fuisse seductos; et priuignis tunc omnis poena est remittenda.

Source : BIU Cujas

§. 1036. At vero, si contrarium patet, et parentibus non germanis, et priuignis irrogetur poena ergastuli, in casu §. 1033. anni vnius ad annos duos vsque; at in casu §. 1034. sex mensium vsque ad annum.

§. 1037. Tutores, cum curandis rem habentes, in casu dubio corruptores habentur, et afficiuntur poena ergastuli, aut condemnantur ad locum munitum, in annum ad duos annos vsque.

§. 1038. Si contrarium patet, in eos tantum poena arbitraria obtinet.

Incestus. §. 1039. Parentes et aui, liberis aut nepotibus legitimis ad rem veneream abutentes, condemnentur ad locum munitum in annos tres ad quinque annos vsque.

§. 1040. In tali casu in liberos, annum decimum octauum egressos, statuatur poena ergastuli sex mensium ad annum vsque; liberis vero iunioribus poena remittatur.

§. 1041. Stuprum fratrum et sororum legitimorum puberum, siue germanorum, siue non germanorum vindicatur condemnatione ad locum munitum, aut poena ergastuli, in annum ad annos duos vsque.

§. 1042. Incestus consanguineorum s. agnatorum vel cognatorum illegitimorum huius generis (§. 1039-1041.) arbitrarie (§. 35.) in eum est vindicandus, qui consanguinitatem sciuit.

§. 1043. In casibus omnibus, in antecedentibus (§. 1039-1042.) definitis, prorsus sunt separandae personae, quae incestum commiserunt.

§. 1044. At vero, ad eiusmodi malum eo melius praecauendum, parentes non in vno eodemque lecto dormiant cum sexus diuersi liberis, aetatis annum decimum, aut plures iam habentibus.

§. 1045. Neque sexus diuersi consanguineis (fratribus et sororibus) permittatur, vt in eodem lecto dormiant, simulac iunior decimum annum expleuit.

§. 1046.

Source : BIU Cujas

§. 1046. Cuius praecepti violatio, dum delictum nullum eſt commiſſum, in parentes vindicanda eſt reprehenſione iudiciali, et in caſu reiterationis poena carceris arbitraria aequa.

§. 1047. Si autem parentum indulgentia fratrum et ſororum inceſtui vero cauſam praebuit; parentes, pro re nata, commiſerunt poenam totam aut dimidiam, in liberos §. 1040. ſtatutam.

§. 1048. Qui feminam innocentem potulentis aut aliis mediis priuat ſenſibus, vt ea ad explendam libidinem abutatur, afficiatur, licet finem non obtinuerit, poena ergaſtuli menſium trium vsque ad ſex menſes; ſi vero delictum vere conſummauit, poena ergaſtuli annorum quatuor ad ſex annos vsque. Stuprum violentum.

§. 1049. Quatenus inde valetudini damnum eſt illatum, aut cauſa data inſaniae; accedunt poenae de poculis amatoriis ſupra §. 867-869. definitae.

§. 1050. Qui eiusmodi perſonam aſtutia et fraudulentis artibus ad libidinem inducit, praeter ſatisfactionem priuatam, ei debitam, condemnetur ad locum munitum, aut luat ergaſtuli poenam menſium ſex ad annum vsque.

§. 1051. Qui minis, vitae aut valetudini periculoſis, ſub circumſtantiis, quibus earum implementum probabiliter poterat expectari, feminam ad explendam libidinem cogit, in eum locum obtineat condemnatio ad locum munitum in tres annos vsque ad quinque.

§. 1052. Qui vi, cui reſiſti nequit, adhibita perſonam ſtuprat, annum duodecimum egreſſam; condemnetur ad locum munitum in ſex annos ad octo vsque.

§. 1053. Si ſtuprata annum duodecimum nondum expleuit, patrator commeruit condemnationem ad locum munitum in annos octo ad decem vsque.



Source : BIU Cujas

§. 1054. Stuprum omne perſonae tali nondum puberi illatum habetur ſtuprum violentum, et vindicatur, ſi vis vera ad permittendum coitum non eſt eruta, poena ergaſtuli aut carceris annorum trium ad quinque annos vsque.

§. 1055. In caſibus omnibus poenae diuturnitas, proportione aequa, ad decem annos et duodecim vsque prolongatur, ſi ſtupratae valetudo vi ei illata graue et continuum damnum eſt paſſa.

§. 1056. Si ſtuprum vi adhibita illatum morti cauſam dedit; gladii poenae eſt locus.

§. 1057. Intuitu poenae nihil refert, vtrum delictum in perſonam maritatam an non maritatam ſit commiſſum.

§. 1058. At aequae tamen poenae mitigationi eſt locus, ſi vi ſtuprata iam ante ob vitam diſſolutam et turpem male audiit.

§. 1059. Caeterum per ſe patet, delinquentem praeter poenam lege definitam laeſae ad ſatisfactionem priuatam eſſe obligatum.

§. 1060. Si laeſae eiusmodi delictum non vindicant, et ſi delictum non fuit offenſioni publicae; iudicis inquiſitioni ex officio locus non eſt.

Adulterium.

§. 1061. Quodlibet adulterium, at coniuge tamen laeſo tantum petente, vindicatur poenis §. 766. ſqq. tituli primi ſancitis.

§. 1062. Si adulterio commiſſo matrimonium re vera diſſoluitur; maritus, qui eiusmodi delictum cum perſona non maritata commiſit, arbitrariam luat carceris poenam.

§. 1063. At vero, ſi vxor adulterio cum maſculo caelibe commiſſo diſſoluendi matrimonii cauſam dedit; in eam poena carceris aut ergaſtuli obtineat in tres ad ſex menſes vsque.

§. 1064. Si in caſu pari pars vtraque, adulterium committens, fuit maritata; pars vtraque com-

Source : BIU Cujas

meruit poenam carceris aut ergastuli sex mensium ad annum vsque.

§. 1065. In casibus omnibus, vbi in certa stupri genera poenae criminales sunt statutae, hae poenae sunt exasperandae, si delictum a persona maritata est commissum.

§. 1066. Qui matrimonio nondum dissoluto scienter et dolo aliud matrimonium consummat, afficiatur poena ergastuli, aut condemnetur ad locum munitum, in annum ad annos duos vsque. Bigamia.

§. 1067. Atque etiam, qui ipse nondum matrimonium iniit, at scienter personam iam maritatam matrimonio sibi iungit, commisit poenam ergastuli sex mensium ad annum vsque.

§. 1068. Qui falso se dicit caelibem, et inde alium ad eiusmodi matrimonium, quod nullum est, inducit, afficiatur poena ergastuli triennali.

§. 1069. Sodomia et peccata eiusmodi alia naturae repugnantia, quae ob foeditatem abominandam hic nominari nequeunt, plenam memoriae extinctionem exigunt. Peccata naturae repugnantia.

§. 1070. Hinc, qui eiusmodi delictum patrauit, data poena ergastuli anni aut annorum plurium, additis plagis aduenienti et decedenti infligendis, in perpetuum relegetur ex loco domicilii, vbi delictum innotuit, et bestia, quacum rem habuit, necetur, aut clam ex eo tractu remoueatur.

§. 1071. Qui alium ad eiusmodi peccata naturae repugnantia sollicitat et eo abutitur, duplici poena est dignus.

§. 1072. In parentes, tutores, praeceptores aut educatores, eiusmodi delicti reos se facientes, obtineat poena ergastuli annorum quatuor ad octo annos vsque, additis plagis aduenientibus et decedentibus infligendis.



Source : BIU Cujas

## Sectio Decima Tertia.

### *De laesionibus libertatis.*

In genere. §. 1073. Nemo sine iure laedat libertatem alterius personalem.

§. 1074. Neque in iuris castigationis casu licet inclusio, horis quadraginta et octo longior.

§. 1075. Vagabundi, mendicantes, debitores occultati, delinquentes profugi, et personae, pernicioſa molientes, a personis quoque priuatis vi possunt detineri et comprehendi, vsque donec potest haberi iudicis auxilii copia.

§. 1076. At magistratui tamen statim, et saltem intra horas viginti quatuor, res est nuntianda, aut detentus tradendus.

§. 1077. Qui, his casibus exceptis (§. 1075. et 1076.), et si munus haud exigit, hominem mentis suae compotem vi detinet, includit, aut inuitum ad aliquid faciendum cogit, aut praecepta §. 1076. violat, licet non existant circumstantiae grauantes in legibus sequentibus definitae, nihilo tamen minus poenam commeruit carceris, ergastuli, aut condemnationem ad locum munitum, in dies quatuordecim ad sex menses vsque.

§. 1078. Si eiusmodi libertatis priuatio vltra tres dies est continuata; locum obtinent praecepta de carceribus priuatis data.

Carceres priuati. §. 1079. Nemo, regno *insc*io *in*stituat carceres priuatos, ergastula, aut *mente* captorum et insanorum aedificia.

§. 1080. Quod qui audet, eo solo commisit multam pecuniariam thalerorum centum ad trecentos vsque, aut aequam carceris poenam.

§. 1081. Qui aliquem in eiusmodi carcere detinet, aut detinendum tradit, puniatur, licet nullae existant causae grauantes, et nullum damnum sit da-

Source : BIU Cujas

tum, condemnatione ad locum munitum, aut afficiatur poena ergastuli, in annum ad annos duos vsque.

§. 1082. Si quis inde vitam, mentem, aut valetudinem amisit, locum obtineant poenae §. 797-801. definitae.

§. 1083. Qui liberos parentibus rapit, aut detinet, vt eos in alia fidei confessione instituat, in carcerem detrudatur, vsque donec eos rursus reducit. De hominis raptu s. plagio.

§. 1084. Quae poena, si raptor s. plagiarius locum, quo liberi rapti commorantur, indicare pertinaciter renuit, exasperari potest inclusione, aqua et pane tantum suppeditatis, et corporis castigatione.

§. 1085. Atque etiam, si liberi salui et incolumes sunt reducti, nihilo tamen minus raptor s. plagiarius afficiendus est poena afflictiua corporis arbitraria, at acerba.

§. 1086. Quae poena potest extendi vsque ad poenam ergastuli, aut condemnationem ad locum munitum, ad annos duos vsque; et si liberi rapti sunt laesi, exasperanda est secundum praeceptum §. 1082.

§. 1087. Qui alterius personam in suam redigit potestatem, vt eius ablegatione certa commoda sibi paret, aut illi vel illius propinquis ob laesionem, ex sua opinione sibi illatam, molestias creet, hominis raptum s. plagium committit.

§. 1088. Cuius delicti reos se faciunt, qui sine iure conquirunt milites vi adhibita; mendici et mendicae furantes infantes, quibus ad mendicandum vtantur; et, qui infantes in suam redigunt potestatem, vt eos spolient.

§. 1089. Plagium committens, tamdiu poena carceris aut custodiae (arresti) in loco munito afficiatur, donec raptus libertatem recuperauit.

§. 1090. Si raptus libertatem recuperat; in raptorem s. plagiarium pro ratione temporis, quo alter libertate fuit priuatus, et tractationis melioris vel durioris,



Source : BIU Cujas

locus eſt condemnationi ad locum munitum in tres annos ad decem vsque.

§. 1091. Si nulla ſpes eſt, fore, vt raptus libertatem recuperet; plagiarius ad vitae dies condemnetur ad locum munitum.

§. 1092. Quae poena ad decem annos mitigatur, ſi raptus nihilo minus libertatem recuperat, aut ſi certo eſt cognitum, eum non eſſe in ſtatu infelici.

§. 1093. At contra plagiarius gladii poenam commiſit, ſi plagio cauſa eſt data morti rapti, et plagiarius potuit mortis periculum coniectura aſſequi.

§. 1094. Caeterum quoque de his delictis praecepta §. 1082. locum inueniunt.

Raptio feminae.

§. 1095. Qui feminam contra ipſius, patris, tutoris, aut coniugis voluntatem animo eam vitiandi rapit, et vitiationem actu conſummat; condemnetur ad locum munitum in annos octo.

§. 1096. Si vitiatio nondum eſt facta, et rapta non male tractata; locus eſt poenae ergaſtuli, aut condemnationi ad locum munitum in biennium ad triennium vsque.

§. 1097. Si rapta eſt male tractata, pro ratione tractationis malae, et prout vitiatio acceſſit, vel non acceſſit, decernatur ergaſtuli poena, aut condemnatio ad locum munitum, in annos quatuor ad decem vsque.

§. 1098. Si ad raptum acceſſit ſtuprum violentum verum; aut ſi rapta ex raptu valetudinem amiſit; raptor ad vitae dies ad locum munitum condemnetur.

§. 1099. Si raptus morti raptae cauſam praebuit, raptor gladii poenam commiſit.

§. 1100. Si quis perſonam rapuit, animo quidem, eam in matrimonium ducendi, et ipſa conſentiente, at inuitis iis, quorum conſenſus ad matrimonii validitatem ex legibus eſt neceſſarius; afficiatur, prout hi conſenſum in matrimonium denegandi cauſas habuerunt in ſe plures aut pau-

Source : BIU Cujas

eiores, poena carceris, aut condemnetur ad locum munitum, in ſex menſes ad annos duos vsque.

§. 1101. Si perſonarum dictarum conſenſus, delicto peracto, accedit; locus tantum eſt poenae carceris arbitrariae. (§. 35.)

§. 1102. Quae ſi conſenſum denegant, in eo caſu, ſi rapta ſimul eſt vitiata, duplicatur poena ſecundum §. 1100. commiſſa.

§. 1103. a) Atque etiam his perſonis (§. 1100.) petentibus in eam perſonam, quae in raptum conſenſit, arbitraria (§. 35.) carceris aut ergaſtuli poena ſtatuatur.

§. 1103. b) In caſibus omnibus, quibus perſonae ſaepius dictae inquiſitionem iudicialem eiusmodi caſus deprecantur, ad euitandum maius detrimentum, familiae inde oriundum, ſi omnium oculi in eum caſum vertantur, iudex huic petito deferat.

§. 1104. Si perſona, poteſtati parentum aut tutorum etc. non ſubiecta, ipſa inuita eſt rapta, at animo, eam in matrimonium ducendi: duplicetur poena §. 1100. ſancita, licet nullae ſint aliae circumſtantiae grauantes; et, ſi acceſſit vis alia adhibita, in eiusmodi quoque caſu obſeruetur praeceptum §. 1097. 1098. 1099.

## Sectio Decima Quarta.

### *De laeſione rei familiaris in genere, et ablatione in ſpecie.*

§. 1105. Nemo ſine iure laedat alterius bona aut rem familiarem. Principia.

§. 1106. Quod qui facit, praeter damni reparationem luat poenam aequam (proportionatam), prout laeſio ex culpa; aut dolo, animo ſe locupletandi; aut ex malitia, vltionis cupidine, vel petulantia eſt illata.

§. 1107. Laeſiones ex culpa illatas, praeter damni reparationem, ſimul ſequitur poena, ſi lae- Culpa.



Source : BIU Cujas

dens in laesionibus inferendis egit contra legem politiae expressam.

1. Furtum. §. 1108. Qui lucri faciendi, commodi, aut vtilitatis percipiendae causa aufert rem mobilem ex alterius possessione, altero nescio, aut non consentiente, furti reum se facit.

§. 1109. In furti natura et poena nihil refert, vtrum res domino vero, an possessori mero sit ablata.

§. 1110. Furtum quoque committit, qui rem suam propriam alteri, cui in eius possessione, vtilitate ex iis percipienda, aut custodia ius competit, surripit animo, damno illius commoda sibi comparandi.

§. 1111. Rerum quoque, quae nondum sunt in personae certae definitae possessione, furtum committitur, si res istae auferuntur inscio aut non consentiente eo, cui ius competit, alios a possessionis apprehensione excludendi.

§. 1112. Animus, damno alterius commoda sibi comparandi, praesumitur in ablatione omni.

§. 1113. Quae tamen praesumtio excludi iam potest ratione personarum erga se inuicem, aut circumstantiis singularibus, in actione obuersantibus.

§. 1114. An lucrum quaesitum sit perceptum, an minus, in poena nihil mutat, simulac fur rem ablatam in suam tantum redegit custodiam.

§. 1115. Si quis aliquid aufert, vt se aut alios ex imminenti corporis aut vitae periculo seruet; de hoc casu iudex referat ad instantiam superiorem, quae patratori criminis gratiam faciat.

§. 1116. Reductio aut restitutio rei ablatae poenae mitigationem eatenus tantum efficit, quatenus sit sponte, non concurrente iudice, et absque tertii damno.

§. 1117. Si restitutio aut reparatio alio modo nequit praestari; ablatorem laeso petente, in publico

Source : BIU Cujas

inſtituto aut modo alio tamdiu oportet operis fungi, donec ex eius quaeſtu indemnitas poteſt praeſtari.

§. 1118. Si, quae delinquens operando acquirit, non ſufficiunt ad alimenta ipſi neceſſaria; laeſum, priuati commodi (intereſſe) ſui cauſa prolongationem cuſtodiae (arreſti) petentem, addere oportet, quae deſunt.

§. 1119. Si res non eſt ablata lucri faciendi cauſa; non quidem furti poena obtinet, at ea tamen, quam patrator pro intentione ſua illicita alia commiſit. (Sect. XVI.)

§. 1120. Si quis, ad ius, quod ſibi putat competere, obtinendum, ſine iure res poſſidendas furripit; locus eſt poenis de vi priuata, ſine iure adhibita. (§. 157. ſqq.)

§. 1121. Furtum, nulla vi adhibita, et ſine circumſtantiis inprimis grauantibus commiſſum, vocatur furtum ſimplex. Furtum ſimplex ſine circumſtantiis grauantibus;

§. 1122. In furtum ſimplex eſculentorum aut potulentorum, non niſi ad proprium furis vſum, ſecundum leges politiae tantum inquiratur.

§. 1123. Prout mera appetentia, aut vera neceſſitas, furti cauſa fuit, obtineat caſtigatio corporis, opera poenalis horarum viginti quatuor ad dies octo vsque, aut aequa carceris poena.

§. 1124. In furtum ſimplex aliud, ſi pretium rei vere ablatae eſt thalerorum quinque aut minus, inquirendum quoque tantum eſt ſecundum politiae leges, et vindicandum carcere dierum octo ad hebdomadas quatuor vsque.

§. 1125. Si pretium aut ſumma rei furto mero ſimplici ablatae quinque thaleros excedit; fur condemnetur ad operas poenales, aut afficiatur poena ergaſtuli hebdomadarum quatuor ad annos duos vsque.

§. 1126. Prout pretium aut ſumma rei ablatae maior fuit aut minor; furti occultatio, pro rei natura,



Source : BIU Cujas

facilior aut difficilior; et interna actionis ipsius moralitas maior aut minor; poenae diuturnitas, in casu quolibet, a iudice definienda est secundum praeceptum §. 1125. datum.

§. 1127. Si heres ex hereditate iacente vel nondum diuisa quid aufert, damno coheredum, aut hereditatis creditorum, lucri faciendi causa; eum non solum oportet restitutionem perfectam praestare, sed etiam duplex rei ablatae pretium poenae loco soluere aerario, pauperibus alendis inseruienti.

§. 1128. Quam multam pecuniariam si nequit soluere: puniendus est tanquam fur, qui furtum simplex commisit; in qua quidem poena irroganda ratio habenda est quantitatis eius, quod furto coheredibus aut creditoribus debuit auferri.

§. 1129. Heres rem legato destinatam auferens furi alii est aequiparandus.

§. 1130. Caeterum ille, qui res communes aufert, intuitu eius, quod ei non competit, fur est habendus.

§. 1131. Si mercaturae socius ab altero quid furatur, factum furto domestico (§. 1137. sqq.) est aequiparandum.

§. 1132. Quomodo puniendus sit, qui res inuentas contra ius sibi vindicat, suo loco est sancitum. (P. I. Tit. IX. §. 70-73.)

§. 1133. Ablationes inter parentes et liberos, inter coniuges, aut inter fratres et sorores commissae, neque furtum habeantur, neque ex officio in eas inquiratur, neque puniantur.

§. 1134. Idem valet de agnatis vel cognatis aliis, rem domesticam communem habentibus.

§. 1135. Neque minus de furtis, quae a curandis et educandis commissa sunt in tutores, in eos, qui cura sua nomen parentum merentur, et in educatores alios, aut in eorum domesticos.

Source : BIU Cujas

§. 1136. At vero, si ille, cuius disciplinae domesticae delinquens subest, ablationem vindicat; auferens eadem poena est afficiendus, quae sequitur furtum simplex aliud omne.

§. 1137. Iudicis non est, ex officio inquirere et punire furta domestica minora, a famulis et domesticis commissa in eum, a quo mercedem et victum accipiunt, aut in eius domesticos. cum circumstantiis praegrauantibus.

§. 1138. Patrisamilias licet, furem statim ex ministerio dimittere. (Tit. V. §. 120.)

§. 1139. Qui vero si furtum vindicat; opera poenalis, aut poena carceris secundum praeceptum §. 1122. 1124. decernatur, quae poena castigatione corporis modica initii et finis tempore exasperetur.

§. 1140. In furtis domesticis maioribus furti simplicis poena per se commissa non solum prolongatur diuturnitate dimidia, scilicet a sex hebdomadis ad tres annos vsque; sed exasperatur etiam additis plagis, aduenienti et decedenti infligendis.

§. 1141. Quae poenae prolongatio et exasperatio decernenda est, si res sunt ablatae, quae esse sub cura et custodia diligenti omnino non possunt.

§. 1142. Quae poena igitur obtinet, si incendii, aquae, aut belli calamitate commissum est furtum simplex rerum seruatarum aut hostium causa asportatarum.

§. 1143. Atque etiam tunc, si commissum est eiusmodi furtum animalium in pascuis (crimen abigeatus); furtum instrumentorum rusticorum, quae rure solent relinqui; apium alueorum; aut fruguni et hortensiorum nondum collectorum.

§. 1144. Idem obtinet in furto lignorum; quae stant in syluis, aut loco reponendis lignis inseruienti; vti lignorum natantium et per aquas actorum (*Schwemm- und Flößsholzes*).

Source : BIU Cujas

§. 1145. Ferarum furta, sine armis iaculatoriis, retibus, aut laqueis commissa, puniuntur tanquam furtum simplex; at eiusmodi instrumentis commissa tanquam furtum graue; et commissa a personis, furandis feris quaestum facientibus, tanquam furtum violentum.

§. 1146. Idem valet de furtis piscium ex arcis piscariis, stagnis priuatis, aut piscinis.

§. 1147. In furta piscium ex aquis praeterfluentibus, in quibus alteri ius piscandi competit, aut ex stagnis maioribus, furti simplicis poena obtinet.

§. 1148. Furtum noctu commissum grauiori poena est vindicandum, ac die commissum.

§. 1149. Si ecclesiis, piis corporibus, aerariis regni aut aliis publicis, aut horreis (*Magazinen*), aut quoque postis furto simplici quid est ablatum; diuturnitas poenae ergastuli in hebdomadas octo ad quatuor annos vsque est definienda, et poena exasperanda additis plagis aduenienti et decedenti infligendis.

§. 1150. Eadem duplicatio et exasperatio obtinet, si furtum quidem sine vi est commissum, et sine circumstantiis in primis grauantibus, ast extraordinaria astutia, calliditate vel audacia adhibita.

§. 1151. Furtum, in monimentis publicis, aut aliis aedificiorum et locorum publicorum ornamentis commissum, puniatur tanquam furtum simplex, at sub circumstantiis tamen praegrauantibus patratum. (§. 1140. sqq.)

§. 1152. Exasperatio poenae furti simplicis corporis castigatione, at absque prolongatione diuturnitatis, decernatur, si sepulcra aut funera sunt expilata.

§. 1153. Vespillo, qui ipse cadauera aufert, eandem poenam et muneris priuationem commisit.

§. 1154. Si aliae personae auferunt cadauera; petentibus defuncti agnatis vel cognatis, tanquam iniuriantes sunt puniendi.

Source : BIU Cujas

§. 1155. Atque etiam, si nullus agnatus vel cognatus ad puniendum cadaueris furtum agit, nihilo tamen minus locus est poenae carceris dierum octo ad hebdomadas quatuor vsque.

§. 1156. Furta, loco cultui diuino sacrato, aut alio publico priuilegiato commissa, vindicanda sunt poena §. 1152. praescripta.

§. 1157. In casibus omnibus, vbi in patrando furto simplici delinquens secum gestauit arma vel instrumenta periculosa alia, quae ordinis sui homines gestare alias non solent; poena, licet iis non sit vsus, per se commissa prolongatur mensibus tribus ad annum vsque. (§. 1175.)

§. 1158. Si quis furta simplicia plura commisit, quorum poena merita nunquam est affectus; eam luat poenam, quae pro ratione summae, omnibus furtis simul sumtis (collectiue) ablatae, et circumstantiarum praegrauantium obuersantium est commissa. Furtum simplex reiteratum.

§. 1159. Si vero quis propter furtum simplex iam semel ad poenam condemnatus, hoc delictum secundo commisit; poena furtis nondum punitis commissa ratione diuturnitatis est duplicanda.

§. 1160. Si huius delicti bis condemnatus tertio reum se facit: poena perlata, in aedificiis ad operas vel vi exigendas destinatis tamdiu detinetur, et ad operandum compellatur, donec mores mutat, et sufficienter probat, quo modo honesto in posterum comparare sibi possit, quae ad vitam sustentandam sunt necessaria.

§. 1161. Si dimissus nihilo minus ad pristina vitia redit, poenam ergastuli ad vitae dies commisit.

§. 1162. Idem obtinet, si aufugit, antequam poenam tertio statutam plene est perpessus.

§. 1163. Furtum insceńsione aut effractura periculosa patratum vocatur violentum. Furtum violentum.

§. 1164. Sub insceńsione periculosa intelligitur ea, quae fit scalis et eiusmodi remediis aliis

Source : BIU Cujas

admotis, apparatibus opera magna aut difficulter auertendis; aut conatibus in primis audacibus.

§. 1165. Effracturae violentae aequiparatur, si clauibus adulterinis, vncinatis, aut instrumentis aliis adhibitis receptacula seris munita aperiuntur.

§. 1166. Fures, qui noctu in aedes latenter irrepunt, aut in iis per noctis tempus se curant includi, furti violenti poenam commiserunt.

§. 1167. Furta violenta puniantur poena ergastuli in sex menses ad tres annos vsque, additis plagis aduenienti et decedenti infligendis.

§. 1168. Diuturnitas temporis poenae furti violenti a iudice definienda est pro ratione vis adhibitae; pro tempore, quo est commissum; pro magnitudine periculi, in quod publicum aut singula eius membra inde sunt vocata; et pro quantitate rei aut summae ablatae.

§. 1169. Furtum violentum in aedificiis non inhabitatis, receptaculis, hortis, horreis, aut piscium viuariis, punitur tanquam furtum simplex, sub circumstantiis praegrauantibus. (§. 1137. seqq.)

§. 1170. Qui animo esculenta, fruges, aut hortensia furandi inscendit, aut vi adhibita fores effringit; in eum poena furti simplicis eiusdem generis exasperatur corporis castigatione.

§. 1171. Poena furti violenti est commissa, simulac inscensio aut effractura periculosa furandi animo actu est facta.

§. 1172. At tamen, si rerum ablatarum possessionis apprehensio non est perfecta, obtinet tantum poenae legalis gradus minor.

§. 1173. Et huius quoque poenae diuturnitas, si inscensio aut effractura non est consummata, abbreuiatur, prout vis adhibita magis aut minus ad veram consummationem accessit.

Source : BIU Cujas

§. 1174. Si ad furtum violentum adhuc accedunt circumſtantiae praegrauantes; prolongatur diuturnitas poenae delicto ipſo commiſſae. Cum circumſtantiis praegrauantibus.

§. 1175. Si fur, dum furtum violentum commiſit, armis aut aliis inſtrumentis periculoſis fuit inſtructus, quibus tamen contra neminem eſt vſus; in eum poena furto violento ipſo commiſſa (§. 1167.) prolongetur menſibus ſex ad annos duos vsque.

§. 1176. Armorum qualitas, et certitudo minor aut maior ex circumſtantiis apparens, furem in caſu reſiſtentiae iis fuiſſe vſurum, definiunt hanc temporis poenae prolongationem.

§. 1177. Eadem exaſperatio poenae furti violenti obtinet, ſi eccleſiarum, regni, aut alia publica aeraria, aut horrea (*Magazine*) inſcenſione aut effractura violenta ſunt expilata.

§. 1178. Qui peregrinantium cutribus in viis publicis, aut deuerſoriis, arcas, ciſtas, manticas aut receptacula alia defecat, aut effringit, commiſit furti violenti poenam ordinariam.

§. 1179. Qui vero eodem modo poſtas publicas expilat, in eum prolongetur poena furti violenti ordinaria ad diuturnitatis dimidium.

§. 1180. Si in caſibus ante commemoratis (§. 1177. 1178. 1179.) fur, in furto violento patrando, armis periculoſis fuit inſtructus; poena ordinaria, ſi videatur, ad annos octo duplicetur.

§. 1181. Si quis furta violenta plura, at tamen ſine circumſtantiis praegrauantibus commiſit; puniatur condemnatione ad locum munitum aut ergaſtulum in annum ad quatuor annos vsque, additis plagis aduenienti et decedenti infligendis. Furtum violentum reiteratum.

§. 1182. Si furti violenti reiteratio cum circumſtantiis praegrauantibus fuit coniuncta; in delinquentem locus eſt condemnationi ad locum munitum aut ergaſtulum in annos quatuor ad decem vsque, eadem caſtigatione addita.

Source : BIU Cujas

§. 1183. At vero, si quis propter furtum violentum iam semel est condemnatus: eo reiterato, puniatur, prout circumstantiae praegrauantes existunt, vel minus, condemnatione ad locum munitum aut ergastulum in decem annos ad vitae dies vsque, atque castigetur et temporis poenae initio, et sub eiusdem finem, vbi posterius obtinet.

II. Violenta possessionis apprehensio rerum alienarum.

§ 1184. Qui lucri sui, commodi, aut vtilitatis percipiendae causa, rerum immobilium possessionem sine iure, vi adhibita occupat; iam eo ipso commeruit condemnationem ad locum munitum aut ergastulum in annos duos ad tres vsque.

§. 1185. Cui poenae locus sit, simulac vis est adhibita, licet occupatio ipsa perfici non potuerit.

§. 1186. Si cui inde laesio est illata, aut tumultus excitatus; locus est praeceptis §. 167. sqq. 796. sqq. 844. sqq.

Rapina.

§. 1187. Qui per vim, hominibus illatam, rerum mobilium, in quas ius nullum ei competit, lucri, commodi, aut vtilitatis percipiendae causa possessionem apprehendit, rapinae reum se facit.

§. 1188. Atque iam ille, qui furtum, nulla vi adhibita, perniciosam tamen tractationem minitans committit, tanquam raptor commeruit condemnationem ad locum munitum in annos octo ad decem vsque, addita castigatione, poenae temporis initio et fine infligenda.

§. 1189. Si homines male tractati sunt ligando, obturamentum in os inferendo, verberando, aut modo alio; at nullo tamen damno vitae aut valetudini inde illato; in raptorem obtinet condemnatio ad locum munitum in annos decem ad quindecim vsque, eadem castigatione addita.

§. 1190. Si spoliato mala tractatione, quam est perpessus, grauis mutilatio, aut eius valetudini damnum perpetuum est illatum; raptor, pro huius damni

Source : BIU Cujas

damni ratione, commeruit condemnationem ad locum munitum in annos quindecim ad vitae dies vsque, additis plagis venienti et decedenti infligendis.

§. 1191. Si mala tractatio §. 1189. spoliati mortem accelerauit; raptor gladio puniatur, et corpus rotae imponatur.

§. 1192. Eidem poenae capitali locus sit, si mala tractatio commissa in se fuit letalis, at spoliati vita circumstantiis aut casibus singularibus adhuc seruata.

§. 1193. Qui alterum dolo occidit, lucri vel commodi eius morte sibi acquirendi aut assecurandi causa, commisit rotae supplicium, a cruribus incipiendum.

§. 1194. Si raptor demum interfecit alterum actu resistentem; puniendus est rotae supplicio, a ceruice incipiendo.

§. 1195. Si raptor perfecit rapinam ipsam, caede (*Mord*) nulla patrata, et spoliatum, eum persequentem, demum necauit, non nisi ad vitam suam propriam tuendam; gladio necetur.

§. 1196. Sin vero in hoc casu (§. 1195.) spoliatus a raptore occisus est non solum ad vitam suam sed etiam ad rapinam tuendam; in raptorem nihilo minus statuendum est rotae supplicium, a ceruice incipiendum.

§. 1197. Latrocinium, i. e. spoliatio, in publicis vehis et semitis ad vsum communem destinatis, atque in locis publicis, viis, et plateis commissa, licet tantum minis periculosis sit facta, puniatur condemnatione ad locum munitum aut ergastulum in annos decem ad quindecim vsque, additis plagis aduenienti et decedenti infligendis. Latrocinium.

§. 1198. Vi vera a latrone adhibita, at fine valetudinis et vitae laesione, locus est condemnationi ad locum munitum aut ergastulum in annos



Source : BIU Cujas

quindecim ad vitae dies vsque, eadem caſtigatione exaſperatae.

§. 1199. Spoliati valetudine aut membris a latrone laeſis (1192.), latro gladio eſt necandus.

§. 1200. In caſibus, vbi rapina mera gladio punitur (§. 1191. 1192. 1195.), latrocinium vindicandum eſt rotae ſupplicio, a ceruice incipiendo.

§. 1201. Latro rotae commiſit ſupplicium, a cruribus incipiendum, ſub iisdem circumſtantiis, ob quas raptor afficiendus eſt rotae ſupplicio, a ceruice incipiendo. (§. 1194. 1196.)

§. 1202. At vero, vbi rotae ſupplicium, a cruribus incipiendum, in raptorem eſt ſtatuendum (§. 1193.), ibi haec poena capitalis in latronem ſic eſt exaſperanda, vt ad ſupplicii locum trahatur.

Rapina reiterata.

§. 1203. In caſu reiterationis rapinae, cuius poena nulla raptori ante eſt irrogata, condemnatio ad locum munitum, aut ergaſtuli poena, alias commiſſa, diuturnitate eſt prolonganda, at vero condemnatio ad vitae dies exaſperanda ſupplicio virgarum ignominioſo.

§. 1204. Raptor, qui ſemel iam eſt ad rapinae poenam condemnatus, aut rapinas duabus plures commiſit, afficiendus eſt poena eadem, qua afficiuntur grege facto (*in Banden*) rapientes. (§. 1212. ſqq.)

Rapina attentata.

§. 1205. Raptor poena delicto commerita eſt afficiendus, licet lucrum quaeſitum nondum fecerit, aut rurſus amiſerit.

§. 1206. Aggreſſio hominis violenta omnis, in via publica facta, niſi contrarium clare patet, pro rapina habeatur, et puniatur.

§. 1207. Qui alteri, vel absque rapiendi animo, in via publica inſidiatur, eum inſultat, et laedit, pro re nata condemnetur ad locum munitum in annos duos ad decem vsque.

Source : BIU Cujas

§. 1208. Si inter plures de furto committendo conuenit; principia §. 68. et 73. obtinent.

III. Furtum et rapina grege facto (in Banden) commissa.

§. 1209. Si plures coierunt ad furtum tanquam communem quaestum faciendum: dux commeruit condemnationem ad locum munitum aut ergastulum in annos decem ad vitae dies vsque; at complices reliqui eandem poenam annorum sex ad decem annos vsque; exasperandam additis plagis aduenientibus et decedentibus infligendis.

§. 1210. Furtis violentis a pluribus grege facto commissis, dux patibuli supplicio est afficiendus.

§. 1211. Complices reliqui, si delicto in se condemnatio ad locum munitum, aut ergastuli poena quinque annorum aut plurium est commerita, condemnandi sunt ad locum munitum ad vitae dies; alias vero in annos decem, additis plagis aduenientibus et decedentibus infligendis.

§. 1212. Rapinis veris ab eiusmodi grege commissis, dux minimum commeruit rotae supplicium, a ceruice incipiendum.

§. 1213. Intuitu factorum, a gregis sociis duce iubente, approbante, vel tantum tolerante, commissorum, ipse tanquam auctor principalis est puniendus.

§. 1214. Complices reliqui, nisi iam poena capitalis rapina ipsa est commerita, afficiendi sunt absque discrimine supplicio virgarum ignominioso, et stigmatum inustione, et condemnandi ad locum munitum ad vitae dies.

§. 1215. Caeterum gregis raptorum socii, licet latrocinium nullum commiserint, afficiendi sunt poena in latrones statuta.

§. 1216. Praedones, homicidia a complicibus suis commissa, vel excubias tantum agendo, scienter adiuuantes, nihilo minus commiserunt rotae supplicium a cruribus incipiendum.



Source : BIU Cujas

§. 1217. Rotae ſupplicio a ceruice incipiendo necandi ſunt praedones, qui non impediuerunt, licet potuiſſent, caedes (*Mordthaten*) a complicibus commiſſas, quas ante quidem ignorarunt, at quibus interfuerunt.

IV. De participantibus rapinam et furtum.

§. 1218. Qui furti lucra participat, intuitu actionum, de quibus antea inter eum et patratorem conuenit, coauctor eſt habendus.

§. 1219. In furtis quoque violentis, is coauctor eſt habendus, qui vim adhibitam ſcienter adiuuit, exhibendis inſtrumentis, agendo excubias, vel alio auxilio praeſtito.

§. 1220. Qua poena vel tunc tenetur, ſi re vera non percipit lucrum, de quo inter eos conuenit.

§. 1221. At vero, ſi lucrum repudiauit aut exhibuit, et indicauit complices nondum detectos; prouocare poteſt ad (aggratiationem) gratiam faciendam.

§. 1222. Cuſtodes et excubitores, ſcienter, animo lucri faciendi, furti patrationem permittentes, poenam commiſerunt furti violenti; licet delictum ipſum ſine vi fuerit patratum.

§. 1223. Qui fures ſui lucri et commodi cauſa receptat; aut furibus ad occultandas, aſportandas vel alienandas res furto ablatas auxilium promittit et praeſtat; commeruit condemnationem ad locum munitum aut ergaſtulum in ſex menſes ad duos annos vsque, addita caſtigatione temporis poenae initio et ſub eius finem.

§. 1224. Qui ſi ſcit, res a ſe occultatas eſſe rapina ablatas, aut fures rapinam exercere; condemnandus eſt ad locum munitum aut ergaſtulum in annos tres ad quatuor vsque, eadem caſtigatione (§. 1223.) addita.

§. 1225. Qui praedoni, quem ſcit homicidium ſimul eſſe patraturum, aut iam patraſſe alias, ad occul-

Soúrce : BIU Cujas

tandas aut asportandas res praedaticias auxilium promittit, et postea actu praestat, commeruit supplicium virgarum ignominiosum, et condemnationem ad locum munitum ad vitae dies.

§. 1226. Eadem poena obtinet, si quis eiusmodi praedoni homicidae asylum permittit ad fauendum rapinis futuris.

§. 1227. Qui praedones occultat, magistratu inuestigante, aut iis monstrat rapinas committendi occasionem et obiecta; licet conuinci non possit participationis §. 1223-1225. descriptae, nihilo tamen minus condemnandus est ad locum munitum aut ergastulum in annos duos, additis plagis aduenienti et decedenti infligendis.

§. 1228. Quae poena duplicatur, si ei fuit cognitum, praedones, quos fouit, homicidia solere committere.

§. 1229. Qui rapinas, vel adeo homicidia, in aedibus suis sciens committi patitur, afficiatur eadem, qua patrator, poena.

§. 1230. Qui fures aut praedones scienter hospitio recipit, aut res furto ablatas receptat et occultat, eum non solum dare oportet poenam §. 1223. definitam, sed idem priuatur etiam quaestu, quo est abusus.

V. Media praecauendi.

a) Emtio rerum ablatarum prohibita.

§. 1231. Quemlibet, cui offeruntur res emendae aut oppignorandae, a suspectis (P. I. Tit. XV. §. 19.) aut ignotis, vendendis eiusmodi rebus publicum quaestum non facientibus, (ibid. §. 43. 44.), percontari oportet, an offerenti probabiliter ius competat, de rebus oblatis disponendi.

§. 1232. Quae cautio in primis est obseruanda, si venditor aut oppignorans est famulus, aut domesticus, et res ita comparata, vt probabiliter heri aut patris familias esse possit.



Source : BIU Cujas

§. 1233. In tali casu emtor aut creditor pigneraticius sola offerentis indicatione non acquiescat, sed ex hero aut patre familias ipso quaerat, an forsan perfidia famulorum aut domesticorum subsit?

§. 1234. Cum hominibus prorsus ignotis, res pretii e. g. aurum, argentum, gemmas aut alias res pretiosas emendas aut oppignorandas offerentibus, nemo de iis pacisceatur.

§. 1235. Quod neque licet, si res oblata eius est qualitatis, vt homines, qui offerentis sunt ordinis et quaestus, eiusmodi res habere non soleant.

§. 1236. Si ex comparatione qualitatis rei, et personae offerentis facta, aut ex rei pretio, summam a venditore postulatam valde superante, suspicio exoritur probabilis, rem esse ablatam; omnis, negotiatione aut pecuniam pignoribus acceptis credendo quaestum faciens, sub arbitraria, at graui tamen, multa pecuniaria aut carceris poena (§. 35.) obligatur, vt eiusmodi rem suspectam detineat, et tradat magistratui, cui cura politiae loci demandata est, qui vlterius inquirat.

§. 1237. Eadem poena obtinet, si eiusmodi negotiator aut creditor pigneraticius, promulgationibus publicis, admonitionibus magistratus, vel etiam indicationibus tantum priuatis fide dignis certior est factus, res huius generis, et eiusmodi signis notatas, furto esse ablatas aut amissas.

§. 1238. Qui scienter res furto ablatas emit, aut pignori accepit, licet furti, *modo* §. 64-84. descripto, non fuerit particeps, nihilo tamen minus tanquam fur simplex est puniendus.

§. 1239. Si homines, negotiatione aut pecuniam pignoribus acceptis credendo quaestum facientes, res furto ablatas, de quibus modo §. 1237. dicto sunt moniti, nihilo minus emunt, aut pignori accipiunt; tanquam fures, qui furtum simplex commiserunt, sunt

Source : BIU Cujas

puniendi, licet notitiae ipsius plene conuinci non possint.

§. 1240. Si quis casibus his exceptis res furto ablatas, non scienter quidem, at tamen neglecta cautione in legibus praescripta, emit aut accepit; pro negligentiae admissae gradu arbitrariam luat, at grauem tamen, multam pecuniariam aut carceris poenam. (§. 35.)

§. 1241. Quae poena duplicatur, si eiusmodi delicti, cuius poenam iam semel sustinuit, secundo se facit reum.

§. 1242. Si ille, qui negotiatione aut re pigneraticia hactenus quaestum fecit, delicti §. 1239. descripti semel saepius se facit reum, ei praeter poenam, eo ipso commissam, plene interdicendum est vlterius quaestus exercitium, sub carceris aut ergastuli annorum plurium poena.

§. 1243. Si Iudaeus scienter res furtiuas emit aut pignori accepit; regni tutela et protectione priuatur, et ex regni finibus est exterminandus.

§. 1244. Si res furtiua aut plenum eius pretium possessori legitimo nequit restitui; delinquens afficiendus est, antequam ex regni finibus exterminatur, poena ergastuli anni vnius ad annos duos vsque, additis plagis aduenienti et decedenti infligendis.

§. 1245. Si Iudaeus non scienter quidem, neque praemonitus, at neglecta tamen cautione legali, rem furtiuam emit, aut pignori accepit; in eum locus est poenae arbitrariae §. 35. praescriptae.

§. 1246. At vero, si secundo in eiusmodi violatione deprehenditur; in eum, licet notitiae plene conuinci non possit, tamen statuenda est poena ordinaria §. 1243. 1244. praescripta.

§. 1247. At per se patet, laesum inde non priuari iure petendi, vt damnum secundum praeceptum §. 1117. opere faciendo resarciatur.



Source : BIU Cujas

b) Obligationes fabrorum ferariorum.

§. 1248. Fabri ferarii, sub thalerorum decem poena, sine domini aut patrisfamilias domicilium inhabitantis consensu, neque seram vllam recludant, neque eius clauem nouam fabricent.

§. 1249. Sub eadem poena neque clauem generalem (*Hauptschlüssel*) sine consensu domini aedium fabricent.

§. 1250. Cui quoque clauis generalis modulum aut formam bona fide exhibeant necesse est.

§. 1251. Faber ferarius, contra has prohibitiones (§. 1248-1250.) agens, non solum thalerorum decem poenam luit, sed etiam refarciat necesse est damnum, ex imprudentia sua ortum.

§. 1252. Idem obtinet, si fabri ferarii claues suas, seras omnes recludentes (vncinatas *Dietriche*), non diligenter custodiunt, aut personis incertis exhibent.

§. 1253. Fabri ferarii, qui furti reos se fecerunt, aut eius socii fuerunt, non solum exasperata furti poena sunt afficiendi, sed iis etiam sub poena ergastuli sex mensium interdicendum est vlterius opificii exercitium.

VI. De concussionibus.

§. 1254. Qui concussionibus alterum ad pactum detrimentosum ineundum cogit, commisit multam pecuniariam aut carceris poenam arbitrariam.

§. 1255. Si quis concussione est coactus, vt pecuniam dederit aut res, sine remuneratione; eiusmodi concussio, pro mediorum adhibitorum ratione, vindicanda est poena eadem, qua furtum aut rapina.

## Sectio Decima Quinta.

### *De rei familiaris laesionibus, lucro priuato illicito et fraude commissis.*

Notiones et principia.

§. 1256. Inductio dolosa omnis in errorem, quo alicuius ius laedatur, est fraus punienda.

Source : BIU Cujas

§. 1257. Cupiditas mera, commodo suo priuato inseruiendi, eatenus tantum est punienda, quatenus in legibus expresse est prohibita.

§. 1258. Vindicationi publicae locus est in casibus omnibus, vbi cum commodo priuato fraus vera est coniuncta.

§. 1259. Commodum priuatum et fraus prohibita puniantur multa pecuniaria, lucro quaesito illicito proportionata.

§. 1260. Si in legibus poena singularis nulla est definita; ille, qui fraudis puniendae aut commodi priuati expresse prohibiti reum se fecit, puniatur lucri quaesiti summa duplici, fisco soluenda.

§. 1261. Quod lucrum si erui nequit; iudex multam pecuniariam determinabit pro summa damni alteri illati.

§. 1262. Si multa pecuniaria nequit solui; fraudatorem in instituto publico tamdiu oportet opus facere, donec eam acquisiuit.

§. 1263. Si ex circumstantiis patet, fraudatorem multam pecuniariam commissam opus faciendo non posse acquirere; aequa carceris poena aut condemnatio ad ergastulum in eius locum succedit.

§. 1264. Si factum fraudulentum nondum est perfectum; aut si lucri, quod fraudator intendit, vel damni illati summa nequit erui: succedat arbitraria (§. 35.) multa pecuniaria aut carceris poena, pro malitiae et intentionis periculosae gradu.

§. 1265. Simulac ex facto, contra legum prohibitionem, aut veritate vel simulata vel corrupta suscepto, secundum rerum naturam et ordinem, agenti enascitur lucrum, et damnum alteri; illius praesumitur intentio, hunc lucri sui causa laedendi.

§. 1266. Si huius intentionis contrarium patet, aut est probabile; secundum intentionem, quae alias



BIBLIOTHEQUE CUJAS PARIS

Source : BIU Cujas

facti causa fuit, definiendum est, an locus sit poenae, et cui poenae sit locus.

§. 1267. Damni fraude illati reparatio fraudatorem a poena non liberat.

§. 1268. At poena tamen mitigatur, si fraudator deinde sponte abstinuit fraude perficienda, aut omnem, quantum in ipso fuit, adhibuit operam, ad damnum auertendum. (§. 61. sqq.)

1. De lucro priuato illicito.

1. Commercium, quod quis sine iure exercet.

§. 1269. Qui commodi priuati cupiditate ductus commercium aut quaestum sibi arrogat, quem faciendi ius tantum competit certis regni classibus aut incolis singulis, secundum priuilegia ipsis concessa exclusis reliquis; eum praeter damni illati et lucri cessantis reparationem soluere oportet multam pecuniariam thalerorum decem ad quinquaginta vsque.

§. 1270. Si in certa genera quaestus, quem quis sine iure exercet, poenae aliae in legibus singularibus sunt statutae: iis est standum.

2. Prauitas vsuraria.

§. 1271. Vsurae maiores, ac leges permittunt, (P. I. Tit. XI. §. 803. sqq.) legitime neque possunt promitti, neque dari.

§. 1272. Quidquid praeter vsuras legitimas est solutum, intra sex annos inde a tempore, quo debitum plane est deletum, condici adhuc potest.

§. 1273. Qui ad fraudem his sanctionibus (§. 1271. 1272.) faciendam lucrum immodicum sub nomine aut negotio alio vllo occultare intendit, feneratoris improbi instar est puniendus.

§. 1274. Feneratorem improbum poenae loco oportet fisco soluere sortis et vsurarum summam integram, per literas ipsi designatam.

§. 1275. In solutionibus aut praestationibus perpetuis, quarum finis plane non est determinatus, aut postea demum renuntiatione debet determinari, multa pecuniaria computatur ad summam sortis pactae, et commodorum, loco vsurarum vere perceptorum.

Source : BIU Cujas

§. 1276. Licet debitor ſoluere nequeat ea, ad quae ſoluenda eſt obligatus; feneratorem improbum nihilo tamen minus oportet ex propriis poenae loco ſoluere ſummam §. 1274. 1275. definitam.

§. 1277. Conditio oneroſa omnis, ſub qua creditor vſuras celat immodicas, pro prauitate vſuraria eſt habenda.

§. 1278. Atque prauitatis vſurariae reum ſe quoque facit, qui debitori, praeter caſum P. I. Tit. XI. §. 817. definitum, non ſoluit integram ſortis ſummam.

§. 1279. Simulac lucrum, quod facit creditor ex vſurarum ſolutione per ſe licita in anteceſſum facta, ſuperat diſcrimen inter vſuras computatas minores, et legitimas maiores, creditor habendus eſt fenerator improbus. (P. I. Tit. XI. §. 817.)

§. 1280. Si merces ſunt loco pecuniae datae, aut cambii vel chirographi pretium (valuta), pro quo in totum aut ex parte merces ſunt exhibitae, tanquam pecunia numerata eſt deſignatum; locum obtinent praecepta P. I. Tit. XI. §. 715-726.

§. 1281. At fiſcus tamen non eſt obligatus, vt acquieſcat iis, quae a debitore praeſtanda ſunt ſecundum P. I. Tit. XI. §. 717. 719. 724. 726; ſed conuenire poteſt de ſumma per literas deſignata creditorem ſecundum §. 1276.

§. 1282. Si loco vſurarum dati mutui pacti ſunt fructus certi naturales, aut res aliae, aut labores vel operae praeſtandi; locus eſt praecepto P. I. Tit. XI. §. 812-814.

§. 1283. Si exhibitionis (*Lieferung*) aut praeſtationis pactae pretium, cum ſex annorum poſteriorum pretio rerum minimo comparatum, excedit vſurarum modum licitum, plus vno de centenis; prauitas vſuraria exiſtit, et creditor commeruit poenam §. 1274. definitam.

Source : BIU Cujas

§. 1284. Intuitu poenarum conuentionalium obtinent eadem, quae P. I. Tit. XI. §. 825. et 826. sunt praecepta.

§. 1285. Conuentio de obstagio (*Einlager*) et in mutui pacto, et in pactis aliis, tanquam vis priuata illicita est prohibita.

§. 1286. Qui in mutuo, aut negotio alio, proxenetico legitimo plura sibi promittenda aut soluenda curat, poenam commisit thalerorum quinquaginta ad quingentos vsque.

§. 1287. Si fensalis s. proxeneta auctoritate publica est constitutus, et sacramento adstrictus; praeter ea adhuc munere priuatur.

§. 1288. Quidquid de mutui fenore est praeceptum, in aliis negotiis quoque obtinet; quatenus vsurae maiores non fuerunt contractus primitiui conditio.

§. 1289. Quae in antecedentibus de fenore numario iniquo sunt sancita, valent quoque, sub definitionibus P. I. Tit. XI. §. 856-860., de iniquo annonae aliarumque rerum fenore, quae possunt esse obiectum contractus mutui.

3. Dardanariatus. §. 1290. Qui contra expressam regni prohibitionem frumenta sua celat et reseruat, copiae immodicae confiscatione punitur.

§. 1291. Copia immodica habenda est ea, quae duplum excedit eorum, quae vsque ad messem reseruanti sunt necessaria.

4. Crimen annonae. §. 1292. Qui res ad victum pertinentes et alias, omnibus necessarias, coëmendo harum rerum pretium auget, aut impedimento audet efficere, vt res istae ad publicas nundinas vel plane non aduehantur, vel quantitate minore; secundum legum politiae loci cuiusque definitionem seuere est puniendus.

5. Taxae violatio. §. 1293. Idem obtinet, si venditionis pretium excedit taxam definitam.

Source : BIU Cujas

1294. Libros, quos edendi ius (*Verlagsrecht*) ſubdito regio competit, nemo furtim typis exprimat. 6. Recuſio librorum furtiua.

§. 1295. Si ſumtus edendi ſuppeditans legitimus priuilegium expreſſum acquiſiuit; poenam in priuilegio ſancitam commiſit, qui typis furtim recudit librum, in cuius fronte eiusmodi priuilegium eſt typis expreſſum, vel eiusmodi priuilegii ſumma in tituli folio vel poſt illud notata.

§. 1296. a) Cui poenae ex priuilegio ſpeciali ſi locus non eſt; nihilo tamen minus exemplaria furtim recuſa petente editore legitimo ſunt confiſcanda, et corrumpenda, ne poſſint vendi; aut concedenda editori, ſi petat.

§. 1296. b) At in poſteriori tamen caſu editorem legitimum, ſi editionis furtiuae exemplaria vult accipere, damni reparationi, a recudente praeſtandae, imputare oportet ſumtus in furtiuam libri recuſionem ab hoc impenſos, aut eos, quatenus ad damnum reſarciendum non ſunt neceſſarii, tradere aerario multis colligendis deſtinato.

§. 1297. a) Quatenus furtiua librorum recuſio ipſa eſt prohibita, neque vlli, ſub eadem poena, licet, commercium facere librorum, in terris aliis furtim recuſorum.

§. 1297. b) Bibliopegis non licet, ſibi arrogare mercaturam librorum nondum ligatorum, et ſcriptorum mere confutorum, ſub poena confiſcationis operis, et pretii, ex venditis exemplaribus iam exacti.

§. 1297. c) Auctor libros ſuos, ſumtibus ſuis typis exſcriptos, ipſe quidem et per alios poteſt vendere; at eiusmodi venditio neque in publicis tabernis licet, neque per bibliopegos in locis, vbi ſunt bibliopolae.

§. 1297. d) Cuius praecepti violationes quoque vindicantur confiſcationis poena ſecundum § 1297. b).

§. 1298. Ludi periculi maioris (*Hazardſpiele*) ſunt illiciti, ſimulac ex conditione perſonarum ludentium, 7. Ludi illiciti.

Source : BIU Cujas

et ſummae expoſitae (*Einſatzes*) ratione, et ex circumſtantiis reliquis apparet, eos ludos lucri cupiditatis cauſa inſtitui.

§. 1299. Sub ludis periculi maioris in primis intelliguntur Baſſette, Lansquenet, Faraon, Cinq et Neuf, Quinze, Paſſe à dix, Lotto, Triſchacken, ludus talarius, et ludi ſimiles.

§. 1300. Qui in eiusmodi ludis menſam ſic dictam tenet (*Bank macht*), pro ratione ludi, ſummae periculo expoſitae, et magnitudinis lucri illiciti quaeſiti, commiſit multam aureorum centum vsque ad mille, fiſco ſoluendam.

§. 1301. Colluſor omnis et in ludo Faraon, et in ludis periculi maioris aliis omnibus, ſub quocunque nomine veniant, eadem proportione afficiatur multa aureorum quinquaginta ad trecentos aureos vsque, fiſco ſoluenda.

§. 1302. Sponſiones (*das Wetten oder ſogenannte Pariren*) licet in ludis licitis fiant, nihilo tamen minus ludis periculi maioris ſunt aequiparandae.

§. 1303. Qui ludendo quaeſtum faciunt, et eum in finem fontes aquarum ſalubrium, balnea, et alios locos et conuentus publicos frequentant, ex regni finibus ſunt exterminandi; et ad faciendum quaeſtum prohibitum nihilo minus reuerſi in annum deportentur ad locum munitum.

§. 1304. Caupones et potum Caffee vendentes (*Caffeewirthe*), et in genere omnes, conuentus publicos inſtituentes, qui ludos vetitos in domicilio ſuo tolerant, trecentorum thalerorum multam ſoluant.

§. 1305. Si eiusmodi ludos ludentibus conclauia conceſſerunt occluſa, aut ad eos occultandos alio modo adiuuerunt, multa duplicatur.

§. 1306. Si ob talem violationem ſecundo in ius vocati rei deprehenduntur; praeter multam pecuniariam quaeſtus priuatione ſunt puniendi.

Source : BIU Cujas

§. 1307. Officiales, ludis periculi maioris quaeſtum facientes, munere ſunt priuandi.

§. 1308. Qui lucri ſui cauſa obtrectando diſcordias inter agnatos vel cognatos proprinquos, aut coniuges excitat, pro intentionis malitioſae latentis, et damni inde exorti, ratione, afficiendus eſt multa pecuniaria aut corporis poena graui. 8. Excitatio diſcordiarum in familiis.

§. 1309. Qui eiusmodi diſcordias ea intentione excitat, vt hereditatibus aut legatis heredes legitimos priuet, et ſibi aut aliis eas acquirat, fraudatoris inſtar eſt puniendus. 9. Heredipetae.

§. 1310. Qui minorenni pecuniam dat mutuam, aut alias habet fidem illicitam, eum praeter pacti nullitatem, per ſe ſequentem, poenae loco oportet ſoluere ſummam aequalem ſummae pecuniae, quam dedit mutuam, aut pretio mercium, de quibus eſt fides habita. 10. Contractus illiciti.

§. 1311. Eadem poena afficitur, qui fidem habet illicitam perſonae, maiorenni quidem, at ob prodigalitatem, aut ob cauſam aliam, ſub cura conſtitutae.

§. 1312. Atque ille, qui ſcienter liberis maiorennibus quidem, at ſub patria poteſtate adhuc conſtitutis, pecunias aut res mutuo dat, vel commodat ad heluationem, luxuriam, aut profuſionem.

§. 1313. Qui ab eiusmodi perſonis (§. 1310 1312.) res pretioſas, veſtimenta etc. ſine praepoſitorum conſenſu emit, pignori aut in ſolutum accipit, et iis inde ſuppeditat vitae diſſolutae ſubſidia, eandem poenam commiſit.

§. 1314. Qui militi contra legum prohibitionem (P. I. Tit. XI. §. 700.) fidem habet, punitur ſumma, nomini ipſi debito aequali, fiſco ſoluenda.

§. 1315. Si pecunia ſuppeditata eſt animo heluationes et profuſiones adiuuandi; legem violans, adhuc praeter ea, commiſit multam pecuniariam, pecuniae ſuppeditatae parti dimidiae aequalem.

Source : BIU Cujas

§. 1316. Qui a milite res vtiles, ad veſtitum militarem, aut res alias, ad militiam pertinentes emit, aut modo alio ſuas facit, eum praeter damnum, regimento refarciendum, eiusmodi rei pretium triplex poenae loco oportet ſoluere.

§. 1317. De commodato et mutuo ſtudioſis literarum illicite dato, praecepta tituli duodecimi §. 104. ſqq. obtinent.

§. 1318. Qui cum perſonis in antecedentibus (§. 1310-1317.) dictis eiusmodi pacta illicita init, commiſit poenam lege definitam, licet non pateat, pactum lucri cauſa fuiſſe initum.

§. 1319. At ille quoque, qui perſonis aliis, quarum vita male ordinata eſt nota, ſcienter et conſulto, ad diſſolutam, quam intendunt, prodigalitatem pecunias aut res ſubminiſtrat, amittit nomen, ſi lucri cauſa pecuniam aut res ſubminiſtrauit, in fauorem aerarii, pauperibus alendis inſeruientis.

§. 1320. Si quis lucri faciendi cauſa vxoris prodigalitatem et profuſiones, ipſi notas, marito neſcio, pecunia ſuppeditata adiuuit; praeter nominis amiſſionem puniatur pecuniae ſuppeditatae ſumma, fiſco ſoluenda.

§. 1321. Si eiusmodi pecuniae eiusmodi perſonis ſuppeditatae ſunt (§. 1319. 1320.) non lucri faciendi cauſa, ſed ex intentionibus aliis illicitis; locus fit, pro ratione damni prodigo aut eius familiae inde exorti, arbitrariae (§. 35.), at graui tamen, multae pecuniariae aut corporis poenae.

§. 1322. Quae §. 1310-1321. de pecuniis ſuppeditatis praecepta ſunt, valent quoque de rebus creditis, prodigalitati aut luxuriae diſſolutae inſeruientibus.

§. 1323. Idem quoque obtinet, ſi ſub circumſtantiis §. 1320. definitis ab vxore, marito inſcio, res emuntur, aut pignori accipiuntur.

§. 1324.

Source : BIU Cujas

§. 1324. Poena §. 1321. definita ii quoque sunt afficiendi, qui quaestum faciunt, iuuenes ad luxuriam alliciendo, eiusque occasionem iis suppeditando.

§. 1325. De effectibus fraudis simplicis, in contractibus, aut alias in commerciis admissae, praecepta legum ciuilium obtinent. II. Fraus, simplex;

§. 1326. Si in lite de eiusmodi negotiis exorta fraus grauis plene eruitur; in sententia de re principali fraudatori simul irroganda est multa pecuniaria aut carceris poena aequa. (§. 35.)

§. 1327. Facta animo, alterum inscientem et inuitum rebus suis priuandi, contra leges suscepta, fraudi aequiparantur.

§. 1328. In fraudem, sub circumstantiis praegrauantibus admissam, ex officio est inquirendum, et ea in regula vindicanda est multa pecuniaria, lucri quaesiti summae duplici aequali. (§. 85.) qualificata.

§. 1329. Qua poena (§. 1328.) igitur ille tenetur, qui, praeter obligationem generalem, singularibus adhuc obstrictus est obligationibus, alterum fide et probitate tractandi, eumque nihilo minus decipit. A) Perfidia

§. 1330. Officialium perfidorum poena in sectione septima est sancita. 1. officialium;

§. 1331. Tutores et curatores, qui bona curandi perfide et mala fide administrando remotionem commeruerunt (Tit. XVIII. §. 924. sqq.), praeter ordinariam fraudis qualificatae poenam (§. 1328.) inhabiles declarandi sunt ad subeundum munus publicum; ad praestandum vllius generis iusiurandum suppletorium inuita parte altera; et ad deponendum in aliis causis testimonium fide dignum. 2. tutorum;

§. 1332. Si eiusmodi tutor furtum verum curando fecit; afficiatur corporis poena furti sub circumstantiis praegrauantibus admissi.



Source : BIU Cujas

3. proxenetarum ſ. ſenſalium;

§. 1333. Senſales auctoritate publica conſtituti, fraudem admittentes aut adiuuantes, praeter commiſſam ordinariam fraudis poenam, munere ſunt priuandi, et priuatio muneris facta in mercatorum curia (*Börſe*), et promulgationibus quoque publicis, eſt publicanda.

4. iuſtitiae commiſſariorum et conſulentium;

§. 1334. Iuſtitiae commiſſarii et conſulentes, lucri faciendi cauſa ſcienter conſilia dantes noxia, praeter poenam §. 1328. definitam, muneris quoque priuationem (caſſationem) commeruerunt.

§. 1335. Qui ſi partium cauſas lucri faciendi cauſa producunt, aut negligunt; non ſolum poenam luant §. 1328. definitam, ſed etiam munere priuentur, ſi admonitio praeuia fuit fine effectu.

§. 1336. Si eiusmodi perſonae vel adeo cum parte aduerſa in partis, cuius cauſam agunt, detrimentum colluſerunt; poena in eos exaſperanda eſt publica promulgatione, et condemnatione ad ergaſtuli opus in menſes ſex ad annum vsque.

§. 1337. In quo caſu quoque aeque ac tutores perfidi (§. 1331.), commeruerunt fidei iudicialis amiſſionem.

§. 1338. Iuſtitiae commiſſarii et conſulentes, qui ad obſcurandam veritatem, et producendas lites, partes ſuas conſilio et re adiuuant, ſemper ſunt munere priuandi, et ad regni munera alia ſubeunda declarandi inhabiles.

§. 1339. Iuſtitiae commiſſarii nomina litigioſa, in iudicio, penes quod ſunt conſtituti, agenda, neque tanquam creditores neque tanquam debitores in ſe poſſunt ſuſcipere emtione, permutatione, ceſſione, aut modo alio, absque denuntiatione et collegii praepoſiti approbatione praeuia. (P. I. Tit. XI. §. 385-387.)

§. 1340. In primis non curent ſibi promittendam quotam nominis a ſe exigendi.

Source : BIU Cujas

§. 1341. Contra quae praecepta (§. 1339. et 1340.) si agunt; lucri quaesiti summam duplicem poenae loco fisco soluant.

§. 1342. At vero, si sint rationes, ob quas partibus eiusmodi pactum videatur conueniens; pactum iudici est proponendum, qui illud approbet.

§. 1343. Iudicem in iis casibus, vbi eius approbatio requiritur, examinare oportet, vtrum sub pacto lateat concussio, an fraus dolosa parti nocua.

§. 1344. Si nulla est doli aut concussionis suspicio fundata, aut si remota est, parte a iudice edocta; eiusmodi pacti approbatio non potest denegari.

§. 1345. Administratores priuati et rationarii, fraudes dolosas in munere admittentes, puniendi sunt summa lucri quaesiti aut damni illati duplici. (§. 1261.) 5. administratorum priuatorum;

§. 1346. Administratores priuati, domini iura, aut commoda (intereſſe), in muneris obligationibus proterue negligentes, praeter damni reparationem, condemnandi sunt ad carceris poenam hebdomadarum quatuor ad octo vsque.

§. 1347. Qui si interuerterunt pecunias aut rerum naturalium praestationes, ab iis vi muneris acceptas; praeter multam pecuniariam, fraude commissam, afficiendi adhuc sunt corporis poena furti simplicis.

§. 1348. Domino ius competit, sine mora munere remouendi administratorem omnem, qui fraudis et culpae latae in dominum reum se reddit, aut ei infestum se gerit.

§. 1349. Priuatorum administratorum fraudes, in principales commissae, his tantum petentibus sunt inquirendae et puniendae.

§. 1350. Famulorum vulgarium et domesticorum defraudationes, interuertendis pecuniis et rebus ipsis concreditis commissae, nunquam multa pecuniaria sunt puniendae, sed pro furto domestico habendae et huius instar vindicandae. 6. famulorum.



Source : BIU Cujas

§. 1351. Famuli et domeſtici, heri aut patrisfamilias nomine, his neſciis, debita contrahentes, aut in expediendis negotiis et mandatis ad defraudandum dominum cum aliis conſpirantes, puniendi ſunt tanquam fures, furtum ſimplex committentes.

§. 1352. At hic tamen quoque locum obtinet praeceptum §. 1349.

7. in depoſitis;

§. 1353. Quomodo interuerſio pecuniarum et rerum in iudicio depoſitarum ſit vindicanda, §. 377. ſqq. et §. 418. ſqq. eſt ſancitum.

§. 1354. Perſonae priuatae, quae manus a depoſito non retinuerunt, aut illud conſumſerunt, afficiendae ſunt poena, in fraudem qualificatam (§. 1328.) ſtatuta.

§. 1355. Qui depoſitum doloſe denegat, praeter hanc poenam adhuc declarandus eſt inhabilis ad praeſtandum vllius generis iusiurandum ſuppletorium, et ad deponendum teſtimonium fide dignum.

§. 1356. Qui res incendii, inundationis, aut belli periculo depoſitas denegat, praeter inhabilitatem iuramenta praeſtandi, ante definitam, afficiendus eſt furti ſub circumſtantiis praegrauantibus admiſſi poena, quae quoque publice eſt promulganda.

§. 1357. Qui eiusmodi depoſitum (§. 1354-1356) conſumit, aut amouet, ſi deponenti damnum inde illatum reſarcire nequit, pro ratione damni loco multae pecuniariae, §. 1354. definitae, condemnandus eſt ad locum munitum, aut afficiendus ergaſtuli poena trium menſium ad octodecim vsque.

§. 1358. Qui res depoſitas aut pignori datas absque expreſſo domini conſenſu in ſuos adhibet vſus, inde commiſit carceris poenam dierum trium ad dies quatuordecim vsque, aut multam pecuniariam aequam.

§. 1359. Si cum rei vſu periculum domini non leue fuit coniunctum; aut huic verum damnum inde illatum: depoſitarius, pro ratione periculi aut damni,

Source : BIU Cujas

poenam luat carceris dierum quatuordecim ad ſex hebdomadas vsque.

§. 1360. Si inde damnum valetudini eſt illatum; locus eſt condemnationi ad locum munitum, aut ergaſtuli poenae hebdomadarum ſex ad menſes octodecim vsque.

§. 1361. Si mors hominis eiusmodi facti illiciti fuit effectus, locus eſt praeceptis de homicidio culpoſo. (§. 691. 777. ſqq.)

§. 1362. Seris aut ſigillis, quibus res depoſitae ſunt munitae, referatis, praecepta obtinent P. I. Tit. XIV. §. 26-40.

§. 1363. Qui conuincitur, ſeram aut ſigillum, quibus res depoſita fuit munita, proprio auſu recluſiſſe, iam ea de cauſa afficiendus eſt carceris poena octo dierum ad dies quatuordecim vsque.

§. 1364. Quod ſi factum eſt animo, re depoſita contra ius vtendi; poena ordinaria, §. 1358. ſqq. in vſum rei depoſitae illegitimum ſtatuta, exaſperatur vsque ad dimidium.

§. 1365. Quae eadem poena duplicatur, ſi cum recluſione proprio auſu facta coniunctus fuit ſuffurandi animus.

§. 1366. Qui rebus, ipſi tantum in ſuam ſecuritatem conceſſis, contra ius vtitur, eas denegat, aut interuertit, ea poena eſt afficiendus, quae in caſu eodem (§. 1354. 1355. 1357.) intuitu depoſitarii eſt ſancita.

§. 1367. Rerum alienarum oppignoratio, ſcienter et contra ius a detentore facta, punienda eſt tanquam interuerſio ſecundum praeceptum §. 1328. 1329.

§. 1368. Qui res alienas, vt eas oppignoret, furripit, furti poenam commiſit.

§. 1369. Poena §. 1367. ſancita is quoque tenetur, qui ſcienter res alienas emit, commutando acquirit, pignori accipit, aut alias contra ius in vſum



Source : BIU Cujas

ſuum adhibet, niſi locus ſit poenis durioribus, §. 1358. ſqq. ſtatutis.

8. reſignatione literarum alienarum;

§. 1370. Qui alterius literas, absque eius voluntate, et ſine iure ſingulari reſignat, iam ea de cauſa commiſit carceris poenam dierum trium ad quatuordecim vsque.

§. 1371. Si eiusmodi reſignatio literarum alienarum contra ius facta ſimul adhibita eſt tanquam medium delictum aliud patrandi; delicti vltimi poena exaſperatur quadrante.

9. mandatariorum;

§. 1372. Qui in expediendo mandato ſuſcepto mandantem decipit, et inde damnum doloſe ei infert, poenae loco ſoluat ſummam, damni ſummae aequalem.

§. 1373. Si quis interuertit pecunias aut res, vi mandati accepti pro altero acceptas, et acceptationem mandantem celauit, aut negauit; praeter poenam, in §. antecedente ſancitam, afficiendus eſt corporis poena furti ſimplicis.

§. 1374. Si mandatarius eſt iuſtitiae commiſſarius; praeter poenam §. 1373. definitam, muneris quoque commeruit priuationem.

10. ſociorum mercatoriorum;

§. 1375. In ſocios mercatorios, ſe inuicem defraudantes, locus ſit poenae perfidiae ordinariae. (§. 1328. 1329.)

11. in pacto aſſecurationis.

§. 1376. Eadem quoque poena afficiendi ſunt aſſecurantes et aſſecurati, qui eiusmodi fraudis erga ſe inuicem reos ſe fecerunt.

B) De falſis

§. 1377. In fraudes, modo in primis aſtuto et difficulter detegendo commiſſas, poena ordinaria ſemper eſt exaſperanda.

§. 1378. Falſorum inſtar poena exaſperata vindicandae ſunt fraudes, quibus perſonis aut rebus certis ſigna qualitatum, quae ipſis non competunt, ad defraudandos alios ſunt attributa, aut quibus qualitates, vere exiſtentes, eodem animo ſunt celatae.

Source : BIU Cujas

§. 1379. Cuius quoque criminis se reum facit ille, qui falsis ab aliis commissis, scienter, in tertii fraudem vtitur.

§. 1380. Qui ad fraudem faciendam conficit documenta falsa scripta, aut vera vitiat (falsificat), praeter ordinariam fraudis qualificatae poenam (§. 1328.) simul luat aequas poenas corporis, aut poenas famam afficientes. 1. circa documenta.

§. 1381. Qua poena ii sint afficiendi, qui mensae feneraticiae publicae notas (*Banknoten*), literas pigneraticias (*Pfandbriefe*), et literas ad cursum in publico communem auctoritate publica destinatas, adulterant (falsificant), aut imitantur, §. 267. sqq. est definitum.

§. 1382. Qui exteras mensae feneraticiae publicae notas, literas pigneraticias, aut literas alias, ad cursum communem destinatas, adulterat (falsificat), aut imitatur, poenam luat ergastuli, aut condemnetur ad locum munitum in annos tres ad sex annos vsque.

§. 1383. At vero, si eiusmodi literae intra regni fines non sunt in cursu, dimidium tantum obtinet poenae (§. 1382.).

§. 1384. Qui lucri faciendi causa documenta iudicialia aut publica alia adulterat, aut imitatur, praeter poenam ordinariam (§. 1328.) afficiatur poena furti, sub circumstantiis praegrauantibus commissi.

§. 1385. Si adulterans ipse est persona, ad eiusmodi documenta conficienda, recipienda aut custodienda auctoritate publica constituta; haec poena diuturnitate duplicetur, atque muneris priuatione et promulgatione publica exasperetur.

§. 1386. Qui animo, alios defraudandi, cambia vel scripta priuata alia falsa conficit, aut in iis quidquam adulterat (falsificat), in eum statuenda est poena ergastuli sex mensium ad annos duos vsque.



Source : BIU Cujas

§. 1387. Si falsum commissum est imitando literas manu alterius scriptas, aut efformando alterius sigillum; fraudator, praeter poenam ordinariam (§. 1386.) afficitur poena ergastuli annorum duorum ad annos quatuor vsque.

§. 1388. Eidem quoque poenae locus sit, si testamenta falsa sunt supposita.

§. 1389. Si documento falso nemo adhuc re vera est deceptus, locus est dimidiae criminis falsi (§. 1380 vsque 1387.) poenae.

§. 1390. In casu reiterationis falsarius, siue fraus sit perfecta, siue non perfecta, priuetur, si Iudaeus est, regni protectione et tutela, si mercator, iuribus mercatoriis; in alios autem temporis dimidio prolonganda est poena, falsi crimine in se commissa.

§. 1391. Si quis documenta falsa confecit, non solum ad decipiendam certam quandam personam, sed ad committendas fraudes plures et reiteratas; poena commissa exasperanda est expositione publica ignominiosa.

§. 1392. Qua poenae exasperatione in primis afficitur ille, qui sub eiusmodi documentorum falsorum patrocinio, in sui ipsius lucrum et commodum, collectas colligit nomine vniuersitatis, ecclesiae, scholae, aut instituti publici alius.

§. 1393. Si falsarius non pro aliis sed pro semet ipso, licet nomine falso, collegit eiusmodi collectas; commeruit ergastuli poenam aut condemnationem ad locum munitum in annum ad duos annos vsque.

§. 1394. Medici circumforanei (*Marktschreyer*) et circulatores (*Charlatans*), falsa testimonia curationum, de quibus se iactant, producentes, afficiendi sunt poena ergastuli hebdomadarum sex ad annum vsque.

§. 1395. Poena §. 1393. definita in eum quoque est statuenda, qui falsis dignitatis equestris vel doctoris diplomatibus, aut aliis eiusmodi testimoniis et documentis falsis, publicum intuitu ordinis, originis, aut

Source : BIU Cujas

aliarum rationum perſonalium, illiciti lucri faciendi cauſa, fallere intendit.

§. 1396. Qui, licet documenta falſa non confecerit, animo alios decipiendi ſine iure ſibi arrogat nobilitatem aut altiores eiusdem gradus, atque eiusmodi honores, vel dignitatis inſignia, quorum concedendorum ius regno tantum competit; fraudatoris inſtar §. 1328. eſt puniendus, et poena publice promulganda.

§. 1397. Si quis ex vanitate tantum ea ſibi arrogauit; locus eſt multae pecuniariae thalerorum viginti ad centum vsque, fiſco ſoluendae.

§. 1398. Qui documenta furripit, aut ſupprimit, eadem poena eſt afficiendus, qua documenta adulterans.

2. Ludus falſus.

§. 1399. Fraus ludendo interdum tantum commiſſa tanquam fraus ſimplex vindicatur. (§. 1325.)

§. 1400. Qui vero quaeſtum ludis falſis facit, tanquam fur fraudulentus eſt puniendus, et poena defunctus ex regni finibus exterminandus. (§. 1303.)

§. 1401. Qui cum ebrio ludit pecuniarum magnarum ludos, licet alias licitos; lucrum perceptum reddat, et eiusdem ſummae multam pecuniariam ſoluat.

3. Alchymiſtae et fatidici ſ. fortilegi.

§. 1402. Qui praeſtigiis (*Gaukeleyen*) fraudulentis, vt alchymiſtae, daemones cogentes, fatidici ſ. fortilegi, theſauri effoſſores etc. publicum decipiunt; commiſerunt praeter ordinariam fraudis poenam, ergaſtuli poenam ſex menſium ad annum vsque, et expoſitionem publicam.

4. Crimen termini moti.

§. 1403. Qui lucri et ſui commodi cauſa, lapides terminales, aut ſigna alia ad determinandos fines priuatos poſita aufert, mouet, aut modo alio mutat, puniendus eſt ſumma duplici lucri inde quaeſiti.

C) Fraus cum officiorum aliorum lae-

§. 1404. Si cum fraude, praeter decepti laeſionem, ſimul officiorum aliorum laeſio eſt coniuncta; ſemper locus eſt poenae ordinariae exaſperationi.



Source : BIU Cujas

sione coniuncta.

1. Periurium et mendacium in iudicio.

§. 1405. Qui in lite, siue pars, siue testis, scienter peierat: muneribus et honoribus omnibus, fama et quaestu ciuili priuatur in perpetuum; tanquam fraudator periurus ignominiose est exponendus, aut publice notandus; et praeter ea pro damni dati ratione condemnandus ad locum munitum in annum ad tres annos vsque.

§. 1406. Si periurium lucri aut commodi causa est commissum; periurus, praeter ea omnia, adhuc punitur quadruplo summae lucri quaesiti.

§. 1407. Quibus periurii poenis igitur tenetur, qui iureiurando, a parte aduersa delato, aut a iudice exacto, scienter asserit, quae vera non sunt.

§. 1408. In qua poena nihil refert, vtrum iusiurandum exactum, a parte, an a teste, sit praestitum.

§. 1409. Eadem poena is quoque est afficiendus, qui iureiurando praestito negat rei aut facti, quam habet, scientiam, ad quam indicandam a iudice eo modo est prouocatus.

§. 1410. Qui non adhibuit curam, ad quam adhibendam iusiurandum eum obligat, aut alias praestito iuramento aliquid tanquam verum asseruit, aut tanquam falsum negauit, quod aliter se habere iuramenti praestiti tempore scire iam potuisset, et debuisset; commeruit condemnationem ad locum munitum aut ergastuli poenam in menses sex ad annos duos vsque.

§. 1411. a) At vero, si sponte errorem indicauit, aut eius effectus remouit; arbitraria tantum carceris poena in eum est statuenda.

§. 1411. b) Atque haec quoque poena cessat, si error adhuc indicatur intra dies octo inde a iuramento praestito, et alias nulla dolosae simulationis aut dissimulationis veri sunt vestigia.

§. 1412. Qui in causa criminali depositione falsa, iureiurando firmata, cooperatus est, vt innocens

Source : BIU Cujas

poena ſit affectus, in eum poena periurii ordinaria proportione aequa, et ſi videatur, ad poenam capitalem vsque exaſperatur.

§. 1413. Si inter plures de teſtimonio falſo conuenit: poena alias commiſſa exaſperetur; et ſi quis eo vitam amiſit, dux afficiatur rotae ſupplicio, a cruribus incipiendo.

§. 1414. Qui corruptionibus, aut lucris aliis promiſſis, vel vere comparatis, ſeducit alterum ad iuramentum falſum doloſum praeſtandum; afficiendus eſt eadem, qua peierans, corporis poena, et praeter ea multa pecuniaria, ſummae quadruplici lucri quaeſiti aequali.

§. 1415. Si quis, praemio promiſſo aut dato, teſtes mouere ſtudet ad veritatem deponendam; horum depoſitionis in illius commodum nulla habeatur ratio.

§. 1416. Teſtes, eiusmodi praemium poſcentes aut accipientes, poenam commeruerunt carceris aut ergaſtuli ſex hebdomadarum ad annum vsque.

§. 1417. Si eiusmodi praemium ſub comminatione depoſitionis falſae extorquere tentarunt; afficiantur poena ergaſtuli in annum ad annos duos vsque.

§. 1418. Si teſtis a iudice rogatus praemium promiſſum aut acceptum iuramento praeſtito denegauit; periurii poena obtinet. (§. 1405. ſqq.)

§. 1419. In puniendo periurio nihil refert, vtrum iuramentum ore ſit praeſtitum, an literis, an in perſona, an per mandatarium, an in pleno iudicio, an coram eius deputato.

§. 1420. Qui in muneris rebus falſum quid aut non verum, meliora ſciens tanquam verum aut certum, ſub fide ſacramenti muneris conteſtatur aut aſſerit; tanquam periurus eſt puniendus.

§. 1421. Membra ſocietatum religioſarum, iure praerogatiuo, ne ad praeſtandum iuramentum compellantur, in regno receptarum, tanquam periura ſunt punienda; ſi ſolenni confirmandi formula, quae

Source : BIU Cujas

ipsis loco est iuramenti, abutuntur ad confirmandum, quod sciunt esse falsum.

§. 1422. Qua poena ii sint afficiendi, qui in litibus in iudicio, licet iureiurando non praestito, falsa afferunt, aut vera iudicem dolo celant, in ordine processus est sancitum.

§. 1423. Si parti aut testi, facta ipsorum assertione religiosa, solennis iurisiurandi praestatio est remissa, at haec assertio scienter fuit falsa; mendax declarandus est inhabilis ad iuramenta necessaria et iuramenta testis omnia, et afficiendus poena carceris aut ergastuli in menses sex ad annum vsque.

§. 1424. At vero, si quis in casibus, vbi leges, loco iurisiurandi testium, tantum exigunt confirmationem honore interposito, falsum quid eo modo scienter et dolose confirmat; in eum locus est periurii poenae ordinariae.

§. 1425. Cum chirographis et renuntiationibus vis maior nulla accedat iuramento; ob eiusmodi iuramentorum abusum, et ille, qui exegit, et ille, qui praestitit iuramentum, afficiatur multa pecuniaria thalerorum quinque ad decem vsque.

§. 1426. Ex causis iisdem sub poena eadem prohibita sunt iuramenta promissoria extraiudicialia omnia.

§. 1427. Qui alterum ad factum secundum leges inualidum iureiurando obligare voluit, hanc multam soluat duplicatam.

§. 1428. Qui alterum ad factum prohibitum iuramento cupit adstringere, in eum seuere exasperatur poena delicti, eiusmodi corruptione admissi.

§. 1429. Qui iuramento extraiudiciali aliquem decipit, in eum fraudis qualificatae poena (§. 1328.) augetur dimidio.

§. 1430. Qui semel punitus secundo periurii reum se facit, pro ratione damni, inde illati, condemnan-

Source : BIU Cujas

dus est ad munitionis opus in annos sex ad decem vsque, et vel ad vitae dies, si existunt circumstantiae in primis grauantes.

§. 1431. Qui aliquem scienter sine ratione et fundamento criminis accusat, in regula luat poenam dimidiam, qua afficiendus fuisset denuntiatus, accusatione vera cognita. Accusatio et delatio falsa.

§. 1432. Si denuntiatus ex falsae denuntiationis fundamento innocens est punitus: denuntians eadem poena est afficiendus, quam denuntiatus iam vere sustinuit; nisi secundum §. 1431. poenae duriori sit locus.

§. 1433. Si delicti capitalis accusatus in carcere mortuus est morbo, cui inde causa est data, aut qui inde letalis est factus: denuntians falsus commeruit carceris poenam ad vitae dies; sin vero denuntiatus capitis poenam subiit, eandem poenam capitalem.

§. 1434. Si accusatus, in quem poena capitalis aut condemnatio ad locum munitum, aut poena ergastuli ad vitae dies est statuta, aut posita denuntiationis veritate fuisset statuenda, adhuc viuit; denuntians commeruit condemnationem ad locum munitum aut ergastuli poenam annorum decem ad vitae dies vsque.

§. 1435. Qui lucri et commodi causa, celato baptismo iam facto, se aut suos iterum baptizandos praebet, in eum fraudis qualificatae poena ordinaria exasperatur corporis castigatione. 2. Duplex baptismus.

§. 1436. Qui partus alieni suppositione familiae iura fraudulenter laedit, commeruit poenam ergastuli aut condemnationem ad locum munitum in annum ad quatuor annos vsque. 3. Partus alieni suppositio.

§. 1437. Qua poena in primis illi tenentur, qui loco partus, qui prorsus non extitit, aut interiit, infantem alienum supponunt;

§. 1438. At ii quoque, qui infantes, curae suae commissos, dolo, et animo decipiendi, cum aliis commutant.

Source : BIU Cujas

§. 1439. Membrum familiae ipſius, ſi eiusmodi criminis reum ſe fecit, praeter hanc poenam, priuatur adhuc iuribus et commodis omnibus, ei tanquam familiae membro competentibus.

4. Abuſus nominis et inſignium alienorum.

§. 1440. a) Qui ad fraudem faciendam familiae alienae nomine aut inſignibus vtitur, afficiendus eſt fraudis qualificatae poena ordinaria, quae quoque poena, in familiae laeſae ſatisfactionem, publice eſt promulganda.

§. 1440. b) Qui, vel ſine intentione illicita, familiae alienae nomine aut inſignibus ſine iure vtitur, ei eiusmodi arrogatio ſub arbitraria at graui tamen multa pecuniaria eſt interdicenda; quae poena, ſi interdicto non paruerit, ei re vera eſt irroganda.

D) De fraudatio publici.

§. 1441. In fraudes, non ſolum ad decipiendum certas quasdam perſonas, ſed publicum in genere ſpectantes, ſemper exaſperanda eſt poena fraudis qualificatae ordinaria. (§. 1328.)

1. Corruptio mercium, menſurae et ponderis.

§. 1442. Qui res ad victum pertinentes, vel alias merces vendendas, cum materia aliena confundit aut commiſcet, vt menſuram earum et pondus, aut bonitatem ſpecioſam fraudulenter augeat; in eum exaſperatur fraudis qualificatae poena (§. 1328.) dimidio.

§. 1443. Si eiusmodi corruptione ſimul hominum vitae aut valetudini periculum eſt creatum, aut damnum re vera illatum; praecepta obtinent ſectionis vndecimae.

§. 1444. Poenae §. 1442. definitae in eos quoque locus eſt, qui falſis menſuris aut ponderibus vtuntur.

§. 1445. Et in eos quoque, qui ſignis aut notis (*Proben*), mercibus certi tantum generis et bonitatis deſtinatis, fraudulenter ſignant merces generis aut bonitatis vilioris.

§. 1446. Praeter poenam eiusmodi fraudationum, ſemper quoque confiſcanda eſt mercium aut

Source : BIU Cujas

rerum copia, circa quas eiusmodi corruptio eſt commiſſa.

§. 1447. Quatenus neceſſe eſt, ad fraudis effectus noxios plures praecauendos, tales copiae ſunt delendae; alias vero in pauperum fauorem impendendae.

§. 1448. Si qu's, propter eiusmodi fraudem iam punitus, eiusdem iterum ſe reum fecit; praeter poenam, per ſe commiſſam, declarandus eſt inhabilis ad commercium et quaeſtum faciendum, quod etiam publice promulgandum.

§. 1449. Idem obtineat, ſi eiusmodi fraudator nunquam adhuc quidem eſt punitus; at hoc tamen fraudis genus iam per annum exercens aſtutia et calliditate ſingulari impediuit, quo minus citius fuerit detectum.

§. 1450. Si eiusmodi fraude fides et venditio eorum, quae in terris noſtris producuntur, et mercium in fabricis noſtris fabricatarum, in terris exteris concidit; fraudator praeter poenam fraudis ipſius per ſe commiſſam (§. 1442.) afficiendus adhuc eſt exaſperata poena ergaſtuli in ſex menſes ad tres annos vsque.

§. 1451. Qui merces bonitatis in ſe probae nomine aut ſigno fabricatorum aut mercatorum indigenarum falſo ſignat, commiſit multam pecuniariam aut carceris poenam arbitrariam. (§. 35.)

§. 1452. Doloſus defraudator creditorum (bancae ruptor *Bankeruttier*) is eſt, qui rem familiarem diſſimulat et occultat, ad decipiendos creditores. 2. Creditorum defraudatio (*Bankerutt*)

§. 1453. Qui animo, cum creditorum damno ſe locupletandi, ſe ſoluendo non eſſe ſimulat, publice eſt exponendus, infamis declarandus, et ad munitionis opus ad vitae dies condemnandus. a) dolo- ſa;

§. 1454. Qui producendis creditoribus fictis, aut fraudulenter fauendo iis, quorum nomina ſunt falſa

Source : BIU Cujas

vel nimis aucta, aut modo alio, maſſam exiſtentem, ad exſoluenda debita vera iam inſufficientem, deminuit, fide iudiciali et exiſtimatione ciuili priuatur omni, et poenam luat ergaſtuli annorum quinque ad decem annos vsque.

§. 1455. Quae poena quoque magis adhuc exaſperanda eſt, et, ſi viſum fuerit, condemnatione ad munitionis opus ad vitae dies, pro deminutionis intentae magnitudine, et pro ratione mediorum, ad fraudem celandam, corrumpendis libris mercatoriis et documentis aliis, aut modis aliis, adhibitorum.

§. 1456. Eiusmodi fraudator creditorum doloſus, ſi ante poenae executionem eſt mortuus, aut fugae ſe dedit, declaratur pro infami, et eius effigies patibulo affigitur.

§. 1457. In caſibus defraudationis creditorum doloſae omnibus condemnatio ad locum munitum aut ergaſtuli poena exaſperanda eſt addita caſtigatione, temporis poenae initio, eoque finito.

b) ex petulantia;

§. 1458. Qui ſumtibus immodicis aut profuſione ſe eo deduxit, vt non ſit ſoluendo, eſt petulans creditorum defraudator.

§. 1459. Immodici ſumtus habendi ſunt omnes, qui neceſſitates et commoditates vitae communes excedunt, et quibus ad debitoris reditus veros non eſt proportio iuſta.

§. 1460. In primis ſumtus, quorum cauſa fuerunt ludus, ſponſiones, luxuria et *libido*, ſub circumſtantiis omnibus, et absque cognitione vlteriore, immodici ſunt habendi.

§. 1461. Creditorum defraudator petulans inhabilis eſt declarandus ad regni honores et dignitates omnes, et condemnandus ad ergaſtulum in tres vsque ad ſex annos; quae poena quoque publice eſt promulganda.

§. 1462. Si defraudator creditorum petulans eſt mercator, praeterea in perpetuum adhuc amittit iura mer-

Source : BIU Cujas

mercatoria omnia; Iudaeus autem pro se et sua familia regni patrocinio et tutela priuatur.

§. 1463. Si eiusmodi creditorum defraudator petulans fuga se poenae subducit; palo ignominioso effigies eius est affigenda.

§. 1464. Qui tempore, quo sperare probabiliter non potest, fore, vt creditoribus suis satisfacere vnquam possit, nihilo minus conflat debita, ad satisfaciendum prodigalitati, creditorum defraudator petulans est habendus, et afficiendus ergastuli poena annorum quinque ad sex annos vsque.

§. 1465. Si debita, sub eiusmodi circumstantiis (§. 1464.) conflata, in augendam massam sunt impensa; eiusmodi creditorum defraudator in tres annos ad quatuor vsque ad opus ergastuli est condemnandus.

§. 1466. Qui eo tempore, quo scit, rem suam familiarem ad exsoluenda debita non amplius sufficere, at sperare tamen adhuc potest, eam breui fore meliorem, celato rei familiaris statu, noua contrahit debita, et inde creditorum detrimentum auget, creditorum defraudator culposus est habendus. c) culposa;

§. 1467. Pro eodem et ille est habendus, qui re familiari non sufficiente, eius residuum in sui ipsius aut suorum necessitates, licet absque prodigalitate, consumit, et inde creditoribus eripit.

§. 1468. Mercator, qui vel libros ordine conscriptos plane nullos habet, vel non quotannis semel saltem credita et debita confert (*Balance ziehet*), atque inde in ignorantia status facultatum suarum remanet, punitur tanquam creditorum defraudator culposus, si se non esse soluendo declarat.

§. 1469. Eiusmodi creditorum defraudator culposus, (§. 1466-1468.) si in publico munere est constitutus, priuatur munere, si est Iudaeus, tutelae priuilegio, et mercator alius iuribus mercatoriis omnibus; adeo, vt absque singulari venia negotiationem vlterius exercere ipsi non liceat.



Source : BIU Cujas

§. 1470. Praeter ea, prout creditorum detrimentum maius eſt aut minus, aut facultatum inſufficientia per tempus longius aut breuius fuit celata, commeruit poenam ergaſtuli aut condemnationem ad locum munitum in annum ad tres annos vsque.

§. 1471. Spes ſpeculationibus mercatoriis longe remotis facultatum inſufficientiam iam exiſtentem tuendi, creditorum defraudatorem culpoſum excuſare nequit.

§. 1472. Neque ad eum excuſandum ſufficit expectatio hereditatum futurarum, aut delationum aliarum, in quibus debitor nondum acquiſiuit ius irreuocabile.

d) temeraria.

§. 1473. Qui pecunia aliena, absque creditoris conſenſu, conatus temerarios et incertos audet, quibus, ſi ſpes eum fallat, creditoribus damnum et detrimentum affertur, punitur tanquam temerarius creditorum defraudator.

§. 1474. An eiusmodi conatus ſit temerarius habendus, a rei peritis eſt cognoſcendum et diiudicandum.

§. 1475. Praeter iuris mercaturam exercendi, aut tutelae priuilegii priuationem, eiusmodi creditorum defraudator (bancae ruptor) commiſit poenam carceris in menſes ſex ad duos annos vsque.

e) Quid in creditorum defraudatione in genere ſit obſeruandum.

§. 1476. In creditorum defraudationem (*Bankerutt*) omnem ex officio iudicem oportet inquirere, eamque pro re cognita punire.

§. 1477. Conuentio inter debitorem et creditores inita illum quidem liberare poteſt ab obligatione pecuniam debitam, quae deeſt, opus faciendo penſandi, at non ab inquiſitione et poena in creditorum defraudationem ſtatuta.

§. 1478. Qui, dum tranſigit cum creditoribus, eorum vni, cui non eſt ius praecipuum, fauet prae reliquis, eo ſolo iam commiſit poenam ergaſtuli hebdomadarum ſex ad menſes tres vsque.

Source : BIU Cujas

§. 1479. Mercatores, casibus aduersis soluendo impares facti, creditorum defraudatores non sunt habendi.

§. 1480. Collegii mercatorum loci cuiusque antistites et seniores obligati sunt ad denuntiandum iudici defraudationis creditorum puniendae casus, qui ipsis innotescunt, sub poena centum aureorum fisco soluendorum.

§. 1481. Ex circumstantiis ab iis subministrandis, aut alias cognitis, iudex in primis diiudicet necesse est, quatenus instituenda sit inquisitio criminalis solennis in defraudationem creditorum existentem.

§. 1482. Contra debitorem, qui soluendo impar ad effugiendam inquisitionem iudicialem aufugit, aut locum celat, quo commoratur, stat praesumtio defraudationis creditorum petulantis.

§. 1483. Si mercator clam se subducens, libros suos semouit, aut tam mancos vel confusos reliquit, vt ex iis facultatum et negotiorum suorum status perspici nequeat; creditorum fraudator dolosus est habendus.

§. 1484. Si debitor, qui clam se subduxit, publice citatus non comparet; sententia in eum lata in nouellis publicis est promulganda.

§. 1485. Creditorum defraudatoris vxor, delicti mariti scienter et immediate correa, bona propria in creditorum fauorem amittit, et dimidiam commeruit carceris aut ergastuli poenam, qua tenetur maritus.

§. 1486. Quotiescunque creditorum defraudatio ex prodigalitate aut sumtibus immodicis est exorta, vxor cum suis illatis cedat classis sextae creditoribus.

§. 1487. At vero, si probare potest, se immodicorum mariti sumtuum non fuisse participem, aut maritum a se de sumtibus his admonitum; ius ei seruatur praelationis in ordine concursus assignatum.



Source : BIU Cujas

## Sectio Decima Sexta.

### *De rei familiaris laesionibus, ex vltione, malitia et petulantia.*

Principia. §. 1488. Qui ex vltione, malitia, aut petulantia, alterius dominium aut rem familiarem laedit, non solum damnum refarciat necesse est, sed aequam etiam corporis poenam luat.

§. 1489. Gradus affectionis animi puniendae, ex eiusmodi actione illicita apparentis, atque damni dati et periculi, laeso inde exorti, magnitudo definiunt poenae commissae modum atque mensuram.

Laesiones ex petulantia; §. 1490. Laesiones leues, ex mera petulantia illatae, secundum politiae leges vindicandae sunt corporis castigatione, opere poenali, aut carcere, pro laedentis aetate et ordine.

§. 1491. Damno graui ex eiusmodi petulantia exorto, poena carceris aut ergastuli obtineat quatuor hebdomadarum ad annos duos vsque.

ex malitia aut vltione. §. 1492. Laesiones ex malitia aut vltione, quibus singulorum tantum regni ciuium dominium aut res familiaris laeditur, vindicandae sunt condemnatione ad locum munitum aut ergastuli poena trium mensium ad tres annos vsque, si cum iis nullum periculum publicum fuit coniunctum, et in legibus in eum casum singularis poena nulla est constituta.

§. 1493. Si in laedenda re familiari simul est laesa securitas domestica, aut personalis laesi, vel suorum, securitas in periculum vocata; poena alias commissa exasperanda est triente.

§. 1494. Si damni illati causa et fundamentum est capitalis in laesum inimicitia; laedens poena defunctus, pro re nata, ex loco, quo laesi est domicilium, est relegandus.

Source : BIU Cujas

## Sectio Decima Septima.

### *De laesionibus cum periculo communi.*

§. 1495. In securitatis publicae turbatores, qui pluribus regni ciuibus, vel adeo omnibus (publico) in genere, damnum aut periculum creant, semper locus sit condemnationi ad locum munitum annorum plurium exasperatae. *Securitatis publicae turbatores, Landesbeschädiger dicti.*

§. 1496. Si actionibus illicitis, praeter immediate laesum, publicum simul, aut alii regni ciues, in periculum sunt adducti; poena alias commissa pro huius periculi ratione semper est exasperanda.

§. 1497. Qui dolose aedificiorum, viarum et pontium laesione animalibus et bonis incolarum, vel iter facientium, periculum creat, condemnandus est ad locum munitum in menses sex ad tres annos vsque.

§. 1498. Si animus, alterius corpus laedendi, clare patet: patrator commeruit condemnationem ad locum munitum aut ergastuli poenam annorum sex ad decem vsque; et ad vitae dies, si occidendi animus cum delicto fuit coniunctus.

§. 1499. Eiusmodi damno (§. 1498.) vere dato, poena inde commissa, in legibus definita, propter periculum commune est exasperanda.

§. 1500. Qui ad efficiendam publicam alimentorum et aliarum vitae necessitatum inopiam eiusmodi res corrumpit, commeruit poenam ergastuli aut condemnationem ad locum munitum in annos sex ad decem vsque.

§. 1501. Si inde eiusmodi rerum inopia re vera est effecta, patrator supplicio virgarum ignominioso afficiatur, et ad munitionis opus ad vitae dies condemnetur.

§. 1502. Si tali inopia, aut in tumultu, inde excitato, homines vitam amiserunt; patrator, licet ei



Source : BIU Cujas

imputari nequeat occidendi animus, nihilo tamen minus gladii supplicio est afficiendus.

§. 1503. Si necandi intentio cum eiusmodi conatu fuit coniuncta; intentione obtenta commeruit rotae supplicium, a cruribus incipiendum; at non obtenta intentione gladii poenam, et ita quidem, vt trahae impositus ad locum supplicii trahatur, et cadauer rotae imponatur.

§. 1504. Qui eiusmodi res ad vsum communem destinatas vitiat aut corrumpit, intentione creandi molestiam, dolorem, taedium aut rei familiaris detrimentum, condemnandus est ad ergastulum aut locum munitum in annum ad annos quatuor vsque.

§. 1505. Qua intentione re vera obtenta, haec poena exasperari potest ad condemnationem ad ergastulum vel locum munitum ad sex annos vsque.

§. 1506. Qui luem contagiosam inter animalia propagat, commeruit condemnationem ad locum munitum aut poenam ergastuli annorum trium ad sex annos vsque, si dolus causa fuit; at sex mensium ad tres annos vsque, in casu culpae latae, aut legibus politiae violatis.

§. 1507. Quod si lucri et commodi causa factum est; obtineat poena ergastuli aut condemnatio ad locum munitum in annos sex ad decem vsque.

§. 1508. Eadem poena quoque is est afficiendus, qui vniuersitatis agros pascuos, prata, pascua, aut lacus veneno inficit.

Diffidatores.

§. 1509. Qui sub comminatione conatus omnibus noxii aliquid extorquere tentat, pro ratione mali, quod est minatus, magnitudinis malitiae, et periculi ab eo metuendi, commeruit condemnationem ad locum munitum in annos sex, decem, aut vel ad vitae dies.

Incendium dolosum.

§. 1510. Qui aedibus, nauibus, aliisue aedificiis dolo ignem supponit, animo alterum laedendi, incendiarius habetur.

Source : BIU Cujas

§. 1511. Incendium dolosum omne, quo vitae hominis vnius aut plurium, aut totis vrbibus, vicis, pagis, et aedibus alias prope adiacentibus, aut nauibus creatur periculum, in regula sequitur poena capitalis.

§. 1512. Qui eiusmodi incendium periculosum excitauit eo animo, quo facilius committat caedem, rapinam, aut delictum aliud, in quod poena capitalis est statuta; nulla effectus ratione habita, afficiendus est tanquam incendiarius ignis poena.

§. 1513. Si in eiusmodi incendiis periculosis homines vitam amiserunt, ignis supplicium, pro atrocitate commissa, est exasperandum.

§. 1514. Si eiusmodi atrocitas non quidem est admissa; at incendium in loco habitato et tempore, quo solent dormire inhabitantes, excitatum: incendii auctor ignis poenam commisit, si homines in eiusmodi incendio, aut eius occasione, vitam amiserunt, aut perpetuum valetudinis damnum sunt passi; licet patratori non fuerit intentio incendiaria, §. 1512. dicta.

§. 1515. Si in eiusmodi incendio nocte excitato neque fuit intentio incendiaria §. 1512., neque hominis vllius vita aut valetudo modo in antecedentibus dicto laesa; at aedibus et aedificiis combustis thalerorum quingentorum damnum, aut maius est datum: poena gladii cum cadaueris combustione obtinet.

§. 1516. Eadem poena capitalis, at absque tamen exasperatione, decernitur, si homines quidem vitam amiserunt, aut perpetuum valetudinis damnum sunt passi, incendium autem interdiu est excitatum, et sine intentione §. 1512. dicta.

§. 1517. Si incendio in locis habitatis dolo, at absque tamen intentione §. 1512. incendiaria, interdiu excitato nullius quidem hominis vita aut valetudo est laesa; at nihilo minus tamen incolarum



Source : BIU Cujas

aedibus, aedificiis, bonis et rei familiari illatum eſt thalerorum quingentorum damnum, aut maius: auctor incendii condemnatur ad locum munitum aut ergaſtulum ad vitae dies.

§. 1518. Si eiusmodi damnum graue non eſt exortum, at incendium noctu doloſe excitatum; auctor incendii commeruit condemnationem ad locum munitum aut ergaſtuli poenam annorum decem ad annos quindecim vsque.

§. 1519. Si incendium absque graui damno reſtinctum interdiu eſt excitatum, et inde reſtinctio reddita facilior; auctor incendii condemnetur ad locum munitum aut luat ergaſtuli poenam annorum ſex ad decem annos vsque.

§. 1520. Qui incenſa poſſeſſione ſua incendium propagare vlterius vel alios laedere aut decipere tentat, eadem afficitur poena, qua poſſeſſiones alienas incendens.

§. 1521. Qui ſyluis dolo incendium infert, condemnandus eſt ad locum munitum aut afficiendus ergaſtuli poena annorum ſex ad decem vsque; vel etiam ad vitae dies, ſi damnum maius inde eſt datum.

§. 1522. Qui aedificia ſingulatim exſtructa non habitata, vel receptacula alia, lignorum copias, fruges vel hortenſia ita incendit, vt flammae ſecundum rerum naturam et ordinem, locos habitatos attingere nequeant, pro ratione damni dati condemnandus eſt ad locum munitum in triennium ad ſexennium vsque.

§. 1523. In delinquentem, qui plurium incendiorum ſe reum fecit, licet quouis per ſe temporariam tantum libertatis iacturam commeruiſſet, nihilo tamen minus decernenda eſt condemnatio ad locum munitum aut ergaſtuli poena ad vitae dies.

§. 1524. Si praeter ea ob incendium excitatum vnum condemnatione ad locum munitum aut erga-

Source : BIU Cujas

ſtuli poena ad vitae dies teneretur; ob delicti reiterationem accedat ſupplicium virgarum ignominioſum.

§. 1525. Poena capitalis incendiis ſingulis commiſſa, in delicti reiterati caſu, eſt exaſperanda.

§. 1526. Quae in antecedentibus (§. 1523-1525.) ſunt praecepta, obtinent, ſi delinquens nondum luit incendiorum antea excitatorum poenam.

§. 1527. At ſi iam ſemel ob incendium attentatum aut excitatum poena eſt afflictus; in reiterationis caſu gladii poenam commiſit, licet delictum in ſe poena leuior fuiſſet ſecuta.

§. 1528. Ob eiusmodi reiterationem (§. 1527.) poena capitalis mitior iam commiſſa mutatur in duriorem.

Incendium attentatum.

§. 1529. Incendium quoque mere attentatum, licet auctore non concurrente ignis non eruperit, ſequatur, pro periculi imminentis ratione, condemnatio ad locum munitum in annos plures.

§. 1530. Si materia incendiaria ſuppoſita incendium prorſus non excitauit; patrator commeruit ergaſtuli poenam aut condemnationem ad locum munitum in annos tres ad quinque vsque.

§. 1531. Si poenitens facti ipſe fomitem remouit, aut ignem, antequam erupit, rurſus extinxit, locus ſit poenae carceris aut ergaſtuli ſex menſium ad annos duos vsque.

§. 1532. Si incendii auctor auxilio implorato damnum omne praecauit, locus quoque eſt praecepto §. 1531.

§. 1533. Si auxilio, ab incendii auctore poſtulato, non quidem damnum omne, at eius tamen incrementum eſt praecautum; ei non irrogetur poena capitalis alias commiſſa, et poena, quae alias obtinet, ordinaria mitigetur.

§. 1534. Si incendii auctor vltionis cupidine aut inimicitia erga perſonam ad incendium attentatum



Source : BIU Cujas

fuit commotus; poenam perpeſſus ex loco aut prouincia, vbi incendium igne ſuppoſito excitauit, in perpetuum eſt exterminandus.

§. 1535. Qui ex malitia aut petulantia periculoſis minis ignis ſupponendi et incendii excitandi conciues turbat, poenam commiſit ergaſtuli ſex menſium ad annos duos vsque.

§. 1536. Qui eiusmodi minis pecuniam aut commoda alia ex perſonis priuatis ſingulis extorquere intendit, afficiendus eſt ergaſtuli poena annorum trium ad ſex annos vsque.

§. 1537. Qui eiusmodi periculoſis literis incendium minitantibus, aut ponendis incendii ſignis, a locis aut regionibus totis pecuniam aut alia commoda extorquere audet; pro ratione periculi inde vere imminentis condemnetur ad locum munitum in annos decem, ad vitae dies vsque.

Leges politiae ad praecauenda incendia.

§. 1538. Regni incola omnis obligatur, vt cautionem adhibeat, ne ipſo concurrente vel cauſam dante incendii damnum exoriatur.

§. 1539. Qui aedificium exſtruere, aut magnas refectiones intendit ſuſcipere, eum oportet iuratis opificibus eum in finem vti, et eorum ſequi praeceptiones, ad auertendum incendii periculum ſpectantes. (P. I. Tit. VIII. §. 66. ſqq.)

§. 1540. Artifices et opifices igne operantes, accurate obſeruare oportet politiae loci cuiuslibet ordinationes de officina ſua inſtituenda et munienda, atque de ratione modi et temporis, quo igne vtantur.

§. 1541. Omnes merces, materiae, et copiae aliae, quae ſe ipſae inflammant, aut ignem facile concipiunt, caute reponendae ſunt in locis et receptaculis, vbi earum incenſio fieri periculoſa nequit.

§. 1542. Separatim quoque reponendae ſunt merces, quae vti cannabis et pix, reponi vna ſine periculo non poſſunt.

Source : BIU Cujas

§. 1543. Quaestus et opera, quorum exercitium cum singulari incendii periculo est coniunctum, non tolerentur in vrbibus, vicis, pagis, et in genere prope ab aedificiis aliis, quae facile inflammantur.

§. 1544. Patrisfamilias omnis est, curare, vt aedium muri ad arcenda incendia perpetuo conseruentur idonei, et in primis, vt tempore iusto rite purgentur fumaria s. camini.

§. 1545. In primis vero est caminorum purgatorum, et rure et in vrbibus curare, vt camini rite purgentur.

§. 1546. Si dominus aut inquilinus caminorum purgatoris admonitionem contemnit; hunc ad magistratum, cui politiae cura demandata est, deferre rem oportet.

§. 1547. In genere est cuiusque, intuitu ignis et luminis cautionem adhibere quam exactissimam.

§. 1548. In horreis et stabulis, tabulatis et receptaculis aliis, vbi res ignem concipientes esse solent, deprehendatur nemo cum igne, aut lumine non circumdatis, taedis aut facibus accensis.

§. 1549. Quin potius quemuis vti oportet lampadibus oleo repletis, in laternis ex lamina confectis satis munitis.

§. 1550. Nemo tabacum fistula hauriat in eiusmodi loco, neque in lectis et cubilibus (stratis) aut prope eos, in syluis, in pagis prope domus, in stabulis, areis, aut viis pagorum, et iis locis, vbi facile posset incendium excitari.

§. 1551. In saltibus et syluis nemo tempore anni arido, aut locis periculosis, accendat ignem.

§. 1552. Neque ignem accendere licet locis (areis) apertis, in propinquitate periculosa aedificiorum, aut rerum aliarum, ignem concipientium.

Source : BIU Cujas

§. 1553. Nemo per noctem toleret batillos, aut alia ignis receptacula, locis, vbi inde poſſet incendio cauſa dari, aut prunarum vapore poſſent homines ſuffocari.

§. 1554. Omnes abſtinere oportet ab vſu ſclopetorum, a pyrobolis (*Raketen*) iaculandis, et ignibus artificioſis aliis, prope ab aedibus, aedificiis, aut rebus aliis, ignem facile concipientibus.

§. 1555. Qui agit contra cautionis regulas, §. 1538-1554. praeſcriptas, committit poenas politiae in ſingularibus ordinationibus definitas.

§. 1556. Poena politiae ordinaria, pro imprudentiae gradu, periculi magnitudine, et perſonae qualitate, in legibus politiae propius eſt definienda.

ncendium culpoſum.

§. 1557. Qui eiusmodi politiae leges violando incendio vero cauſam praebet, pro damni dati ratione afficiendus eſt carceris aut ergaſtuli poena ſex menſium ad annos duos vsque, vel etiam, pro re nata et perſonae ratione, multa pecuniaria thalerorum quinquaquinta ad mille vsque.

§. 1558. Qui praeterea imprudentia aut neglecta cura ſolita cauſam dat incendio, pro eadem ratione poenam luat carceris aut ergaſtuli in hebdomadas quatuor ad annum vsque, aut multam ſoluat pecuniariam thalerorum viginti ad quingentos vsque.

§. 1559. Patresfamilias et heri obligantur ad inuigilandam cura diligenti familiae et famulis, vt igne et lumine caute vtantur.

§. 1560. Eadem obligatio intuitu hoſpitum et peregrinantium incumbit eos excipientibus, et hoſpitium iis praebentibus.

§. 1561. Simulac perſonae ante dictae animaduertunt, curae ſuae hoc reſpectu ſubiectos igne et lumine non ſatis caute vti, eorum negligentiam ſeuere et grauiter reprimant, aut ad magiſtratum deferant neceſſe eſt.

Source : BIU Cujas

§. 1562. Aedium quoque domini, qui inquilinos incaute et negligenter igne et lumine vti animaduertunt, obligantur ad denuntiandam magistratui eam negligentiam, si eam reprimere satis ipsi non possunt.

§. 1563. Si familiae, famulorum, aut hospitio exceptorum culpa et negligentia incendium exoritur; paterfamilias, herus, aut hospes, negligentiae in hac cura conuictus, dimidiam luat poenam, ab incauto incendii auctore ipso commissam.

§. 1564. Si quis, licet sciuerit, personas curae suae commissas igne et lumine incaute et negligenter solere vti, nihilo minus omisit earum negligentiam et imprudentiam praeceptis conuenienter reprimere; afficiatur poena eadem, qua incendii auctor culposus.

§. 1565. Omnes, in quorum domicilio, aut aedibus incendium exoritur, quod fieri periculosum facile posset, obligantur, vt casum sine mora notum faciant, et auxilium publicum absque mora aduocent.

§. 1566. Qui incendium exortum celare, aut suorum auxilio clam conatur restinguere, licet incendium re vera sine vllo damno alio sit extinctum, nihilo tamen minus afficiendus est multa pecuniaria thalerorum quinque ad viginti vsque, aut aequa corporis poena.

§. 1567. At vero, si incendio eo modo occultato auxilium publicum est neglectum, et inde graue damnum datum; locus sit incendii culposi poenae. (§. 1557.)

§. 1568. Intuitu eorum, qui vi officii, aut ciuis iuramento obligati sunt, vt incendia exorta notificent, aut iis restinguendis dent operam, locus est muneris instructionum praeceptis, et legibus (ordinationibus) singularibus de incendiis latis.

Source : BIU Cujas

§. 1569. Qui inſtrumenta ad reſtinguenda incendia, ſecundum leges de incendiis latas parata habenda, non habet parata, aut non idonea; ad officium executionis via ſtatim eſt compellendus.

§. 1570. Qui eiusmodi inſtrumenta ex negligentia aut parſimonia intempeſtiua non comparauit, aut in ſtatu idoneo non conſeruauit; poenae loco duplex ſoluat pretium inſtrumentorum deſideratorum aut non idoneorum.

De inundationibus doloſis.

§. 1571. Qui aggeres, moles, cataractas (*Schleuſen*) aut alia opera, in aqua exſtructa, quibus a regionibus et agrorum vniuerſitate aqua arceri debeat, dolo perfodit, diruit, aut modo alio ita laedit, vt inde vi aqua perrumpat, aut inundationi cauſa praebeatur; poenam capitalem commiſit.

§. 1572. Si inundatione dolo effecta ſyluis tantum aut agris et pratis damnum eſt datum; auctor nihilo tamen minus afficiendus eſt poena condemnationis ad locum munitum exaſperata in annos plures ad vitae dies vsque.

§. 1573. Qui aggeres aut cataractas aquarum, foſſarum aut lacuum priuatorum perfodit, aut modo alio laedit, et inde inundationi periculoſae eiusmodi aquarum dolo cauſam praebet; pro damni dati ratione condemnandus eſt ad locum munitum aut afficiendus ergaſtuli poena annorum duorum ad annos decem vsque.

§. 1574. Si inundatio doloſa effecta eſt intentione, homines occidendi; ea intentione vere obtenta exaſperata rotae obtineat poena.

§. 1575. Licet damnum nullum ſit datum, nihilo tamen minus ille, qui, animo homines interficiendi, eiusmodi delictum tentauit, poenam commiſit ergaſtuli ad dies vitae cum ſupplicio virgarum ignominioſo.

§. 1576. Et ille quoque, qui proprio auſu, ſine cognitione aut admonitione praeuia inferius iacen-

Source : BIU Cujas

tium, aggeres perfodit, aut cataractas laedit, vt se ab aqua irruente liberet, afficiendus est, nisi extrema fuit necessitas, poena carceris sex mensium ad tres annos vsque.

§. 1577. Quomodo ii, quibus aggerum, molium et cataractarum conseruatio, et cura incumbit, neglectis officiis, et damno inde orto, sint puniendi, definitum est in legibus (ordinationibus) singularibus, de fluminibus, aggeribus et litoribus latis.

BIBLIOTHEQUE CUJAS PARIS

Source : BIU Cujas